THORMODI TORFÆI
HISTORIÆ RERUM NORVEGICARUM PARS QVARTA,

CONTINENS,
QVÆ AB INITIO
REGNI SVERRERIS,
USQVE AD
**REGNORUM DANIÆ
ET NORVEGIÆ**
SUB
REGINA MARGARETA,
CONJUNCTIONEM, ACCIDERUNT.

HAFNIÆ, MDCCXI.
EX TYPOGRAPHEO JOACHIMI SCHMITGENII.



HISTORIÆ RERUM NORVEGICARUM PARTIS QUARTA

LIBER PRIMUS,

CONTINENS HISTORIAM REGIS SVERRERIS, EJUSQVE, POSTQVAM AD REGNUM PERVENIT, GESTA.

CAP. I.

SVERRIR TOTIUS NORVEGIÆ REX CREATUR: EJUS IMPERII PRIMORDIA ET NUPTIÆ.



OPeris hujus præcedente parte annorum centum octoginta qvatuor historiam complexi sumus; secutiqve authores nostros integrâ librorum decade exposuimus, ut regnum in peregrinorum potestatem redactum, ab indigenis tamen administratum fuerit, utrisqve deinde ereptum, ad eandem familiam iterum redierit, magnis recèns introductæ Christianæ Religionis successibus: postqve haud diuturnam possessionem Regis sangvini redditum, mox tamen amissum, & ab indigenis hæredibus recuperatum, longôqve tempore retentum; donec post dissensiones mutuas factionumqve turbas in lineam cognationis, omni propè excisâ agnatione, reciderit, utqve hæc iterum revixerit, idemqve illud regnum vi, ut tum videbatur, superiore, aut incredibili industriâ prudentiâqve tandem obtinuerit. Nunc qvâ prudentiâ ab isto vindice administratum, posterisqve felici successione transmissum, apud eos, donec mascula tandem stirps defecit, permanserit, hac parte narrabimus.

Post exeqviarum Regis Magni solennia, Sverrir signo tubâ dato omnes Holmam in cæmiterium ædis Servatori dicatæ evocat. Ibi Havardus Jarlis filius, auditorum animos ad audiendam concionem Regis præparaturus, postulat, *ut eum sibi Regem à Deo datum pro acceptissimo munere agnoscant; neqve enim alium secundùm Deum esse, qvi majoribus ipsos beneficiis afficere possit aut velit; solum qvippe gentis universæ præsidio natum, adeòqve fidem ipsorum operamqve strenuam expetere. Etenim qvantum ipse possit, longâ jam experientiâ cognitum, cui nec aspera montium juga, nec inviæ paludes, non concitatum turbinibus æqvor, nec intonans fulguribus æther, nec grandinum nimborumqve procellæ, nec fames vel sitis, dura necessitatis tela, aut mille vitæ pericula, ipsa deniqve mortis facies, obstiterint, qvò minus regnum injustis invasoribus extorserit. Manifestum inde, divino eum præsidiô munitum, hominum viribus superari non posse. Svadere se itaqve, ut qvicunqve eum hucusqve læserint, jam supplices veniam exposcant, præteritamqve pervicaciam atqve perfidiam novis obseqviis constantiqve fide compensent; exorabilem eum facilemqve deprecantibus futurum; proinde considerarent, utrum in rem suam conduceret, læsum pervicaciâ irritare, an obseqviorum delinimentis demulcere. Deum inprimis orandum, detiis eam mentem, qvæ necessitatem pœnarum exigendarum ei, ipsis subeundarum, tollat.* His dictis, Rex in concione surgens, conjectis aliqvantisper in circumstantes oculis, tandem multitudinem his verbis alloqvitur. *A divini vatis, ejusdemqve gloriosissimi Regis, Davidis verbis exordium capiam. Miserere mei, Domine, qvoniam conculcavit me homo totâ die; impugnans tribulavit me.* (Hæc Latinè effatus deinde lingvâ Norvegicâ ipse interpretatus est.) *Et certè qvidem cognatus meus Rex Magnus vires suas omnes ad me perdendum, patrimoniiqve jure dejiciendum, vitam qvoqve ipsam eripiendam, intendit. Evasi, propugnatore Deo, eodemqve judice regnum mihi debitum, qvod ille invaserat, teneo. Nimirum rebellibus Deus semper restitit. Angelis etiam ipsis insolentiâ inflatis, de cælo ad infernas sedes deturbatis, formam diabolorum induit. Adamum superbientem Paradisô ejectum, in hanc, qvam cernimus, miseriam, abjectumqve statum, detrusit. Tumenti Pharaonis vecordiâ Ægyptus decem inauditis plagis percussa. Saulus insolescens ab impuro spiritu vexatus. Sed hæc nimis forsan antiqua repeto, cum recentiora habeam memoranda. Eò hic nuper insolentiæ processum est, ut homines nullis Regiis natalibus fulti, Regios sibi honores circumdarent. Erlingus enim Skackius, Ormo Kirpingo satus, Comitem se, filium verò Regem, constituit; in omnem deinde stirpem Regiam immuni scelere grassatus, qvemcunqve eâ prognatum cognovit, de medio sustulit. Rege natum esse, Regios ortus profiteri, piaculum erat, crimenqve capitale, vix unâ morte expiandum. In hoc totius nobilitatis flos ordinumqve omnium consensit, totisqve viribus tyrannidem promovit; donec tandem ex scopulo qvodam Deus virum oppidò parvum, staturâ pusillum, ad superbiam eorum domandam excitavit; (Usqve adeò verum est, parvam sæpe scintillam contemtam magnum excitâsse incendium.) Fallimini autem, dum nullâ de causâ nos eos oppugnasse, regnumqve nullô jure invasisse nugamini; neqve enim nos adeò memoriam horum perdidimus, nec offensæ tam citò ex animo effluxerunt, qvin reminiscamur occisum à Bergensibus patrem nostrum Sigurdum; perduelliumqve manipulos adversus fratrem nostrum Haconem ab iisdem concitatos, qvibus is tandem succubuit; occisosqve duos fratres nostros, qvorum alter pulli cornicis instar in crucem actus, alter securî percussus est. Horum haud æqvum est subitò nos oblivisci. Tot certè jam sumus tantisqve calamitatibus exercitati, ut cogitare ceperimus de abjicienda penitus regni cura, ni populi hujus tot injuriis vexati necessitas aliud svasisset; aut si à nobis impetrare potuissemus, nostrum*

strum patrimonium æternæ iis prædæ fore, qvi injustè id invaserunt. Et jam qvidem liberati estis; sed qvâ vestra gratia? Habemur enim nos pro infensissimis hostibus. Etenim si qvis dicat, Sverrir victoriosus est, Sverrir sapiens est; regerit alter: Carè quidem satis hæc emit, Diabolo se mancipando; alii non mancipasse me ei, sed me ipsum esse diabolum, claustris Erebi elapsum, inque hanc, qvam gero, formam mutatum. Hæc si penitiùs perpenderitis, qualis tum, quæso, vester status? nonne omnium rerum creatarum abjectissimus? cùm in hac vita diabolo serviatis, in altera flammis perpetuis unà cum illo torrendi? Talia ac tot convitia vel in vilissimum quemque servulum, nedum in Regem, jacta, qvid non, qvæso, supplicii mererentur? Et certè stultissimus pariter & infelicissimus Sverrir esset, si usum caduci hujus regni, tot laboribus periculisqve quæsiti, nec unquam tuti, sed nec sic magni pretii, animæ jacturâ æternisque pœnis comparâsset. Sed video hic lupos vitulos inter oberrare: meum fortè cribrum majusculis rimis vobis perfluum videbitur. Multi meam manum jam exosculantur, quam præcisam & amputatam cuperent: propinquos nunc appellat, qvi priùs Diabolos dixit. O! quantus hic cornutorum foret numerus, si singulis eorum, qui adsunt, meque perditum exoptant, frontibus cornua enascerentur. Optant pueri puellæque, cum ad litus accedunt, lapidemque manibus ludibundi è rupe devolvunt; caput Sverreris subjectum ut siet, in quod incidat. Hæc vestra disciplina est, sic liberos vestros instituitis; ancillæ & lotrices, cum linteamenta tundunt, eadem mihi vovent; nec tamen præter naturam est, Sverrerem placidâ morte solvi. Sciant proinde omnes, qui conventui huic adfuerunt, Magni Regis milites, sibi ante tertium Solis occasum urbe excedendum; gratias a: omnibus nostris amicis, quotquot hic congregati sunt, ago. His concio dimissa est. Eâdem æstate Sverrir in Vikam ad limites usq; regni profectus, nullo contradicente, Regem se totius Norvegiæ pronunciavit, præfectosq; singulis provinciis præfecit, solus tum primùm universi regni Rex salutatus, anno, ex qvo Regium nomen primò assumserat, septimo; à cæde verò Erlingi Skackii qvinto. Et jam ad milites suos ornandos conversus, aliis præfecturas regendas commisit, aliis stipendia ex annuis reditibus assignavit, illustria aliis conjugia conciliavit; multos eorum, qui ipsi regnum occupanti militaverant, proceres fecit; multos ad summum honoris gradum evexit, genere licèt ignobiles; quorum postea fides spectatissima fuit. Sororem suam Ceciliam, qvæ prius supremo Vermiæ judici Folkvido sociata pignus conjugii filium Haconem pepererat, Bardo Guttormi filio de Reinio elocavit, repugnante primùm Archiepiscopo Eysteino, eò qvòd, maritô ejus nondum mortuô, sacramento conjugii soluta nondum esset. Ad eum itaqve profecta, fratre Rege multisq; proceribus præsentibus, qværit, *an nuptias sibi cum Bardo propinqvorum authoritate contrahere prohibuerit?* Is prohibuisse confessus, ad maritum insuper redire jussit: cui illa: *nullum jam sibi maritum esse*, respondit; *nam cùm Erlingus Skackius Rexqve Magnus omnem familiam Regiam persequerentur, occisisque, quos cepissent, quærerent, quos metuerent, ablegatam se à propinquis extra patriam, ibiqve Folkvido, non in uxorem, sed concubinæ locô, sociatam, & maximè quidem invitam; inde elabendi nullam sibi viam patuisse, nisi jam restituto in regnum fratre, apud quem libertatem sibi illibatam spospondisset.* His per testes firmatis, assensit Archiepiscopus. Itaqve Rex nuptias ejus cum Bardo celebravit; fuit enim ex satraparum serie natus, Satrapa & ipse, opibus potens & formâ conspicuus, vir mansvetus & probus, qvi primum sub Sverreris in Thrandiam adventum prædium suum Reinium incolens brevì se in interiorem Regis gratiam insinuavit, eòqve profecit, ut sororis ejus matrimonium impetraret, ex qva filium Ingium suscepit, qvi deinceps in Norvegia regnavit. Paulò post Cecilia mortua est, sepultaq; Bergis in aqvilonari

sacrarii parte, multo sepulchri ornatu. Postea Bardus uxorem duxit Ragnfridem, Erlingi de Qvidno Valdresiæ satrapæ filiam. Nati ex ea filii, Sigurdus, Asulfus, Guttormus, & Skufus; filia qvoqve Ingibiorg, qvæ nupsit Alfo de Throndbergio; eorum filius Erlingus, Juvenis dictus. Ivari Selkio Skialdvorem, Andreæ Skialdvoris filiô prognatam, Rex sociavit: Petro autem Rangio Ingibiorgem, Ivaris Eldii viduam, multosqve alios opulentissimis conjugiis ornavit, & ad primæ dignitatis conditiones evexit. Ipse qvoqve, annô post cædem Regis Magni, Margaretam, Sancti Eirici Sveciæ Regis, qvi Upsalis scrinio impositus qviescit, filiam in uxorem duxit; cujus frater Knutus Sveciæ tum imperabat. Erant Sverreri ante hoc conjugium nati filii duo, Sigurdus cognomentô Lavardus, & Hacon; filiæ qvoqve Cecilia & Ingibiorg.

CAP. II.

KUFLUNGORUM FACTIO PER JONEM MONACHUM EXCITATUR: EJUS CUM BETULOPEDIBUS PRIMUS CONFLICTUS.

IStius anni autumnô nova factio in Vika exorta est, duce Jone qvodam, qvi se filium Regis Ingii Haraldiq; Gillii nepotem professus est, sangvinisq; jure se ad regnum injusto possessori extorqvendum teneri; Nec tantis ausis fautores idonei defuerunt. Proceres enim inprimis celebres, Simon Autru-Karii filius, Nicolaus Biarnii filius, Andreas Brasadus, Bardus Salius Thorbergi filius, Ion Kutiza, Paulus de Hvinio, sev Qvinisdalo, in partes transgressi, simul cum duce, hôc ipsô Michaelis festô, Tunsbergam profecti conventum egerunt. Fuerat ille priùs in insula Hofudeya Monachus; jam verò ad regium fastigium aspirans, cucullum sponte deposuerat, iisdemqve comitiis Rex proclamatus delatum sibi publicis suffragiis regnum accepit. Betulopedes in signum deserti ordinis sacri Kuflungum eum, (id est, cucullatum) asseclasqve ejus & milites Kuflungos (cucullatos) appellârunt. Ei se statimè totâ Vikâ nobilissimorum virorum filii & promiscua plebis agmina magnô concursu adjunxerunt, raptisqve illicò navibus Betulopedum versus partes se aqvilonares converterunt, jam ob defectum navium à persecutione tuti. In Agdas inde delati, omnes sibi provincias, qvòcunqve progressi sunt, subjecerunt. Tunsbergam irrumpentes præfectum urbis Simonem Siplam cum omni satellitio, (erant a: circiter triginta) occiderunt; in septentrionem deinde factâ expeditione, omnes in transcursu curiæ in obseqvium, nullô resistente, receptæ. Bergas advecti, pontibus statim naves admovent. Universis inde præfecturis Stadas usqve in deditionem acceptis, Bergis hyemabant. Hic qvidem civibus, dum ordinaria missæ sacra celebrarentur, valde inopinati supervenerunt, præfectô urbis Askele Kussâ, qvi tum sacris in lapideo templo operabatur, nihil de illis cogitante. Hic ut primùm armatos ædem sacram ingressos animadvertit, per gradus (Rid) ascendere in turrim properat; seqvuntur Kuflungi, qvorum unum grandior lapis è turri fortè in caput decidens, exanimabat. Sudâsse tunc dicitur crux sacra guttulas auri speciem referentes. Interea præfectus cum suis intra claustra turris se continebat, donec cives urbis pecuniâ eos redimerent. Mariusudam navem, qvam Sverrir Sogniâ profectus in Holmam subductam compluviô qvodam texerat, Kuflungi, convocatis ad opus omnibus urbanis, in mare

pro-

propulsuri, dum nimium qvassarent, ita demum fregerunt, ut ne loco qvidem moveri posset. Subjecto itaq; igne totam concremârunt: adeò ut nec illius post reportatam de Magno victoriam, sed nec antea, ullus usus fuerit: planè qvasi Magno fatalis, in solius ejus perniciem fabricata fuisset. Post longam satis moram Bergis Vikam redierunt, auctiq; jugi accursu viribus, etiam Satrapas Sverreris, qvos provinciis illis præfecerat, adorti sunt, Ulfum nempe de Laufnesia, Ulfum Fly, Thorolfum Rympilem, Havardum Jarlis filium, pluresq; militum tribunos. Jamq; mutuis incursibus per occasionum oportunitates alii alios infestabant; donec crescente indies potentia Kuflungorum, omnes tandem Betulopedes fugâ sibi consulentes, desertis provinciis ad septentrionales regni oras concederent, præter Ulfum de Laufnesia: qvi cæteris sive fortior, sive à copiis instructior, negabat se vicinitate eorum moveri, solusq; expers metûs & periculi securus in Vika, hâc sæviente tempestate, remansit.

CAP. III.

JURGIA ET CÆDES EX VINOLENTIA ORIUNTUR: SVERRIR GERMANOS, QVI VINA INTULERUNT, URBE EXCEDERE JUBET: EJUS IN EBRIETATEM INVECTIVA.

VEre proximò Sverrir Thrandiâ validis copiis profectus circa pervigilii tempora Bergas pervenit: ubi tum ingens peregrinorum naviumq; copia, qvæ toto ferè septentrione eò confluxerat; tantaqve vini copia â Germanis invecta est, ut cerevisiæ pretiô veniret. Itaqve qvodam tempore eos inter & Norvegos rixæ subortæ ob vini duntaxat sextarium, qvem hi non impetrabant, ad injurias tumultumqve processerunt, tabernam effringere molientibus Normannis, Germanis contrà hastis gladiisqve vulnera inferentibus; cujus rei fama per urbem sparsa, hinc cives omnes urbanos, illinc Germanos omnes in partium studia auxiliaq; concurrentes excitavit. Pugna inde mutuis cædibus infesta: longè tamen plures turbæ urbanæ cæsæ. Germani protinus naves omnes stationibus in sinum propellunt: seqvuntur infestis armis urbani; tandem partibus saniora consilia circumspicientibus, lis omnis composita est. Multa illâ æstate per ebrietatem mala evenerunt. Etenim cùm Rex postea in urbem rediret, major tumultus inter emissarios & mercenarios exortus, majorem cladem ciebat. A duobus ille altercantibus initium cæpit: qvi dum mutuò se ad pugnam provocant, Thorolfus Rimpill, emissariorum tribunus, cænaculô, ubi potabant, inermis egressus, galeâ capiti detractâ mercenarium feriebat, illo verò parvâ securi eum vicissim percutiente, res ad arma venit, nemine satis sui, irâ vinôqve spiritus accendentibus, compote. Thorolfus majore vi se extricans ad suos pervenit, tubâqve emissarios omnes evocat. Mox incalescentibus animis denuò arma sumta. Asgeir Hræfrar-Skallius, mercenariorum præfectus, collegiô suorum convocato, armisqve instructô, in navem mercenariorum procedit. Seqvitur infesto agmine Rympill, projectoqve in navem eorum gladio, ipse instans eundem actutum recipit, pugnatq; qvàm acerrimè: nec pri-

ùs destitit, qvàm vastatâ nave alios magnâ strage occiderat, alios, eosqve multò plures, in undas compulerat. Intercedente deinde Rege, pacata sunt rursus omnia. Rex paulò post freqventi foro exsurgens: *Anglis certè*, ait, *qvi cannabem, lina, ceram, aut lebetes, huc invehunt, gratias agimus: ut & Orcadensibus, Hialtlandis, Færeyensibus, & Islandis; qui rebus nos necessariis, quibus carere nequaquam possumus, instruunt. Germani autem, qui vina magnis navibus inferunt, butyroque & piscibus in perniciem nostram permutant, multis nos damnis afficiunt. Illis enim tam mei satellites, quàm cives & mercatores, se ingurgitantes pessima cladium vestigia reliqverunt; alii enim cæsi, alii vulneribus affecti, pulsati quidam, vel alio modô læsi, quamdiu vivunt, inhonestas corporibus suis notas circumferunt. Iis itaque edicimus, si vitam bonaque sua salva velint, ocyùs hinc discedant, plurimùm enim nobis nocuerunt, damna, quæ consequi ebrietatem solent, promoventes.* Multis deinde in vitium illud invectus, ad sobrietatem omnes revocando: *Pessimè*, inqvit, *rei suæ homo consulit ebriosus; dum vina pretiosa cum dispendio patrimonii undique conqvirit; dum pluris vinum quàm aurum æstimat, idque ipsum, quàm Solem jucundiùs intuetur, negligens interea muneris sui operisqve diurni, quæ acquisivit, insuper perdendo, & omittendo plura acquirere: unde ad inopiam tandem egestatemque redigitur. Nihil est, quod memoriam magis lædat, quàm ebrietas; nam seducit mentem vinum, & vinolenti gladios sumunt, qui cùm è vino & crapulâ tandem emerserint atque surrexerint, non meminerunt ampliùs, quæ ipsi gessêre. Hæc est, quæ prava suggerit desideria, & effrenem ac improbam ad ea implenda audaciam. Hinc bonorum rapinæ sæpiùs, raptusque mulierum aut seductio, aliaque mala profluxerunt. Accendit præterea ferociam hominis, redditque impatientem, ultionisque avidum, cui nec modum scit nec finem ponere: duplô certè vindicâsse parum est. Verbô: in omnia vitia sceleraque vel pellicit hoc malum, vel protrudit, mentis sanitatem excutit, valetudinem corporis profligat, patrimonia denique & famam atterit, rixas, cædes, infanda facinora, secum trahens. Sed ante omnia potissimùm animæ salutisque æternæ jactura metuenda; quis enim obrutum vinô servum ministeriis ritè peragendis adhibebit? quis insanum admittet? aulæ certè cælesti idoneus non erit, qui fatuus hinc discessit, fatuusque ingressum in eam postulat. Cùm igitur tantis malis obsita sit ebrietas, fugiendam eam vobis & execrandam, tanquam vitiorum omnium fœdissimum spurcissimumque, moneo. Tenenda in omnibus moderatio. Pace milites agnos, bellô leones referant: cives rem justè, nec sine labore, quærant, partam prudenter servent, providè dispensent & erogent. Isti, quos serviendi conditio tenet, præstent dominis suis debita ministeria animô grato & benevolo; discantque omnes ordines muneribus sibi demandatis ritè fungi, nec belluinâ istâ voluptate à rebus gerendis se abripi ulteriùs sinere.* His talibusqve declamando milites suos satellitesqꝫ sub finem hortabatur, ut pacificos se & moderatos urbanis civibus & mercatoribus exhiberent: placuitqve hæc oratio sapientioribus. Eodem autumnô Nidarosiam profectus est; ubi seqvens etiam hyems, plurimîs Procerum præsentibus, ipsi exacta: Kuflungis interea Vikam, ut superiùs dictum, tenentibus.

CAP. IV.

ALTER KUFLUNGORUM CUM BETULOPEDIBUS CONFLICTUS, EJUSQVE EVENTUS: ARCHIEPISCOPI EYSTEINI MORS, ET SUCCESSOR.

Hac

HAc eâdem æſtate Kuflungi omnia ad expeditionem adverſus Sverrerem parabant: tardiùs tamen movebantur. Namqve adulto jam primùm autumno Stadas, ferente vento, transgreſſi, Agdaneſiam pervenerunt. Extat de hac expeditione Næfarii cujusdam poëtæ verſus, hujus ſententiæ: *Exſpoliemus Betulopedes; ſubmittamus nobis Sverrerem; gladios exerceamus noſtros, verbis minus nos, magisque factis extollamus. Deo diſpenſatore viros nos præſtemus.* Deinde leniùs reflante boreâ, remis per veſperam ſinum ingreſſi, primâ nocte famam omnem prævertentes urbem intrant, ubi plurimi tunc ſatellites proceresqve erant congregati; qvi periculi demum, urbe jam captâ, gnari, magnam partem occiſi ſunt: alii, qvi effugerant, in templis aſyla qværebant. Inter cæſos Bryniolfus Rognvaldi filius, Ottar Knerra, Sigurdus Dola, Finnus, Andreas Kriſta, Andreas Biugius. Interim Ion Kuflungus Betulopedibus omnibus, qvi in poteſtatem ſuam venerant, pepercit, profeſſus ſe eos ſatellitio ſuo inſcripturum: cùmqve jam ſacramentum dicendum foret, injuratis ſe iis fidem habere retulit, viris qvippe bonis, qvorum promiſſa ſacramento æqvaret.

Interea Sverrir in caſtello ad Steinbiargas cum paucis ſuorum morabatur: cùm eâdem veſperâ duo tresve eorum, qvos Kuflungus cæperat, gladiis ſuccincti exſpatiantes ad eum redierunt, maneq; ſeqventis diei omnes deſerto Kuflungo Sverreri ſe aſſociabant, Ionis tantùm clementiam & facilitatem verbis commendantes. Rex iſtâ eum intempeſtivâ humanitate documentum dediſſe reſpondit, qvàm eſſet artis imperatoriæ ignarus. Dumqve hæc aguntur, tota claſſis Sverreris vel intercepta vel exuſta eſt; ipſe verò intra caſtellum toto illo tempore ſe continens, non ſatis virium habere ſibi viſus eſt ad manum cum eis conſerendam. Alterâ autem vice Kuflungus, magna qvoqve jam manu ingruens, ad terreſtre certamen à Sverrere, qvi durante hyeme palis litora, qvæ ſupra urbem ſunt, præcinxerat, invitatur.

Æſtate, qvæ ſecuta eſt, anni videlicet MCLXXXVII. Ion iterum in aqvilonem, magnâ lemborum claſſe, de improviſo Sverrerem adorturus excurrit hic autem conſiliis ejus occurrendo, priùs multis magnisq; navibus, in qvasdam Ionis naves, qvæ in Angria relictæ erant, incidit; ubi tum aliqvi nautarum occiſi ſunt, alii in pedes ſe conjicientes fugâ evaſerunt. (Deſiderantur hìc in codice, qvem ſeqvimur, aliqvot verba) Tandem omnes Bergas curſum reflexerunt. Extat verſus Blacki, cùm in Kuflungos moveret Sverrir, ad retorſionem Næfarii factus. Inde Sverrir Ulfum de Laufneſia & Hidium fratrem ſex lembis ad qværendos eos miſit: qvi deprehenſos in portu magno clamore terruerunt, exiſtimantes, Sverrerem cum tota claſſe ſuperveniſſe. Qvàm maximâ igitur feſtinatione portu effugerunt: duo tamen lembi, qvibus gubernatores præerant Erlendus Gudbrandi filius & Paulus Vatzkinne, vectoribus ad unum omnibus occiſis, capti; diſperſa autem per mare Kuflungorum claſſis navigabat, & qvæ Ionem ferebat navis, longo intervallo à cæteris disjuncta erat, donec reliqvis accedentibus conjunctim omnes Tunsbergam ſeſe reciperent, Blacko rem omnem, ut geſta erat, verſu prodente.

Eadem hyeme Archiepiſcopus Eyſteinus, jam inde ab autumno æger & lecto affixus, poſt ferias natalis Chriſti Regem Sverrerem nunciis ad ſe vocat.

vocat. Is cùm advenisset, post varias præteriti temporis actiones mutuo repetitas sermone, Eysteinus veniam offensarum à Rege in nomine Domini postulabat: qvi cùm facilem se præbuisset, factâ comissorum invicem gratiâ & animorum reconciliatione, Archiepiscopus nocte, qvæ festum S. Pauli Apostoli seqvitur, decessit. Mortuo monumentum in sacrario ædis Christi exstructum, ipso Rege in funere ejus verba in choro templi faciente: ubi exposito novissimo, qvod habuerant, colloqvio, confessum Archiepiscopum affirmavit, multa se in Regem deliqvisse, & qvidem contra canones statutaqꝫ Ecclesiastica, verùm fuisse tamen alias rationes, qvibus integrum sibi non existimaverit Magnum deserere. Ipse hic deinde, Hacone Sverreris nepote regnante, anno nimirum MCCXXIX. albo Sanctorum inscriptus est. Eâdem hyeme Kuflungi in Vika se continebant. Vere novo Sverrir ingenti cum exercitu Bergas regressus est, ibi in adultam æstatem commoraturus. Magna tum eò hominum freqventia, Episcoporum qvoq; regniqꝫ procerum ordines ad electionem novi Archiepiscopi convenerant; tandemqꝫ communibus votis suffragiisqꝫ designatus est Eiricus Episcopus Stafangriensis, authoritate potissimùm Archiepiscopi Eysteini; qvi, ut sibi Eiricus sufficeretur, moriens svaserat: & qvamvis Rex ipsum ut nimiâ liberalitate profusum rebus Ecclesiasticis dispensandis minùs idoneum declaraverit, pervicerunt tamen plurium vota, & responsum Regis, liberalitatem in Archiepiscopo reqviri; sufficere enim cathedram sumtibus, nec, licèt magnis, facilè exhauriri. Itaqꝫ Eiricus eôdem annô inaugurandus è patria est profectus.

CAP. V.

KUFLUNGORUM GEMINA FUGA ET CLADES: IONIS KUFLUNNI CÆDES: HISTORIÆ STURLUNGORUM AB HIS IN QVIBUSDAM DISSENSUS.

SVerrir in Vikam plus triginta navium classe navigans, earum unam in scopulum impegit, qvam deinde exuri jussit. Ipse Tunsbergam pervenit, ubi Kuflungi, magnis qvidem instructi copiis, sed classe exiguâ, remanserant. Cùmqꝫ jam appropinqvaret urbi, præcognito ejus adventu, naves in universum duodecim Rafnabiörgis admoverunt. Ipse nihilo secius eò usq; progressus, appulsâ insulæ ad Smiorbiargas classe, qvinqve inde naves, versus urbem directô cursu, ad pontes collocat. Triduum ibi mutuo metu exactum, neqve Sverrere classem propiùs applicare, saxorumqꝫ jactibus subjicere, nec Kuflungis eum aggredi ausis; donec tertiâ tandem nocte inter tenebras, Betulopedibus, qvid ageretur, priusqvam exciti ad naves concurrerent, ignaris, admotis propiùs navibus, levis pugna exorta est. Tum verò Sverrir tanto impetu in eos invectus est, ut hi qvidem, omissâ navali pugnâ, ilicò in terram exscendentes terrestri viâ Thrandiam peterent. Ex utraqve parte aliqvot occisi sunt. Paulò ante festum Michaelis Kuflungi Nidarosiam devenerunt; ubi tunc Ivar Clementis filius, custodiæ urbis cum imperio à Sverrere relictus, cum octoginta navis suæ remigibus in castrum ligneum se confert, accedente eò civium urbanorum magno numerô, qvibus in præsidium lectis, non tamen diu locus defensus est, cùm hostes eos circiter mille militibus oppugna-

pugnarent; qvi expugnato castello, oppidanos cum reliqvo præsidio post acrem satis defensionem ejectos pugnârunt. Ibi Ivar Clementis filius cum maxima parte cohortis suæ cæsus est, urbsq; in potestatem Kuflungorum venit. Inde in publicis Eyrarum comitiis Ioni Kuflungo à Biorno Erlingi filio Regius titulus ingeritur. Castrum aliud Thorsteinus, cognomento Kugadus, tuebatur: unde ingens saxorum missilium copia subeuntes arcebat. Jactu telorum res eminus ultrò citroq; aliqvantisper gesta est; qvô cùm nihil profecissent, Kuflungi Nicolaum Sultanum, Regis Sverreris avunculum, in conspectum obsessorum producunt, patibuloq; ante castrum erectô, minantur confestim se suffixuros, nî citò deditionem faciant. Sed nec aliam Sverreri sortem exspectandam, pari suppliciô afficiendo, si per eos steterit, qvò minus avunculus ejus liberaretur. Propositaq; hôc modô omnibus vitæ conditione, si castrum dederetur, & Nicolai certissimâ cæde, si abnuerent, cæpit Thorsteinus de his secum altiùs deliberare, & metuendæ omninò necessitati cedere; certus scil: graviter cædem avunculi laturum Regem; cujus ne suam pervicaciam ream ageret, pænamq; à se repeteret, formidabat. Itaq; castellum hostium potestati permisit, ipse cum rebus suis omnibus incolumis dimissus; civium qvoqve singulorum vitæ parcitum: at opes omnes in prædam versæ, castellum incendiô deletum, magna Regis Sverreris pretiosaqve gaza direpta, civesq; ad magnam vim æris solvendam pro incendio urbis pænaq; præfractæ contumatciæ redimenda adacti. His acceptis, iter maturant Kuflungi, civibus celerem iis abitum serumq; reditum voventibus; nec tamen nisi interjectâ aliqvot dierum morâ, etiam postqvam parata essent omnia, excedunt.

Interea repens fama Sverrerem cum exercitu in montem Gaularasem provectum urbi imminere nuncians, adeò eos terruit, ut, urbe protinus relictâ, lembos, qvâ maximâ poterant celeritate, molirentur, sinuq; egressi latrociniis omnia infestarent: ubi inter alia navem Islandicam, nomine Stangar: folun dictam, eò fortè ventis repulsam, rebus omnibus nudârunt. Inde Bergas, festo Domini natali appropinqvante, devecti, impensas in feriarum solemnia à civibus, sub minis incendendæ urbis totius, exigunt. Iis dilationem petentibus majores minæ opponuntur. At mox paucis ante festum diebus rumor affertur, classem trium & decem magnarum navium trans promontorium Hvarfsnesiam visam urbi appropinqvare. In tanta igitur trepidatione, qvæ tum facta est, armis raptim sumtis singuli urbe exeunt; pars magna in montem vicinum, alii ad ædem S. Olafi fugiunt. Ipse princeps Ion Kuflungus tubæ signô omnes ad naves evocans, ipse suam petit, inqve sinum adversus hostes educturus, cùm reliqva classis præter spem moraretur, reditum ad pontem, qvi Monachorum vocatur, ocyus molitur, dumq; propiùs terram accedit, impingit in scopulum. Eodem momentô irruentibus Betulopedibus, plurimi præcipites se in mare dejiciunt, nando, si pote, evasuri; multi fugâ servati sunt, qvidam etiam perierunt. Ipse Ion in nave remanens, unà cum cognato, qvi solus apud eum relictus erat, occisus. Cadaver ejus veste nudatum & sagulô superinjectô tectum Rex publico spectaculo ad australem B. virginis templi parietem exposuit. Dum hæc aguntur, Kuflungi, collecto suorum agmine, armati de monte decurrentes, Betulopedes ad pugnam provocant. Rex suis, ne contra procurrerent, inhibitis, negabat adversus eos pugnandum, qvi principe carerent; occisum enim ducem eorum ad templum expositum ja-

cere, qvem inhumaniter illi deseruissent: attamen desertione talis principis minùs peccatum. Kuflungi itaq; re invicem deliberatâ, cùm sine duce & æqvitate causæ pugnare haud placeret, dilapsi sunt. Sed de iisdem plura posteà dicendi locus dabitur.

Fuit tum in urbe vir qvidam, nomine Petrus, cui uxor Astridis, cognomentô Steik. Hos Betulopedes ducis memorati parentes esse jactârunt, nec ipsi Ionis, sed Ormi nomen proprium fuisse fingentes; postulârunt itaqve, ut Petrus cadaver accederet, si fortè ibi filium agnosceret, siq; ullam in corpore filii sui notam qvondam observavisset, eam priùs prodendam; deinde diligenti inspectione, an ibi reperiretur, qværendum. Is filium suum puerum volam pedis dextri in falcem impressi magno vulnere læsisse ait: cicatricem, si qvæ eô locô appareret, indicio futuram, an hic esset ille Ormus, qvem sibi filium obtruderent. Rex eum ad corpus exanime ductum, nudatum tibialibus pedem inspicere jubet. Ibi notâ desideratâ statim occurrente, ortus & generis indice, palam eum Petrus filium suum confessus est. Id Sverrir deinde in comitiis Bergensibus publicandum proclamandumq; censuit, Ormum nimirum, patris matrisq; confessione eum appellatum, qvi se Ingii Regis filium, assumto Ionis nomine, professus esset, tantasq; in regno turbas excitâsset; jam verò civibus optimè constare, an Petrus ejus pater aut uxor Petri Regio genere orti sint. Patefactam itaqve jam demum prædonum istorum fraudem, qvi vindicandi juris Regii titulo patriam, illo duce, tam diu oppressissent. Sepultus est Kuflungus ad ædem B. virginis: & tum demum Regis Sverreris Betulopedumq; in urbem adventus civibus erat gratus, cum à Kuflungorum infestatione penitus essent vindicati. Ab his, qvæ jam sunt memorata, *Sturlungorum historia Partis III. Cap. 6.* ut & *Episcopi Holensis Gudmundi Boni vita*, aliqvantum in diversum abeunt, prius enim Jonem Kuflungum Bergas appulisse volunt; tradunt enim Ingimundum presbyterum, Thorvardi, (qvem Regi Ingio Haraldi filio militâsse librô de gestis filiorum Haraldi Gillii cap. 8. narratum est) & Arii, qvi in Ridjoklis Comitis Erlingi militiâ cæsus est, fratrem ex Anglia eodem autumno, qvô Ion Kuflungus novissimè ibi morabatur, nave mercibus pretiosis, vinô, cerâ, triticô, & pannis nobilioribus onustâ, advectum. Emissarios autem Kuflungi, qvorum præfectus Biornus Brikarnesus merces direpturus, intercedente Augmundo, memorati Thorvardi filio, qvi tunc sub Kuflungo meruit, à rebus presbyteri manus abstinere jussos, cum Augmundus merita patris sui in Regem Ingium (cujus filium se Kuflungus professus erat) patruiqve in Regem Magnum & Comitem Erlingum, pro cujus salute tuenda ipse occubuerit, memorâsset. Accessit & ipsius Kuflungi in eundem Sacerdotem propensa benevolentia; Jussum itaq;, qvæ ad ipsum in navi pertinebant, indicare, cum mercatoribus qvoqve consulere cupiens, plus sibi, qvàm possidebat, vendicaret, fraudis suspectum etiam rerum suarum parte excidisse, nec litem qvidem ullam de his intendere voluisse; Augmundum autem fratris ipsius filium, irâ ferociaq; incensum, cùm Brikarnesum vestes ex panno, qvem interceperat, corpori suo aptâsse conspicatus erat, assumtis qvatuor sociis, ipsum præfectum cum qvatuor aliis occidisse; exortos inde emissarios ad ultionem procurrisse; verùm in gratiam duorum Archiepiscopi Eysteini cognatorum, qvi cædem unà perpetraverant, Islandos incolumes à Kuflungo dimissos, emissarios autem exauctoratos. Ex hisce autem ita gestis, ut dixi, concluditur,

priùs

priùs autumnô illô Ionem ex Thrandia Bergis advectum, qvàm Historia Sverreris tradit. Dissensus qvidem levis est; nec tamen omninò reticendus.

CAP. VI.

MOTUS PER EIRICUM SVERRERIS FRATREM EXCITATI. FACTIO SIGURDI BRENNERIS, EJUSQVE EXITUS. CONTROVERSIÆ INTER REGEM ET ARCHIEPISCOPUM EXORTÆ.

POst cædem Regis Magni, Eiricus Regis Sverreris frater dignitatis titulum majorem partemq; regni à fratre expetens jussus est in aula permanere, satellitiaq; Satraparum more assumere: inter qvos primus ipsi locus est datus, nullâ partis regni mentione à Rege factâ, nec Eiricus tum qvidem ulterius urgere ausus est. Cùm verò impensæ in satellites, qvos multos nimisq; splendidè aluit, reditus longè superarent, egestas profusæ liberalitati successit. Annô itaq; posteriore MCLXXXV. in orientem movens idololatriæ adhuc deditos oppugnavit. Qvinq; navibus profectio instituta est, multis indies se aggregantibus. Ductores navium Auffur Presbyter, Thiodolfus Pik, & Hermundus Qvida erant. Esthonia primò latrociniis infestata, iis qvidem locis, qvi Vixæ & Tunta appellantur, magnaq; inde præda avecta. Inde Gauthia petita, ubi inter Saxones & Norvegos lis orta, mox etiam pugna; qvâ illis triremes duæ ereptæ, ingensq; opum vis prædæ his fuit. In Sveciam deinde se vertunt, ubi à Rege Knuto comiter excepti, non sine muneribus dimittuntur, ipsiq; Eirico discedenti longa navis est data. Transitu inde per Sveciam & Daniam factô, latrociniis non minùs infestô, eodem autumno in Norvegiam undecim navibus reditum; qvo tempore Kuflungi primùm exorti sunt. Autumnô verò eô, qvi in annalibus ex Rasnabiorgis denominatus est, annô nimirum MCLXXXVIII, postqvam Sverrir è Vika à Kuflungis recesserat, Eirico fratri Comiti creato districtum universum à Svinasunda Rygiarbitum usq; cum omnibus Uplandis donat. Hisce Eiricus incrementis & dignitate auctus, novo satellitio assumto, & uxore ductâ, cui Asa nomen erat, in Principem evasit potentem, insigni Sverreris familiæ firmamento.

Et jam successus Sverreris vel vilissimum qvemq; ad spes pares erexit; nam in Marchis ad orientem nova qvoq; factio sedes Vikensium crebris irruptionibus inqvietabat, cædibus, direptionibus, incendiis ubiq; gravis. Dux, Sigurdi nomine assumto, Ingium qvoq; Regem, Haraldi Gillii filium, patrem mentiebatur. Brenneris, seu Incendiarii, cognomen agrestes, qvorum villas exussit, imposuerunt. In argumentum generis jurisq; in regnum apud plebem Ionis Kuflungi confessio adhibita, qvi in illo veras se generis sui notas agnoscere testatus ad societatem invitavit, qvòd animo factisq; majores suos genus Regium referre qvàm maximè videretur. Sigurdus verò imperitè rem geri animadvertens, plus suæ industriæ tribuebat, dictitans apud suos, prudentem & strenuum Ducem reqviri adversus annosam vulpem, presbyterum Sverrerem, callidum virum & longô usu edoctum; sed nec se, si

fortè congrederentur, ſacerdotii aut ordinis Eccleſiaſtici rationem habiturum, nec illam in propinqvis ſuis ab eo obſervatam. Contractis igitur manipulis trecentorum circiter ac ſexaginta hominum provincias vexabat. At ſeneſcente æſtate, qvæ anno Ioni Kuflungo fatali ſucceſſit, ruſtici militesq; qvidam, locô, ubi conſtiterat Sigurdus, exploratô, repentè congreſſi domum irrumpunt, invaduntq; eum cum ſodalibus ibi commorantem; qvi longo tempore è ſcamno fortiter ſe defendebat, multis occiſis, donec numerô hoſtium victus, ſpe vitæ abjectâ, aures ſibi præberi poſtularet. Factô ſilentiô: *Video*, inqvit, *proceſſurum propoſitum veſtrum, fatumqve mihi jam inſtans, vos qvoqve victoriâ ovantes ſentio gloriaturos eſſe, ducem vos agminis hujus Sigurdum Brennerem Regis Ingii filium occidiſſe. Sed moderari lætitiæ huic vos velim, ſi qvidem minor hic parta gloria, minorqve in tali victoriâ laus ſit, qvam vos aut qvilibet alius exiſtimaverit, cum ego ne Norvegus qvidem ſim; natus qvippe in Islandia, nomine Hedinus, Thorgrımi Hroſſa preſti filius, toto genere Islandus, nec illo qvidem nobili, unde tamen vobis Regem me deſtinavi.* His dictis jaculıs eum inceſſunt, poſtq; virilem defenſionem occidunt. Alacritatis & fortitudinis laudem, hoſtium qvoqve ıpſorum teſtimoniô, magnam hic tulit; licèt his virtutibus pravè uſus profligatiſſimæ audaciæ homo, in ipſo ſcelere interemptus, magnis auſis exciderit. Hâc eadem æſtate Havardus Jarlis filius deceſſit, & Archiepiſcopus Eiricus, accepto pallio, Româ rediens Nidaroſiam, ſedem ſuam jam factam, adiit. Vacanti igitur jam ſedi Epiſcopali Stafangrienſi, cui hactenus Eiricus præfuerat, idoneus Antiſtes legendus erat; multorumq; ſermonibus Nicolaus Arnii de Stodreimio filius, Regis Ingii, Haraldi Gillii filii, frater uterinus deſignabatur, minus tamen id Sverreri Regi probatum. Qvô cognitô, Nicolaus Reginam literis ad gratiam conciliandam ſcriptis, officiorum multorumq; in laudem Regis dictorum plenis, petit, ut reſpectu generis, qvô illam propè attingebat, hanc ſibi dignitatem à Rege impetret: facilèq; eam promiſſis ad Regem ſollicitandum permovit. Rex *id*, *quod petebatur*, *minùs è re ſua futurum* reſpondit: *Nicolaum præſenti conditioni acquieſcere poſſe, auctum potentiâ animum, priſtinum tamen ſtatum reſpecturum; nec cum dignitate ſtatim quoqve fidem naſci.* At Regina eò enixius inſtabat, revocare in mentem poſtulans, *quantum damnum jacturamque propinquorum rerumque ſuarum, durante bellô cum Magno, paſſus fuerit; jam verò honoribus intra patriam delatis, ſatisfieri omnibus poſſe: nec fidem Nicolai metuendam, ſi poſitis armis ſacro ordini inſeratur.* Annuit tandem Rex precibus ejus, prævidere tamen ſe dicens, brevì tantæ indulgentiæ ipſi pluribusq; aliis pænitendum fore; datisq; ſic literis in conſecrationem ejus conſenſit, ad qvam obtinendam Nicolaus ad Archiepiſcopum Eiricum profectus eſt. At cùm eodem tempore Epiſcopus Oleyenſis Helgius fatis conceſſiſſet, in ejus locum Archiepiſcopi permiſſu Nicolaus ſubſtituitur; Niall verò Eccleſiis Stafangrienſibus præficitur.

Placuit hic cognationem Nicolai, qvâ cum Regina Margareta conjunctus erat, ex Islandorum monumentis (qvæ Ingium qvidem & Philippum Hallſteini filios fratres ſtatuunt, nullum autem Ingium Philippi filium agnoſcunt) talem oculis Lectorum ſubjicere:

Steinkell.

Hallſteinus	Ingius
Ingius	Rognvaldus
Chriſtina S. Eirici uxor	Ingigerdis
Margaretha uxor Sverreris	Nicolaus.

Nec diu poſt, Regem inter & Archiepiſcopum ſimultas qvædam exorta eſt. Anſam huic dederê conciones, qvibus in choro templi habitis Archiepiſcopus aſperis verbis in Betulopedes invectus erat, qvorum etiam offenſam incurrit, licèt à canonicis omni ſtudio exceptus eſſet. Accedebant & aliæ res, de qvibus Rex & Archiepiſcopus diſſentiebant, qvarum præcipua momenta hæc erant: impoſitum ruſticis ab Archiepiſcopo Eyſteino onus, Comite Erlingo vel conſentiente vel conniven te; loco Eyris vel unciæ vulgaris, qvæ ex recepta æſtimatione hoc nomine in mulctam à delinqventibus ſolvi ſolita, Regi etiam pendebatur, argenteam ab Epiſcopo, nomine qvidem eodem, ſed pretio duplo ſignatam: qvod factum Rex revocari juſſit, ex legibus antiqvis certô receptôqꝫ pretiô mulctam debere ſolvi pertendens; neqꝫ enim Erlingum jus habuiſſe antiqvandi S. Olafi leges, tantùm ut iniqvè cives exhauriendo lucrum faceret; unde conſecrationem filio ſuo, ſucceſſionis jure deſtituto, compararet, ſiqvidem in Norvegia nunqvam, vel paganiſmo durante, niſi Regis filio regnum delatum; ab Erlingo autem leges DIVINAS, humanas, Regias, civiles nihili habitas, & Archiepiſcopo, ut cives authoritate ſuâ opprimeret, permiſſum. Poſtulavit itaq; ab Eirico Rex, ut qvandoqvidem ipſe reditus ſuos hoc modô in duplum auxerit, pari qvoq; authoritate ſuos ſibi intendere liceret: violatarum deinde legum injuriarumqꝫ in cives ipſe Archiepiſcopus Deo populoqꝫ rationem redderet. Ad qvæ ſatis animoſè Eiricus: *Jus Epiſcopale ſemper ampliandum, nunquam autem minuendum eſſe; Regi verò ex legum præſcripto juramentum proprium obſervandum, & Deo quidem ſibique rationem ab ipſo, ſi Deus fecerit, reddendam; nunquam enim antea in redituum regiorum ſolutione augmentum tale receptum.*

CAP. VII.

VARBELGORUM FACTIO ORTA SIMUL ET SOPITA. COMITIS EIRICI MORS.

KUflungorum reliqviæ poſt occiſum Bergis ducem in diverſa ſunt ſparſæ; qvidam eorum Marchas orientem verſus delati, æſtatem ibi morabantur. Adultâ verò hyeme, qvæ ſeqvebatur, in Daniam ad Simonem Karii filium & Aulverem de Gudrannio aliosqve duces Kuflungorum, qvi eò fugâ delati erant, proficiſcuntur. Ibi Simon Karii filius

 puerum

puerum qvendam, nomine Vikarem, adeptus, proqve Magni Regis filio palam obtrudens, magnas copias contraxit, inducto in errorem partesqve suas virô inter nobiles Danorum haud postremô, sive potentiam, sive indolem spectaveris, Svenone nomine, qvem *author anonymus de profectione Danorum in terram Sanctam, a Kirkmanno* editus, Thorkilli filium appellat, traditqve unum fuisse inter eos, qvi præfuerant collegio Danorum. Et hic qvidem factionem Simonis fovebat, qvantisqve poterat auxiliis, sustentabat. Decem & tribus navibus Simon Vikam æstate proximâ latrociniis incursabat, neq; agricolis, nec mercatoribus parcens. His Tunsbergam appulsis, cives urbani naves statim colligunt, & triremes multas navesqve onerarias pontibus admovent, urbem ab incursu eorum per divisas in stationes cohortes defensuri. Factionem hanc Varbelgos appellabant. Simon, cognitô Tunsbergensium apparatu, cùm eos aggredi non auderet, converso itinere sinum transmittit. Hoc ejus metu animi Tunsbergensibus aucti. Navium qvippe magnitudine altitudineq; cives præstabant; id qvod victoriam iis conciliavit. Ibi Simon Karii filius & Aulver de Gudrannio post longum acremqve conflictum vastatasqve naves suas cum potissimâ copiarum parte interierunt. Sub tabulato navis, qvam Simon duxerat, inventus est puer paucorum annorum, Vikar Varbelgus, illicòqve occisus. Hunc Author, qvem in testimonium adduxi, anonymus, tornatoris filium fuisse tradit. Magnam sanè laudem Tunsbergenses prædamqve opimam hâc festinatione consecuti domum remeârunt.

Eôdem hôc annô MCLXXXIX, qvô Varbelgi deleti sunt, Comes Eiricus Tunsbergæ ægrotare cæpit, qvi qvidem aggravescente morbo monasticam vitam vovens, habitum qvoq; mox ordini convenientem assumsit; sed cùm qvinqve dies decubuisset, fato functus est. Eodem qvoqve die uxor ejus obiit, & post dies qvinq; alios filius eorum, nomine Magnus. Varia de isto casu hominum judicia erant. A maleficis, infectô venenô potu, enecti multis credebantur. Rex itaq; Sverrir partem regni, qvam Comes tenuerat, iterum recepit, præfectorumq; curæ mandavit. Etiam Ivar Selkius circa hæc tempora in vivis esse desiit.

CAP. VIII.

NOVA BREIDSKEGGII FACTIO OPPRIMITUR: REDINTEGRATA LIS INTER REGEM ET ARCHIEPISCOPUM. EJUS EVENTUS ET ARCHIEPISCOPI FUGA.

Eâdem æstate, qvâ Comes vitâ concessit, nova qvædam hominum turba ex Marchis ad orientem exstitit: qvorum dux erat Thorleifus, cognomentô Breidskeggius, seu Latibarbus, vitæ autem genere Monachus, cui regnum hæreditarium restituendo factioni titulus dabatur, qvòd filius esset Eysteini Regis Haraldi Gillii, argumento generis cicatrice inter scapulas in crucem formata, paterni supplicii signô conspicuô. Hæc cohors initiô pacatè provincias pervagata non modò à vi omni atq; injuriis abstinuit, sed datô etiam pretiô, omnia, qvibuscunq;

cunq; indigebat, coëmit: at hôc modô brevi ad incitas redacta, deficiente ære aut mercibus, qvibus necessaria permutavit, ubi latrocinari neqvivit, ad furta confugere cæpit imbellis turba, mendicis qvàm militibus similior. Fama tamen varia Ducem commendabat: hic enim sapientiâ prudentiâq; singulari, adeò ut pauca ei improvisa obvenirent, celebrabatur: illic morum integritate Monachos magis qvàm milites aut paganos referre visus est: eloqventiam alii extollebant, tantamq; in homine potentiam, qvam vocant, animorum, ut iras continuò in amicitiam vertere posset. Singula vana esse exitus docuit. In Marchis enim hâc hyeme exactâ, æstate proximâ agrestes intra silvam qvandam deprehensos de nocte oppresserunt. Sed nec tunc divinationis ulla, nec oratoriæ facultatis, in illo documenta apparebant, cùm improvisò oppressus, nullô facundiæ præsidio ad rusticos avertendos instructus esset; ipse enim cum maxima factionis suæ parte occisus est; pars in silvas dilapsa, qvàm inhabilem ducem ineptumq; secuta fuerit, damno cladeq; suorum tandem didicit. Post tamen eadem fama sanctum eum esse spargebat; id qvod pöeta Blackus, qvi epicedium ei, haud qvidem ad laudem, fecerat, ingeniosè redarguit, dum canit, falsò sepulchrum ejus diei luce illustrari, qvem spes sit tenebris opprimi, dum viveret, egenum, turbatæq; pacis reum occisum. Ejus autem cædem omnes, qvi habentur, annales ad annum MCLXXXXI. referunt.

Hôc tempore controversiæ inter Regem & Archiepiscopum acriùs gliscere cæperunt; Rege qvidem semper, ut dictum est, leges S. Olafi aut Thrandiæ codicem, qvi Gragas inscribitur, à Magno Bono ejus filio conscriptum & promulgatum, allegante, & secundum ejus præscripta causam decidi postulante: sed Archiepiscopus ad codicem alium, Gullfiodr appellatum, qvem scripserat Archiepiscopus Eysteinus, ut & jus canonicum Romanum, partim qvoq; ad literas sibi à Pontifice missas, sigillôq; ejus firmatas, provocabat. Inter cæteras lites de jure patronatûs in Ecclesias disputatum, nam & legibus antiqvis & longô temporis usu obtinuerat, ut laicis jus esset fundandi, propriisqve sumtibus ædificandi, modò vellent, templa in agris suis; qvæ deinceps ipsi jure patronatûs tuerentur, idoneisqve ministris instruerent. Sed Archiepiscopus in singulas ædes consecratas, ubi qvidem sacra permissu ejus celebrabantur, idem jus sibi arrogabat. Causam igitur Rex in judicium deducere voluit, renuente & declinante Archiepiscopo. Ex codice itaq; legum Rex in foro publico recitare curavit, qvantô comitatu Episcopo diœcesin suam lustrare liceret, nimirum triginta tantùm comitibus, duodecimqve clypeis, iisqve omnibus albis. De his sententiam judicum Rex postulabat, adjecto, *nullis satellitibus armatis, nullâ nave bellicâ Archiepiscopum indigere; violari ab eo leges, qui nonaginta clypeatis stipatus nave viginti scalmorum vehatur. Nec sibi aut Betulopedibus memoriâ excidisse vires Archiepiscopi Eysteini, qvantæ illæ tum fuerint, cùm ad Brattbamras armatâ nave Betulopedes oppugnâsset, aut cum Bergis classem Magni intercepissent, tum enim Archiepiscopi satellites Regiis priores se invasisse; jam verò nullum Archiepiscopo aut Ecclesiæ ejus ab hostibus periculum imminere, quod armatis copiis arcere necessum sit. Si qvis mercenariorum ei usus, saltem in excidendis rupibus aut poliendis saxis, deportandisque ad ædificationem templi, eum debere esse; nec ad alia opes tantas destinatas.* Ad hæc Archiepiscopus talibus verbis respondit. *Pontifex Romanus hanc mihi Ecclesiam cum omnibus ejus opibus commisit: liberè itaque illas, quoad vixero,*

vixero, dispensabo; sunt enim Dei Sanctorumque ejus: Illud verò non inficiabor, Domine, plurimos probos viros malle mecum qvietè ac placidè conversari, quàm tibi maleficis litare, cùm paucis jam per te tranquilla vita permittatur; nec si mei ministri vestes aut arma elegantia gestant, illa protinus aliunde rapuerunt; pacificos enim se gerunt, neminiqve injuriam inferunt. Certè mirabuntur exteri, Archiepiscopo non permitti arbitrium alendi & vestiendi, quos quidem voluerit; præfectos autem tuos, quos ex mendicis evexisti, catervis magnis stipari, colonosqve pro lubitu spoliare, etiam alimenta diripere, miseris id in lucro reputantibus, quicquid ab eorum rapina reliqvum habuerint. Rex incolas secundum leges sententiam ferre jussit, qvot stipatoribus Archiepiscopo uti liceret. Mox qvinqve dierum induciæ datæ, intra qvos famuli omnes mercenariiqve, qvos præter leges Archiepiscopus aleret, domô ejus abire jussi: si qvis ultrà remanserit, ejus bona fisco Regio addicta; ipse damnatus proscriptusqve, qvovis locô impunè occidendus. His promulgatis, Archiepiscopus cum toto famulitio, rebusqve, qvas auferre potuit, omnibus, urbe summâ celeritate egressus ad Archiepiscopum Absalonem in Daniam profectus est, benigneqve exceptus longô tempore ibi permansit. Tandem in morbum adeò gravem incidit, ut orbatus visu in posterum lucis usu caruerit. Hic Claudius Christophorus Lyschander in *sua Gronlandia Metrica* inter annum 1183. & 1218. tradit Baggos (sic Norvegos appellat) in ejus locum elegisse Aferrum qvendam, eiqve supremum Ecclesiæ jus in Episcopos, Presbyteros, & Ecclesias contulisse: & ab eodem Ionem, ejus nominis secundum, Gronlandiæ Episcopum circiter Annô 1205. ordinatum perhibet. Qvâ verò authoritate hæc scripserit, nescio. Meminit qvidem Arildus Hvitfeldius in *Catalogo Archiepiscoporum Nidarosensium* Adzeri, aliàs Eirici, qvem Annô 1184. electum testatur. Verùm manifestum est, Eysteinum tunc in vivis fuisse, ut taceam, diversa hæc nomina sibi invicem repugnare. Adjicit his, qvæ superius dicta sunt, Th. Bartholinus *Antiqv. Dan. lib. 2. c. 1. pag. 247. & seqq.* ex Vilhelmo Neubrig: qvòd Archiepiscopus interpellatus à Rege de corona sibi imponenda obseqvi renuerit; literasqve ad Pontificem ea de re scriptas à Præsule memorat, qvarum partem exponit, huc inferendam.

CAP. IX.

INSULOBARBORUM SEU ORCADENSIUM FACTIO: EJUS AUTHORES, MOLIMINA ET EXITUS.

FIlium Erlingi Skackii Sigurdum nothum in aulam receptum longô jam tempore Rex Sverrir splendidè enutriverat, passus etiam Magni Regis filium, ex Giride Aslaki junioris filia natum, & Sigurdum qvoq; dictum, apud amitam suam Ragnhildem, qvæ Erlingi Skackii & Christinæ, Regis Sigurdi Hierosolymipetæ, filia, uxor autem Hallkelis Ionis filii erat, educari. Hic Hallkell Hallkelis Huki nepos fuit; & qvamvis nuper jus præfecturæ à Rege Sverrere assecutus esset, nihilo tamen minus clandestina contra Regem consilia de restituendo Sigurdo in regnum agitabat; assumptis in consiliorum societatem Olafô, Orcadum

Comitis

Comitis Haraldi Maddadi affine, Sigurdôqꝫ Comitis Erlingi filio, ipsius Sverreris alumno.

Placuit ad præcavendam suspicionem Sigurdum Olafo avehendum commendari, qvi dum qvodam die coram Rege sermonem pro more instituebat, Rex his ipsum verbis allocutus est: *Fidem qvidem tuam, Olafe, reqviro.* Qværente Olafo, unde hæc? Rex manu cultrum tenens; *Oberrant hic*, inqvit, *inimicorum genii*, (id qvod *codex Flat*: cæteris MSS. silentibus, refert.) Egressus inde Olafus in vestibulo filium Regis Sigurdum offendens, rem penè jam proditam retulit. Itaqve statim eodem autumnô post octennium à cæde Magni elapsum, annô nimirum 1192. eum secum in Hialtlandiam, ubi plurimum habebat agri; devexit, & proximô vere in Orcades ad Comitem Haraldum, ubi amicè perqvam & benignè susceptus est. At Hallkel eâdem æstate prætextu qvasi piraticæ in occidentem faciendæ, myoparone optimè instructo, eodem devectus est. Tum demum Comiti per Olafum indicavit, ad opem ejus implorandam Magni Erlingii Norvegiæ Regis filium huc devenisse. Comes memor amicitiæ, qvæ inter sese & Patrem Sigurdi arcta interserat, myoparonem ei abundè instructum donavit, factâ insuper copiâ militis intra ditionis suæ limites comparandi. Mox Sigurdo Regis titulus ingestus, unde magna statim mortalium copia ex Orcadibus & Hialtlandia ad eum confluxit; qvibus in certos ordines distinctis dignitates ac tituli pro cujusqve sorte dati. Collectâ itaqve magnâ classe, eâdem æstate Norvegiam repetentes, in Vikam magnis itineribus, nullâ adventûs sui famâ præcedente, etiam Tunsbergam pervenerunt; ubi occiso Jone, Regis Sverreris consobrino, & Helgio Bringio Regis vexillario, multisqve aliis ex Betulopedibus sublatis, publicis comitiis Sigurdus Rex constituitur. Et hæc qvidem factio Insulobarbos se & Auripedes, ad discrimen Betulopedum, appellârunt. Inde Osleyam profecti, non solùm urbis illius cives, sed & universam Vikam, in obseqvium traxerunt; cumqve multitudine abundarent, qvæ angustiis provinciæ conclusa premebatur, nec deditis per vim sua eripere, aut exactionibus eos gravare vellent, in Daniam expeditionem transferunt; mox ulterius usqve fluvium Travam progressi, ubi mercatoriis navibus interceptis, luculentam prædam, oportuno subsidio futuram, panni scil: ingentem copiam, auriqve & argenti multum reportârunt. His rebus aucti in Norvegiam eodem autumnô redeunt, mercibusqve distractis urgentem inopiam paululum sublevârunt. Qvorum tandem famâ ad Sverrerem in Thrandiam, ubi sedem fixerat, delatâ, per superiora mox copias in Vikam ducit, ubi qvidam ex Ducibus copiarum remanserant, qvi appropinqvantibus Insulobarbis Burgi (Sarpsburgi: hodie prope urbem Fridrichstadum) convenerunt, trecentis eò militibus collectis, qvos in aciem hi duces eduxerunt, Sigurdus Lavardus Regis filius, Philippus Birgeris Ostro-Gothorum ducis ex amita Sverreris filius, Hacon Galin, postea Comes factus, Regis ex sorore nepos, Petrus Styggus, Hiarandius Hvida, pluresqꝫ alii proceres; adversus qvos Insulobarbi navibus per flumen contendentes, postqvam in suburbanos Sarpsburgi campos escenderant, aciem instruebant; qvorum ingenti multitudine conspectâ, Betulopedes territi fugam illicò capessebant; at Insulobarbi missilibus eos & jaculis incessentes, qvosdam occiderunt. Exinde nemine resistente, cùm universam Vikam in potestatem redegissent, Bergas exercitum, exacto jam autumno, deportabant, ibiqve hyemantes, universam Norvegiam Stadas

usqve verſus ſeptentrionem tributo ſubjecerunt. Bergis tunc Sverrir caſtellum excitaverat, cui Sigurdum Borgarklettum, relictâ qvoqve (ut habet *Chronicon Danicum*) in cuſtodia ejus Reginâ, præfecerat. Id cum ſæpiùs eminus misſilibus oppugnarent Inſulobarbi, (cominus enim aggresſuri jaculis caſtellanorum arcebantur) re tandem infectâ receſſerunt. Multi interim è provinciis undiqve ad eos transgreſſi, in militiam ſatellitiumqve recepti ſunt. Eodem autumno Sigurdus, Erlingi Skackii filius, ex domo & nutricatu Sverreris Regis ad eos profugit, interqve duces aſcitus prudentiæ ſpecimen non vulgare oſtendebat. Seqventi qvadrageſimæ Paſchalis tempore, dum Olafus, Comitis Orcadenſis affinis, ſacris in æde S. Olafi intereſſet, manumqve fortè columnæ imponeret, qvidam civium Bergenſium admoto arcu ſagittâ eam transfixam columnæ affixit, nullô vel loci vel victoris reſpectu habitô. Et jam hyeme milites per provincias vicinaqve hoſpitia diſperſerunt, ſecuri nimium, deqve adventu Sverreris ante vernum tempus nihil cogitantes, cùm ille rerum ſuarum providus, ſibiqve metuens, omnibus ad excipiendum eos, tanqvam in ſingulos dies imminentes, præparatis, copias è circumjacentibus provinciis Nidaroſiam evocat, partemqve magnam ſuorum per hyemem in vaſto diverſorio Gildieſkala dicto, loco admodum apto, collocat, usqve in tempus, qvod dicitur qvadrageſimæ; tum claſſe ſuâ, parvis qvidem navibus, nec ullâ viginti loculis majore, pluribus etiam minoribus, conſtante, Thrandiâ ſubitò ſolvit, citatoqve itinere omnem famam & ſpeculatorum ſolertiam præveniens Bergas advolat. Præſenſerat Sverreris adventum pridie Dominicæ Palmarum qvaſi præſagiô qvodam Olafus, qvi igitur, cum Inſulobarbi conventum agerent, conſilia eorum exqvirit: *qvid, ſi Sverrir cum claſſe adveniret, cenſerent faciendum? fugane, an pugna eligenda? Sigurdum Erlingi filium cum tribus navibus Stafangriæ abeſſe, totidem Eyſteinum Korpum in Sogniam abduxiſſe; præſtaretne Stafangriam properare, qvô Sigurdi naves claſſi ſuæ adjungerent?* Ad ea Hallkel reſpondit: *copiarum viribus præſenti rerum ſtatu ſe qvidem à Sverrere ſuperari non poſſe; conſiliorum ponderе ne ſuperarentur, providendum; iis enim omnes ejus adverſarios, viros ſe qvidem longè præſtantiores, ſuccubuiſſe. Qvod ſi conſiliis non minus ac ille inſtructi ad pugnam irent, de victoria neutiqvam dubitandum.* Pluribus itaqve belli fortunam experiri placuit. Et hôc ipſo veſpere, ſub occaſum Solis Sverrir prope Bergas claſſem appulit, lembôqve in urbem vectus mox de eorum conſiliis certior factus eſt. Reliqva claſſis in Grafdalum ſubducta: ipſe in Holmam ſuâ nave ad templum deflexit, ubi tum funeri Epiſcopi Pauli exeqviæ apparabantur, qvi eodem die defunctus erat. Inde urbem ingreſſus, milites ſeparatim â civibus ad prælium depoſcit; diſcedensqve mox ad ſuos, claſſem ad promontorium Hvarfsneſiam applicat, ipſe ſpeculatum oriolâ ad claſſem eorum remigans, Hallkelem audivit ſuis ſvadentem, ut primâ ſtatim luce hoſtes adorirentur, navibusqve invicem revinctis, ad mutuum auxilium eò facilius ferendum, rem lapidum jactu, prius qvantum poſſent, acerrimè, iisqve deficientibus, omnis generis miſſilibus, ſtrenuè gererent; deinde gladiis cominus, impetu irruentes qvàm maximô cæderent proſternerentqve, qvo hoſtes prorſus debilitarentur, & ad vires in poſterum reſumendas fruſtra aſpirarent. His auditis Rex ad ſuos rediens, qvid agitarent, exponit. Occupandam igitur, qvàm exſpectandam, pugnam conſultius ratus, ante diem eos adoriri ſtatuit. Qvò verò ſui in tenebris ſe

ſe invicem noſcerent, lintea proris ſingularum navium jubet appendi. At verò, qvia cum altioribus navibus humilioribus erat congrediendum, ſuas qvoqve naves funibus omnes colligatas, claſſi eorum cominus, ſed adeò dextrè, applicari præcepit, ut ſubeuntes gladiorum ictus facilè præterirent, non enim impetum impetu propulſandum, ſed protegendo corpora ſua, donec ex adverſa parte ardor ille langveſceret, eludendum: omnes deinde vires inprimis in feſſos effundendas monet; remorum prætera armorumqve diligenti curâ habitâ; his enim etiam victores indigere. Viginti naves, omnes parvas, Sverrir, tres & decim hoſtes longè majores habuerunt. Qvi cum ad primam lucem ſine velis in portu Floruvogis dicto manſiſſent, ſolutis rudentibus; qvi ſaxis obvoluti naves in ſtatione tenebant, concitato remigio portu exeuntes Betulopedes qværebant, navibus a prora puppiqve colligatis, unô ſimul agmine procedentes. Cum autem tenebræ proſpectum impedirent, naves Sverreris prius conſpectæ non ſunt, qvàm eas impetu in ſe ruentes ſentirent. Sublato itaqve ab utrâqve parte clamore militari, Inſulobarbi magna feſtinatione naves funibus tractas in aciem cogunt. Verum tantâ celeritate impulſæ, aliæ aliarum remos detergebant. Suis qvoqve, invicem vinctis omnibus ſibiqve innexis, Betulopedes in eos invecti, longè alacriore impetu excipiuntur: jamqve obruti penè lapidum miſſiliumqve grandine, repente clypeis velut contabulatis teſtudine factâ, confertim ſe protegunt, ut facilè appareret, eos talium peritos fuiſſe. Ceſſante telorum nimbo, hoſtiumqve ardore langveſcente, Sverrir ſuos hortatur, arma protinus expediant, & admotis propius naviculis, oſtendant jam omnibus, ſe eſſe illos Betulopedes, qvorum gladios non hebere, qvotqvot ad illum diem congreſſi cum iis fuerint, ſuo malo didicerint. Subitò itaqve exorti, alii lapidibus & ſaxis, jaculiſqve & haſtis, gladiis verò alii, punctim cæſimqve feriendo hoſtes undiqve impetunt. Verum illi reſumto ſpiritu nihilo ſegnius rem gerentes, altioris ſtructuræ navium oportunitate uſi, ictibus haut vanis Regios laceſſunt: jamqve ipſam, qvæ Regem vehebat, navem, remulco injecto, attrahere, & occiſis remigibus, vexillôqve capto, ad malum usqve propugnatoribus nudatam aſcendere conantur, cum Rex ſuos inclamans, ut hoc malum averterent, adeo eos accendit, ut alienatis a periculi ſenſu animis, fortiſſimè in eos invecti, irruituros partim occiderent, partim de Regiâ nave deturbatos in proprias propellerent, ſimulqve ipſam navem inciſo remulco eriperent; nec dirimi ſe ab hoſtium navibus paterentur, qvàm earum, qvæ propius acceſſerant, non paucas indepti vinculis injectis eſſent, qvo impetu multo plures ê Betulopedibus cæſi ſunt. Cæterum ubi ſe ab hoſtibus extricaverant, Rex eos paulùm cedere juſſit, mox reſumptis viribus acrius pugnaturos; neqve enim tantam deinceps procellam excitaturos hoſtes, qvi jam cum impetu totas vires effuderint, nec dubitandum, qvin etiam illi vulnerum dolorem haut minus qvàm ſui ſentiant. At Inſulobarbi, ut Regem cedentem animadvertunt, in fugam verſum exiſtimantes, inſtandum victis rati, auctore inprimis Olafo Comitis affine, ſe invicem exhortantur, reſciſiſqve catenis, qvæ claſſem illorum connectebant, qvô expeditiores ad perſeqvendum ſingulæ forent, alacriter inſeqvuntur. Verùm deficientibus remis, qvi primo congreſſu fracti erant, cum naves â vectoribus dirigi non poſſent, fluctibus in diverſa actæ diſſipatæqve, a duabus tribusve Regiis invaduntur. Interim ſubſidiaria urbanorum navis, centum vehens armatos, ſingu-

los loricis, qvæ annulis erant conſertæ, tectos auxilio Regi tempeſtivè advenit; cum hac itaq; ſimul Betulopedes invecti in hoſtium naves, unam poſt aliam expugnant, relictisqve ſuis, captas, qvippe majores, impoſito milite occupant. Vexillum Regis Sigurfluga (ideſt, *victoroſam muſcam*) appellatum, Inſulobarbi in prorâ prætoriæ ſuæ navis erexerant. Eam igitur Betulopedes totis viribus adorti tamdiu premebant, donec recuperato vexillo, ſimul agmine infuſi a prorâ ad puppim vectoribus vacuam facerent. Cæſis omnibus, Sigurdus Regis Magni filius in mare proſiliens inter natandum occiditur; ſtatim duæ naves, qvarum ductores erant Lodinus Pauli Smattaugæ filius, & Hallvardus Brattus, concitatis remis effugiunt. Olaſus Comitis Haraldi affinis poſt cædem ſuorum in undas ſeſe pæcipitans litori adnavit, qvem ſtatim Betulopedes in vadis occurrentes trucidant. Hallkelis navis, qvòd eſſet omnium altiſſima, & ſtrenuiſſimis inſtructa militibus, noviſſimè in poteſtatem redacta eſt, ipſo cum maximâ claſſiariorum parte cæſo. Itaqve hac pugnâ deleta eſt maxima Inſulobarborum pars, qvæ auſpicium ductumqve Sigurdi ſecuta erat, exceptis iis, qvi prælio aut non interfuerunt, aut fugâ ſalutem qvæſiverunt, aut qvibus â Betulopedibus parcebatur. Ante reditum ſuum in urbem vetuerat Rex ſacra celebrari, niſi nimis diu pugna ipſum diſtineret: jam vero victor hoſtium navibus advectus ad ſolennem ſacrorum horam rediit, eaqve peragi curavit. Paulo poſt prælium Bardus Guttormi filius, & Benedictus Parvus pluresqve alii exſpirârunt. Corpus Sigurdi Regis filii inventum omnium ſtatim conſpectui expoſitum eſt, qvo plebis animis dubitatio de duce Inſulobarborum interemto eximeretur, qvod deinde Sverrir ad templum deiparæ virginis juxta chorum auſtrum verſus amplo ſepulchro condi juſſit. Illuc qvoqve multa Iuſulobarborum cadavera, & ipſius tandem Olaſi Comitis affinis, illata. Fama fuit, nunqvam aliàs navibus tam imparibus dimicatum. Cauſa erat, qvod navalis prælii peritiâ Betulopedes cavendiqve ſcientiâ prævalerent; audaciores qvidem, at ſimul incautiores, eſſent inſulobarbi; qvi ſi primo congreſſu remos ſuos, uti â Betulopedibus factum, didiciſſent ſervare, victoriam ab his ſine dubio reportâſſent. Sigurdus Comitis Erlingi Skackii filius, cognitâ ſuorum clade, præcipiti fugâ in Vikam, inde in Daniam, cum copiarum parte navigavit: reliqvorum autem, qvi rebelles ſecuti erant, pars in diverſa ſparſi, pars victoris clementiâ conſervati, veniam impetrarunt.

CAP. X.

ARCHIEPISCOPUS EIRICUS SVERREREM LITERIS APUD PONTIFICEM ROMANUM ACCUSAT. LEGATUS PONTIFICIS REGEM ACCEDIT, A QVO CORONAM SIBI IMPONI PETIT, SED FRUSTRA. CORONATIO REGIS AB EPISCOPIS PERACTA. GVILHELMI NEVBRIGENSIS DE SVERRERE CALUMNIÆ SUBNECTUNTUR ET REFELLUNTUR.

INter hæc Archiepiſcopi Eiricus & Abſalon ejus hoſpes, nunciis Romam miſſis, Sverrerem apud Pontificem *Celeſtinum Tertium* accuſant, dictatis ab Eirico & aſſeclis ejus literis, qvibus tota ſeries eorum, qvæ inter Regem & ipſum agitata erant, exponebatur: qvæ perlatæ hunc qvidem effectum habuêre, ut ſententia Pontificis Sverrerem, nî Archi-

præſu-

præſuli omnia, qvæ jure ipſe exigeret, integra rurſus permitteret, excōmunicandum cenſeret. Impetratas ſuper hoc Romæ literas Eiricus publicè in Dania ſingulis diebus Dominicis in choris templorum recitari, fulmenqve anathematis in eum vibrari, curavit. Verùm Sverrir ut primùm hæc certâ famâ cognovit, in curiis ſæpe ac cætibus publicis eſt teſtatus; *Danorum ſe hìc commenta, non Pontificis interdicta, agnoſcere. Sed nec Eiricum mendaciis ſe regno deturbaturum: nihil ſe ejus exſecrationibus & maledictis moveri, quæ jam in ipſius oculos retorta viſu eum orbaverint. Vim enim excommunicationis in maximè delinquentes atque enormium criminum reos exeri: ſe legitimum Regem natum, ſuffragiis quoque populi regnum obtinere, immenſis id quidem moleſtiis laboribusque partum, ideoque leviculis de cauſis minimè deſerendum. Integrum Eirico futurum, etiamſi cæcus ſit, ad cathedram ſuam reditum, ſi tamen poſthac leges reverenter obſervet: ſe verò in ejus gratiam, ſi vel maximè ambobus adhuc oculis integer eſſet, dum mente cæcutiat, illas minimè violaturum.*

Elapſô feſtô Paſchatis, Sverrir in Vikam ad perſeqvendum Sigurdum Comitis filium reliqviasqve factionis diſſipandas profectus, ad limites usqve regni Konghellam pervenit. Eò tunc oportunè Pontificis Romani legatus cum ingenti comitatu acceſſerat; qvem Rex humaniter invitatum perqvam magnificè excepit, & conſecrationis miniſterium ſibi ut exhiberet, coronamqve imponeret, oravit; qvod ille qvidem haud omninò abnuit. At cùm id Eccleſiaſtici cognoſcerent, legato illi inſuſurrabant, Archiepiſcopum â Rege violatum & ſede ſuâ expulſum eſſe: ipſum Regem ſe muneris paſtoralis deſertorem apertè confeſſum, novam uxori legitimæ conjugem induxiſſe, jamq; utramqve duarum ſimul viventium maritum penes ſe habere: præter alia probra, qvibus infamem eum atqve inviſum ſtudebant reddere, adeo ut cùm Rex de inauguratione ſua legatum rurſus compellaret, ille Regi eam planè denegaverit, monens ut Archiepiſcopo reconciliaretur, cujus officii eſſet ipſum conſecrare. Rex irâ commotus, talia ipſi in os fertur dixiſſe. *Video ſatis, quo propoſito huc veneris, nempe quô alii multi impoſtores, huc ad corradendas pecunias commeare ſoliti; qui poſtquam abierint, regnum & gentem noſtram ludibrio & deridiculo habent. Volo igitur jubeoque, ut confeſtim te hinc recipias, ſiquidem nolim te fraudibus tuis ſubditos meos pecuniâ emungere.* Tunc legatus non ampliùs moratus diſceſſit; Rex autem ad aqvilonarem Vikam profectus, Epiſcopum Nicolaum eò ad ſe evocavit, graviterq; cum eo expoſtulavit, qvod doli inſidiarumq; omnium, qvas Hallkel cum ſociis ſtruxerat, is author fuiſſet & architectus; id enim ſibi certis teſtimoniis exploratum. Epiſcopo crimen negante, Rex veris ſe eum documentis convicturum affirmat, minaturq; aſpera, perduellem proditoremq; appellans. Ad clementiam itaqve Regis exorandam Epiſcopus converſus, novâ fide ſe admiſſa correcturum ſpondet, eamq; ſacramentô obligaturum, ſe poſthac ad qvævis grata Regi præſtanda paratiſſimum ſemper futurum; itaqve non difficulter veniam impetravit. Rex eum ſecum Bergas ducens, eò qvoqve Thorerem diæceſis Stafangriæ Antiſtitem evocat. Horum conventu actum primò de electione Epiſcopi Bergenſis in locum Pauli, nuper, ut ſuprà dictum, demortui, electusq; Martinus, gente genereq; Anglus, Regis Sverreris confeſſionarius, vir eruditus, qvi ex conſilio Regis ab his, qvos modò memoravimus, Epiſcopis ſtatim conſecratus eſt. Jamq; Epiſcopus Nicolaus primum locum gratiæ Regiæ aſſecutus omnibus Regis conſiliis adhibebatur: & placebat tum omnibus, ut Rex ipſe horum Epiſcopo-

ſcoporum miniſterio coronaretur. Iſta ſolennia, præſide Nicolao, Bergis feſto Apoſtolorum Petri & Pauli, qvod in tertias Calendas Julii ſeu 29 diem Junii incidit, magno & ſplendido apparatu peracta. Inde Epiſcopi dimiſſi, multisq; ac magnis muneribus & ſummâ Regis gratiâ aucti ad ſua redierunt.

Conflictum cum Inſulobarbis *Gvilhelmus Nevbrigenſis*, qvi Sverreri Synchronus fuit, *Lib. III. cap VI.* de rebus Anglicis ſui temporis deſcribit: ubi rem omnem breviter, non qvalis geſta eſt, ſed qvalem ab Archiepiſcopo Eirico hoſtibusqve Sverreris eam didicit, his verbis exponit, ad inaugurationem usqve Regis narrationem extendens: *Iisdem*, inqvit, *temporibus famoſisſimus ille presbyter Sverus, qui cognominatur Birkibain, in ea parte Germaniæ, quæ Norvegia dicitur, tyrannidem arripuit, & tempore non modico ſub tyranni nomine debacchatus, tandem Rege terræ illius exſtincto, tanquam legitimi regnum obtinuit, aliis forte ejusdem terræ Regibus non disſimilem exitum judicio Dei habiturus, qvippe (ut dicitur) a centum retro annis & eo amplius, cum Regum ibi numeroſa ſuccesſio fuerit, nullus eorum ſenio aut morbo vitam finivit, ſed omnes ferro interiere, ſuis interfectoribus, tanquam legitimis ſucceſſoribus, regni faſtigium relinqventes; ut ſcilicet omnes, qvi tanto tempore ibidem imperaſſe noſcuntur, illud qvod ſcriptum eſt reſpicere videatur, occidiſti inſuper & poſſediſti. Huic infami malo per longam conſvetudinem tanqvam legis jam obtinenti vigorem, optimates terræ illius paulo ante tyrannidem prænominati presbyteri pro ſtudio mederi volentes, Regem novitium ſolennitèr unctione myſtica conſecrari & coronari decreverunt, ſcilicet ut nemo de cetero auderet manum mittere in Chriſtum Domini: quippe eatenus nullus unqvam in gente illa ritu fuerat eccleſiaſtico conſecratus in principem, ſed qvicunqve tyrannicè Regem occiderat, eo ipſo perſonam & poteſtatem Regiam induens, ſuo quoqve occiſori eandem poſt modicam fortunam, inveteratæ conſvetudinis lege, relicturus, qvod nimirum Chriſtiana qvadam ſimplicitate a multis putatum eſt ideò factitari, qvia nullus Regum priorum Regiæ meruerat unctionis ſolennibus initiari. Itaqve interfecto Hacone, qvi Regi Ingæ a ſe perempto ſucceſſerat, cum puero cuidam, nomine Magno, ejusdem Ingæ nepoti regni ſucceſſio competere videretur, prudentes & nobiles regni decreto communi eundem puerum ſolenniter in Chriſtum Domini conſecrari & diademate inſigniri fecerunt; qvo factô ſancitum ſibi principem, & priſcæ conſvetudinis dedecus abolitum crediderunt. Verum cum idem Magnus jam pubes factus in multa ſtrenuitate ſimul ac felicitate per aliqvot annos regnaſſet, cunctis jam æſtimantibus contra tyrannicos turbines ſatis conſultum, invidia diaboli ad perturbandam Chriſtianæ plebis qvietem memoratum presbyterum tanqvam vas proprium incitavit: qvi cum in ſacro ordine, qvem in Eccleſia acceperat, diuſcule miniſtraſſet, propenſiore ſui fiducia, homo audaciſſimus atq; accutiſſimus regnum cæpit ambire. Mox luſtrata omni regione conceptæ molitionis, non ſegniter negotium exſequens, ſæpe prædonum ſollicitatam audaciam atqve improborum manum ſibi validam artificioſiſſimè aggregavit, atque inviis ſolitudinibus pro munitionibus utens, crebris irruptionibus Regem irritavit; cùmque Rex eum cum inſtructo exercitu proſeqveretur, ille arte fugam ſimulans, in quibusdam notis locorum anguſtiis ſubſtitit, ibique Regias copias miſerè circumventas atque iisdem anguſtiis impeditas ita attrivit, ut Rex ipſe inter mortuorum ſtrages deliteſcens abeuntibus hoſtibus ægrè evaſerit; quo ſucceſſu elatus, atque in dies viribus auctior, claſſem quoque eſt nactus, cujus opportunitate in pluribus regni debacchabatur provinciis. Rex verò reparatis viribus & claſ-*

& classe paratâ adversus hostem, perrexit. Quo ille cognitô fugam quoque tunc callidè simulans, in infinitum refugit oceanum: quod cùm Regi innotuisset, veram esse prædonis fugam credit, seque cum classe in portum aliquem recepit, ubi cùm exercitus præ lætitia hostis expulsi exitiali securitate vacaret, sequenti nocte execrandus presbyter cum suis portum ingressus, ebriosque & somnolentos aggressus, minimo negotio, cum patre Regis aliisque optimatibus ferè universum delevit exercitum. Rex autem aliis morientibus elapsus, in quodam (ut dicitur) proximo virginum monasterio, per dies aliquot latuit, frustraque quæsitus ab hostibus (Deo volente) evasit. Hac hostium infelicitate & clade tyrannus elatus, quanto cruentior, tantò insolentior circumquaque, tanquam triumphans ferebatur, immitem se dominum pressis miserè provincialibus exhibens. Rex autem post latebram luci & amicis redditus cæpit paulatim vires reficere, auxilia undecunque contrahere, adversus hostiles se dolos cautius præparare, & tandem cum parato exercitu perrexit in hostem; quo mox ille cognitò cùm videret juvenem propter priores clades prudentiùs atque instructiùs agere, numero quoque navium & pondere virium se præstare, ad maleficia se convertit. Habebat enim secum quandam filiam Diaboli, potentem in maleficiis], atque illi antiquæ meritó comparandam, de qua nobis ait Pöeta.

Hæc se carminibus promittit solvere mentes,
Qvas velit, atque aliis diras immittere curas,
Sistere aquam fluviis, & sidera vertere retrò
Nocturnosque ciet manes. Mugire videbis
Sub pedibus terram, & descendere montibus ornos.

Denique hæc, ut dicitur, mirâ pestilentissimæ artis confidentiâ ab amico quæsivit tyranno, quomodo suos, qui jam præ oculis erant, hostes cuperet interire? illo submersionem eorum eligente, repentè operatione diaboli, qui nimirum per angelicæ naturæ potentiam in elementis mundanis plurimùm potest, cùm à superiore sinitur potestate, tranquillum mare os suum aperiens, in conspectu hostium majorem Regiæ classis partem absorbuit. Quo visô, nefandus presbyter, ecce, ait, socii, quam efficaciter elementa pugnant pro nobis: cavete ne fortè evadant, quorum certum exitium pelagus vestræ virtuti reliquit, ne totum fecisse videatur. Itaque Regii exercitûs pars reliqua subitò interitu sociorum attonita, facilè est oppressa, & Rex ipse interiit; quo sublatô, in ditionem tyrannicam regnum tremefactum concessit; qui sacro ordine abjurato, & accepta in conjugem filia Regis Gothorum, ab Arbhiepiscopo terræ illius coronari voluit. Verúm ille cùm esset vir magnus, & neque precibus, neque minarum terroribus flecteretur, ut caput execrabile sacrâ unctione perfunderet, ab eodem patriâ pulsus est. Post annos aliquot surrexit de stirpe Regum priorum acerrimus juvenis, nomine Johannes, confluentibus ad eum & roborantibus eum plurimis; qui cùm læta habuisset initia, ut jam esset tyranno terribilis, juvenili tandem calore inconsultiùs ad bellum prosiliens, infeliciter atque prematurè occubuit. Post hunc emersit alius de semine Regio bonæ spei puer, copiosis adjutùs suffragiis; verùm & hic in ipsa sacra Dominica Palmarum, ante aliquot annos gravi prælio à tyranno oppressus, & cum suis adjutoribus funditus abrasus est. Sic virga illa furoris Domini profligato & eliminato ferè omni semine Regio, atque omni hoste indigena, magnus & tremendus tandem per manum cujusdam Episcopi, ad hoc intentatà morte coacti, Regium cum mystica unctione diadema sortitus est, sub incerto diu prosperantis tyrannidis exitu ex crebris successibus quasi securus. Titulus autem sigilli ejus talis fuisse dicitur.

Sve-

Sverus Rex Magnus, ferus ut Leo, mitis ut agnus, clementiàm qvippe in subditos ostendebat, & ecclesiis sive monasteriis reverentiam exhibebat.

Hactenus qvidem *Neubrigensis*: cujus non aliô fine verba adduximus, qvàm ut institutâ inter eum nostrosq; Annales collatione, partim videret Lector, qvàm parum exteris fidei de rebus nostris scribentibus tribuentum sit; partim ut istius seculi Clericorum iniqvitas in Reges & Principes, qvos mendaciis ulcisci ac diffamare perqvam familiare ipsis erat, vel hoc exemplo clariùs innotesceret. Si qvis autem refutationem desiderat horum, qvæ confidenter adeò *Neubrigensis* mentitus est, conferat ea, qvæ digna, imo necessaria, lectu *Thomas Bartholinus Junior Antiqvitatum Dan: Lib. II. cap. I. a pag. 235. ad calcem usqve*, de hisce commentatus est; qvò lectorem remittimus.

CAP. XI.

PAULUS JONIS LOPTINI FILIUS DIÆCESIS SKALHOLTINÆ EPISCOPUS ELECTUS, REGEM SVERREREM ALLOQVITUR, JAMQVE ORDINATUS BERGAS PETIT. IBI EPISCOPORUM CONCILIUM CELEBRATUR. MISSI AD PONTIFICEM ROMANUM LEGATI; COMES ORCADENSIS EO PERVENIT, GENUBUSQVE REGIS ACCIDENS IRAM EJUS DEPRECATUR; IDEM MULTATUR. REX EPISCOPOS ALLOQVITUR. IMPERATOR ALEXIUS COMNENUS SVERREREM DE MILITIBUS SOLLICITAT. REX LITERAS PONTIFICIS ROMANI, QVIBUS REGNUM AB ANATHEMATE LIBERATUR, OSTENDIT.

Hyeme, qvæ memorata Coronationis Regiæ solennia præcessit, Thorlacus Episcopus Skalholtensis in Islandia fato functus miraculorum deinde opinione inter sanctos relatus est. Electus in ejus locum Paulus Jonis filius, Lopti ex filia Regis Magni Nudipedis nepos, Sæmundi Polyhistoris pronepos, hac eadem æstate ex patria in Norvegiam veniens Nidarosiæ per hyemem commorabatur. Vere proximo terrestri itinere in Vikam profectus, Regem Osloæ, ubi tunc hyemem exègit, salutavit; Inde in Daniam profectus, ab Archiepiscopis Absalone & Eirico Episcopus est consecratus, eademq; æstate Norvegiam repetens Bergas accessit; ubi Episcopi tunc ad deliberandum cum Rege congregati erant; siqvidem Archiepiscopus Eiricus singulos Norvegiæ Antistites in Daniam ad se literis exciverat. At cùm superiore æstate Sverrir classem copiasqve in Orcades mittere ad ulciscendas fraudes eorum atqve injurias agitaret, eô cognito Comes Haraldus Maddadi filius, valde sibi, ut oportebat, metuens, statim sese accingens, in Norvegiam transmittere, assumto itineris comite Episcopo Biarnio, omnibusqve proceribus, decrevit. Jamqve & ille Bergas, qvo tempore omnes regni Episcopi ad comitia evocati convenerant, pervenit. Itaqve Concilio hoc primum qvod decernebatur, hoc erat, legatos cum literis ad Pontificem mittere; isti negotio delecti Episcopus Thorer, Richardusqve Svartameistare/ sev

ſev *Nigri-magiſter* dictus, qvibus literæ Epiſcoporum cum ſigillo Regis in manus datæ ad Celeſtinum Pontificem perferendæ. Inde de culpa Comitis Orcadenſium actum, cauſaqve in cæmiterio ædis Servatori ſacræ examinata, ſatellitibus Regium tribunal undiq; circumſtantibus, qvibusdam etiam circa conſidentibus; extra qvos alia circa Comitem ſtatio erat diſpoſita. Ejus qvidem orationem his verbis habitam *codex Flat:* in Regis Sverreris vitâ memorat. *In hoc celeberrimo nobiliſſimorum virorum conſeſſu aurium animorumqve favore magnopere indigeo jam ſenex; nam & ætatem cani, ſenii teſtes, indicant. Non qvidem inſvetum mihi aut novum eſt, Reges adire: quorum multos cognovi, aliis acceptus, aliis verò invisus. Jam præter ſpem in offenſam Domini mei Regis Sverreris incurri, culpâ imputatâ magis qvam commiſſâ. Perduellionis author non fui; ſed nec perduelles impugnavi; neqve enim integrum mihi, omnium ſubditorum odia in me concitare, qvoad iis Comitis ſaltem imperio præſum, neqve omnia, qvæ Orcadenſes faciunt, meâ ſtatim voluntate aut juſſu fiunt. Multi excurſionibus Hiberniam & Scotiam vexant, vel mercatores ſpoliant; omnia qvidem hæc me invito, qvantumvis in pœnis exigendis haut mitis habear. Sed qvid hic verbis ulterius opus eſt? cauſam enim hanc Dei Regisqve Sverreris clementiæ & arbitrio univerſam committo.* Procedensqve ê concione ante pedes Regis in genua procubuit. Rex, conſpecto Comite, conticuit parumper, circumſtantes intuitus; deinde itâ exorſus: *Eqvidem*, inqvit, *magnum ſubditis noſtris damnum exercitus tam validus, Orcadibus veſtris excitus, intulit; jam vero Comitem facti pœnitentem clementiamqve noſtram implorantem conſpicitis: qvam hoc qvidem â nobis facilius impetrabit, qvo eâ magis apud Deum nos ipſi indigemus. Exſurge itaqve, Domine Comes, Dei noſtroqve beneficio periculi omnis ſecurus. Conditiones pacis, qvam primum nobis vacaverit, edicemus.* Et poſtea omnium eorum, qvi in Floruvogis cæſi ſunt, agri in Orcadibus & Hialtlandia juſſu Regis in tabulas relati, Regioq; fiſco adjudicati ſunt, propinqvis tamen cæſorum intra triennium redimendi poteſtate facta; qvo elapſo, qvicqvid redemtum non eſſet, allodiali jure in perpetuum ærario cederet. Hialtlandia inſuper cum omnibus reditibus Comiti ademta, eodem judiciô fiſco addicta eſt: qvæ nunqvam ex eo tempore Comitibus Orcadenſibus ſubjecta fuit. Orcades ſolæ Comiti Haraldo relictæ: itâ tamen, ut mulctarum omnium, qvæ penderentur, dimidiam ſemper partem Rex acciperet, eiqve exigendæ qvæſtores Regii, qvorum præcipuus Arnius Liora, ordinati. Qvæ qvidem omnia iisdem comitiis circa XXIX. diem Junii concluſa, literis qvoqve ac inſtrumentis publicis conſignata, & Comitis inſuper ſacramento ſub ejusdem diſceſſum confirmata ſunt. His ita compoſitis, Rex peculiari ad Epiſcopos oratione uſus, hortatur eos, *ut demandata ſibi à Deo officia induſtriâ omni & diligentiâ ornent, perpendantqve, poſſeſſionem illorum non eſſe hæreditariam, nec ipſis reſtitutionem ab Eirico ſperandam, ſi conſiliis ejus ſeducti excidant; cùm is qvidem ſibi ipſi ſuccurrere neqveat: qvippe qvi omnium rerum egenus, novem vel decem miniſtris contentus, alienâ qvadrâ victitet. Qvod ſi ſibi fidelem operam præſtent, ſuamqve ſocietatem intrepidè colant, ſe, cauſæ eorum patrocinio ſuſcepto, omnem ab eis injuriam prohibiturum.* Gratô hæc animô à ſe excipi Epiſcopi verbis ad gratiam factis vultuq; hilari oſtenderunt, ſeqve porrò in ejus poteſtate & obſeqvio futuros pollicebantur.

Hôc annô vir qvidam Vikenſis, nomine Hreidar, ex longa peregrinatione in Norvegiam redux, ab Imperatore Græcorum Alexio Com-

neno, eô ipsô annô ad imperium per scelus evecto, literas secum ad Sverrerem Regem attulit, sigillô, qvod Gullbolustra / seu *auream bullam*, appellabant, obsignatas, qvibus petebatur, ut nonaginta, vel potius mille, (utrumq; enim per XC. in antiqvo idiomate patrio legi potest) validos milites sibi mitteret. Similes qvoqve literas ad Regem Daniæ Alexius per Petrum qvendam, cognomentô Malitiam, miserat, nec non ad Speciæ Regem Knutum; qvi eodem annô ex nostratium qvidem calculo traditur decessisse, (Sveci integrô antè trienniô mortuum eum esse statuunt) successorem nactus Sorqverem Karlis filium. Sæpius legatus ille Hreidar apud Sverrerem Regem de subsidiis hisce pro Imperatore instabat: in spem qvoqve ea obtinendi promissis adductus, totam ibi hyemem subsistebat.

Verùm diutius se continere non potuit Episcopus Nicolaus, qvin eodem autumnô in Daniam ad Archiepiscopos profectus, sibi eosdem reconciliaret; at hyeme, qvæ proximè seqvebatur, Thorer Episcopus Hamarensis & Richardus Nigri-Magister Româ in Daniam unà cum Cardinale reversi, ibi repentinâ morte ambo simul sublati sunt, adventûs eorum famâ non nisi tardè ad Norvegos delatâ. Interjecto enim aliqvo tempore Danorum qvidam Regem Sverrerem accedentes literas Papæ sigillô obsignatas tradunt, simul pecuniæ qvandam summam postulantes, qvam Episcopo Richardoqve mutuò se dedisse hoc pignore affirmabant. Rex reddito argentô, qvantum qvidem voluit, literas recepit, qvas deinde in choro templi publicè legi, sigillumqve populo ostendi curavit. His Rex regnumqve à diris Pontificis liberabantur, postqvam iniqvè sacris ipsi interdictum fuisse cognitum esset. Retulit deinde Rex, legatos in convivio apud Presbyterum qvendam omnes venenô sublatos interiisse. Et jam appropinqvante vere Hreidar Regem de auxilio Imperatori Græcorum mittendo denuò compellans, responsum hoc ultimum tulit: *Perniciosa Danos in se consilia fovere, sed & multorum intra regnum fidem sibi suspectam, si qvi motus orirentur; non itaqve integrum sibi esse, juventute bello idoneâ se nudare.* Igitur petebat ille, ut sibi permitteretur mercatorum aut colonorum filios, qvi sponte seqvi vellent, regno educere. Id cùm impetrâsset tandem, seqventi æstate Haleyras, ubi tum urbs erat, nundinæqve celebres, exeqvendi hujus negotii gratiâ, est profectus.

CAP. XII.

NOVA EPISCOPI NICOLAI ET VIKENSIUM CONTRA SVERREREM SEDITIO: INGIUS REX CREATUR: SVERRIR CONTRA EUM MOVET: EJUS AD MILITES ORATIO, ET MATERNI GENERIS EXPOSITIO.

AD nundinas qvoqve Haleyrenses Episcopus Nicolaus cum magnâ Norvegorum, maximâ tamen Vikensium, multitudine accessit, afferens secum puerum qvendam, qvem Ingium appellans pro Magni Erlingii filio venditabat. Betulopedes verò Danum esse dictitabant, verô nomine Thorgilsem, cognomentô Thufuskitum dictum. In illo igitur

igitur oppido factio hæc magno populi confluxu simul cæpit & crevit, Archiepiscopo Eirico, Sigurdoqȝ Comitis Erlingi filio, multisqȝ aliis novum Principem in Norvegiam, titulo in patriam eum regnumqȝ restituendi, deducentibus. Tota factio Baglar (rationem hujus nominis *Part.1. lib.1. cap.4.* magis ex conjectura, qvàm ullam secutus authoritatem, adduxi) appellata: qvæ iter inde suum Salteyarsundas usqȝ dirigebat. Tum verò Rex Sverrir in Vikæ sinu Seimsfiordo, ubi tum morabatur, de adventu eorum certior factus, in occursum iis cum Nicolao de Vestnesia exploratorem agens profectus est; ubi cum nimias eorum vires cognovisset, filio suo Sigurdo Lavardo & Nicolao, ut navibus ad villam Sonaberg dictam admotis datâ occasione excurrerent, agminaqȝ eorum carperent, mandavit. Ipse ad Hasteinem deflectens, in excubias eorum incidit, omnibusqȝ injecto metu è stationibus fugatis, ad suos rediit; inde jaculis eminus aliqvantisper pugnatum, sed absqve magno damno; lembus enim, qvô Rex vehebatur, proximè terram stabat; Bagli autem in campis, qvi Mugavellir / seu *agminum campi*, appellantur, sese collegerant, navesqȝ in terram subduxerant, qvarum qvinqve longæ, minores centum viginti ipsis erant; Sverrere viginti tantùm, plerisqve minoribus, instructo. Cùmqve adversus tantas vires nihil, qvod usui sibi foret, tentare auderet, monuit suos, ut qvàm maximè sibi caverent, nec eripi sibi naves paterentur. Inde extra teli jactum se subducens, trajectô sinu ad insulam aliqvandiu substitit, inqȝ rupe è regione navium Baglorum machinam qvandam erexit, ex qva saxis cev catapultâ emissis naves hostium confringebat. Appetente vespere custodes triginta ad custodiam ejus reliqvit, ducibus Sigurdo Lavardo & Eylifo Ruffo, qvi uni simul navi præerant, monens qvoqve eos, ut caverent sibi ab hostibus, insidiis ipsis in singulas horas imminentibus. At digresso Sverrere infestum frigus membra eorum pedesqȝ urens, alios ad focos compulit, cùm alii circa machinam se componentes in unum conglobarentur, nocte opacâ prospectum omnem adimente; qvâ occasione Bagli per pulvinum qvendam continenti & insulæ interjectum, decedente æstu, cum centum viginti armatis loricatisqȝ peditibus in insulam transierunt: atqve tum primum sunt agniti, cum jacentium latera gæsis gladiisqve foderent; qvâ clade hi excitati, hortatore Eylifo, qvi manipulum illum hominum facilè repelli posse jactabat, arma qvidem, sed pauci, capiunt. Ibi majore parte occisâ, Sigurdus Lavardus per prærupta insulæ cum paucis aliis se dejiciens, ad naves cum iisdem metu penè exanimatus tendebat, immixtusqȝ hostibus per tenebras oberrabat, qvarum tunc beneficio salutem debuit. Bagli verò machinam illam, seu balistam, dejecerunt. His cognitis, Betulopedes lituis canentibus in litora irruunt, qvorum tunc velocissimus erat Nicolaus de Vestnesia. Bagli autem re bene gestâ incolumes ad suos redierunt. Rex hâc suorum clade perceptâ, asperis verbis filium Sigurdum Lavardum objurgabat, indignum imperio pronuncians, qvi militibus suis prospicere nesciret; indignum se Patre, à cujus industria tam aliena designaverit: longè majori labore, majore qvoqve curâ se excubias egisse, qvoties cum Rege Magno certandum esset. Jussitqȝ eum è conspectu suo ocyus se subducere, donec dies rediret; unde multi in terram exscendentes, qvod reliqvum noctis erat, vigiliis extraxerunt.

Qvôdam die, dum in sinu Seimsfiordo excubabant, egresso fortè Sverrere, & lembo secundum litus navigante, Bagli in rupibus stantes

eos inclamabant; tum inter cæteros Sigurdus Comitis Erlingi filius extentâ voce qværit, *an & Nutricius suus Sverrir intra navem esset?* respondit Liotus Haraldi filius; *præsens qvidem intra lembum Rex Sverrir; Verè tu autem, ingrate, suggessisti, nutricium eum vocans, pejorem te hominem nunqvam ab eo nutritum esse.* Tum Episcopus Nicolaus procedens, Regemqꝫ provocans: *Qvid moraris*, inqvit, *apostata, terrestri nobiscum prælio decertare? nimirum nihil justum tibi, sed rapinæ tantùm & latrocinia placent; ascende huc cum tuis: hic ego te, latro, opperiar. En mea insignia!* extensoqꝫ clypeo; *hic*, inqvit, *mitram baculumqve videbis, qvibus ex mandato Pontificis tibi occurram, gladium nimirum & galeam; his te occidam, aut certè regno expellam.* Excepta hæc à Betulopedibus, qvi infra navigabant, tali responsô: *Ascenderemus qvidem ad vos, si ex multis talibus, qvalis tu es, proditor, copiæ vestræ constarent, & hæc tu scilicet arma in extremo judicio egregiè produces.* Rex convitiis abstinere suos jussit: neqve enim verbis cum hoste contendendum. Tum Episcopus; *sæpe vos qvidem, Betulopedes, metum mihi objicitis: tu igitur, Sverrir, in singulare huc mecum certamen ocyus descende, experiamurqve, plusne mihi prosint Petrus Apostolus & Sanctus Hallvardus, qvàm tibi Gothica illa saga, qvam colis.* Tum Sverrir ad suos conversus: *anicularum*, inqvit, *rixæ isto congressu speciem præberemus, cum neutri nostrum animus ad talia promtus insit.* Posterâ luce adhibitô domestico consiliô, consulit eos, qvid potissimum faciendum censerent? Nicolaus de Vestnesia famem pessimum malorum pronuncians, aut igitur confligendum cum hoste, fortunamqꝫ periclitandam, qvô gloriosam sive victoriam obtinerent, sive mortem oppeterent, aut divertendum eò, ubi alimenta suppeterent, statuit. *Ita est, Nicolae*, respondit Rex; *videris enim omnium desideria solus exposuisse: sed nec hostibus mansio diuturna erit commoda, qvin nobis in loco perseverantibus citò dilabentur.* Morem tamen gerendum voluntati suorum ratus, naves statione deduci jubet, dieqꝫ Dominicâ cadavera suorum in Salteyar-sundam deportata ad sacram ædem humari. Inde prosperos nactus ventos Bergas petit; ubi primùm milite dimisso, deinde Nidarosiæ solennia natalis Christi celebrat, ibiqꝫ hybernat. Bagli in septentrionalia Vikæ concedentes, comitiis Burgi celebratis, Ingium Magni Regis filium Regem declarabant: in cujus mox obseqvium universa Vika cum Uplandis, receptis ab eo per singulas satrapias præfectis, se dedit. Episcopus autem Nicolaus partem hyemis Osleyæ, partem qvoqve in Daniâ transegit; præter qvem Ivar Skialgius, Episcopus Hamarensis nuper inauguratus, & Hallvardus de Saftadis cum multis aliis factioni qvoqꝫ ultrò accesserunt.

Eâdem hyeme Episcopus Nicolaus & Sigurdùs, Comitis Erlingi filius, magnum Regis Sverreris thesaurum ê pariete templi B. Virginis, qvod est in Hofudeya, ubi repositum sciebant, exemtum diripuerunt; inde in Heidmarchiam profecti, præmissis trans montem cohortibus, in sinu Haldio, intra ostium Rugsundæ occiderunt præfectos Regios, Thorerem Darrium & Einarem Lygram cum toto præsidio; at præfecti, qvi iis erant proximi, Thorir Krakus & Thorgils, fugâ ad Regem evaserunt. His perpetratis, Bagli in Uplandas reversi sunt. Post natale festum Rex Sverrir copiis classeqꝫ ex Thrandia, Halogia, Mæria utrâqve & Raumsdalo conscriptis, Bergas cum exercitu trium millium sexcentorumqꝫ militum navigat; ibiqve diutiùs moratus, in austrum deinde flexu devio Græningasundam petit, nihil moratus suorum sermones, miran-

mirantium, qvòd rectâ viâ non pergat. Animadversâq; licentiâ militum, agrestium res invadentium, simul utrosqve allocutus hunc in modum verba facit: *Probrosane hæc expeditio? qva ex remotissimis locis, Thrandiâ, Halogia, Mæria, ductus miles vires suas in vasis rusticorum diripiendis exercet, unde nihil illi lucri, his tamen damni plurimum evenit; res qvidem Regis reprehensione indigna, qvam tamen necessitas exprimit, cum Regio officio satisfacere neqveam, ni rapinæ cöerceantur. Iis igitur ut abstineatis, amicè moneo: invitus enim maximè ad pœnas de vobis sumendas feror, qvæ tamen, ni emendetis hos mores, exigendæ sunt. Sæpius qvidem mihi de eadem re essetis monendi, si precariò vel injuria regnum, ut Episcopus Nicolaus, nescio qvo colore, prædicat, imperiumq; in vos tenerem. Multi ancillarum filii Regios titulos nuper assumserunt; mihi Rex Sigurdus pater, mater Gunnhildis, illustri multisq; noto genere sata, jus illud hæreditate reliqverunt.* Expositòq; stemmate suo, materno paternòq;, multos nobiles viros, qvò gradu & nexu propinqvitatis sibi juncti essent, docet, hôcq; ipsô facilè ad firmandas vires suas allicit. Tandem adjicit: *nemini totâ Norvegiâ meliore jure regnum qvàm sibi competere; sed in Rege justitiam non minus qvàm genus, paternàq; decora reqviri; Episcopum Nicolaum, qvamvis eloqventem, leporino tamen corde, vulpinàq; fide cognoscendum se dare; talem se utiq; eum expertum, familiæ quippe vitiô perfidum, talem qvoq; plerumq; Ingigerdis progeniem esse, infidum Magnum, infidum Burisium, id omnibus experientiâ compertum, eventumq; omnibus ostensurum, qva fide Nicolaus Baglos ad ultimum sit culturus.* Hinc concione finitâ, dimissisq; colonis, Osleyam secundô ventô navigat, ubi tum Bagli cum universo exercitu constiterant. Vespere igitur, qvi festum S. Jacobo sacrum præcesfit, ad Hofudeyam classem anchoris jactis constituit; postridièq; sacris auditis ad naves regressus aciem disponit, Hacone filio cum parte clasfis æstuaria, qvæ erant intra cænobium Sanctimonialium, occupare jusso, inde ad urbem exscendere, eorumq; terga, qvi in pontibus starent, invadere; Satrapis Gregorio Jonis filio, Sigurdo de Modustadis, Eysteino Rognvaldi filio, planitiem Eyras ad templum B. Virginis adire, perq; plateam australem ingresfos hostibus imminere mandatum. Ipse exercitum reliqvum, prælato signo, tubisqve sonantibus, per pontes in urbem ducit.

CAP. XIII.

PRÆLIUM INTER BAGLOS ET BETULOPEDES: VICTORIA PENES SVERREREM: BAGLORUM IN THRANDIAM INFUSIO ET DIREPTIO.

Nicolaus Episcopus aciem Baglorum ordinaturus, Sigurdum Comitis filium & Hallvardum de Saftadis Uplandorum ducem intra cænobium Sanctimonialium ad exscensionem hostium prohibendã collocat; filiis Aunundi Hlynis & Kolbeino Strinefo cum validissimis cohortibus pontes planaq; littorum cõmittit, jactando interim suis: *paucitate Sverrerem premi; tamque rarum ipsi esse in navibus militem, ut vix numerum æqvent scalmorum, vestibus saltem in speciem, quasi milites essent, locis vacuis suspensis; sed nec inani eventu devotos Betulopedes, hebere enim jam eis gladios, hebere animos, defectos jam audaciâ, quâ usi antea in bellando fuerant: quodsi*

 aggredi

aggredi tentent Baglos, fatali id Sverreris exitio futurum; neque enim animum ei auctum, ex quo ultimùm eum in sinu Seimsfiordo reliquisset. Ipse Antistes unà cum qvibusdam Ecclesiasticis in platea ad ædes suas eqvo insidebat, cùm initium pugnæ fieret. Primò autem Sverrir naves suas in objacentes onerarias tanto impetu direxerat, ut multæ earum confringerentur; difficilis tamen accessus ad pontes erat, objectu navium à Baglis demersarum. Itaqve telorum sagittarumqꝫ jactu aliqvantisper pugnatum, donec Betulopedes conscensis onerariis in terram evaderent. Primi Bengeir Longus & Botolfus Aufuris filius pontes conscenderunt, ubi tum Anglus qvidam Bengeiri plagam inflixit, additô, haud ista via se eum admissurum. Verùm Bengeir pugil peritissimus ictu contrario, insinuato intra clypeum gladio, maxillas ei infra nasum amputavit. Mox impetu Betulopedes confertim in pontes irruentes strenuè qvoqve excipiuntur, fitqve pugna primùm acerrima. Tum qvidam Baglorum Episcopum affatus; *Domine*, inqvit, *propera jam procurrendo in pontes, nostrosque præsentiâ tuâ firma, jam enim tuo auxiliô indigent; nec, ut dixisti, Betulopedibus gladiorum hebere acies videtur.* At Episcopus repentè animo cōmutatus; *Maturate fugam quàm celerrimè*, inqvit; *nam & hodie Diabolus vinculis solutus grassatur.* Properè itaqve concitatis eqvis non priùs substiterunt, qvàm in collem Giallaras deventum esset, ubi reliqvias suorum exspectarunt. Interim ex Betulopedibus Gregorius Ionis filius ad plana tellúris circa ostium amnis naves admovit; cùm autem propter syrtes litus attingere neqviret, in vada cum nautis insiliens in terram alacriter eluctatus est; qvod ut Bagli, qvi ad Geitabergam consistebant, animadverterunt, tantum confestim impetum in eos fecerunt, ut pulsos litore alios qvidem occiderent, alios in mare propellerent; qvi rursus conscensis navibus ad Thrælabergam appulsi, dum egressi in litus per campos ad urbem properabant, infesti iterum Bagli in eos per pontem, qvem Caprarum dixêre, irruentes, pugnam redintegrârunt, Betulopedibus tamen tunc haud minore promptiudine vim propellentibus; donec Hacon Regis filius navium suarum phalangem ad lutosam planitiem tanto nisu deducit, ut in litus remorum ope propellerentur, ubi sine mora acie instructâ invadunt majore numero Baglos, jaculis primò, deinde gæsis rem strenuè gerentes, ita ut repentinâ fugâ ad septentrionale urbis latus se reciperent. Instant à tergo Betulopedes, occiduntqꝫ, qvotqvot apprehendere possunt; jamqꝫ ex ea parte victores qvidam per urbem in pontes ad socios procurrunt, Baglosqꝫ ibi pugnantes cædunt. Et jam vexillùm Sverreris in pontes evectum urgebat Baglos urbanosqꝫ, ita ut utriqꝫ confestim fugerent, alii supra urbem, alii per ædes sparsi. Rex ipse per longam plateam in alias progressus, conspecto suorum in campis pugnantium certamine, statuit eos adire, superatoqꝫ amne eorum se agmini im̄iscens, ferit hostium terga. Plurimis occisis, urbs deinde lustratur, multisqꝫ ædibus fractis, in latebras eorum inqviritur: trucidati qvotqvot inventi sunt, multis tamen elapsis; qvos iterum Betulopedum cohortes hinc è Mortustockis, illinc è superioribus campis urbem petentes, intercipiunt opprimuntqve, magnaqve rursus ab utrâqꝫ parte strages editur, majore tamen Baglorum clade, qvorum tamen tribuni & ductores copiarum non pauci ex hoc prælio salvi evaserunt.

A pugna Sverrir suis ad Mortustockas convocatis, post factam pro victoria supplicationem, brevi oratione monet, vulpem illam, (ita Nicolaum vocabat) territam qvidem evasisse, nihilo tamen minus ab ejus

Baglo-

Baglorumq; aſtu cavendum, ſi fortè ſe iterum colligentes, cùm Betulopedes vinô ſomnôqve obrutos exiſtiment, alicunde eos adoriri poſſint. Claſſem igitur ad Hofudeyam deduci jubet. Priùs verò qvàm urbe egrederentur, civium mercatorumq; omnium bona militi diripienda permiſit, qvòd perduelles facti Baglis militâſſent, naves qvoq; militares omnes captæ, plurimæq; earum exuſtæ, præter eam, qvæ ipſius Epiſcopi fuerat, nomine Bokaſkreppa / ſeu *librorum pera*, dicta, aliamq; nomine Gullſud, ſeu *auream navem*, qvam frater Regis Hidius fabricari curaverat; jam verò is Bokaſkreppam ſibi elegit; inceditq;, qvâ antea uſus erat, Vidſia, ſeu *Providentiam*; ſervata tamen ſunt, qvæ cives provinciales poſſidebant, ſingularum navium armamenta. Præda omnis haſtæ ſubjecta, inqve auſtrali inſulæ campo expoſita, in qvatuor deinde partes diviſa eſt, excitiqve claſſico ad haſtam milites cùm viritim recenſerentur, qvatuor & amplius mille numerati ſunt. Rex navium armamenta omnia qvindecim auri marcis redimere geſtiens, vix tertiam pretii partem obtuliſſe viſus eſt, neqve aſſenſum militum, neqve conſcriptarum ex agreſtibus cohortium, conſeqvutus. Qvin & Sigvaldius Karl, Sigurdus de Modaſtadis, & Eyſteinus Rogvaldi filius, eò inſolentiæ proceſſerunt, ut nullâ Regis reverentiâ rudentes & vela, omniaq; inſtrumenta alia in qvatuor partes dividerent, ſuam qvamqve partem ſingulis reliqvæ prædæ portionibus adjicientes; qvâ temeritate Rex adeò offenſus eſt, ut proſiliens de nave, fuſte terga eorum, contemtum ſui ulciſcens, pulſaret. Complures miſſis, qvæ manibus tenebant, qvòd iratum conſpicerent, ſe inde ſubduxerunt; præter Sigvaldium, qvi, acceptis duobus ictibus, patienter caſtigationem Regis tulit. Tum verò Rex deſiſtens, incuſabat eos, qvod mandatis ſuis obniterentur: ad ſe defenſionem regni eorumqve pertinere; juſtè idcircò à ſe naves & armamenta poſtulari. Obtinuitq; his dictis redemptionem ex ſuo arbitrio. Die tertiâ ſignô tubæ omnes ad diviſionem prædæ vocati, qvæ primò per qvadrantes inſtituta, ſingulis deinde qvatuor portionibus in decem diſtributis, iterumq; & eousqve repetitâ diviſione, donec in ſingula capita duæ marcæ appenſæ aſſignarentur. Dum hæc aguntur, presbyter qvidam ab Epiſcopo cum literis miſſus, qveis ille pacem orat, ad Regem venit: cui ſtatim à Rege reſponſum; idem priùs Epiſcopum poſtulâſſe, nec certum, an majore jam conſtantiâ pacem petitam colat: ſi tamen ipſe veniat, incolumem diſceſſurum, ejus enim cæde, ſi ſponte accederet, culpam faſſurus, gloriam nullam reportari.

Interea Bagli hâc plagâ mulctati fugâ per Uplandas Thrandiam petebant, ubi caſtra in campis metati, caſtellum ad Steinbiargas ſitum obſidebant; tenebatur id præſidio octoginta militum, præfectis Thorſteino Kugado, Bialfio Skinnſtacko & Asgeire, ſufficiente præterea rerum neceſſariarum copiâ, commeatu & armaturâ ſatis validum; at cùm fruſtra illud à ſe circumſideri Bagli animadverterent, receſſerunt paulò, & convocatis in ædem Servatoris civibus, impenſas in commeatum indixerunt, provincialibus ſumtus in claſſem conferre juſſis, moxq; exemplo Betulopedum juramentum ſingulis extorſerunt; ſe neq; hoſtibus Baglorum, neq; Regi auxilia adverſus eos præſtituros. His factis redeuntes ad caſtellum longo tempore illud miſſilibus fatigabant; clamore deinde mutuo Epiſcopus & Thorſteinus ſe invicem allocuti ſunt, monente hunc Epiſcopo, ut perpenderet ſecum, qvàm improvidè caſtellum damno ſuo defenderet; præter enim diras, qvibus obnoxius fieret, rerum ſuarum omnium, qvas in villis

propriis

propriis Steige & Gudrekstadis possideret, ædium insuper incendio delendarum, jacturam ipsum facturum. His territus Thorsteinus, Bialfium consulit, monstratôq; periculô, & qvòd omninò castellum defendi neqveat, si obsidio duraverit, eum in suam sententiam, ut castellum hostibus proderet, nulli præterea consilio communicatô, pertrahit. Per occultas deinde januas cum Baglis colloqvium initum; ubi Thorsteinus à Gudbrando Juvene, qvi nomine Baglorum aderat, Betulopedibus singulis vitam, arma, vestes, pactus, Baglos ex urbe in castellum per easdem fores, vêspere præfinito intromissurum se pollicetur. Cænæ tempus aptissimum visum, ut nescirent se proditos castellani, prius qvàm Bagli castro potiti essent; qvibus hoc modô ingressis, incolumes dimissi Betulopedes, vestes qvotidianas, pauca arma, pecuniæ nihil secum exportantes. Bialfius in provinciam, Thorsteinus in societatem Baglorum concedens eos seqvebatur; pecunia omnis Baglis in prædam cessit; qvi castellum cremârunt, cives ad evertenda ejus fundamenta demoliendosq; parietes adhibuerunt; unô saltem cadavere inventô, qvod in fontem injectum lapidibus obruerunt; tandem universâ, qvæ ibi erat, classe Regis exustâ, prædâ onusti in Uplandas reversi sunt.

CAP. XIV.

REGIS CUM COLONIS EXPOSTULATIO, EORUMQVE DEFENSIO. PÆNA DE PERDUELLIBUS SUMTA. VARIA CUM BAGLIS TUNSBERGÆ ET IN THRANDIA PRÆLIA, EORUMQVE EVENTUS.

Interea Sverrir post dies in Hofudeya qvatuordecim ferè exactos, sinu Osleyensi egressus, in sinus Godmarensis latus australe movit. Locum Fyrisleif vocant, ubi cives in forum convocari ad caussam dicendam, qvòd in Seimsfiordo hostibus accessissent, aliumqve Regem se vivô elegissent, jussit. Helgius qvidam comuni eorum nomine verba faciens, negavit *regionis illius cives criminis intentati reos esse. Paucos quidem, eosque sine publico consilio, hostes fuisse secutos; eò enim ætatis pervenisse plurimos, ut experientiâ priorum temporum edocti tanta pericula facilè prævideant. Notas sibi leges patrias, nota jura Regia, notum legitimum Regis declarandi modum; itaque se Regem sine justis Thrandorum suffragiis, in foro Eyrensi publicatis, renunciatum pro vitiosè creato tantum habere, insanosque esse, qui factioni his conditionibus destitutæ, utpote legitimo Regi adversæ, suas fortunas jungant, quod in homines sapientes minimè cadat.* Plura illo conventu ventilata, qvæ ad pacem omnia reconciliationemq; spectabant. Inde Rex Nautasundam, seu fretum Bovium, intrans, aliqvos suorum negotiis administrandis delectos per silvam qvandam miserat, qvorum duodecim Bagli ibi latitantes oppresserunt. Ad Svanahalsem inde navigatum, mox Gautelfam; ubi iis primùm visis universi ferè territorii istius coloni vel in naves vel in silvas fugâ se receperunt; deinde ad destinatum conventui diem, ubi reliqvi adesse jussi, tempus in longum extraxerunt; cujus tædio exercitus, authore Olafo qvodam, Regis famu-

famulo, dilabendi consilia agitabat. Qvo cognitô, Rex eum apprehensum interfici statim jussit, exemplôqꝫ supplicii alios à proposito revocavit; jamqꝫ iterum vocatis ad forum agrestibus, nî parerent, minatus est omnes se eorum habitationes incendiô vastaturum. Metu itaqꝫ minarum accedentes, mulctæ nomine aliqvot centena boum capita, magnamqꝫ præterea æris summam, dederunt. His peractis Rex, ut percepit Baglos Thrandiâ regressos, Osleyam repetit, iis obviam iturus: at in collem Giallaras ubi pervenit, fit certior, eos, cognito suo in urbem adventu, in regionem superiorem reflexisse: primùm ergò Osleyam ingressus, mox inde Tunsbergam petit. Philippum verò, Comitis Birgeris Brosæ filium, cujus mater amita erat Sverreris, ad lacum Mios mittit ad lacessendos Baglos, missurus qvoq; cum eo fratrem Hidium, nisi longior hunc mora in itinere impedivisset. Incertum hoc est, qvippe obscurè in Annalibus, qvos seqvimur, traditum, qvando primum, qvantòq; cum imperio, consobrinum hunc suum Philippum Rex Sverrir copiis suis præfecerit. Certè, qvantum colligere possumus, ipsum in locum Eirici fratris substituisse videtur. Ipse Rex, Tunsbergâ secundo vento solvens, fratre Hidio ibi relicto, Bergas profecturus in Helgasundam defertur, ubi primùm cognoscit, Sigurdum Comitis Erlingi filium ab aqvilone profectum, se in via præteriisse. Metuens itaq; Hidio fratri, copias extemplò convocat, iisq; de fratris periculo conqveritur; *qui se qvidem cum tota classe absente, Baglosq; perseqvente, jam minus eos metuat, qvô securior, eô qvoq; periculo propior; vereri se autem inprimis, ne portubus haud satis provisum sit.* Lembos itaq; omnes & leviores naves colligit, iisq; ad Sigurdum qværendum, converso itinere, proficiscitur. Verùm præcavens is sibi, secessu qvæsito, ex insulis qvibusdam, qvæ Seimar appellantur, classem Regiam recto cursu procedentem conspicatur, hâcq; usus occasione, eadem nocte Tunsbergam aggressus, in improvisos Betulopedes incidit; qvi in ædibus Asleifis cujusdam potantes, pleriq; inermes effugium nullum inveniunt; qvibusdam ad templa se proripientibus, sed qvæ occlusa erant, cum nec aperta subsidio iis fuissent: ubicunqꝫ igitur deprehensi trucidantur Hidius ê cænaculo in domum cerevisiæ coqvendæ adhibitam fugiens, cum, urbe â Baglis undiq. circumsessâ, egredi non auderet, per noctem ibi delituit; primâ luce ædes omnes lustratæ, cædibus Betulopedum multòq: sangvine repletæ. Tum ex Baglis Hvitingus qvidam circumforaneus deprehensum Hidium, acceptô licèt ab eô annulo aureo, silentii præmio, statim tamen prodidit. Is igitur extractus occiditur. Ultra qvadraginta hâc strage sunt cæsi, interq; eos multi Sverreris Regis purpurati. Qvibus peractis, Sigurdus ante horam nonam antemeridianam urbe excessit. Accessit aliqvantò serius Sverrir, statimq; ad perseqvendum eum se accingens, sinum totum orientalem perlustravit; cognitòq; altius eum ad orientem properô itinere concessisse, ipse qvoq; eò contendit. Cùm jam parvo distarent intervallô, Sigurdus in Lanasundam digressus, Besinem intrabat; paulò post directè ad Sverrerem tendens, remotis tentoriis, jaculis eum incessebat; plurimi tamen, priusqvam Rex accederet, terrâm petebant. Illo verò in litus excendente, citatissimô cursu fugerunt, & Sigurdus qvidem ipse in pedes se conjiciens, trans pontem evasit cum pluribus; Betulopedes in eos globo facto statim irruentes, paucos extremi agminis interfecerunt. Naves eorum Sverrir lembosq; cum omni vecturâ captos, alios secum avexit, alios exussit. Inde Bergas profectus ibidem hyemavit; ii verò, qvos in Helgasunda cum majoribus navibus hôc eodem autumno reliqverat, prospero vento usi, Bergas primùm, mox Thrandiam appulerunt, & qvidem ante

reliqvos hi trium navium præfecti, Eyolfus Aplii filius, Eiricus de Ha, & Arvius Skadaredus; qvi cognito Baglos urbe potitos, multis cives malis affecisse, primo statim diluculo Holmam advecti, duabus navibus amnem ingressi sunt. Eyolfus arenæ intra rupem navem admovit, unoq; impetu pontem extra urbem occupat; nec senserunt adventum eorum Bagli, priusqvam tubæ insonuêre. Sparsi igitur per diversa, alii templa, alii pontes petebant, alii nullo certo gressu huc illuc vagabantur; multi occisi, qvidam etiam à victoribus vitam precibus obtinebant. Hæc tribus diebus ante festum D. Andreæ gesta sunt. Deinde Betulopedes, navibus subductis, urbem in tutelam suam provinciasq; receperunt.

Exactô festô Natalitiorum, Bagli Ionem Macrum occiderunt: qvod qvidem hôc modô factum. Vir qvidam, nomine Sölvius, ædes Ionis accedens, pulsatis foribus, eum excivit, aperientemq; statim gladio transfodit, mucrone per dorsum eminente; qvi tamen eodem momento interfectorem per cervicem arreptum arietavit in terram, sed arrepturus gladium prope lectum pendentem exanimis concidit. Magna tum Baglorum per universam Vikam Uplandasq; potentia, turmæq; passim numerosæ vagabantur. Hallvardo autem de Saftadis curam Regis sui comiserunt; ipsi post festum Natale ex Uplandis per montem, indeq; silvam Updalinam, profecti, in Rennabuum delati Ivarem villicum & Thorleifum Styrinum occiderunt, hincq;, Orcadalum petentes, Einarem Skitinbeinum. Mox Skaune lustratâ, cæde skeggii de Eggio eam nobilitârunt. Nidarosiam inde itum. Eò qvidem adventus eorum nuncium Gunnar Galinus & Endridius Rackius, qvi tempestatem hanc effugerant, detulerunt; sed infelix uterq;, dum in planitie Eyris Baglorum naves incendere parant, tardèq; id ob ignem langventem efficiunt, ab his supervenientibus in ipso opere perimuntur, duobus ante S. Brettesæ festum diebus. Nullus in tota urbe iis restitit: nam Betulopedes, famâ adventus eorum cognitâ, fugâ sibi consuluerunt; cæteris igitur parcitum. Ita qvoq; veris magna pars Nidarosiæ transacta. Postea per universam Thrandiam vocati ad arma milites, & expeditioni cuncta parata, classisq; in sinum propulsa, ad certamen omnibus viribus instruitur. Ingius præterea Regis titulô insignitur, & per præconem Bardum qvendam publicè renunciatur, pensione statim ejus nomine in expeditionem exactâ, provinciisq; Satraparum curæ comissis, tandem classis ad Raudabiargas ducitur.

Interea Betulopedes per silvas & solitudines dispersi, vilibus in tabernis diversari interdum coguntur, res afflictas spe reditus Regis, milites aliqvando suos tantis malis erepturi, lenientes. Is lembis levioribusq; navigiis Bergis navigans, deq; improviso, ut sæpe aliàs, hostibus supervenire cogitans, vento prospero Agdanesiam attingit; ibi in portu, qvi Solfii appellatur, in navem Baglorum incidit, cujus occisis vectoribus mox aliam occurrentem videt. Nautæ re subitâ perturbati in terram profugiunt, parte suorum amissâ. Inde transmisso sinu ad locum Reins dictum perveniunt, ubi navis viginti scalmorum occurrit; eam Betulopedes invadunt, plurimisqve occisis, reliqvis in terram evadentibus, navem spoliant, qvam statuunt deinde secum ducere, abnuente Rege, verito scilicet, ne impedimento levioribus fieret, qvam tamen deinde reliqvisse pænituit. Et jam è classe Baglorum conspectus eorum adventus neqvaqvam istos terruit, qvi remotis extemplò tentoriis, naves invicem ex more suprà memorato religant, instruuntqve ad pugnam. Septem tantùm illæ erant, verùm omnes magnitudine insignes: ita leniter afflante Boreâ,

Boreâ, plenis in hoſtes velis feruntur; ſed & Rex ardens pugnandi ſtudiô, claſſicô ſignum dari, erigiqve vexilla jubet, hoſtesqve circumvectus, ventos in uſum ſuum trahit, ut recedere, ſi neceſſitas id poſtulaverit, rebus integris poſſit; neqve enim cominus aggredi ob altitudinem navium Baglorum, niſi cum certo ſuo periculo, licebat, cum puppes navium Regiarum ne loricas qvidem Baglorum æqvarent; jaculis itaqve & haſtis diu dimicatum, nec manus ita prone conſertæ, ut harpagones injicere in Regias naves liceret, multi tamen utrinqve cæſi, plures vulnerati ſunt. Videns itaqve Rex nihil admodum hoc genere pugnæ profici, extra teli jactum naves educi juſſit. Tum verò increpans ſuos: *Ubi jam*, inqvit, *iſti Betulopedes, qvorum operâ juvenis uſus ſum? certè aliter iſti olim hoſtes adorti ſunt, qvàm vos, fluxis tunicis conſpicui; breviores illi qvidem cinctûs, ſed corda utiqve fortiora gerebant. Qvid hic nobis agendum? qvæſo vos; ad urbem remigate rurſus, vel omninò rem fortiùs gerite, viros vos præſtate, & pro more adhuc oſtendite, acutiores vobis qvàm illis gladios eſſe.* Nondum deſiverat Rex, cum ingenti clamore exorto mutuæ adhortationis, magno impetu in Baglos naves concitarent, gladiorumqve ictibus & haſtis nunc punctim, nunc cæſim eos ferirent, ut in declinandis tantùm vulneribus omnis adverſæ partis induſtria fatigaretur, cadentibus paſſim nautis militibusq;. Et jam Sölmundus Syſtrungus Gudbrandi Ulli navem cum qvinqve ſociis conſcenderat, cùm is ſuos inclamans dejicere eos jubet: qvâ neceſſitate concitati Bagli ſaxorum ingentia pondera in ſubjectos deturbantes ingentibus eos ictibus & telorum agmine urgebant, tamqve confertim gladii haſtæq; à parte Baglorum vibrabantur, ut vix jam ſuſtineri à Betulopedibus poſſent. Jamq; remulcis & harpagonibus naves conſtringebantur. Nulla igitur cùm Betulopedibus conſiſtendi ſpes eſſet, Baglorum harpagones ſtipitibus vellere cæperunt, qvo naves ab iis liberarentur; ipſa Regia navis ægrè ſic tandem expedita, ut & lembus, qvem Nicolaus de Veſtneſia ducebat. Sölmundus Syſtrungus cum univerſis pæne navis ſuæ vectoribus occubuit, alius qvoqve lembus vectoribus nudatus, cum Sigurdi illo Baglis in prædam ceſſit. Nicolaus de Veſtneſia capite, qvod tamen tectum gerebat, caſſide transverberatâ vulneratur, vulnere primùm qvidem exiguô viſô. At Rex pugnæ pertæſus, velis verſis Nidaroſiam jubet repeti, neqve enim majori periculo ſuos exponere conſultum jam erat; ſubducunt ſe itaq; Betulopedes, unamqve navem Baglorum in itinere offendunt, qvam ad Klepſtadas usqve perſeqvuntur.

Erat tum inter Baglorum Satrapas qvidam, Augmundus nomine, cognomentô Vagapungus, ex Uplandis oriundus, jamq; ab Ingio regendis Orkadalis præfectus. Hic ut vidit conflictum navalem, naviq; præerat, qvam Eyolfus Aplii filius priùs rexerat, avebat ſuis ſuccurrere; verùm inter milites diſſenſu exorto, & pleriſq; in terram exſcendere eligentibus, illo tempore propoſitum exſeqvi non potuit. Rex autem ad urbẽ contendit, qvam tum qvidem Bagli levi negotio expugnari poſſe ſperabant, qvòd eo die prælio ad Thorsbiargas multi Betulopedum vulnerati, ideoq; armis minùs idonei eſſent, multi qvoqve & ſtrenui bellatores occubuiſſent. Verùm re conſideratâ, diffidentes iis, qvos è Thrandia ſecum duxerant, qvos, ſi ad Eyras pugna rurſus fieret, vel domos ſuas dilapſuros, vel ad Regem transfugituros credebant, propoſitô deſtiterunt. Itaqve ad inſulam parvam Holm ſtativa habuerunt, Sverrere ad Eyras remanente, paratoqve cum illis congredi, ſi laceſſeretur. Nicolaus de

Vestnesia, contemto vulnere qvod in prælio navali acceperat, balneo indulgens, dolore subitô correptus, post paucos dies exspiravit, magno certè omnium damno. Hoc, qvod jam memoravimus, navale prælium unâ hebdomade ante festum S. Hallvardi, qvod in XV. Maji, seu Idus ejusdem mensis, incidit, gestum est, annô MCXCVIII.

CAP. XV.

SVERRIR BAGLOS SE INVASUROS FRUSTRATUR: ACTA AD CASTRUM BERGENSE. BAGLORUM INDE FUGA: SVERRERIS ADVENTUS, ET CUM BAGLIS CONFLICTUS, EJUSQVE EVENTUS.

Elatiores Bagli jam successu hoc facti, Bergas mox statuunt adire, persvasi, facilè territorium illud subigi posse, etiam in ipsius Sverreris conspectu, cùm nec classem ille haberet, qvâ copias auxiliares adveheret, navibus qvoqve ad decertandum habilibus d stitutus. Nihil itaq; ab eo maritimis excursibus i posterum metuendum existimant, si classem ipsi suam non dispergant, cæteroqvin à consiliis artibusqve ejus qvàm viribus magis cavendum. Bergas igitur contendentes, portum Angriam Stadis ab aqvilone adjacentem ingrediuntur. Seqvitur Sverrer, unoqve die totum illud iter, qvod ab Hæreyis Stadas usqve est, emetitur. Conspectis etiam Baglis, qvi remotis tentoriis jamjam invasuri erant, nihil territus, cæptum iter perseqvitur.

Interim dum hæc, qvæ memoravimus, in Thrandia geruntur, Sigurdus Comitis filius, cognitô Bergis excessisse Sverrerem, eò succedit protinus, nemineqve obsistente, naves Regis, qvot qvidem asseqvi poterat, incendit, & in his unam præprimis insignem, Signabrandum, seu Sognensem gladium, appellatam, militumqve domos urbe ad castellum in materiam incendii devectas, loco oportuno ad flam̃as fumosqve beneficiô venti in castellanos spargendos, cremat. Intra castellum ipsa Regina Margareta constituta erat, cum magno matronarum fæminarumqve honestarum numero. Illa tum præfecti Pauli Aurensis consiliis auscultare jussa, valde sibi ab isto Baglorum terrore metuebat: verùm Paulus, ut congestam ab hostibus magnam materiæ molem animadvertit, dolium scidiis arborumqve corticibus, & pice repletum, injectoqve igne incensum flagranti eorum rogo injicit, priusqvam omnia ignis alimenta congessissent. Unde auctum incendium extingvi non poterat, depascebatqve congeriem, priusqvam perfici posset. Et jam refecturi pyram erant, cùm Regina Paulum accedens obnixè per Deum obtestabatur, ut castrum dederet, incolumemqve exitum pacisceretur, castri opumq; jacturam qvàm hominum leviorem dictitans, omnia ipsis simul præfractâ hâc obstinatione peritura. Is fæminas in contignationem, qvæ supra portas erat, ubi prius carcer fuerat, deduxit, ostensâ spe subiti, si necessitas cogeret, egressus; suppeditatisq; qvibus indigebant, ne milites ad defectionem vel com̃iseratione vel authoritate com̃overent, aut promissorum spe ad seditionem concitarent, cunctas simul cænaculo, clausis foribus, repagulisq; admotis, inclu-

inclusit. Interea Bagli pyram reparabant: Asgautus autem, Regis thesaurarius, vas, qvo pondera butyri vendi solent, perforatum, cannabe, lino, sulphure & corticibus plenum, injecto igne, ardens in rogum, qvi in medio cavus erat, injiciens, tantum repentè incendium excitavit, ut à Baglis sopiri neqviret, exureretur subitò, qvod in usum suum temperare jam tanto labore cæperant. Baglis itaq; in urbem re infectâ regressis, accedit Reginam Paulus, qværitq;, qvo pretiô mercari discessum Baglorũ gestiat? magno, cùm respondisset, sigillum ipsius reddi sibi postulat; qvo obtentô, literas ad Antium presbyterum & Jordanem Skinnpeitam scriptas obsignatasq; mittit, hac formâ: *Etiamsi temporum iniquitas necessitasque præsens vos in studium Baglorum rapuerit, nequaquam tamen dubitamus, quin Regis vos cura maximè tangat; arcana igitur his literis, sed magni momenti, vobis afferimus. Rex enim cum hostibus suis in Thrandia congressus, more solito, quod Deo acceptum referendum, vicit, magna tamen Procerum suorum clade. Amissi Nicolaus de Vestnesia, Sölmundus Systrungus, Petrus Rognvaldi filius, pluresque alii Petit autem à vobis, velitis consiliis vestris Baglos hac in urbe crastino die retinere, tum enim se vel mane, vel certè ante meridiem, adventurum pollicetur.* Has literas Vikensi cuidam puero, Baglis inprimis noto, qvem presbyterum vocabant, deferandas tradit; qvi deductus ê castro sub rupe qvadam dimittitur. Verùm observatus ab excubitoribus statim transfugæ specie capitur; nec tamen, utpote iis cognitus, interficitur; interrogatus autem, qvò tenderet? literas se ad Antiũ presbyterum & Jordanem ferre, sed ignarum qvid continerent, respondit. Ereptæ mox ipsi literæ, & ad Sigurdum Comitis filium relatæ sunt, qvi ubi subitum adventum Regis exspectandum cognovit, adeò properè abitum maturabat, ut primo statim diluculo, omnes classico excitos urbe sinuq; educeret, Sacerdote priùs & Jordane, vacillantis jam fidei suspectis, magnâ pecuniâ mulctatis. Iis sinu egredientibus, Paulus Reginæ indicat, fugere jam Baglos. Illa exiens ê cænaculo, an vera afferret, spectatura, ingeniosum laudat comentum. Mane ejusdem diei aderat Rex, ingressusqve castrum præfectis Sigurdo Borgarkletto & Paulo Aurensi, brevì se ibi mansurum refert. Sigurdo igitur mandat, ut auxilia civium postulet, qvæq; ab iis accipiat, in castro detineat; futurum enim, ut proximo reditu iis indigeat. Inde eodem die ad sinum Siggeiris navigat.

Cæterùm ipsô hoc die Hallvardus cum exercitu grandioribusqve Baglorum navibus in urbem venit; nec diu moratus, statim iterum recessit. Rex, visis eorum velis, ibat cessim, nec observatus à prænavigantibus in urbem retrogrado itinere qvàm celerrimè reversus est, ingressusq; castellum, qvantas copias sigurdus Borgarklettus comparaverit? exqvirit. Ubi nihil impetratum, civibus obseqvium detrectantibus, authoritatemq; præfecti spernentibus, cognovit, eos ad curiam evocat, valdeqve iratus: Antiqvum, inqvit, obtinetis, Bergenses: qvos enim à principio in me exseruistis hostiles animos, etiamnum geritis; neqve, qvamdiu regnum stetit meum, conatibus meis obsistere unqvam intermisistis, hostes enim meos fovistis, fovetis adhuc. Pietati in Magnum Erlingumq;, dum illi vixerunt, id fortè condonandum erat. Jam verò nulla causa subest, cur latrones & piratas vestris viribus adversus Regem vestrum legitimum instruatis. Mera hinc malitia, perversiq; animi vestri apparent, qvi ad jus regni mihi, si per vos staret, eripiendum feruntur. Jam vel eandem cum hostibus fortunam à nobis exspectate, opibus, membris, forsitan & vitâ, mulctandi, vel singula, qvæ postulamus, ocyùs

ocyùs exeqvimini. Finnus Forradius à parte civium reſpondens dilationem primò petit, tandem imperata exſeqvitur, redditis centum militibus; qvorum pars urbis cives, pars mercatores erant. His denuò inſtructus Sverrer, lembis triginta urbe movens; cùm Sallbrinam perveniſſet, Bagli in aqvilonem tendentes, qværentesq; Regios, eò qvoqve deferuntur; qvós ille ſui adventûs ignaros, priusqvam colligere ſe posſent, ventis in uſum ſuum ita præoccupatis, ut acceſſum regreſſumqve ex arbitrio liberum haberet, fortiter celeriterq; aggreſſus, lapidibus telisq; obruebat. Sed nec id impunè, cùm eadem & hoſtes in illos retorqverent, & altitudine navium Bagli ſuperiores, remulcis & harpagonibus in aliqvot Regias injectis, neqvicqvam tamen detinere laborabant. Nam Betulopedes, inciſis iis, cùm victoriam imparibus navibus ſperare neqvirent, properè Bergas redeunt ſub ortum Solis, navesq; ſubducunt.

Eodem die circa meridiem Bagli eò qvoqve delati, exſcenſione à Betulopedibus prohibentur, campo tentorii Regis undiq; conſtrato; attamen propter urbem ad Nordneſiam aliqvot dies excubabant. Deinde in Sogniam profecti commeatui conqvirendo ſeptem dies inſumſerunt, captumq; interea Jonem Trinem Sverreris præfectum, vitâq; donatum, in factionem ſuam adſciſcunt, pluribus qvoqve aliis Betulopedum ad eos tranſeuntibus, qvibuscum Bergas redeunt; ubi tum Betulopedes per aliqvot dies annonam neceſſariaq; ad victum colligebant. Nordneſiam tum Bagli, ante monaſterium appulſi, nullo Betulopedum metu exſcendunt, cùm iterum res jaculis ultrò citroqve aliqvantisper geritur; Betulopedibus ſemper intra urbem manentibus, èqve parietibus alteros, captâ qvalibet occaſione, impetentibus: nam & multa Baglos in urbem negotia traxerunt; vel enim conqvirendus iis potus, vel uxores, qvæ multis intra urbem erant, adeundæ, qvarum convictu, metu Betulopedum, frui non licuit. Sæpe igitur in campis S. Johannis aciem inſtruebant, oſtentandis viribus: ſæpe Betulopedes ad certamen provocabant, non ſine turpis metus exprobratione, diſſolutâq; rurſus acie in campis ludos ad contemtum eorum exercebant, numero enim viribusqve, delecto milite, armisqve & veſtibus, hiſce inſigniter prævalebant.

CAP. XVI.

SVERRERIS AD SUOS ORATIO: CUM HOSTIBUS CONFLICTUS, EORUMQ; FUGA: CONSULTATIO BAGLORUM DE TEMPLO EXSTRUENDO: INCENDIUM URBIS BERGENSIS ET CLASSIS REGIÆ. REGIS IN THORSTEINUM KUGADUM CLEMENTIA. BAGLORUM IN HALOGIAM IRRUPTIO ET POPULATIO.

Baglis ita fortè, ut dictum, in campo S. Johannis ludo vacantibus, Rex Sverrer in ripis è regione templi S. Nicolai concilio habito, ſuos hunc in modum alloqvitur: *Affulget jam tandem occaſio cum Baglis manus conſerendi, ſi, ut ſpero, me fortiter ſeqvuti fueritis; eâ enim laude ſupra alios ferri vos geſtio, qvòd fideliter ſemper & fortiter dimicetis. Idem vobis hodie præſtandum; inſultus enim hoſtium pariter ac inſultationes fortibus factis reprimendæ.*

mendæ. Ad hæc cum omnes conticuissent: *Heu pudor! heu scelus!* inqvit, *silentiô Regis vestri verba excipitis, cùm teneatur unusqvisq; vestrûm animi sui sensa statim depromere.* Illis se facturos respondentibus; laudatâ alacritate, *ex tribus unum faciendum,* ait: *aut castrum tenendum, munitum qvidem id satis, sed deficiente annona ad alimenta qværenda haud idoneum; aut per montes & solitudines errandum, ubi insuper vexationibus omnium, qvi nos perseqvùturi sunt, exponimur; turpi qvoq; exitu, profugarum more si opprimamur; aut deniq; confligendum, id qvod qvidem hòc statu rerum nostrarúm existimo.* Omnibus ad prælium ardore magno incitatis, *licebit qvidem,* inqvit, *Baglis consessum nostrum spectare, non item consilia nosse; castrum primò repetendum, inde duo, interdum tres, qvatuor, aut qvinq; simul in urbem qvasi incuriose exspatiantes, omnes tandem ad ædem S. Johannis convenietis.* Postqvam verò ordine ad ædem S. Olafi omnes se collegerant, Rex vexillum erigi jussit, sed nullam aciem instrui; *impetu enim singulis in hostes irruendum, nec auxilium à sociis exspectandum; nec enim diu Baglos eos sustenturos, prima coitione territos: eos semper, ut vulpes caudâ, sic verbis plorare solitos; nec tirones eorum, qui nuper è matrum sinu ad militiam tracti essent, insvetos ictuum vulnerumque vestigiis, diu hæsuros.*

Vix hæc dixerat, cùm, sonantibus undiq; tubis in campos effusi, ex improviso in Baglos se infundunt; nec enim hi congregatos opinabantur, qvos non unâ serie castro egressos observârant. Raptim igitur Bagli aciem instruunt, sub signo Sigurdi Comitis filii sese colligentes. Sed perinde atqve Rex conjectârat, nutabant, primiq; statim ordines, mox proximus qvisq;, fugam circumspiciebant; inde & cæteri per campos sparsi, & ad cæmeterium ædis S. Johannis palantes gladiis inseqventium telisq; & hastis passim sternuntur. Ibi verò se iterum colligentes parumper resistebant. Mox majori qvàm antea clade mulctati ad litora fugâ procurrunt, vel in undas præcipites se daturi, vel naviculis raptim paratis ad classem evasuri: & naves qvidem, qvæ erant litori proximæ, pars major assecuta, pars, dum asseqvi nititur, inter natandum periit. Tanta autem multitudo in navem Narfii Hallvardi filii de Sastadis, qvæ valde magna erat, concurrebat, ut pressa onere vadis inhæreret, qvam Betulopedes eodem impetu aggressi, pars detinebant, pars vectores trucidando affluente multitudine vastabant; plurimi, & inter eos ipse præfectus Narfius, cæsi, alii in fluctus præcipites ruentes, qvos nuper tantopere fugerant, iterùm invaserunt. Ipse Rex eqvo circumvectus, cruentam hastam, hastileq; defluente in manus sangvine gerens, circa templum S. Johannis à Baglorum uno duabus simul hastis, utrâq; manu emissis, impetitur, sed demisso clypeo seipsum simul eqvumq; protegit, alterâ hastâ in clypeum, alterâ verò infra alvum eqvi, innoxio utrâq; casu, decidente. Ut verò se à scopo aberrâsse animadvertit Baglus, protinus gladio secundum hastam jacto, subitò se inclinans, eam rapit. Rex eqvo impulsô in terram stratum, pedibus eqvinis contriturus, à jacente hastili pulsatur. Ille territô eqvô in pedes se conjiciens, cæmiterium citato cursu petit; verum à Rege eqvum calcaribus concitante hastâ transfoditur.

Betulopedes hac eruptione feliciter peractâ, in castrum redeunt. Ex illo tempore Bagli ludos intermittebant, nec in terram, ut antè, exscendebant. Cæterum Episcopus Nicolaus cum suis cohortibus ad Toluholmam tentorium fixit, ibiq; sacra celebrans, urbem se eodem loco magnam constituturum cum templo lapideo jactabat. Pars cohortium ejus ad Nordnesiam, pars austrum versus, parvo à reliqvis intervallo, constitit.

Sed

Sed Betulopedes plurimum in urbe manſerunt, aut Sunnhordiam & Hardangriam percurrentes, cibaria expreſſerunt, magno ruſticorum onere & damno, cum reditus omnes Baglis jam ſolviſſent, commeatumq; iis ad militiam ſuppeditâſſent, qvibus per nuncios in præſidium ſui evocatis, mandatum acceperunt, ut jumenta ſuæ cuſtodiæ traderent. Magnum igitur boum agmen ad eos actum, ad Laxavogum, ſeu ſinum Salmonum, paſcebatur. At Sverrir nocte qvâdam caſtro cum agmine egresſus, flexo pone montem itinere Alrechſtadas verſus, ſecundum ſinum Alrechſtadenſem ad Laxavogum, ubi caſtra Baglorum erant, pervenit; miſſiq; qvi excubitores opprimerent, alterum dormientem, vigilantem alterum offenderunt; qvi dum transfigeretur, altiore editâ voce, Baglis audiebatur, alter dormiens ſub ipſam demum mortem excitatus eſt. Mirati inſolitam vocem Bagli qværunt, cur ita vociferentur? ſed percusſores occiſorum vice reſpondentes ludum excuſant; inde ad Regem redeuntes oppresſos vigiles trucidatosq; nunciant; qveis collaudatis, qvàm occultisſimè invadit Baglos. Sed nec ii priùs excitati ſunt, qvàm naves eorum ſubducerentur, ipſiq; infeſtis mucronibus foderentur. Ad eum tumultum excitati cæteri, qvi in navibus erant, Bagli occurrunt, inq; litus exſcendentes, tanto Betulopedum impetu excipiuntur, ut pulſi litore naves iterum peterent, magnâ clade & in terra & in aqvis inter redeundum acceptâ; donec rudentibus navium ſolutis claſſem extra teli jactum educerent, dum Betulopedes interim, bobus omnibus interceptis, Alrechſtadasqve actis, prædâ ovantes abeunt.

His irritati Bagli, copias ex eo loco claſſe educunt, exponuntq; iterum in terram ad ſinum Alrechſtadenſem, integraturi hìc pugnam, numero & multitudine ſuâ fidentes, cujus reſpectu vix unica turma totus Sverreris exercitus cenſeri poterat: Itaqve Sverrer, illuceſcente jam die, ſuis cum præda reverſis, colligere ſe ocyſſimè, & ex editiore loco impetum in eos facere mandat; qvem cùm non ſuſtinuiſſent Bagli, magnâ clade ſunt cæſi, & primo qvidem congreſſu ſignifer Baglorum Endridius Liaxa, vir genere Thrandenſis, viribus & alacritate inſignis, obvium habuit Sverreris vexillarium Bergſteinem Langium; qvi cominus collato pede pugnantes vulnera ſibi mutua inflixerunt. Tandem Endridius ictibus fatigatus cecidit, cum ipſo vexillo Baglorum, hiq; in fugam conjecti, ad naves repentè confugerunt. Magnum hôc damnum præliô acceptum eſt, tironum præſertim Baglorum ſtrage. Rex in caſtrum rediens, actis Deo gratiis, abunde, qvæ ad victum reqvirebantur, congeſſit. Bagli verò majores opinione ſuâ vires Betulopedum experti, urbem deinde minùs freqventabant. Sæpius qvadraginta vel qvinqvaginta numero ſimul in terram exſpatiantes, ſi decim vel duodecim Betulopedum, qvibuscum ipſe Rex erat, conſpicerent, fugâ ſtatim naves repetebant; ſæpe nec opinatô Betulopedum impetu oppreſſi, amiſſis aliqvot, reliqvi magnâ cum ignominia ad naves reverſi ſunt. Pervigiliô S. Johannis Baptiſtæ Rex urbem ingreſſus centum & viginti ſuorum togas ſacras (Rotkapt) ex templis deſumtas iuduere, hocq; habitu qvinos, ternos, aut plures ſimul egredientes in monaſterium ire juſſit, ubi occultâ viâ horreum ingreſſi, Epiſcopo Nicolao, qvem cum pluribus principibus ſacris interfuturum ſpes erat, inſidiarentur; alii etiam monachorum cucullos ſumebant, & in cæmiterio cuſtodes duo in uno alteroqve loco occultè conſtituti, adventum Baglorum obſervabant. Inter hæc principibus Baglorum nondum navibus egreſſis, famuli qvidam lignatum ituri

ituri cymbis advehuntur, intercipiunturqve ſtatim à Betulopedibus. Horum alii occiſi, alii membris truncati, omnes in monaſterio detinentur, ne ulla inſidiarum notitia ad Baglos recurreret. Inter alios qvoqve presbyter qvidam exſcendens capitur, interrogatusqve, an Epiſcopus ſacris interfuturus eſſet? accesſurum reſpondet. Itaq; Betulopedes ad præſtolandum parati, dum procedente tempore unum lautè veſtitum excepturi procurrunt, habitu produntur, cùm obſervaret is calceos humiles rubraq; tibialia, & hæc qvidem monachis inuſitata, cucullatos gerere; qvi ſe notari animadvertentes, impetu facto eum capiunt. Is autem, dum tunicâ, qvam ſangvine fædari nolebant, exuitur, inter manus eorum elapſus, curſuq; furenti ſimilis ad naves evolans inſidias detegit, monſtrato ſuis in fidem vulnere fæmore accepto, certiore omninò Betulopedum qvàm Monachorum notâ. Epiſcopum itaq; & Reidarem, qvi jam parati ſtabant, aliosqve, qvi cimbas ingreſſi ad ſacra properabant, à pio ſed periculoſo nimis propoſito avertit. Sverrer detectas inſidias videns in urbem rediit: cujus ab hoc tempore artes circumſpectiùs Bagli cavebant. Multa inter eos præterea geſta author, qvem ſeqvimur, memorat, relatu qvidem digna, ſed qvæ, ut ipſe addit, modum libri excederent, ſi ſingula notarentur; multis enim cædibus & rapinis, dolis & fraudibus, res utrinq; per totam æſtatem agebatur. Multi tamen Betulopedum ex provinciis ſponte deficiebant, multi etiam deprehenſi à Regiis inviti detinebantur. Hæc æſtas itaq;, tot facinoribus memorabilis, Bergenſis æſtas appellata eſt.

Erat pervigilium S. Laurentii, qvô Bagli, qvæ antea erant minati, jam certò exſeqvi decreverunt; civibus enim Bergenſibus diu hoc crimini dederant, qvòd in caſtro Sverrer eorum ope tamdiu ſuſtentaretur. Placuit ergò, Epiſcopo Nicolao authore, urbem penitus exſcindi, aliamqve alibi in Hordia, qvæ commodior ipſis foret, conſtitui: uſum enim caſtri haud diuturnum futurum, exciſâ urbe, præviderunt. Itaqve Epiſcopus, ne deſtinatis religio obſtaret, vel prætextus deeſſet ſpecioſior, pollutas omnes ædes ſacras pronunciavit excommunicatorum receptu, nec proinde cloacis ſanctiores. Inſeqvente deinde nocte, duobus lembis lignis onuſtis urbem petunt, facesqve, Epiſcopo imperante, locaqve & regiones urbis diſtingvente, primùm ædibus ad templum Crucis ſubjiciunt: mox qvoqve aliis ædibus è regione Pontis aridi (Fauſtabriggtor) prope ædes Finni urbis præfecti; & tertio loco ad templum B. Virginis. Neqve jam incenſis ſuccurri poterat, Betulopedibus horum omnium ignaris, cum nec priùs, qvàm concepto latè incendio, urbs flagraret, exciſiqve pontes aditu eos excluderent, factum advertentes; metus qvoqve tum erat, ne caſtrum eodem incendiô corriperetur. Carbaſa igitur & vela aqvis aſperſis humida facta, torrentibus flammis objecta, caſtrum liberârunt. Urbs autem à templo crucis ad Pontem Arenarum, infra plateam univerſa, ſupraqve pontem à templo crucis, & extra Pontem Arenarum ad templum Nicolai, conflagravit. Elata tunc crux ſacra è templo lapideo, igniqve oppoſita, incendium reſtinxiſſe dicitur. Scrinium qvoqve B. Sunnefæ ad Pontem Arenarum prolatum ulteriore progreſſu ignem prohibuiſſe: id qvod miraculis adſcriptum eſt. Bagli interim bacchantes & geſtientes è ſinu tela ſagittasqve in eos jactabant, qvi incendio ſuccurrere aggreſſi ſunt. Multi ergò civium, minis Baglorum territi, vel omnibus relictis aufugerunt, vel bona, qvæ auferri poterant, aut in provincias, aut in caſtrum avexerunt. Hôc incendiô ædes B. Virginis cum qvinqve

aliis egregiis templis in cineres versa est. Verùm invidia facti Episcopum Nicolaum onerabat: sæpeqve à civibus Bergensibus ei postea tanta immanitas objecta est; qvorum multi bonis tunc omnibus exuti cum extremâ paupertate conflictabantur.

Paulò post, festô sc: assumtionis D. Virginis, Sverrer Rex, centum viginti comitibus secum assumtis, provincias, ubi turmas militum suorū collectas habuit, lustravit. Ejus absentiâ Bagli audentiores facti, ipso festô ascensionis B. Virginis cum copiis urbem petunt, perqve superiora procedentes ad fanum S. Olafi tendunt. At Betulopedes, eruptione ê castello factâ, sine ordine in illos irruunt, rati aciem eorum, ut antea, irruptione validâ perrumpi, dissolviq; ordines posse, & aliam qvidem impellunt, ab altera verò latiùs se extendente circumfusi, jamq; inter utramq; interclusi, pauci à multis undiq; premuntur. Cùmq; elabendi vias omnes præclusas sibi viderent, ferrô aperiendas statuentes, rem fortiter gesserunt, magnaq; suorum, & qvidem fortissimorum, clade tandem ad castrum post strenuam, licèt brevem, pugnam fugâ qvàm effusissimâ se receperunt; Baglis tantâ celeritate ferociâq; instantibus, ut in media porta, dum unum suorum Betulopedes recipere, illi captum retinere, contenderent, discerpti hominis suam singuli partem, qvam apprehenderant, velut ferrô divisam retinerent. Ad Holmam qvoqve Bagli, ubi statio erat navium Regiarum, lembis navigantes, præsidio interfecto classē omnem Regiam exusserunt. Ingens tum clades accepta est, ceciderunt-qve hôc conflictu viri clari & in primis strenui, Sigurdus Borgarklettus, Finnus Færeyensis, Thordus Lorkus, Bita-Karius, Einar Biarnii filius, Bengeir Langius, Endridius Pennius, præfecti Eysteini frater, Hallkelis de Lojo filius, Comitis Philippi signifer; vir tantâ fortitudine, ut cùm se vulneribus saucium deq; vitâ actum animadverteret, vexilli hastâ fortiter solo impactâ, ipse gladio utrâq; manu vibrato hostes feriret, donec, deficiente sangvine viribusqve, moribundus concideret. Bagli hâc victoriâ læti gloriam facti carmine extulerunt: qvod invertentes Betulopedes in ipsos retorserunt. Erat autem utrumq; hujus ferè sensûs: *Die Lunæ evocati à Rege Ingio satellites ad castrum Sverreris manè progressi sunt; ipsius verò milites vexillis hastisque in eos procurrebant, diuque pugnârunt. Bagli verò tela & hastas fortiter excipiebant, fugâ verò Betulopedum strenuorum, naves quoque eorum incendiô perierunt.* Betulopedes ita reposuerunt: *Die Lunæ Rex Thufuskitus* (permendans tubera) *quem Dii perdant, satellites suos ad castrum Sverreris evocavit; propugnatores verò erectis signis, multis hastis obviam procedentes, strenuè diuque pugnarunt, Bagli omnes diris devoti sunt, fugâ Betulopedum naves conflagrarunt.* Tempus hoc apprimè qvadrat in annum Christi MCXCVIII. qvi fuit Cycli Solaris tertius; tunc enim (indice literâ Dominicali D) festum Sancti Laurentii in diem Lunæ incidit.

Redux Sverrer factus damnum jacturamq; tantam ex sola temeritate & socordia profectam ægerrimè ferens, suosq; increpans, statim excessit, inq; Vorsiam delatus, inde per montem Raudafiall, in Sogniam molesto itinere pervenit. In sinu verò Aurlandensi diutiùs ad reficiendum ex vulneribus laboreq; militem substitit. Inde rectà Trandiam profectus, adventu suo cives summâ semper fide addictos recreavit. At ibi novam suorum cladem nuper acceptam ducibus Baglorum Kinrado Eldridis filio, Thorsteino Kugado & Eirico Thrænskio, seu Thrandensi, cognovit; qvi tribus lembis advecti Carolum Veciæ Regis Sorqveris filium, generum Regis,

gis, (duxerat enim filiam ejus Ingibiorgem) cum universa pænè, qvæ cum ipso erat, cohorte occiderant. Is enim vago qvodam rumore de adventu Baglorum percepto urbe per vesperam egressus, superato ponte, cùm in villam qvandam, nomine Bergam, venisset, ab ipsis eadem nocte supervenientibus, utpote qvi per proditores omnia exploraverant, opprimitur. Exinde in foro Eyrensi concilio habito Thorsteinus Kugadus istius anni gesta recensebat, ea præsertim memorando, qvæ novissimè acciderant, *cladem nempe Bergis nuperrimè acceptam, quæ Regem castellô egressum coegerit terrestri viâ Nidarosiam petere; nudatum quippe in tantum navibus, ut ne una quidem ipsi reliqua esset. Baglos classe ejus, multisque rebus pretiosis, quas tenuerat, potitos, fractamque jam penitus superbiam Betulopedum, quorum olim singuli tribus Baglis se fortitudine superiores ausi sint palam jactare. Sed nec pauciores Betulopedes ad Baglos transivisse, quàm Regi supersint; jam enim fraudes Sverreris detectas, nec ab illo civibus præsidium ulteriùs sperandum. Betulopedes quoque eos, qui ad se defecerant, conditionis sortisve mutatæ haudquaquam pænitere.* Ante adventum Regis Bagli Thrandiâ omnes exierant; is verò orationem Thorsteini totam accuratè exceptam à Thrandensibus didicit: sed generi sui Karlis fatum maximè doluit. Non eqvidem definio, cujus Sorqveris, vel Sverkeris, Sveciæ Regis filius hic fuerit; illius tamen fuisse credo, qvem Scriptores Svedici ejus nominis Tertium statuunt, annoqve 119[illegible]. Canuto Eirici filio successisse volunt. Nostri qvidem Annales de initio regni hujus Sverkeri nihil habent. Decessoris verò mortem annô 1195to applicant. Qvicqvid sit, virilem omninò ætatem hunc Sverkerum attigisse oportet, cum regnum capesseret, siqvidem filius ejus, idemqve Sverreris gener, hôc annô cæsus est.

Cæterum hâc tantâ victoriâ exsultantes Bagli, classem omnem copiasqve Bergis deducunt, & universi provincias aqvilonares petunt. Ad sinum Folknensem provecti, cognitô, Sverrerem intra ejus claustra se continere, eò ingredi noluerunt. Cùm autem victui necessaria difficulter pro necessitate eorum compararentur, latiùs copias sparserunt. Pars itaqve Mæras Borgundam usqve progressa. Cùm autem Hamaris ostium præveherentur, Thorsteinus Kugadus prope Andkostam sponte naufragium facturus, navem in scopulum direxit: vectores verò omnes in continentem escenderunt, consilii ejus ignari, nihilqve sinistri de eo suspicati; donec tribus comitatus sociis trans montem provectus aufugit, inq; Orkadalum delatus domi eâ æstate delituit. Multi qvoqve alii, qvi in Thrandia domicilia habuerunt, & Baglos illâ anni parte secuti erant, iis jam desertis sua repetebant. At Thorsteinus, dum se domi continet, per nuncium à Gunnare Grionbako petit, ut pro se apud Regem de veniâ intercedat. Is comodam nactus occasionem coram Rege qveritur: *strenuum virum Thorsteinum defectione ad Baglos amissum. Operæ qvidem pretium futurum, si iterum ad Regias partes allici posset.* Ad ea Rex respondet: *oblitum se in præsens, qvod suarum fuerit partium Thorsteinus: sed nec amissionem ejus damnum adeò memorabile reputandam.* Tum Gunnar: *Non dubito*, inqvit, *qvin veniam sit impetraturus, si nos illum ad nos reducere convertereqve possimus.* Rex subridens; *qvorsum hæc*, ait, *Gunnar? nonne Thorsteinum jam dudum in potestate habes? à me qvidem veniam facilè impetrabit; pro Betulopedibus autem minimè spondebo, qvin acriùs eum insectaturi sint, si fortè obvium in plateis deprehendant.* Paulò post Gunnar eum in urbem nunciis clam omnibus arcessit: ubi primâ diei

parte delituit: deinde à Gunnare deductus ad Regem, ore pileo toto involutô atqve obnupto ingreditur, amiculumqve exuens, ſe qvaſi repentino ictu percusſum ante Regem proſternit, pedemqve ejus oſculatus in hæc verba erumpit: *felicem, Domine. me reputo, qvod tam prope te denuò conſtitutus ſum, ut liceat Divinum corpus attingere, qvodqve profligatisſimorum iſtorum hominum, qvi jure meritoqve divis omnibus devoti ſunt, manus evaſerim. Sunt enim illi prædones & malefici, nullâ autem ratione, utcunqve ſe venditant, principes. Te virum omnium optimum odio habent, cùm ſis Rex diadematus inauguratusqve, cui omnes obſeqvium honoresqve deferre tenentur. Recipe autem me jam, Domine, in gratiam, nec in poſterum unqvam dimitte. Neſcio certè miſer, qvomodo hæreticus ille Antiſtes me excæcaverit, ut videre fraudes eorum & fallacias non potuerim, proditorum nimirum, qvi ſe tibi antea ſacramento obſtrinxerunt, jam ab iis ludibrio habito. Qvâ enim ratione bonorum virorum nomina tuerentur, qvi Regem ſuum ignominiâ audent afficere?* At Betulopedes, qvi eum tunc fortè ingresſi primò conſpiciebant, probra in eum certatim jaciebant, teſtati, *nullum proditorem eô deteriorem, præſtare itaqve ut in Eyras deducto gula frangatur.* Rex verò miſericordiâ commotus, ita proſtratum affatus eſt: *exſurge, Thorſteine, pacem veniamqve impetrabis: mores u mihi Baglorum accuratè exponas volo.* Tum ille: *Beatus jam nimium ſum,* inqvit, *qvòd te his oculis coràm conſpicere iterum licuerit, faciam profectò, ut nunqvam à Te in poſterum fides mea aut induſtria deſideretur. De Baglis autem certè qvam plurima indecora ac deteſtanda, qvæ referam, habeo* Atqve ita in gratiam receptus moribus Baglorum in publicis curiis adumbrandis, aliisqve regiis negotiis procurandis, adhibitus eſt. Interim Bagli per utramqve Mæriam & Raumsdalum reditus omnes regiis uſibus ac expeditionibus deſtinatos, ac immenſa tributa exegerunt, oppidôqve propemodum ſpoliatô, duas ibi hebdomadas tranſigebant; inde in Halogiam infuſi omnes ſinus infeſtârunt, immenſisqve ſpoliis opibusqve congeſtis primarios viros inde ſecum avexerunt, qvorum hæc nomina recenſentur: Thorer Knappus, Guttormus de Miola, fraterqve ejus Bryniolfus, Biarnius Nidaris filius, Halldor de Hiorleifs-vika, & filii ejus, Ivar Nef, Gregorius Kik, Erlingus de Thiotta, presbyter qvoqve Guzalin, multiqve alii, qvos enumerâſſe omnes codicis noſtri Au`thor ſupervacaneum duxit.

CAP. XVII.

SVERRER A PONTIFICE ROMANO EXCOMMUNICATUR. EXEMPLA LITERARUM AD REGES ET ARCHIEPISCOPUM.

Ipſo hôc anno MCXCVIII. Sverrir ab Innocentio Tertio, Pontifice Romano, anathemate, ut vulgò loqvuntur, plectitur. Extant ejus Epiſtolæ (Lib. I. Epiſtolarum ejus) ad Regem Daniæ, Regem Sveciæ, Archiepiſcopum Nidaroſienſem, Comitem Sveciæ; alios Epiſcopos Norvegiæ; ut et Epiſcopos Islandiæ: qvarum qvædam exemplo huc inferenda duximus.

Nidaroſienſi Archiepiſcopo, univerſis Epiſcopis, & aliis Eccleſiarum prælatis in

in Norvvagia constitutis, in fidelium communione manentibus. In vestrum & totius populi Norvvagiæ criminum ultionem permittente Domino credimus accidisse, qvod usque adeo in vos & totum regnum Norvvagiæ tyrannica Sveri crudelitas & violentia detestanda prævaluit, ut et regnum nec electione principum, prout accepimus. nec ratione sanguinis, occuparit. & in viros Ecclesiasticos, ipse qvondam Ecclesiastico (sicut dicitur functus officio debacchetur. Ecclesias opprimat, clericos persequatur, affligat pauperes & sæviat in potentes, ita ut Divino credatur accedisse judicio, ut qvi secundum suam assertionem illegitimè natus ad sacros non fuerat ordines promovendus, contra sanctiones canonicas assumtus ad eos fortius in illos desæviat, qvi in ordinatione ipsius statuta canonum non servarunt. Miramur autem non de Deo, qvi ad correctionem vestram ejus tyrannidem hactenus toleravit, nec de ipso, cujus spiritus obstinatus, in malo malum dediscere, assvetus iniqvitati, non potest sed de his, qvi apostatam sacrilegum & nefandum adhuc etiam sacrilegæ temeritatis ausu seqvuntur, & ei præbent auxilium & favorem, cujus tyrannidem persequi potius pro viribus tenebantur. Licèt autem ad edomandam ejus versutiam freqvens manaverit ab Apostolica sede mandatum, nondum tamen sic ejus potuit peruersitas refrænari, quin adhuc quibusdam eum in qvadam parte Norvegiæ dominetur, & in ea rabiem superet aquilonis, qui ut amplius vos & universum Norvagiæ populum circumveniret & auctoritate Apostolica regnum sibi ostenderet confirmatum, bonæ memoriæ Celestini Papæ prædecessoris nostri bullam falsare non timuit qua varias literas sigillavit. Sed is, cui manifesta sunt omnia ejus falsitatem detexit Ne autem ejus perversitas desæviat diutius in insontes, universitati vestræ per Apostolica scripta directè præcipiendo mandamus, quatenus Norvagiæ populum diligentius moneatis, ne ipsum ulterius sequi præsumant, aut ei præstare auxilium vel favorem alioquin universos sequaces ipsius excommunicationis nuncietis sententiâ innodatos, & claudentes Ecclesias, & nullum in tota terra Norvagica, quæ ipsum sequitur, sacramentum Ecclesiasticum præter baptisma parvulorum & pænitentias morientium celebrantes, fautoribus ejus decedentibus sepulturam Ecclesiasticam denegetis. Ad hæc discretionem vestram nolumus ignorare, quod cum nuntii ejus ad nostram præsentiam accessissent, â nobis super facto ipsius nihil potuerunt penitus impetrare, unde si quid pro eo obtinuisse confinxerint â falsariis id obtentum esse noveritis, quorum multitudo in nostræ promotionis initiis cum falsis bullis per nostram fuit sollicitudinem deprehensa. Datum apud civitatem Castellanam, II Nonas Octobris.

Illustri Regi Dacorum.

Tam Cleri quam populi Norvegiæ promerentibus culpis permittente Domino credimus accedisse, etc. usqve ad verba: dæsæviat in insontes. *Serenitatem Regiam rogamus, monemus, & exhortamur in Domino, ac per Apostolica scripta mandamus, quatenus ad defendendas Ecclesias, Clericos in sua libertate tuendos, liberandos pauperes, & potentes de manu persecutoris illius, immo etiam ad dejiciendum monstrum illud, quod his solis parcit, quibus nocere non potest; taliter accingaris, ut et â Deo retributionem æternam & nostram consequi gratiam specialius merearis, persecutionibus tantæ iniquitatis assistas, resistas seqvacibus: ita quod membrum illud dioboli non possit in regno Norvagiæ denuo debacchari, aut persecutionem in Ecclesiis ulterius suscitare .Datum ut supra.*

In eundem modum Illustri Regi Svetiæ.
In eundem modum nobili viro Comiti Svetiæ.

Nidrosiensi Episcopo.

Examinatam tuæ fidei puritatem & fervoris constantiam, quam nec persecutio, nec gladius, nec fames, nec exilium diuturnum, â charitate Christi separare potuit vel dejicere â statu libertatis ecclesiasticæ conservando, quem etiam nec terror cöegit, nec minæ moverunt, nec demulserunt blanditiæ, nec preces, nec promissiones potuerunt inducere, ut Svero Sacrilego & Apostatæ, qui regnum Norvagiæ per effusionem sangvinis & violentiam occupavit, in matris infamiam se asserens de regali progenie descendisse, vel latenter annueres, vel expresse faveres, dignis in Domino laudibus commendamus. Et tanto amplius ex hoc tuæ fraternitatis fortitudini congaudemus, quanto in te potius persecutor exarsit. Sed constantia tua ejus tyrannidem superavit: unde cum tibi contra tyrannum illum â tuis esset suffraganeis assistendum, nec eorum aliquis eidem excommunicato deberet præstare favorem, utpote qui Ecclesias & Ecclesiasticos viros servituti subjicere nititur, opprimere pauperes & effundere sangvinem innocentem, ferre non possumus non moleste, quòd Bergensis Episcopus suffraganeus tuus contra bonæ memoriæ Celestini Papæ prædecessoris nostri mandatum, & contra tuum etiam interdictum, castra ipsius sequi non dubitat, celebrans excommunicato divina, & in ejus præsentia universa exercens Ecclesiastica sacramenta: qui licet â te fuerit sæpius evocatus, tuo tamen se noluit conspectui præsentare. Quia vero tanta præsumtio severiore debet animadversione puniri, fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus atque præcipimus, quatenus Episcopum ipsum, si præmissis veritas suffragatur, ab officio beneficioque suspendas, nec prius sententiam suspensionis relaxes, quam nostro se conspectui præsentarit; quod si forsan sententiam tuam servare neglexerit, eum anathematis censura percellas, & singulis diebus dominicis & festivis, pulsatis campanis & candelis extinctis, excommunicatum facias publicè nuntiari, ut quem timor Domini a malo non revocat, rubor saltim & pœna compescat: sciturus quod nos prædictum Sverum absolvere non proposuerimus, nisi taliter satisfaceret de commissis, quod ejus esset satisfactio non irrationabiliter admittenda. Datum ut supra.

Hinc verò colligitur, fulmine anathematis, ut vocant, percussum prius â decessore Celestino Regem Sverrerem, idqve circa annum nonagesimum tertium, missosqve anno MCXCV. legatos Episcopum Thorerem & Richardum Nigro-Magistrum nihil in usum Regis impetrâsse, fictasqve postea â Rege vel â Danis â Sverrere corruptis literas Pontificis, aut alias in eorum locum substitutas, qvibus Rex diris liberaretur, ipsius Innocentii testimonium vult evincere, qvi hæc primo Pontificatus sui anno, ab Archiepiscopo Eirico & Episcopo Nicolao procul dubio persvasus, scripsit. Convenitqve status rerum Sverreris jam aliqvantùm affectus cum verbis Pontificis, qvi in parte qvadam Norvegiæ eum dominari perhibet, Baglis nempe prævalentibus, eô præsertim, & paucis retrò, annis. Liqvet præterea, missum alium qvoqve legatum â Sverrere ad curiam Romanam, postqvam illi novissimi in Daniâ mortui erant. Testatur enim ipse Pontifex, nuntios ejus, cum se accessissent, nihil obtinuisse.

Cæterum reliqvum qvod erat anni, Sverrer in Thrandia exegit, festumqve Natalitiorum Nidarosiæ celebravit.

CAP.

CAP. XVIII.
REX DE NOVO CLASSEM INSTRUIT, CUM BAGLIS CONFLIGIT, EOSQVE FUGAT. EPISCOPI NICOLAI METUS, BAGLORUM IN ORKADALUM IRRUPTIO. CLASSIS REGIÆ APPARATUS.

EXactô inter tot diſcrimina annô, Sverrer cives Thrandenſes ad concilium convocat, navesqve ad defenſionem provinciarum ædificari jubet: additis, qvæ maximè urgerent, rationibus, *infeſtos ſcilicet ferocioresqve jam Baglos imminere, incolas ſinus iſtius præ omnibus afflicturos, qvòd ipſorum conatibus maximè obſiſtere ſoleant. Se verò navium defectu ad avertenda ab iis pericula inhabilem, qvod terreſtri itinere tantâ celeritate occurri neqveat, qva iſti maria ſinusqve peragrent. Impenſarum itaqve magnitudinem, qvæ in naves fierent, metu majoris jacturæ æqvis animîs ferendam.* Placuit civibus poſtulatum; verum qvæ ratio ſumptuum, qvantus numerus, qvanta moles navium exigeretur, qvæſitum. Rex ſingulis præfecturis Thrandiæ (Fylkl) ſingulas naves imperat, civibus verò urbanis, qvantum ipſi junctis viribus poſſent; ſe qvoqve cum Betulopedibus nonnullas ſuis ſumtibus ædificaturum pollicetur: additô, *nullam navium viginti qvinqve interſcalmiis minorem debere eſſe, plures qvoqve majores reqviri; meminiſſe enim ſe prælii ad Thorsbiargas, cum puppes proræqve hoſtium pæne in oculos Betulopedum protenderentur, tantam oportunitatem hoſtibus in poſterum non ſolam relinqvendam.* Poſtridie cives provinciales in æde S. Olafi congregati, impenſas conferunt, animadverſoqve minorem, qvàm exiſtimaverant, ſummam à ſingulis reqviri, alacriter Regem adeunt, collaturosqvè ſe libentiſſimè, qvod exigat, profitentur. Finito ergò feſto Paſchatis, octo naves in planitie Eyris, majores omnes, ædificari cœptæ. In palatio Regio una cæteris grandior erat, triginta qvippe ſcalmorum, à magnitudine Ognarbrandr/ ſeu ſtupendus enſis, appellata; altera in ædibus Archiepiſcopi, magnæ qvoqve molis. Singulæ naves reſpectu habito ad numerum ſcalmorum altiores videbantur; multæ qvoqve onerariæ divulſis compagibus bipartitò ſectæ, inſerta carinæ parte, tabulisqve aſſeribus interjectis auctæ, in longas mutabantur. Atqve ita approperatô opere navium, qvæ in urbe erant expediendæ, ſtructura abſolvebatur.

Hôc eodem vere (imperitè author ad anni ſuperioris autumnum refert) Rex Angliæ potentiſſimus Richardus, eô nomine primus, in Aqvitanico ducatu, Lemoviciꝗ territorio, caſtello Chalus ſeptimo Kal. Aprilis, ſeu die vigeſimo ſexto Martii, die Veneris, à Petro Baſilii ſagittâ percusſus eſt, & octavo Idus Aprilis, ſeu ſexto Aprilis, die Martis, diem obiit ſupremum. Succeſſit in regno frater ejus Johannes, qvem *ſine terra* appellârunt, feſtô Aſcenſionis inauguratus; qvo tempore ex Halogia Bagli Thrandiam advecti, feriisqve Pentecoſtes ſinum ingreſſi, Holmam usqve pervenerunt. Cùm verò progreſſum in urbem præſidiis Regiis munitam fieri com̃odè poſſe deſperarent, in provincias intra ſinum deflexerunt; qvo univerſo transcurſu, prædas undiꝗ, nec tamen omninò impunè, colligebant, ruſticis interdum catervatim eos laceſſentibus, inqve diſperſos per occa-

occasionem tela ingerentibus, qvibûs non parum damni iis dederunt. Verùm Episcopus Nicolaus animum suis additurus hæc qvidem locutus fertur. *Unicum tantùm promontorium, exigua tanti regni portio, imperio Sverreris paret; nec invidendum, si planitie quoque, quæ extra palos jacet, potiatur, in usum sc. patibuli, quô tandem excipiatur. Certè arietes illi marini*, (sic naves appellabat) *quos in urbe compingit, parùm nobis metuendi sunt: cineres enim ædium suarum cives Thrandenses priùs conspicient, quàm eorum usum habuerint. Percurramus igitur sinum, liberèque prædas, undecunque libuerit, colligamus; nullæ enim iis adversus nos vires sufficient.* His dictis urbem aggredi constituunt, intra Hladhamras excurrentes, locumqve Depill dictum classe complexi, unde majorum qvidem navium classiarii superiore viâ, lemborum vectores inferiùs, adverso flumine ex utraqve parte urbem adoriuntur. At in planitie Eyris ballistam Sverrir constituerat, qvam ipse modico præsidio tuebatur; ædes verò omnes secundum ripam amnis, tabulis supernè loricarum in modum digestis, saxisqve infertis, munitæ erant, & tironum civiumqꝫ defensioni comissæ. Vis præcipua exercitûs per pontes disposita, præfectis Haconi Galino & Petro Steyperi, sororum Regiarum filiis, paruit. Bagli lembis adverso amne ad Skellingahellam usqꝫ nixi, Bratteyrâ metu vexilli Regii Sigrflugæ devitatâ, tela qvidem in Regios eminus congerebant, sed propiori accessu, molibus saxorum è culmine ædium pontiumqꝫ devolutorum arcebantur. Superiore itaqꝫ viâ pontem invadere statuerunt, ductoribus ipso Rege Ingio, Nicolao Episcopo, & Hallvardo de Saftadis. Ibi acerrimè pugnatum est, magnâ utrinqꝫ clade, Betulopedibus etiam cedentibus, donec sub portam castelli ventum est. Inde deturbata grandiora saxa, effusaqve magno impetu delectorum militum vis ingens, eos impellebat. Jamqꝫ ne fugæ qvidem Baglis patebat locus; nam stationes Betulopedum medios urgebant, instabantqꝫ prioribus, qvi portis effundebantur; cùmqꝫ angustior pons esset, qvàm ut tantam multitudinem caperet, multi per latera dejecti præcipitabantur; reliqvi omnes pulsi, qvà data cuiqve via, fugiebant: funestaqve strages maximè in Baglos incubuit. Betulopedes inde regressi amnem transmiserunt, Baglis jam oppugnationem pontis remittentibus; qvi cùm extra teli jactum se subduxissent, consultantes iterum, qvid agerent? ab Episcopo, ut pontem exurant, persvadentur; *sic enim Regi ex urbe nullum exitum nisi per castrum patere; id veró tam arctâ obsidione cingendum esse, ut via omnis, nisi quæ per gladios cædesque fieret, obstruatur: aut igitur fame, aut gladiis, ipsi pereundum esse.* Verùm Betulopedes, extincto igne, partem pontis, qvæ austrum spectat, conservârunt. Inde Episcopus Nicolaus ad Helgisetrum conversus, Priorem cum canonicis, qvi ibi erant, sub minis incendendi monasterii, in militiæ suæ societatem coëgit, qvi mox omnes nave Episcopi recipiebantur: phalanx verò reliqva lemborũ, cùm nihil in urbem moliri posset, ad Backam delata est. Facturus autẽ Baglis copiam secum in Bratteyris decernendi Sverrir, ipse prius inde ad Smidiubudas recessit; Baglis verò accedere manumqꝫ conferere detrectantibus, globos in eos militum, jaculis hastisqve acerrimè incessentes, immisit. Bagli fortiter primò resistentes, mox cedebant, interqve fugiendum navis una vadis illisa pene in potestatem Betulopedum venerat, multo tamen sangvine cædeqve Baglorum liberata, tandem prono amne ad majores naves transfertur; qvò tunc qvoqꝫ reversi, qvi in urbem missi erant, ibi simul noctem transigebant.

Mane

Mane seqventis diei Hladhamras Bagli lembis advecti, locum, qvi urbem spectabat, occupârunt. Episcopus sinum Iluvikam ingressus, nave velocissima, qvæ Raudsida / seu *rubrum latus*, appellabatur, locum excensioni oportunum, si urbem denuò adoriri placeret, circumspiciebat. Rex verò, agnito eo, statim triremem Aunundi Ofridi per transversam planitiem jubet duci, confertamq; suorum multitudinem ducentibus, ne observarentur, prætexit; itaq; imissam demum undis triremem Nicolaus conspicatus, inclamat repentè suos, celeriqve remigiô fugere hortatur, pollicitus *se virides tunicas, vel rubras, singulis daturum, si insequentes illos diabolos, jam nimiùm furibundos, eluctarentur, videri tamen lembum locô haud dimoveri* præ timore qvestus, exsiliensqve è puppi in anteriora, tegmen capitis in undas præcipitatum amittit, iterumq; suos inclamat, *ut accelerarent remigium; se enim esse, quem persequentes præ omnibus peterent.* Et primo qvidem conamine, cùm jam convertenda navis esset, necdum in cursum concitata, ecce appropinqvabant Betulopedes: non autem erat adhortatione opus, singulos eodem metu ad effugiendum manus hostium stimulante. Jamq; Bagli, qvi ex altera erant parte, periculum Episcopi sui spectantes, pluribus lembis in auxilium ejus contenderunt, interq; eum & perseqventem Aunundum inferre se medios gestientes averterunt, tandem ultrò se retrahentem, ne circumventus à multitudine reditu intercluderetur. Elapso itaq; Episcopo, Aunundus tegmen capitis illius domum secum in argumentum rei ac memoriam retulit. Et jam aqvilo carbasa acriùs inflabat, qvàm ut majores Baglorum naves, illi prætertim aperto loco expositæ, in ista statione diuturnam vim ejus sustinere possent. Id prospiciens Sverrer, octo eqvos in ulteriorem ripam amnis transportat; qvibus ascensis, superiori via supra Hladas vectus in hostes nihil tale exspectantes, sed anchoralia securè in litore figentes, incidit, novemqve eorū occisis, alios in undas, in cymbas alios propellit; & hi qvidem, remis concitatis, classem summa celeritate petunt, in anchoris longiùs à litore consistentem, incisisq; mox anchoralibus, velisq; sublatis, sub Raudabiargas navigant; ubi non ultra biduum substiterunt.

Interea Sverrer in Orkadalum Eyolfum Aplinum, & Bialfum Skinnstackum cum militum turmis aliqvot misit; qvò cùm tertio die Bagli advenirent, classem ad Roabiargas applicârunt. Vix autem litori pontes injecerant Bagli, cùm rura populabundi pervagantes, cibum, & qvæ alicujus pretii erant, rapuerunt. Sed Betulopédes ad prædium Holtarbœ in insidiis locati, multos eorum ibi, subjectisqve in campis viâqve ad flumen Orkam ferente, occiderunt; reliqvi igitur trepidâ fugâ naves petebant alii fluvium pervadebant: multi qvoq; eodem absorpti perierunt: non paucis ad æstiva hinc inde in agris trucidatis. Inde Populationes cessabant. Ubi Betulopedes in præsidiis dispositos Bagli suâ jam clade cognovissent, armenta tamen ovesq; & id genus alia, qvæ direpta auferre secum potuerunt, ad litora acta mactârunt. Unum saltem ex Betulopedibus ceperunt; qvi cum se non Betulopedem, sed ex militum conscriptorum numero esse, professus esset, pede altero truncatus est. Septem postea ibi dies, sed absqve direptionibus, transacti. Inde ad Holmam conversi Bagli, nec in itinere jam urbem infestare ausi, per Asfiordum Hindeyas petiverunt, ibiqve noctes aliqvot exegerunt. Et jam naves Regiæ tabulis tectæ consurgebant, interiore nondum structurâ perfectâ: placuit tamen eas in mare propelli, cùm primùm oneri hominum ferendo idoneæ essent, ne scilicet rimis fatiscerent, atqve sic omnibus properatis remex milesq; imponitur.

CAP XIX.
SVERRER CLASSEM URBE EDUCIT, EJUS AD MILITES ORATIO, CUM HOSTIBUS NAVALIS PUGNA, EORUM FUGA, REGIS VICTORIA. PÆNÆ DE HALOGIENSIBUS, QVI BAGLOS SECUTI ERANT, SUMTÆ.

POstridie festum Botolfi, (qvod tunc qvidem in qvintam feriam hebdomadis incidisse, istius anni litera Dominicalis C. indicat) Sverrer summo mane classe flumine eductâ, ipse prætoriâ cæteras ante cedens, ut portu exiisse omnes vidit, datô tubâ signô, circa suam collegit, supraq; foros consistens, ut dictis attenderent, postulavit. Mox hac eos oratione allocutus fertur. *Magna hìc qvidem hominum vis congregata, qvorum tamen nemo, qvi nobiscum exierit, de reditu certus est; enimverò periculum idem omnibus, si ad certamen res venerit, instat; qvare & singulis, ut sibi eâ, qvâ par est, virtute prospiciant, convenit; primùm verò omnium Deus propitiandus, editâ coram sacerdotibus peccatorum confessione, mediisque salutaribus ritè adhibitis, si qvis eorum usum diutius intermiserit; inde, tempore qvantumvis matutino, corpora cibô reficienda, potioneqve mediocri animi accendendi. Ordine verò æqvatô, distincti tamen intervallis, adnavigabimus, jactum teli, aut etiam paulò plus, invicem distantes, ut si hostes fortè, (qvanqvam aliud jam verbis jactant) congressum diffugiant, nos tamen, ampliore spatio diffusos, evitare neqveant; singulas autem longas naves lembus seqvatur.*

Hora erat nona antemeridiana, ventisq; leniter spirantibus cœlum favebat, tantâ serenitate, ut vix vexillum ab aura commoveretur, cùm Betulopedes sinum ingressi majori celeritate, qvàm exspectaverant Bagli, procedebant, ipsis navibus ad celeritatem qvam maximè factis, recèns nimirum pice illitis, nec ullo præterqvam hominum onere gravatis; qvô industria remigum insigniter juvabatur. Ipse Sverrer lembo unico à cæteris paullò digressus, ut itinera hostium exploraret, à rustico qvodam in ripa incedente fit certior, ad Horn (sive id nomen loci sit, sive angulum sinûs denotet) universam classem Baglorum consistere, qvi idem votis felicibus Regem discedentem proseqvitur. Rex igitur ad suos reversus, viam, qvâ navibus pergendum, monstrat. Mox in medium sinum provecti, improvisò conspiciuntur Baglis: qvorum præcipuis, Episcopo scilicet Sigurdo Comitis filio, & Hreidari, placuit congressum declinare, sinuqve egredi; neqve enim Regem grandioribus illis navibus se, si fugam maturarent, asseqvi posse: Hallvardo contrà de Saftadis & Philippo de Vegine conflictum præferentibus. Sed prævaluit Episcopi authoritas, qvi mutatâ nave Raudsidam conscendit, Sigurdo & Hreidare lembis longiores naves præcedentibus. His conspectis Betulopedes cursum in occidentem Tautram versus, (hodie Toteroen) dirigebant, celeriusqve seqvebantur, qvàm fugere Bagli poterant, ita ut intra promontorium Munbarnes vix teli jactu utraqve classis distaret. Hic Betulopedes, inhibitis remis, loricas assumebant, rati à Baglis se mox invadendos esse; ut verò eos, pugnam detrectantes, egressum moliri spectârunt, veriti ne suum in urbem accessum prævertentes in cives pro lubitu grassarentur, validò

validò remorum ductu naves agitârunt ; qvæ volucrum in modum per sinum raptæ facilè Baglos asseqvebantur , qvorum naves , præter ponderâ commeatuum , spoliorumqve magnam vim , limus & uligo , qvæ per universam hyemem contracta eos obsidebant , tardiores efficiebant. Videns autem Hallvardus de Sastadis universam Baglorum classem fugiendo in magno versari periculo , procurrens in puppim hortatur suos , *navem suam in primas hostium dirigant , totisqve viribus invadant , & vastent subseqventes.* Verùm cùm naves Baglorum convertendæ essent , minores qvidem parvo negotio versæ , majores verò pigriores , gubernatoribus haut facilè paruerunt. Prima in classe Betulopedum Regia navis erat , Hugro seu æqvanimitas appellata , jactu teli à cæteris dissita. Ognarbrandum Petrus Steypir & Eyvindus , presbyteri affinis dictus , ducebant. Hacon filius Regis Providentiam habuit, eamqve in tota classe extremam, utpote à milite minùs instructam ; Comes Philippus Adjutorium. Hallvardi autem navis Skalpi, seu Vaginæ, nomen gessisse legitur, cui jam regia navis tam prope concurrebat , ut è puppi jaculis impeteretur. Igitur gubernatorem suum Thordum Finngeiris fratrem Rex affatus ; *videsne* , inqvit , *Hallvardi navem ? Qvidni videam , Domine ?* respondit. *In eo* , ait Rex , *honoris tui fortunæqve jam cardo vertitur , ut eam hodie expugnes : neqve id nobis nimium , si virtute tuâ illam oppugnaverimus. Haud qvidem nimium imperas, Domine* , respondit Thordus : *fata eventum dispensabunt.* Jamq; navis Regia in sinistrum Hallvardinæ latus provecta , qvò minus jungeretur , ab interjecto Eirici de Ha lembo prohibebatur. Navis qvoq; Comitis Philippi paulò post succedens , dum propero cursu Hallvardinam prætervehi nititur , in ipsa conversione impulsa in eam sistitur. Proretæ itaq; injecto harpagone eminens è prora tinctumq; colore variô caput, insigne navigii ornamentum , abripiunt. Et jam Comitis navis in dexterum latus antliam usq; porrecta , sociam Regi operam præstabat ; mox deinde ex cæteris una post alteram , prout concurrere poterant , accedebant , omnes è proris in hostiles pugnantes. Sex tamen majores Baglorum naves cominus congredi non audebant , metu, ne circumvenirentur ; sed nec elabendi iis ullus apparebat locus. Ognarbrandus initiô pugnæ in aciem non prodierat , nec jam præ longitudine facilè applicari poterat , qvamvis ab utroq; latere remiges , hinc rectô , illinc inversô remigiô anniterentur. Sed nec lembi Baglorum eam aggredi ausi , ne sic forte connexi in pugnam pertraherentur : procul igitur ab illa se continentes alias infestabant , nec , qvoad prælium duravit , à mittendis jaculis desistebant. Anteqvam pugna inciperet , edixerat Rex , ne cuiqvam hostium parceretur ; *neqve enim illos , in perniciem suam suorumqve obstinatos , expertamq; toties clementiam ludibrio habentes , nisi gladiô & cæde deleri posse : cum fædifragis & perjuris , Regisqve sui proditoribus , rem esse ; tot scelera hodie vindicanda* : jussitq; *revocari animos ad memoriam superioris anni , ad qvam se tum famem obsessos adegissent ; attamen, qvos fortuna sibi supplices obtulerit , iis se tantùm parsurum.*

Inter hæc navis , qvam Episcopus priùs habuerat , æstu maris inter distractas naves dilapsa terram petiit , fugâqve reliqvarum omnium deserta patuit occupantibus. Rex Sverrer & Comes Philippus ex ferreo arcu in hostes jaculabantur , sauciatusq; Comes cubitu subter loricam, telum è vulnere extrahere usqve in vesperam distulit. Raudsidam navem Episcopus Rexq; Baglorum insidentes, procul eventum pugnæ spectabant; qvem Betulopedibus propitiorem animadvertentes , qvàm celerrimè sese

ex ſinu proripiebant. Interea Sverrer Comesq; in Hallvardi navem, propugnatoribus magnâ ex parte nudatam, tranſcendunt, Hallvardumq; ipſum à puppi in mediam navem poſt malum reſilientem occidunt; occiſus & vir qvidam formâ inſigni, caſſide & loricâ ſegmentata, utrâqve Gothicâ, conſpicuus, qvi principiô pugnæ per naſum vulnus grave acceperat; jam verò, nave propemodum vaſtatâ, ſupra fulcrum mali, tignum nimirum editiorem, aſcendens, ab Askele ſatellite Regio, virô forti, lorica ſolidâ (Spangabrynju) tecto, jaculis impetitur; nec ei tum arma præter clypeum, unicumq;, qvem tenebat manu, lapidem, reliqva erant, cum Askeli gladius clypeusq; præter aliam corporis armaturam ſupereſſent. Verùm cùm Askell ictum, qvem alteri intentabat, à ſcopo aberrans, fortiter columnæ impegiſſet, ita ut gladius altè infigeretur, in eo extrahendo occupatum Baglus ictu lapidis è tigno violentiùs dejicit, multiq; hinc in admirationem virtutis rapti fortem eum virum pronunciabant, procul dubio operam ſtrenuam navaturum, ſi in ſocietatem Betulopedum aſciſceretur; dignumq; omninò, cui parcendum eſſet. At Rex memor edicti ſui tantisper ſe hæc audire diſſimulabat, donec acutô ſtipite percuſſus in navem Baglus corrueret, Tum verò exſurgens Askell ſecuri eum feriens trucidabat; ipſe qvoqve gravi vulnere ſauciatus. Vaſtatâ penitus nave Hallvardi, impetus cædesq; in qvinqve reliqvas translatæ Tum verò Bagli, citatâ fugâ, alii litora, alii leviores naves qværendo, ſinu exire nitebantur, nec fugientes longè perſeqvebantur Betulopedes. Tantùm naves, qvæ ad litora à nautis deſertæ ſtabant, ut & eos, qvæ malè habitæ terram petebant, intercipiebant. Prælium hoc pari animorum virtute geſtum in ſinu Strindenſi, ante meridiem cæptum, usqve in horam ſextam pomeridianam extractum eſt.

Inde Betulopedes urbem petunt, ubi cum deprehenſum eſſet, tribunos qvosdam propinqvis ſuis & amicis pepercisse; alii mandata Regis magis penſi habentes, domum, ubi occultati erant, ingreſſi occiderunt eos. Id cùm tribuni, qvi pepercerant, apud Regem, ut iniqvè factum accuſarent, jusſi ſunt inqvirere, an & qvisqvam eorum, qvi neceſſarios ipſorum occiderant, ſuis pepercisset; id ſi feciſſe deprehenderentur, etiam his eorum propinqvos impunè occidere licere. Inde ſingulæ cohortes urbem pervagantes, alter in alterius conſangvineos liberè ſæviebant, donec omnes deleti ſunt. Seqvente die conventu in Eyris celebrato, Rex modum diviſionis prædæ edictô præſcripſit, univerſamq; in cæmiterium ædis S.Pauli exponi juſſit, promittens ſe fideles cuſtodes appoſiturum. Deinde partem exercitûs in Halogiam miſit, ad retrahendos eos, qvi è partibus Baglorum, pugnâ deſertâ, domos ſuas ſeſe receperant. Capti ibi Biarnius Maurdi filius & Bryniolfus de Miolax, multiq; alii nobiles viri, prædiaq; eorum à Betulopedibus direpta.

CAP. XX.

COMES PHILIPPUS PRESBYTERI NIDAROSIENSIS UXOREM IN AMOREM SUUM PELLICIT. SVERRER BAGLOS IN DANIAM FUGAT, ET IN VIKAM REDIT. BAGLI EO EX IMPROVISO INFUSI, COMITEM PHILIPPUM OCCIDUNT: NIDAROSIAM OCCUPANT. EORUM CUM BETULOPEDIBUS CONFLICTUS.

Degebat

DEgebat Nidarosiæ presbyter qvidam, nomine Erlendus, vir, ut vulgò habebatur, divinus & futurorum ſciens. Erat hic ædis ſacræ crucis miniſter, cui & bona ſua omnia legaverat; uxoremqve habebat, nomine Ingibiorgem, formâ ſingulari, ætate florenti juvenem: qvam Comes Philippus deperiens facilè in obſeqvium ſui traxit. Id cùm maritum non lateret, rivalis impatiens, ſeriò primùm rogabat Comitem, ut eâ in poſterum abſtineret; qvod cum Comes promitteret, nec ſeciùs mulierem adire perſeveraret, irritatus contumeliâ Erlendus, non modò in Comitem, ſed & in Regem Sverrerem iras concepit ingentes, inſidiandiqꝫ locum & occaſionem qvæſivit. Sæpius qvoqve hic ipſe in cauſa Archiepiſcopi Regem antea exercuerat. Verùm Rex interea, profligatis Baglis, ſummâ feſtinatione omnia ad perſvadendum eos apparans, primùm in Vikam, inde in Daniam, ad Leseyram usqve eos inſecutus eſt; ibi cognitô eos Jutiam petiviſſe, in Vikam curſum retrò flexit; ubi transactâ æſtate cives proditionis & perduellionis poſtulatos pecuniâ multavit. Osleyæ autem hyematurus, freqvens eò ſatellitium traduci, omniaqꝫ, qvæ ad ſubſidia vitæ reqvirebantur, inferri curavit. Hôc verò autumnô, qvem Osleyæ Rex exegit, arceſſitâ Nidaroſiâ presbyteri uxor à Comite in contubernium recepta eſt; ſed cum, invito & repugnante Rege, intra tecta urbis admitti neqviret, Comes ei in propinqva villa Akro hoſpitium procuravit, qvò & ipſe per noctes eqvo vectus occultè cum ea conſvevit, Rege ſæpiùs temeritatem ejus reprehendente, nec præſagium diſſimulante, qvô augurabatur, minimè jucundo exitu conſvetudinem inhoneſtam terminandam, magnoqve eorum damno aliqvando conſtituram.

Poſt initia feſti Natalitiorum Bagli ê Dania lembis Norvegiam repetentes, poſtqvam in itinere navem unam cum vectoribus omnibus, gubernatoreqꝫ Auduno Bileſto, amiſiſſent, Osleyam delati, qvindecim lembis ſinum intrant, duce Rege ipſorum deſignato, & Hreidare Nuncio; qvi, ut Hofudeyam tenuerunt, mandat, *ut qvàm minimo ſtrepitu ad pontes undecim lembos ducant, aggrediantur qve incautos Betulopedes; idem Sverrerem facturum, ſi ipſorum loco eſſet: ſe enim certum eſſe, nullam jam de adventu ſuo famam præceſſiſſe.* Qvinqve inde ad prædium Akrum liburnas ablegat, ad Comitem Philippum comprehendendum, qvem ibi cum paucis pernoctare perceperat. Qvi ad urbem miſſi erant, pontes ſubeuntes, licèt qvieta ibi cuncta, hominesqꝫ altô velut ſomnô oppreſſos deprehenderent, tamen aggredi dubitantes ad ſuos redierunt. Qvi verò ad Comitem inveſtigandum miſſi ſunt, aſcendentes ad ædes villæ adeò inopinatò ſupervenerunt, ut prius eas undiqve circumſediſſent, qvàm is periculum ſentiret. Experrectus tandem & per cryptam elapſus, nudis pedibus lineisqꝫ veſtibus interioribus tantùm indutus, per pruinas, qvæ in terram nullo gelu conſtrictam deciderant, curſum velocisſimè rapiens, ab iis, qvi in culmine tecti excubabant, obſcurè ſatis conſpicitur, qvi ſuis, ut eum perſeqvantur, mandant; pernicitate pedum nemini qvidem ſecundus. Tum verò offenſo gradu collapſus ab inſeqventibus ſagittâ, in ſepimento qvodam non procul ab urbe, lethaliter vulneratur; cæſi & duo comitum ejus; tertius verò, qvi ſupererat, nomine Eiricus Snagius, in urbem evaſit, Regiamqve ingreſſus, intercluſâ præ laſſitudine voce, ejulatu ſolo, qvem edidit, rem triſtem magniqꝫ momenti afferre

 viſus,

visus, tandem, ut exsurgerent, vociferabatur. Omnium primus Rex assumtâ veste in aream descendens, qvid afferret? qværit. Cæsum Comitem telis Baglorum cùm retulisset; *& qvidem*, ait Rex, *nimis hoc prope nos factum.* (Putabat enim in urbe Comitem in hospitio suo pernoctâsse, Baglosqꝫ jam urbem invasisse.) Excitati inde per tibicinem ejusdem hospitii sodales: mox universi, qvi in urbe erant, satellites, militesqve omnes, qvod reliqvum erat noctis armati vigiliis extraxerunt. Hæc nocte, qvæ undecimam festi natalitii Christi feriam præcessit, gesta sunt.

Bagli inde digressi, cùm sinu classem iterum eduxissent, in aqvilonem Bergas usqve navigant. At mox omnibus inexspectati Nidarosiam veniunt, ubi ab iis Hallvardus Skignius, seu lynceus, Archiepiscopi Guttormi frater, cum omni suo præsidio deletus est, Bagliqꝫ numerô circiter septingenti urbem à Betulopedibus vacuam occupârunt. At non diu post, cunctis glacie geluqꝫ rigentibus, præfecti Sverreris cum provincialibus mille trecentis in eos movent, ducibus à parte Gaulardalensium Dyrio de Gymsis; Orkadalensium, Eyolfo Aplii filio. Nec Bagli adventum eorum sentiebant, priusqvam urbi jam pænè imminerent; castro itaqve repentè occupato, ingressu eos arcent: pridie tamen glacie à castro ad pontem concisâ iter navibus præstruxerant. Itaqꝫ jaculis eô die ultrò citroqꝫ certatum, multis utrinqve, & inter hos Philippô de Veggis, vulneratis. Tandem Regii re infectâ ad sua redierunt. Cùm verò collecti iterum eos aggressuri essent, ut supra Steinbiargas conspecti sunt, Bagli viribus diffisi, nec ultra exspectandos rati, in Sunn-Mæriam Borgundam usqve, alii Nord-Mæriæ Thingvöllum concesserunt; ibiqve totum tempus ad posteriores Paschatis ferias latuerunt.

CAP. XXI.

VIKENSIUM CONTRA REGEM CONJURATIO. SEPTEM CUM RUSTICIS GESTA PRÆLIA, ET SINGULORUM EVENTUS. REGIS VICTORIA, ET IN VICTOS CLEMENTIA.

Eâdem, qvâ hæc gesta sunt, hyeme Sverrer, Thrandensibus ex militia sua dimissis, exercitum reparaturus, ex singulis provinciarum Vikensium villis militem unum bovemqve & libram exegit; id qvod magnorum postea tumultuum cladisqve origo extitit. A Vikensibus enim Osleyæ in æde S. Hallvardi in Regem conjuratum est. Inde omnis agrestium turba, liberi simul ac servi, ex universa Raumarikia ad præstitutum diem exciti infesta acceperunt arma; occisis priùs Regiis singularum provinciarum præfectis, anteqvam de conspiratione sciri aliqvid vel cognosci prævia famâ poterat. Authores funesti consilii Simon de Thusa, supremus provinciæ judex, Amundius Burst de Grettirsvika, Hallkell de Angria, maximè ob insveta onera & exactionis rigiorem exacerbati. Die Mercurii, qvi proximus à die Cinerum erat, Benedictus præfectus Tunsbergensis cum universa sua cohorte cæsus est; Olafus qvoqve Smiorbakus cum suis cohortibus, Petrus frater Lucæ de Aumde cum viginti satellitibus. Qvô qvisqve constitutus erat loco, illicò occisus, dispositaqve per-

omnes

omnes vias, qvæ ad urbem ferebant, custodiæ, ne qvis rumor perpetrata vel destinata eò deferret. Tandem feriâ sextâ incerta de armatis rusticis fama ad Regem delata vix fidem invenit: missæ tamen cohortes, qvæ explorarent, an et conscriptus nuper è provinciis miles præstò esset, compertumq́; universos è proximis præfecturis dilapsos. Itaq́; publicatô edictô convocati, cùm neqve feria septima, nec seqventi Dominica, comparerent, agrestium unus ad Regem profectus indicavit, instare armatas colonorum acies, in proximam noctem, vel posteri diei mane, exspectandas, ingentiaq́; eorum agmina visa sibi. His cognitis Rex milites cívesqve omnes, nec non peregrinos mercatores, in curiam evocat, monstratoq́; periculo, qvod urbi iisq́; pariter ac sibi immineret, secuturâq́; inde omnium jacturâ, si rustici prævalerent, auxilia eorum implorat.

Omnibus hic eandem necessitatem agnoscentibus, res omnes & bona, qvæ moveri poterant, in sacras ædes congesta. Rex qvo qvot ex omni genere hominum hìc erant, in cohortes ordinatos cænare deinde jubet, moxqve omnes simul ad signum tubâ datum redire, eqvitum verò custodiam itinera cuncta viasq; insidere. Serô vespere universa acies jam iterum evocata conveniebat, qvæ ab urbe ad insulam Hòfudeyam continuâ serie (nam glacies tunc urbem jungebat insulæ) extendebatur; ad hortum deinde regium ista nox exacta. Mediâ verò nocte Rex paucis comitatus ad Salangrum eqvô vectus, relictisqve in crepidine eqvis, pedes ad aqvas progressus, consilia rusticorum, qvorum tunc multæ cohortes in glaciem confluxerant, clam ignotus omnibus explorabat; qvibus perceptis, ad suos revertebatur. Inde per glaciem extra hortum ad naves procedens, post aliqvam ibi moram sub primam lucem ad exercitum rediit: qvem tum Sveldam inter & continentem constitutum ita ex eqvo allocutus est. *Semper qvidem Dei omnipotentis præsidio indigemus; jam verò inprimis præsens periculum, ut piis id precibus imploremus, exigit; conspirant enim in nos congregati Telamarchiæ Markarumqve incolæ, qvos tamen recessisse jam ab injustis armis speramus.* Qværit deinde, *num copiæ, qvas conspicerent, suæ omnes essent?* ubi responsum, universas rusticorum esse: *Naves*, inqvit, *primùm nobis custodiendæ, ordinandiqve deinde, qvi glaciem excidant.* Hæc dicenti relatum est, copias ingentes ab oriente per Langamosam profectas, Ryginabergam petere, eas verò Skeynos & Eynos, Foldungosqve & Hegnos esse. *Mutandum igitur consilium*, ait, adqve cives conversus, locô, qvô tam ab iis qvàm suis audiretur, verba ad eos faciens: *Ex duobus*, inqvit, *unum eligendum, fuga aut pugna; rusticorum certè pacem frustra exorabimus: sed neqve ictus eorum pectoribus nostris, qvàm nostri eorum tergis, æqvè periculosi.* Omnibus se consiliis ejus imperioq́; permittentibus, interrogat cives urbanos, *seqvine an separari malint? veteri proverbio circumferri, amicos certos in re incerta cerni, nec meliùs qvàm in magnis periculis probari.* Illis, qvâ valerent industriâ, se ei militaturos promittentibus, aciem, qvam ad rupem Ryginabergam viderent, invadendam edicit, idqve priusqvam alii se ei jungant; nuper enim hos è Svinasunda & interjectis provinciis confluxisse. Mandat insuper, nulli suorum urbem repetere licere; viâ autem, qvæ ad aqvilonem cænobio sanctimonialium adjacet, in hostes contendendum; missusq; Paulus Beltius cum Uplandorum turmâ ligneis soleis instructâ, supra rupem orientem versus ad numerum rusticorum explorandum. Curvis, qvas diximus, soleis utentibus facilis superatu nix erat, cæteroqvin incedentibus perniciosa; nam extra viam abreptos hausit; jamq́; liqvidiore luce aperiente hostem,

hoſtem, ſpatium univerſum â Gillaraſe Fryſiam usq; , inde ad hortum Regium armatis inſeſſum apparuit. Hæc Paulus ad Regem ad Maurtuſtockas provectum rediens retulit. Copiis interea per vallem & inde ſupra rupem tendentibus, aliis qvidem per tritam plauſtris viam, aliis verò per ardua multô niſu reptantibus, ita ut pedum genuumq; jam idem uſus eſſet, agreſtium turba in rupem clamore incondito ruens, gæſis haſtisq; ſubeuntes obruit, ictusq; haud vanos inferendo vexat. Ii verò, qvi in occidentali rupis parte à dextera Betulopedum ſtabant, in latera clypeis nudata tela ingerentes, alios graviter vulnerabant, alios occidebant. Per anguſtam arduamqve ſemitam iter erat, ultra qvatuor aut qvinq; pedites ſimul procedentes haud capiens. Ibi vexillarius cæſus eſt, dejecto ſignô, qvod magno deinde periculo & labore inter tela vulneraq; & cædes tandem receptum eſt. Cumq; planities æqva; ubi firmo conſiſterent gradu, nusqvam appareret, urgerenturq; undiq; miſſilibus, fugam retrò maturabant. Iis autem, qvi altiùs erant provecti, ſimul cum ſuis atq; hoſtium telis, qvæ confertim dejiciebant, confligendum erat. In rupe Riginenſi ſeptemdecim omninò occubuerant; cùm ſuperveniens Rex increpitos primò, mox aptâ oratione confirmans: *Non eſt*, inqvit, *qvòd hâc clade tantopere moveamini. Sæpe talia in mari eveniunt, fabulantur phocam dixiſſe, cùm confixus telo altero orbaretur oculo. Reportârunt jam ruſtici illam victoriam, qvam fortuna illis deſtinaverat; nec eſt, qvòd ampliorem ſibi polliceantur; id enim mihi per qvietem monſtratum eſt. Videbar enim librum tenere adeò magnum, ut bonam regionis partem tegeret, foliis tamen omnibus, ruptâ compage, ſolutis, qvorum unum furto amisſum deſiderabatur; per illud, credo, folium clades hæc adumbratur. Ne timeatis ruſticos, qvibus multitudo ſua magis nocet qvàm prodeſt. Qvò plures ſunt, hoc plus dedecoris veſtrâ virtute accipient*

Poſthæc jubet collem parte aliâ ad orientem circumiri, donec mollioris aſcenſûs via inveniretur. Hôc conſiliô ducis ſui invictoq; labore & periculorum contemtu ſupra rupem provecti, ingentem illam turbam, qvà ab ſeptentrione in auſtrum proſpectus datur, tanqvam continuam qvandam ſylvam, conſpicantur. Sigurdum igitur Lavardum Rex, filiumq; alterum Haconem, cum vexillo cohorteq; ad Maurtuſtockas relictos, oppoſitosqve ruſticis, qvi rupem inſidebant, ne ſe à tergo invadant, prohibere jubet: ipſe cum ſuis ad pontem Fryſium verſus ſeptentrionem ſe locans, jaculis trans amnem conjectis eos laceſſit, viciſſimq; ab iis laceſſitur, cùm nec cominus aggrediendi poteſtas fieret; acceptis verò ultrò citroq; vulneribus, in glaciem ulteriùs progreſſus, convertit ſe ad Veſtfoldenſes, Thelamarkenſes, & Raumarikenſes, qvi cum toto exercitûs robore, receptis & iis, qvi ultra pontem ſtabant, eò acceſſerant. Major hic numerus viſus eſt, qvàm ut iniri, nedum vinci, poſſet. Cuidam deinde Satraparum Regis, nomine Alio, qværenti, aciesne in ordines dirigenda eſſet? Rex *ſe illum terreſtris prælii morem dudum ſuſtuliſſe* reſpondit: *inſultibus manipulatim faciendis rem agere, ita ut ſe, qvousqve poſſent, invehere, eodemqve modô recedere milites teneantur; nec ruſticos illorum ardori ſuſtinendo pares fore*: addens *ſæpe utiqve iniqvum caſum ſucceſſum demum optimum portendiſſe; eundem ſibi, acceptâ priùs clade, hodie affulſurum.* Jamq; claſſicum canere jubet, datâ teſſerâ S. Olafi his verbis. *Progredimini omnes Chriſti milites, crucis milites, & S. Olafi milites.* Sparſisq; ordinibus progrediendum pronunciat. Ipſe nigro eqvo inſidens, loricam induit, cui aliam ſegmentatam ſuperinduxit, qvam deinde pallio rubro

texit,

texit, amplam capite galeam Germanorum in morem gerens, subtus Bryntolla & Baniaraiusa / manu verò gladium gæsumq; tenebat. Ita armatus in primam aciem provectus adeò prope hostes accessit, ut pectore eqvi clypeos eorum premeret: qvem ab utroq; latere circumfusi Betulopedes tam acriter in rusticos fecerunt impetum, ut, qvi primi horum stabant, mox locum inter medios qværerent; tantusq; terror injectus est, cùm in nuda eorum latera Betulopedes telis incurrerent, ut dissolutis protinus ordinibus universa acies fugâ ad Regium hortum tenderet. Instabant Betulopedes, adq; terram eos, multis in glacie occisis, propellebant.

At eôdem tempore cives Tunsbergenses, cæteriq; maris accolæ, in sinum subeuntes. naves ad marginem glaciei appulerunt; turba ingens, armis vestibusq; superba, in qva multi civitatis Tunsbergensis patresfamilias & mercatores numerabantur. Hi, rati rusticos in acie dimicare, & ipsi conscensâ glacie jungere se illis gestientes properabant: in qvos Betulopedes, priore pugnâ haudqvaqvam lassati, velut recentes ac integri se inferebant. Ipse qvoqve Sverrer tubam crebrò inflari jubet, minatus eandem ipsis fortunam qvam rusticis exspectandam. Sed Tunsbergenses in unum locum se colligentes, auxilium eorum, qvi in horto erant, opperiebantur; verùm se ipsos vanâ spe frustrati pecudum more à Betulopedibus mactati magnis cadaverum cumulis glaciem contegebant. Inter fugiendum qvoqve, dum per glaciem ad naves tendunt, pars major cæsa, cùm inseqventes Betulopedes, qvi ferreos aculeos pedibus subnexos habebant, rudis calceis per lubricam humano sangvine glaciem evadere non possent. Multos ipse suâ manu Rex Sverrir trucidabat, tanto qvidem usus robore, ut unô plerosq; ictu transverberaret. Plurimi hic mercatores aliiq; honesti viri perierunt. Inter eos, qvi fugâ ad naves revertebantur, erant Svenus Sveitarskitus & Sigurdus Taglius. Alii ad socios Vestfoldenses in hortum effugerunt, ubi iterum sese colligebant. Circiter tribus hominum millibus copiæ Regis constabant: manipulus tantùm hominum respectu rusticorum, qvi vicies eas numerô superabant, censendæ; hinc qvoqve aciem instruere periculosum Regi visum, ne ab iis circumveniretur. Sed nec hostium acies hoc genere pugnæ ordines servare potuit, qvi insultibus mutuis jam succumbentes, jam vincentibus propiores, se invicem lacessebant Multis tamen in locis strenuè utrinq; dimicatum est. Merenturq; (ait author) qvæ solô hoc die gesta sunt, prolixum ac fidelem narratorem; sed qvæ sic modum libri excederent. Ea enim potissimùm hic memorantur, qvæ præsente Rege aut sub ejus vexillo inciderunt.

Stationes interea rusticorum, ut è Ryginaberga stragem eorum, qvi in glacie conciderunt, conspexêre, statim è rupe descendentes in auxilium eorum festinârunt. Verùm Sigurdus Lavardus & Hacon, Regis filii, qvingentis in universum militibus stipati, adversus bis mille & qvadringentos homines, ut eos à Rege averterent, in valle interjacente dimicabant; sed pulsi à multitudine, Lavardus rectà in urbem, indeq; in S. Hallvardi ædem, cum eqvis parteq; cohortium illatus, præsidium, qvod ab armis se impetraturum desperabat, à sancto sibi non dubitabat promittere. Hacon autem & Petrus Porcus cum agminibus illos secutis supra monasterium Sanctimonialium in glaciem ad Regem se convertebant. Sed nec agrestibus fugientes persequi cura aut consvetudo fuit: frui saltem victoriâ datâ placuit, instructaq; acie in urbem procedere; & cùm non esset, qvi resisteret, diversoria ordinant, ubi ad vesperam potent; inde ad naves Regias, qvæ tunc subductæ stabant, pergentes, an illas incenderent, deli-

deliberabant. Pervicit eorum ſententia, qvi disſvaſerunt, ne Regiæ opes prorſus corrumperentur. Ad monaſterium Sanctimonialium deinde verſi, aciem inſtruunt, eodem ferè tempore, qvo à profligatis Tunsbergenſibus Rex rediit: qvi ſtatim, conſpectâ eorum acie, ſuos iterum in eos incitat, iſtos eſſe affirmans, qvi mane hujus diei ſuos ceciderint, nec ſatiati eorum ſangvine ſe qvoqve jam qværant: rectà igitur ad ulciſcendam ſociorum cladem contendendum. His dictis Rex eos adortus haud eqvidem ignavos deprehendit; attamen nec diuturna dimicatio erat. Pulſi agreſtes, per aqvilonare urbis latus ad Valabergam pervaſerunt, perſeqvente Hacone, paſſimq; extrema cædente. At hi ipſa in fuga conſpicati non univerſum exercitum, ſed cohortes aliqvot ſibi à tergo inſtare, recolligunt ſe ocyùs, pugnamq; fortiter redintegrant. Rex Sverrer per anguſtias viarum ad Svartabudas templum S. Hallvardi prævectus, effuſum baſilicâ cum eqvitatu filium Lavardum vidit. Qvô conſpecto Rex: *Pardus*, inqvit, *non mutat maculas. Fruſtraberis tu ſpe ſuâ Betulopedes, ſi iis qvandoqve imperaturus es. Qvadrat eqvidem in te pöetæ illud; degeneras ab avis tuis, conſiliis factisqve qvondam fortibus. Et vos qvidem reliqvi qvàm diſpares eſtis prioribus illis Betulopedibus, qvi qvondam ſub meis ſignis contra Regem Magnum militarunt, qvorum ego præliis immiſceri indignus mihimet ipſi videbar, aliis hoc in me metum, aliis ſolertiam interpretantibus; verùm tamen tritum illud. meticuloſos juvenes raró ſtrenuos fore ſenes. Jam verò ſingulis in præliis primus ſum, & qvi me æqvant, meritò habentur præcipui: his ego gratiam qvoqve referam. Vos autem qvantò infirmiores iis eſtis, qvi hodie vicerunt? paſſi vos ſcilicet à ruſticis & paganis fugari. Reponite igitur iis, qvam accepiſtis, ignominiam: invadite, inqve fugam vertite.* Hæc elocutus, è cæmiterio provectus, ut multos templa oſculis honorantes conſpicit: *Et vos qvidem*, ait, *Betulopedes, devotione veteres meos longè ſuperatis, rari aliàs in ædibus ſacris, jam ſingulas, qvæ occurrunt, lambitis.* Per viam inde magno comitatu procedens multos agreſtium occidit; cùm conſpecti micantes in Valaberga mucrones eò Regem convertunt. Sed nec ibi ruſtici impetum ejus ſuſtinebant: alii enim, clypeis in terga conjectis, alii in terram abjectis, ſalutem â pedibus qværebant; alii viâ rectâ, alii in diverſa ſparſi periculum declinabant, tenuitq; per univerſum diem, ut qvoties à Regiis paulló acriùs impellerentur, toties aciem deſererent. Hinc maximum exercitûs robur diffugiebat, qvamvis & cæſorum numerus vix iniri poſſet; verè autem ſeqvente diſſolutâ glacie, fluitantium corporum ingentia agmina ſunt inventa.

Poſt pugnam Rex copias omnes ad Mortuſtockas ſigno evocat, conſidereq; ibi jubet, dum famulos in urbem mittat, qvi cibum potumq; ad ſe deferant. Multorum qvoqve vulnera tum obligata, interq; has curas tempus in horam diei tertiam extrahitur. Tum verò iterum in horto Akrenſi ingentem multitudinem conſpiciunt; qvæ jugi confluxu in ſingula momenta creſcebat. Erant autem iidem hi ruſtici, qvi nuper haud ex animi ſententia dimicaverant, jam verò aciem in ea horti parte, qvæ orienti obvertitur, juxta glaciem inſtaurant, conſultantq;, qvid potiſſimum rebus ſuis conducat? Multis domum redire placuit, nec adverſam fortunam ulterius periclitari; qvi verò ferociores animis erant, negabant tantam adhuc cladem acceptam, ut impares Betulopedibus videri poſſint, qvorum non minus multi occiſi, plures vulnerati, & jam vulneribus dolore intumeſcentibus ad pugnam inhabiles; ſed inprimis; cur manus à Rege abſtinuerint, cùm is prope in eas ſe ipſe ingeſſiſſet, invicem expoſtulant; neq;

neq; enim optatam adeò occasionem aliàs facilè se oblaturam; certè, si adhuc semel tam incautum se objiciendo patientiam eorum tentet, haudqvaqvam evasurum. Qvod si jam domos suas hâc clade mulctati repetant, in perpetuum sibi Betulopedibus serviendum. His se invicem adhortantes, animosq; accendentes, fidem in hoc dant sibi invicem, atq; accipiunt, ut Betulopedibus conjunctîs resistant viribus, nec unus alterius latus deserat. Ita exsurgentes ordine, qvi pugnent, qvi pugnantes protegant, qvi arcus gerant, sagittas telaq; excutiant, aciem magnâ alacritate instruunt. His visis Rex obstinatos invadi ardore qvàm maximo jubet, resonantibusq; tubis in glaciem progreditur; sed hi firmis vestigiis insistentes confertam adeò & stabilem aciem reddiderunt, ut impelli ab occursantibus, & ne ab ipso qvidem Rege, qvi multis locis incursabat, neqviret. Agnoverunt tum qvidem rustici Regem, sæpius se periculis objectantem. Alter igitur alterum instigat, ut occidant, feriant, pungant, eqvum transfigant: nemo tamen violentas ei manus inferre sustinet. Procedente verò paullò certamine, demum turbatâ acie, ordines deseruntur, qvamvis clypei Betulopedum tileacei gæsis transverberati corpora parum protegerent. Et jam subactam calcibus nivem, locum stationis rusticorum, insistentes Regii, vinculum tandem fæderis, qvo illi se invicem nuper obligaverant, reciderunt; nam illicò in diversa sparsi, non modò unus alium deserebat, sed qvò qvemq; metus & trepidatio rapiebat, eò per vias deviaq; ferebatur.

Interim fugientium qvidam Alium Hallvardi filium inter vepreta cum paucis constitutum offendunt, ferroq; in caput penes aurem adacto protinus occidunt; sed qvod veste armisq; Sverreri esset simillimus, ipsum occidisse rati, multo clamore, monstratis armis, occisum Regem vociferantur. Qvô auditô, Betulopedes langvere cæperunt, animiq; rusticis augeri, qvi hac occasione se iterum statim collegerunt. At Rex crebrò tubæ cantu inseqvens, audacterq; in aciem provectus, animos suis addit, agrestibus verò demit: qvi falso habitu delusos se animadvertentes, utcunq; tamen aliqvantisper resistebant. Sed Betulopedes, prælatô signô Regiô, transilientes vepreta pone rupem qvandam in ingentem vim agrestium incidunt; ubi prælium recrudescit, auctaq; confluxu accedentium utraq; acies intrepidè dimicat. Post longum deniq; acremq; conflictum rustici pedem referunt, mox in fugam conjecti magnâ cæde à perseqventibus in noctem usq; sternuntur.

Et hoc locô inprimis memorandum duximus, qvòd cum nihil in gestis Regis Sverreris occurrat non laudabile, clementia tamen ejus & moderatio præcipuam admirationem mereantur. Nam qvantumvis lacessitus, supplicibus tamen inimicis semper pepercit. Idem etiam hôc præliô fecisse memoratur. Erat inter multos Thorfinnus Cæcus, unus rusticorum, qvi ter eodem die captus, totiesq; vitâ donatus dimissusq;, toties tamen ad rusticos relapsus, cum qvartâ vice caperetur, tandem ut inemendabilis capite plexus est. Eodem vespere Rex in urbem rediit, dispositis priùs nocturnis undiq; circa vias excubiis. Postridie celebri foro gratias civibus urbis ob latum auxilium, suis ob strenuam operam, egit, disertâq; oratione rebellium exitum, allatis ex omni ævo exemplis, adumbravit. Nec minore facundiâ fidem constantiamq; & obseqvium subditorum illustravit, addens, vix unqvam simile adversus tantam multitudinem prælium à tanta paucitate gestum esse. Septies eodem die cum rusticis manum conseruisse Annales referunt. Mandat deinde glaciem excidi, fos-

 sasq;

ſasqve fruſtis excuſſis purgari, operas ità diſpenſando, ut orgyiam unam in longitudinem, qvatuor in latitudinem, ſingulis qvatuor viris aſſignaret, funeqve foſſas menſus ſpatium radio delinearet. Adhibiti operi milites, nec non cives urbis & mercatores peregrini; paucisqve diebus adeo qvidem proceſſit, ut claſſe commodè deductâ ſinu excederent, curſuq; per Septentrionalia Vikæ directô, pridie Paſchatis ſub veſperam Bergas advenirent. Et hic qvidem iterum adventus ejus civibus omnibus acceptiſſimus fuit, maximè ob metum Baglorum, qvos magnâ feſtinatione ad urbem tendere fama, ſed obſcura adhuc, vulgaverat.

CAP. XXII.

BAGLI BERGAS FUGIENTES RUSTICIS SE CONJUNGUNT. REGIS CUM IIS CONFLICTUS ET VICTORIA. INCENSÆ RUSTICORUM VILLÆ. BAGLI ITERUM FUGATI.

Ipſo Paſchatis Feſto, orto recèns Sole, cuſtodes Baglorum lembos conſpiciunt per aqvilonare Hegraneſiæ latus ad urbem tendentes. Statim itaq; tubarum clangore exercitu excitato, qvæ vidiſſent, nunciant. Illi remotis ſubitò tentoriis ad excipiendos eos ſe præparant; monentur autem â Rege, ne impetum nimis præcipitarent, paterentur potius Baglos priùs cominus accedere. Sed & hi malis Regiarum navium decepti, cum altiores viderent, onerarias putabant eſſe: verum cùm propius acceſsiſſent, conſpectis Betulopedibus ſingulis ad remos conſidentibus, re inopinatâ territi, ſummâ cum feſtinatione ſinu egredi nituntur; nec ſegnius Betulopedes remòs torſerunt, nam incurrentes in duos Baglorum lembos utrumq; evertunt; cumqve reliqvi fugâ elabi deſperarent, Grafdalum petentes in terram ſubitò exſcendunt. Rex Ingius & Hreydar Nuncius Gygisvikam tendunt. Protinus ergo Betulopedes naves occupant, multosq; adhuc in eis relictos cædunt; dum principes Baglorum, collectis reliqviis, elapſi, in Vikam ſe recipiunt, alacriter ibi ab incolis excepti; qvos præter vetera ſtudia, jam qvoqve novæ calamitates ſociârunt. Sverrer verò ex ſingulis provinciis, impenſis ad expeditionem militibusq; collectis, multis magnisqve navibus, qvarum qvæ magnitudine præcellebat; Hoſdabuſſa nomine, in prætoriam lecta, eodem vere in Vikam regreditur. Tunsbergam delatus, Hreidarem cum multis cohortibus in præſidio locatum, apud Veſtfoldenſes duo caſtella erexiſſe videt, unum in aqvilonari rupis parte, alterum in auſtrali, ſupra viam, qvæ ad urbem ducit. Qvo conſpecto; *qvantum*, inqvit, *vos hodie rupes hæc delectat, tantum illius aliqvando tædebit, Bagli.* In orientem deinde cum claſſe procedens ubiqve exſcenſione prohibetur; congregati qvippe omnes, ducibus Sigurdo Comitis filio, Hallvardo Brattio & Lodino Pauli filio, multisq; aliis tribunis, non modò continente arcent, ſed qvocunqve etiam loco datâ occaſione Betulopedes infeſtant. Nihilominus Rex Konghellam usq; provehitur, ibiqve comitia indicit; qvod verò tractus illius incolæ nullius ſibi in eum gravioris delicti conſcii eſſent, nec ſeditioni Osleyenſi ſocios ſe adjunxisſent, inſtructiorqve â copiis Rex eſſet, qvam

qvàm ſibi, ſi opponerent ſe mandatis, conduceret, ad conventum veniunt. Ibi Rex impenſas in expeditionem & pro ſingulis militibus pecuniam (Leidagiald) exigit, multa cum iis præterea de ſtatu rerum collocutus. Illi qvidem in omnia, cum nulla excuſationis facultas daretur, facilè conſentiebant. Ab incolis deinde inſulæ Thorſt idem poſtulatum; eqvi præterea ad vecturam, &, qvi reducerent, famuli, nec tamen illa pro imperio, exacta: gratias enim ſe habiturum Rex profeſſus eſt, ſi alacriter rogata facerent: ſin minus, neceſſitatem tamen id & communem utilitatem exigere. Et omnia qvidem, qvæ imperabantur, ſunt data. Eorum exemplo inſulæ Thorn aliarumq; habitatores idem præſtiterunt. Hinc claſſe Rex in ſeptentrionem per Vikam progreſſus, ſparſos per omnia litora incolas conſpicatur. Ad Slettaneſiam delatus, ſeceſſum prope Marſtrandam, ut qvidem oſtendunt ſeqventia, (nam nomen loci in Membranâ deſideratur) qværit Ubi qvoqve Baglorum turmæ præſidio ruſticis advocatæ; ſed neq; Rex ibi exſcenſionem facere tentabat. Bagli verò, congregatis ad ſe ruſticis, in templo Forſenſi, qvid conſilii caperent, deliberabant. Placuit ruſticis Regem protinus invadi, aliàs haud dubiè habitationes eorum incenſurum. Omnes igitur ſub ſigno Sigurdi ad conſilium exeqvendum pergunt. Rex horum qvidem ignarus, cohortes tamen absq; mora in terram eduxit, ſe aut ruſticos, aut Baglos, prout occaſio detur, adorturum dicens: nimio ſe labore provincias eorum permenſum eſſe, nec reditus aut debitum officium eos reddidiſſe. Tum diviſis copiis, minore parte ad naves relictâ, majorem eqvis impoſuit, qvoad eqvi ſuppeterent, reliqvi peditum agmen faciebant. Verùm per vacuas tantum domos iter ubiq; erat, exportatis per ruſticos omnibus, qvæ alicujus erant pretii. Igitur horâ â meridie tertiâ, Rex rupe qvâdam aſcenſâ, rura incendi juſſit, cum paulo poſt indicaretur, adeſſe inſtructas agreſtium copias. Ad eum rumorem, dato ſigno, in vallem ad ſeptentrionem, ubi cohortes Betulopedum ſtabant, ſe convertit; qvo viſo, coloni arma ſumunt, conveniuntq; in loco, qvem hinc præcipitium, illinc rivus lutulentus, terminabat, qvemq; agri deinde qvidam excipiebant. Rex nihil cunctatus in eos invehitur, inq; milites Sigurdi Comitis filii, qvi in fronte aciei ſub ejus vexillo ſtabant, ipſo tamen Sigurdo non præſente, incidit. Itaqve ex ea parte pugna ſatis acris accenditur; at dum ex altera parte conſultant ruſtici, progredi ulteriùs an retrogredi præſtet? cohortes Regiæ cóeunt, omnesq; Baglorum turmas concidunt, dejecto inſuper vexillo: inde præceps fuga, fugientiumq; cædes ſecuta eſt, ſub veſperam verò copiæ ad naves reductæ. Perhibent qvoqve, eodem die prope villam Skarfſtadas pugnatum eſſe, magnâ ruſticorum clade.

Poſtridie, qvi ex clade ſervati erant, Regem adeunt, pacemqve ſupplices petunt; qvi more ſuo omnibus eam expetentibus pepercit, grandi prius pecuniæ ſummâ multatis. Inde ulterius in ſeptentrionem procedens, ſinum Horneſenſem intrat, ibiqve agricolas ad pactiones ſecum ineundas convocat. Omnes huc, ab orientali fluminis ripâ qvi degebant, ſponte acceſſerunt; ab occidentali verò nemo, fiduciâ Baglorum, qvos ſe defenſuros certò ſibi perſvadebant. Ibi triduo exactô, in ſuperiora procedens deprehendit omnes laribus deſertis aufugiſſe. Cum in multam diem longum itineris ſpatium emenſus eſſet, jubet filium Haconem ab altero latere inter deſcendendum villas omnes incendere, ipſe ab altero idem cum ſuis facturus. Itaqve univerſa domicilia ac villæ, multaqve & magna prædia, interqve hæc vallis ampliſſima, qvam paterfamilias Havardus

poſſidebat, igne conflagraverunt. Sub veſperam puer qvidam Regem adit, ſupplexq; obteſtatur, ut per Deum parentis ſui ædibus parcat. Rex parcendum iis ſtatim promittit; addens, nec ullam excurendam fuiſſe villam, ſi cives ſe ſubmittentes Regem ſuum adiiſſent, mandatqve jam iis nunciari, nullam ſe amplius crematurum. Inde naves repetit; dieq; ſeqventi omnes eum agreſtes adeunt, & pactionibus ſancitis redditisq; qvæ poſtulabantur, obſeqvium promittunt. His peractis, transmiſſo ſinu Foldenſi, in portum Grindholmaſundam navigabat, inde Baglos in ſeptentrionem ultra Thrymam ad ſeram usq; veſperam perſecutus. Tandem in ſinu Hrafnsvogenſi extra Thrymam ſtationem habuit, Baglis magis ad auſtrum propter litus excubantibus. Et ii qvidem ante lucem ſolventes altum petiverunt, obſervati tamen â Sverrere, qvi eos primâ ſtatim luce inſecutus eſt; cumq; viderent, non poſſe ſe Regem evadere, terram repetebant. Unus Ducum Sæbiornus Limus triremem ſuam ſilvæ Thrymenſi admovens, cum unico comite effugit, reliqvi verò Bagli relictis navibus in Surlandiam & Hellisvikam converſi. Subſecutus Sverrer plurimis occiſis naves cum univerſâ vecturâ cepit; inde in aqvilonem ad portum usqve Portyriam navigans, in ſinum mox retrò deflexit, ibi Baglos, ſi circa ſinum deprehendendi eſſent, incommodis, qvibus poſſet, affecturus. Cum autem hi, ut Sverrerem Vika exceſſiſſe cognoverant, in urbes ſe recepiſſe viderentur, Tunsbergam accedens, ſeptem ibi eorum occidit. Repetitâ inde Osleya, ibi deprehenſos aliqvot capite plecti fecit. His geſtis ad ſuos majorumqve navium claſſem in portu Askeyenſi, qvi ad aqvilonem in latere Limgardenſi ſitus eſt, rediit. Inde Bergas profectus, milite dimiſſo ibi per hyemem reſedit, Bagli autem in Vika, reditus Regios ab incolis exigentes, hyemârunt.

CAP. XXIII.

REX VIKENSES AD OBSEQVIUM ADIGIT, SCAUNEM INCENDIT, CASTELLUM TUNSBERGENSE FRUSTRA OBSIDET.

PRoximo vere Rex Sverrer, delectu per univerſum regnum habito, ad expeditionem in Vikam magno apparatu ſe accingit, ſinuqve Foldico transmiſſo, per Vingulmarkiam vicinasqve provincias iter faciens, pecuniasq; â civibus multæ nomine exigens, univerſas hujus anni æſtate ſub obſeqvium revocavit, præter Skeynos (ſic appellantur skaunis provinciæ incolæ) qvi ſoli ſe ſubmittere detrectârunt. Itaqve Sarpsburgum profectus, lembos ſupra cataractam Sarpenſem tractos fluvio immittit, eoqve adverſo, Skaunem brevì pervenit, ubi totâ illâ regione incenſâ, incolas ad pactionem irrogatamqve mulctam ſolvendam adigit. Foldenſem inde ſinum tranſiens, circiter feſtum divæ virginis, in memoriam aſcenſionis ejus XV. Auguſti celebrari ſolitum, Tunsbergam venit; obſeſſâqve rupe, qvæ urbi imminebat, qvamqve Bagli, duce Hreidare, cum centum qvadraginta militibus, tribunisqve multis, inter qvos erat Hallvards Brattius, inſidebant, egresſu eos prohibet. Caſtra qvoqve ad aqvilonare rupis latus inter urbem & mare poſita, foſſis â ſinu usqve ad oſtium Skeliaſteinum auſtrum verſus ductis, cingit, interiori foſſæ margine palis prætextô, ad a-

vertendos provincialium incursus. Naves deinde subductæ diligentiq custodiâ servatæ; copiæ in stationes divisæ; via, qvæ ex clivo Frodensi ducitur, ab emissariis, præfecto Petro Steypere, obsessa, ædibus eò ex urbe, in obsidentium usum, translatis: retinetqve adhuc locus in facti memoriam nomen, qvod Gestabacti / seu emissariorum ripa, inde impositum est. Ipse Rex in urbe cum parte copiarum plerumqve pernoctabat. Et jam oppugnationem instruere cæpit, dispositisqve per stationes copiis, ipse signum præferens, ab austro fissuram rupis adoritur; castellum vero septentrionale eodem tempore emissarii, in qvos castellani hastas telaqve confertim ingerunt; & Betulopedes tamen adeò prope accedebant, ut gæsis ipsi castellaniqve se invicem impeterent, sed mox devoluta in eos ingentia saxorum pondera, adeo gravi celeriqve casu incidebant, ut cassides iis juxta ac clypei contererentur. Vulneribus ergò & verberibus confecti, in fissuram sese recipiebant. Altiorem itaqve rupem, qvàm ut expugnari posset, animadvertens Rex, ad conqvirendos undiqve commeatus per provincias misit; promte omnia subministrata sunt, qvoad aperto mari facilis trajectus erat, nec glacie impediebatur. Maximè autem angebat celatus summâ industria castellanorum apparatus, qvem nullo jam comperire indiciô poterat. Hoc itaq; concilium cepit, scalas templorum efferri, arcteqve colligatas turri deinde Sancti Laurentii admoveri jussit, per qvas deinde vir qvidam, averso â castro latere, ad summum usqve culmen ascendendo pervenit, globumqve fastigio impositum manibus apprehendens, ità facilè omnem rupem perlustrans speculabatur. Qvod conspicientes Bagli, statim id Hreidari indicarunt; is telo in eum directo, globum qvidem attigit, speculatore illæso, mox aliud emisit, qvod intra manus hujus incidens objectu tecti, uti & plura alia jacula, exceptum est. Ille verò integro descendens corpore mox Regi retulit, conspectos sibi lembos aliqvot supra rupem evectos, pauloqve supra inferius castellum fontem superjecto lembo contectum, eumqve è rupe accessu facilem; qvatuor columnis transversis, tignis inter se junctis, castellum sustineri, inferiora autem spatia januis aptè occlusâ. His cognitis Rex nocte qvâdam illuni, erat autem tempus anni, qvo hæc agebantur, autumnale, Svenum qvendam, cognomento Merkium, cum funi nautico, duabusq; hastis, qvarum altera brevi manubrie à balteo pendebat, in rupes emisit; hic qvam occultissimè immissus, extremitatem funis columnæ affixam firmis & multiplicatis nexibus obvolvit, qvem deinde signo ab eo datô centum viginti viri, qvi infra rupem stabant, tamdiu attraxerunt, donec totum castrum vacillaret, magnâ Baglorum, qvi inerant, trepidatione. Verum dum magno intendunt robore, funis repentè ruptus solertiam conatûs elusit, simulqve castellanos periculô liberavit. Inde in orientalem partem rupis procedens Merkius, incidit in duos excubitores, qvorum stantem alterum, alterum jacentem trucidavit, & mox, nemine animadvertente, descendens ad Regem rediit. Neqve exinde Rex destitit varias artes expugnando castello adhibere; pluteos enim ligneos crassis columnis suffultos admovit; sed & hoc nullô effectu. Interea Betulopedes Bagliqve qvotidie telis eminus certabant, majore qvidem Betulopedum ob loci oportunitatem damno. Cæterum Baglorum Rex Ingius, Sigurdus Comitis filius, & Arnius Episcopi propinqvus, multiqve alii Baglorum proceres & tribuni, partim in Vika, partim etiam in Uplandis, morabantur. Inter eos & Hreidarem convenerat, ut necessitate ingruente, mutuis sibi auxiliis subvenirent: qvæ cum ab altera parte tardarentur, cresceretq; in dies periculum castellanis, nuncium

cium ad Ingium mitti placuit, tali, qvô Sverrerem fruſtrarentur, caſtellanis commento. Lembunculum octo ab utroq; latere remorum ab occidentali rupis parte cum decem viris, rectore Thordo Aucka, funibus & trochleis in mare demittunt, periculo ſatis ambiguo, cùm vel per aerem deſcendendum, vel cùm mare ingrediendum ipſis eſſet, navibus Betulopedum ante rupem prope ipſum hunc locum, in qvem demittendi erant, conſiſtentibus, excubiisq; circa diſpoſitis. Verùm Thordus jam mare tenens ſummâ celeritate remos torqvet, perq; ſinum intra Smiorbiargas fugiens, exſcendensq; cum ſuis, in continentem evadit. Secuti eos Betulopedes vacuum ſaltem lembunculum capiunt; nuncii verò citatisſimô itinere ad Ingium Sigurdumqve perveniunt, expoſitisq; Hreidaris poſtulatis, qvibusqve hic anguſtiis premeretur, tale accipiunt reſponſum; id tantum ſibi de Betulopedibus referri, qvod nullum ſibi deſiderium congrediendi cum illis incutiat: videri tamen Sverrerem, cum primum gelu nivesqve incumberent, obſidionem ſoluturum. Verum Sverrer poſtridie, ex qvo Baglorum nuncii ex rupe evaſerunt, de commento eorum certior factus ita ad ſuos dixiſſe fertur: *Videtis, milites, haut minori eos tædio moræ intra rupem teneri, qvàm vos obſidionis.* Qvo ſuos ad continuandam porrò oppugnationem confirmavit.

Eâdem æſtate, cùm adhuc Bergis moraretur Rex Sverrer, Rex Angliæ Johannes miſerat ei milites ducentos qvadraginta, ejus generis qvos Ribbaldos olim appellarunt, qvi pernicitate pedum ſummâ valebant, & vel feris certare poterant, arcum qvoq; tendere periti, audaces & ad maleficia qvævis prompti. Hos in Uplandas, duce Hidio qvodam, ingenii planè ſimilis viro, miſit, qvi provecti ad Haddingiadalum per ſuperiora deinde Sokndali in Thelamarkiam pervenerunt: ſed qvocunq; iter faciebant, homines ſenes juxta ac juvenes, mares & fæminas, obviaqve pecora cædebant. Ad ultimum provincias, per qvas ipſis eundum erat, incendiô affligebant; qvoties autem collectos in ſe armatos ire animadverterunt, montes petentes & ſolitudines eò penetrarunt, ubi nullus antea miles viſus eſt, infanda ubiqve varia & omnis generis ſcelera perpetrantes. Tandem cum rupem obſideret Sverrer, ad eum revertebantur, ſæpeqve obſeſſos Baglos magnâ ferociâ adorti non ceſſabant cum eis jaculis certare. Qvodam die cùm unus eorum telô transfoſſus eſſet, ejus cæde adeo exacerbati ſunt reliqvi, ut ultro citroqve curſitantes horrendas voces ederent, donec in mortui vindictam qvidam Vikingum Veſiam piratam inſignem & veteranum occidiſſet. Cum verò cognoviſſet Sverrir Thordum Auckam e rupe ad Regem Ingium ad auxilia imploranda miſſum, nec impetraturum eſſe qvæ peteret, conjectaret, per noctis tenebras multas militum turmas in Frodaſem tanto ſilentio deducit, ut nec obſeſſi, nec cives, egredientium ſonum aut veſtigia ſentirent; proximo verò diluculo ſubitò exorti, auxiliumq; ab Ingio misſum ſimulantes, excitos caſtris urbeqve Betulopedes ad pugnam provocant. Et hinc ibi ſimulacrum qvoddam pugnæ aliis ad obſeſſos tendentibus, aliis eos aditu prohibentibus, editur, ſternunturqve paſſim qvi urbe & caſtris exceſſerant. Qvo viſo, obſeſſi Hreidarem excitant, omnibusq; ad arma vocatis, ad caſtellum ſeptentrionale trudunt, unde in utrâq; acie, qvæ ex colle Frodaſe deſcenderat, vident diverſa ſigna, tubasqve & micantes gladios, hinc etiam ſtratos per devexa rupis alios, alios fugientes, alios verò fugatis ferociter inſtantes. Hortantur itaq; Hreidarem, ut properè ſuis ſubveniat, foſſaqve jam Betulopedes intercludat, ne ad caſtra ſua rurſus perveniant. Hreidar verò ſubſiſtendum pauliſper monet,

nam

nam, si vel maxime Betulopedes fossas transirent, impeditum tamen iis ascensum supra palos futurum: in illo occupatos à Baglis sat tempestivè cædi posse. Sed attendite, inqvit, potius & annon ludo qvam bello similior sit actus iste, parumper considerate; qvi enim sternuntur, locum sibi eligunt qvò cadant, aut siccum omnino, aut in clypeos se declinando; an etiam arma eorum aut vestes cruentas observatis? negantibus id sibi visum, satis se artes Sverreris & stratagema agnoscere respondit. Sverrer itaqve videns neq; hoc stratagemate elici e rupe Baglos posse, ad castra cum suis rediit.

CAP. XXIV.
DE OBSIDIONE ET DEDITIONE CASTRI TUNSBERGENSIS.

IAmqve procedente autumno inclementia cæli intentiusqve accedens frigus commeatuum subvectiones impediebant, nec sinuum interiora tantum, sed agrestium etiam animos indurabat, ut segnius, qvæ ad victum reqvirebantur, præberent; cumqve omnia in castris arctiora in dies fierent, exorto murmure miles conscriptus missionem flagitabat. Rex igitur concione advocata verba ad eos faciens: *Jam dudum*, inqvit, *nimium satis constat, qvantum vos larium vestrorum ac penatium desiderium teneat, tædio laboris diuturnæqve, ut vobis videtur, obsidionis: flagitium certè militare crepant voces istæ, qvæ intempestivam missionem postulant. Nimirum si, ut mercenarii rusticorum servi, ventrem qvotidiè cibô non distendatis, malè vobiscum existimatis agi; Regemque pro publico adeòq; vestro ipsorum commodo excubantem eo nomine incusare audetis. An ignota vobis antiqviora exempla, & quæ veteres nobis memoriæ suggerunt? nempe majores nostri, ut hostes fatigarent, obsidiones usqve dum vestes in corporibus putrescerent, continuarunt, defectique annonâ & commeatibus vaginas gladiorum & calceamentorum coria sedandæ fami adhibuerunt, adversus mala omnia obstinati, dum victoriam tandem consequerentur. Sed quid vetera vobis commemorem, cum præsentia oculis obversentur? Baglos aspicite, vos quæso, qui majori omnino pertinaciâ vos sustinent, qvam à vobis premuntur. Abstinete itaqve isto murmure, qvô nihil omninò proficietis; hic enim manebitis omnes, velitis nolitis, placeat vobis, vel displiceat, haudqvaqvam nisi devictis obsessis aut deditis dimittendi.* Et jam castellanos qvoqve alimenta defecerant, spes qvoqve auxilii, ab Ingio & Sigurdo nullo responso accepto, in longum extrahebatur, qvam Betulopedes tamen per ludibrium sustentabant, vel irritabant veriùs, qvotidie clamitando, adesse Regem eorum cum ingenti exercitu, jam ex angustiis istis eos liberaturum. Denuò igitur Hreidar scriptis ad Ingium Sigurdumqve literis fidoq; nuncio traditis, implorat submissè auxilium, indicans simul, ad festum Nicolai vitam, sed ægrè, tolerari posse, postea nullam salutis viam ipsis superesse. Nuncius ex aqvilonari rupis jugo demissus soleis ligneis incurvis per nives & glaciem eundo fossam prætervectus, custodias Betulopedum elusit, tum demum agnitus, cum evasisset. Verùm Ingius, acceptis literis, tribunos convocat, literarumq; argumentum exponit. Primus ad hoc Sigurdus Comitis filius respondit; *hortatu Hreidaris in extremam se conjicere perniciem, hominum desperatorum esse: satis hactenus damni à Sverrere, licet haud impunè, Baglis datum. In aqvilonares sinus universas vires vertendas, navesqve ad id*

 compa-

comparandas; ità demum futurum ut Sverrir ea necessitate â paucorum hominum obsidione ad suorum defensionem revocetur. Id qvidem consilium omnium mox suffragiis approbatum est, infusiq; inde in Raumsdalum universi, comparatis ibi navigiis in austrum properant. Sinum inde Sognensem noctu ingressi, adversis ventis prædium Vikam petunt, captoqve lembo Jonis Stalis cum universâ vecturâ, adeò illum perterrefaciunt, ut qvi Bergas profecturus erat, jam cum domesticis omnibus nudus in silvam fugeret, seqvente verò die, armis vestibusqve sumtis, cum totâ familia (erant autem octodecim) in monte delitesceret. Cum verò eodem die qvinqvaginta Bagli ad amnem lavandi gratiâ accederent; ille hos conspicatus, subitò qvidem, sed non omninò improvisus, supervenit, & ad hortum qvendam eos persecutus, uno eorum occiso, in easdem se rursus latebras recepit: postridie per superiora descendens terrestri viâ Bergas proficiscitur, Einariq; Regis affini & Dagfinno cuncta, qvæ acciderant, nunciat; qvi comparatis repentè copiis navibusq;, festinatô itinere Sogniam petunt. Ibi compertum, Baglos oppidum Lusakaupangrum insedisse, & Sognenses eò ad comitia, qvibus expeditionem indixerunt, convocâsse: Ingium qvoqve Regem publicè renunciâsse, inditô tanti fastigii nomine â patrefamilias Gunnthiofo, consentientibus cæteris, qvotqvot aderant, Sogniæ Kaupangriq; incolis. Remis igitur per noctem strenuè agitatis, primâ luce Kaupangrum pervenerunt, navibusqve ad pontes religatis, tubarum clangore audacter urbem ingressi, Baglos adeò terruerunt, ut subitò arreptis armis properâ sibi fugâ consulerent, aliqvot tamen trucidatis. Forte tum mendicus qvidam, nomine Biornus Furuleggus, per tabernacula, qvæ in monte supra Lusakaupangrum stabant, oberrans, in Arnium Episcopi propinqvum, saucium & vulneribus affectum, incidit: qvem, vestis pecuniæqve desideriô captus, occidit, cædemqve tamdiu occultavit, donec ossa interfecti seqvente vere inventa sunt. Reliqvi Bagli in editiores Kaupangri montes provecti, inde ad montem Fornium (Fornafiall) alii ad Folkam delati, lintribus & navigiolis in Lystriam transmiserunt, ibiq; se colligentes, superatô monte in Ardalum devenerunt. Betulopedes autem naves Kaupangri relictas, magnamqve vim armorum & vestium interceperunt. Ut verò Jon Stal in Ardalum penetrâsse eos cognovit, per montem hic etiam prævectus in eos movet: tardius tamen spe suâ advenit, cum jam lacum omnes transiisent, unde postridie trans montem in Valdresiam, indeq; illico in Uplandas, reversi sunt. Interea Rex Sverrir in obsidendâ rupe perseverabat, cum omnia obsessis deficerent. Et jam tempus, qvod auxiliis erat præscriptum, effluxerat, cæptumqve cum fame & inediâ graviter conflictari, ità ut convivium in festum Christi natale apparandum, non visi ex funibus e pelle Rosmarina, anchoris sustinendis adhiberi solitis, instrueretur: sed nec id ex dimidiâ parte sufficiens. Exacto jam propè festo, nocte qvadam, Hallvardus Brattius rupe degressus cum uno comite ad Regem pervenit, vitâqve donatus est; postridie verò hoc cognitô, irritati militares animi exempla in eum edere præoptabant. Plures deinde obsessorum, qvibus magnam qvoq; spem veniæ meritorum conscientia faciebat, jam exemplo Hallvardi provocati, paria sperare ausi sunt. Multi itaqve ad Regem fugientes eandem clementiam experiebantur, qvorum indicio cognitum, nihil alimentorum ulterius obsessis superesse. Tandem ipse dux Regi per nuncium indicavit, se postridie in castra venturum, ferro potius qvam inediâ mori paratum; sed & lubenti submissoq; animô clementiam Regis accepturum, qvam commilitonibus qvoq; om-

omnibus suis petebat. Tum Rex consilio advocato, qværit, *quid fieri velint, si fortè Hreidar cum cæteris obsessis in potestatem veniat? Se qvidem certum esse, gratum hoc omnibus futurum, obsidionem tam diuturnam solvi, maximè verò iis, qui proximo autumno tanta illud vehementiâ flagitassent. Igitur certis qvibusdam, an nulli parcendum censeant?* A multis tum hoc responsum audiebatur: *Annon in hanc rupem confluxerunt isti, qui plurimis nos nostrosq; affecerunt malis? interfectores patrum, fratrum, propinqvorumqve & amicorum nostrorum? quorum causâ tot labores, tot molestias ac mala hac obsidione perpessi sumus, eo fortassis fine, ut jam militiæ eos, transtri, mensæ, lecti, omnium denique rerum gerendarum, socios haberemus. Scilicet hæc laborum nostrorum præmia, hi periculorum fructus atq; solatia ostenduntur.* Tum Rex; *longe mihi*, inqvit, *alia quam vobis mens est, milites. Ecquis autem inter vos est, qui se mihi anteferri cupiat? nemo credo; qvis itaq; vobis hoc vitio vertet, si meum secuti fueritis exemplum? atqvi hi ipsi, quos vos exsecramini, illi sunt, qvi hac in urbe Hidium fratrem meum, Osleyæ verò consobrinum meum Comitem Philippum, multosque alios propinquos occiderunt. Hi sunt, qui hac ipsa hyeme Sverrerem caniculam aut equam, talibusque ignominiosis nominibus appellârunt. Atqui hæc omnia Dei solius gratiâ iis condonabo; clementiam ejus erga me vicissim exspectaturus: nam & illis animam pariter ac mihi cælestis opifex inspiravit. Gratiam certè delictorum, quam supplicibus feceritis, nemo vobis exprobrabit.* His dictis animos omnium, qui prius repugnârant, mitigatos in assensum traxit: missusque ad Hreidarem nuncius, securitatem illi & clementiam Regis denunciaturus. Postridie horâ ante meridiem nonâ castello egressus est. Omnes deinde castellani ad Regem deducti, fidem ei sacramentô obligarunt, moxqve in stationes divisi sunt. Hreidare in stationem ipsius Regis receptô: qvi magnâ curâ singulos refici ac recrari jussit, monuitq; deditos, ut parce primò cibum sumerent; qvod ab omnibus non æqvè observatum est: erant enim fame propemodum confecti; nec qvisqvam tum ferè inter eos erat, qvi non statim inde in morbum incideret, multi lentâ tabe consumebantur, aliqvot etiam mox decesserunt. Ipse Hreidar diuturno conflictatus est morbo, cui variis medicamentis â Rege magno studio provisum. Tandem finitâ post qvintum mensem, ex qvo cæpta erat, obsidione, in hyberna omnes discedunt.

CAP XXV.

REGIS SVERRERIS MORBUS, SOMNIUM, MORS, SEPULTURA ET EPITAPHIUM.

INter hæc ipse Rex Sverrer curis vigiliisqve fatigatus Tunsbergæ in morbum incidit, qvi lentô admodum initiô & segniter procedere visus est; itaqve in navi sua sæpius qviescebat: stratusq; & ibi est Hreidari lectus in arcâ solii, eiqve omnia non minus qvàm ipsi Regi præbebantur. Crebra tum qvoq; colloqvia Regi cum eo erant, fuit enim vir sapiens, rerumqve multarum gnarus. Initio qvadragesimæ, vel paulo antè, Rex Bergas venit, inqve castrum delatus in palatio, qvod ibi exstruxerat, qvievit. Mane tertiæ diei qvadragesimæ hebdomadis secundæ sudorem, sed absqve dolore ullo, emittebat. Multis itaqve se inivisendi, alias paucos admittere solitus, potestatem fecit; cùmq; pleriq; recessissent, ipse Petrum Nigrum

 affa-

affatus, somnium ei, qvod nocte præcedente viderat, enarravit: *Accessit, inqviens, me vir ille, qvi mihi sæpius antè apparuit, nec unquam falsis apparitionibus delusit; recordatus itaque me ægrotare, viribusque defici, videbar eum interrogare, quo eventu morbus iste terminaretur? ipse verò protinus se avertens respondit, his verbis: Præpara te. Sverrer, ad j'o'am resurrectionem. Ambigua hæc quidem responsio mihi videtur, qvæ tamen certè mutationem, sive ad mortem sive ad vitam, brevì exspectandam indicat.* Ad ea Petrus respondit: *Hæc qvidem, Domine, sagacius ipse præ omnibus conjectabis, præsagit tamen & mihi anim⁹, extremi judicii resurrectionem intelligendam.* Rex verisimiliter conjectâsse fassus est. Mox, ut procedebat dies, augescere morbū sensit. Posteri diei mane arcessiti sacerdotes, qvi oleum ad unctionem præpararent. Ibi recitatæ literæ, qvas ad filium Haconem de ordinatione regni scripserat, ipsoq; præsente obsignatæ. Inde omnibus coram, qvi aderant, testatus est, se nullum in vivis filium habere præter Haconem (Sigurdus enim Lavardus, Annalibus referentibus, annô, qvi hunc præcessit, obierat) nec fidem aliis habendam, si qvi hoc prætextu statum publicum inqvietare tentaverint. Deinde erigens se ê lecto: *Me*, inqvit, *antequam oleo ungar, in solium evehi jubeo, ibi mortem aut sanitatem exspectabo; & si ibi, circumstantibus amicis, excessero, longè aliter finiam, quàm Episcopus Nicolaus opinatus est, qui me pecudum in morem mactandum, canibusque & corvis delaniandum prædixit. Laus verò præcipua Deo sit, qui me in multis periculis ab armis hostium meorum protexit.* Hinc sacro, ut vocant, chrismate unctus est, statim & vires omnes defecêre. In supremis autem præcepit, *se defuncto nudari sibi faciem, amicorum simul inimicorumque oculis exponendam, quo observari posset, an diræ inimicorum quicquam in corpus suum valuerint; non enim latere posse, si quem habuerint effectum. Turbis magis, periculis, laboribus se in regno, quàm delitiis aut tranquillitati, assvetum, nec alıam horum causam agnoscere, quàm multorum invidiam, siquidem hanc in hostilitatem verterint; id quod Deum tamen illis condonare, omnemque suam causam judicare, orabat.* Tandem ejusdem hebdomadis feriâ septimâ, nono (non, ut habet author, octavo) Idus Martii, nono scil: die mensis ejusdem, qvi feriam illam hoc anno recipit (teste insuper antiqvissimo libro bibliothecæ Hafniensis, qvi Calendarium inter alia continet, in qvo obitus celebrium virorum author annotavit) Rex Sverrer caducum hoc & turbulentum regnum terrenum ingenti amicorum suorum necessariorumq; luctu aulâ cælesti im̄ortaliq; beatitudine permutavit. Mox, ut moriens imperaverat, nudata facies omnibusq; exposita, talis qvidem apparuit, ut nullam aliam hominis mortui pari nitore & claritudine conspectam sibi omnes testarentur. Corpus Regium magnâ celebritate elatum est, & ad ædem Servatoris, sacrarium inter & australes fores templi, recluso parieti illatum inclusumqve, affixaqve loco huic ærea tabula, aureis versibus, qvos author in vernaculam transtulit, inscripta, hoc sensu:

Hic jacet Majestas Regum, columna, columen, imago & exemplar fidei, decoris, & fortitudinis; acris strenuitas, tegmen & munimentum patriæ, patrimoniiqve; vis roboris, hostium imminutio, decus Norvegiæ, gloria gentis suæ, patrocinium justitiæ, instauratio legum, amor suorum omnium.

Affixa & parieti purpura vexillumqve Regis, clypeus item & galea gladiusqve. Delirat autem, non (ut credo) author, sed ineptus qvidam ejus interpolator, qvi hæc absurda nimiùm & se invicem evertentia subnectit,

Rex:

Rex, inqvit, *Sverrer decessit octavo Idus Martii, anni ab incarnatione Christi MCCXV. Eodem annô obiit Knutus Daniæ Rex, cui in regnum frater ejus Valdimar successit. Tunc quoque Comes Birger Brosa obiit. Assumserunt tunc Sveci Johannem Sorqueris (Sverkeri) filium in Regem, qui infans & ante unum hyemem natus erat. Habuerunt tunc Sveones Regem sine braccis. seu femoralibus. Regnavit Sverrer viginti & quinque hyemes. Elapsi tunc ab excessu Magni Regis Erlingi filii XVIII. hyemes.* Hic primùm in anno turpiter erratum est, ob synchronismum, qvem statuit, Johannis Sveciæ Regis; author enim vitæ Ingii Bardii prælium inter Eiricum & Sorqverem in Lenis habitum, ut et Annales nostri, ad annum 1208 referunt; qvos etiam *Hvitfeldius* & *Pontanus* secuti sunt. Obitum autem Sorqveris ad annum 1211, qvod & Sveci ipsi faciunt. In cæteris qvidem cum Annalibus nostris consentit, seqve ipsum tandem corrigit, dum annos regni Sverreris tum ab eo tempore, qvo primum se Regi Magno opposuit, tum ex qvo illum occidit, supputat: tum verò in hunc an̄um Christi MCCII debent desinere. De Johanne autem Sveciæ Rege id tantùm elicitur, qvod infantulus ad sceptra evectus vix annum compleverit; qvod tamen ad hunc annum nihil facit.

Subjungemus hic epitaphium Regis Sverreris, gemino à nobis epigram̄ate Latino, altero qvidem contractiore, prolixiore verò altero, utcunqꝫ olim translatum. Estqꝫ prius tale:

Hic decus, hic pietas. Majestas, gloria gentis,
Rex, patriæ columen, robur amorque jacent.

Qvæ ita fusiùs in posteriori exposuimus:

Nobilis hôc saxô tegitur virtutis imago,
Et fidei exemplar, laus, decus & pietas.
Gentis honor, patriæ columen, stabilisque columna,
Regia Majestas, sola sed absque pari.
Vis invicta animi, robur quoque corporis ingens,
Vindex strenuitas Numinis ipsa sui:
Hostium acerba lues; Tua sed, Norvegia, virtus,
Atque domus patriæ splendor amorque pius.
Justitiæ tutela, vigil custodia legum,
Gratia viva suorum, ingenuusque favor.
Quâ solâ æqvamur Superis, clementia restat,
Hos inter cineres hic tamen illa latet.

Idem Reverendus Clarissimusqꝫ Vir, Mag. Michael Leigh, apud Christiansandenses SS. Theologiæ Lector, meo rogatu & contractè & fusiùs ejusdem generis metrô sic reddidit:

Hic diadema, fides, patriæ tutela decusque,
Dux, legum robur, terror amorque jacent.

Et ita aliter:

Hoc tegitur clausô Majestas Regia saxô,
Hac columen fidei contumulatur humo.
Hic placidè fulcrum, decorisque columna quiescit,
Strenuitas cineres hic dolet ipsa suos.
Hicque gigantèum robur, fidumque bonorum
Munimen, Patriæ tegmen & ante suæ.
Hic quô se jactet Norvegia, gloria gentis,
Grande patrocinium, lex pietasque, tuum.
Hic jacet, hostilis quo sternitur ordo: suorum
Qvi vivus fuerat solus & unus amor.

Sed qvoniam iſtis ſeculis invaluit uſus Leoninorum, ſeu Alexandrinorum verſuum, etiam illorum experimentum hoc ſchemate idem author reliqvit:

Hic recubat Regum Majeſtas, gloria legum,
Hic fulcrum ipſa vides, quod venerata, fides.
Qvem tulit ut Numen tellus & Norica lumen,
Robur Achillèum cui dedit eſſe Deum.
Qvi vixit præſes, nullatenus ad ſua deſes,
Qvi patriam veri rexit ad inſtar heri.
Hoſtes enſe feros domuit qui belliger heros,
Tegmen juſtitiæ, qui fuit an e piæ.
Semper honoratus, cunctis qui vixit amatus,
Perſonamque egit qui bene, terra tegit.

CAP. XXVI.

CONTINENS DESCRIPTIONEM PERSONÆ SVERRERIS, EJUSQ; ELOGIUM, CUI ANONYMI SCRIPTORIS DE EO PRÆCLARUM TESTIMONIUM SUBJICITUR.

DEceſſit Sverrer annos unum & qvinqvaginta natus; princeps, uti deſcribitur, eleganti membrorum proportione conſpicuus, ſtaturâ tamen brevi, corpore probè compacto, & roboris qvidem tanti, ut in præliis ſæpius uno ictu ſingulos homines proſterneret & interficeret. Facie latiore ac decorâ fuit, barbâ plerumqꝫ, ut poëtæ verbis utar, doctâ reſectâ manu; rubicundis oculis, qvi gravitatem præ ſe ferebant Regiam, voce canorâ & liqvidâ, eâqꝫ adeo firmâ, ut qvæ dicenti exilior viſa eſt, remotioribus tamen facilè audiretur. Solio qvoties inſidebat, ornatum indutus Regium, dignam principe perſonam repræſentabat; pedes ipſi breviores erant; qvi tamen cæteræ incedentis ſtaturæ reſpondebant. Et hæc qvidem corpus ipſius ornabant: qvæ verò animum, auguſtiora longè fuerunt; nullo enim vitiô per totam vitam notabilis erat, virtutibus autem iis, qvæ vel privatos vel Principes inprimis decent, inſtructiſſimus; ita in eo elucebat aſſiduus religionis ſacrorumqꝫ cultus, nec privatis qvàm publicis exercitiis minus freqvens. Hinc tantus in eum Numinis favor, ſucceſſusqꝫ & felix, & conſtans rerum qvoqꝫ futurarum, & in his fati inſtantis, haud vana præſagia profluxerunt. In neceſſarios inſignis pietas apparebat, cujus teſtes fratres Eiricus & Hidius, teſtes ſorores earumqve liberi, nec non conſobrinus Comes ille Philippus, exſtiterunt: erga amicos verò liberalis & magnifica benignitas, gratusqve erga bene meritos animus, qvos ad honores ſemper & ſumma qvæqve promovit. Senſerunt clementiam ejus hoſtes, qvibus toties perjuris & fædifragis, veniam tamen petentibus ſemper parcebat; facilitatem delinqventes, qvam etiam Comes Orcadenſis & Thorſteinus Kugadus experti ſunt. Omnium admirationem meruit moderatio ipſius, qvâ graviſſimas in ſe ſuosqve injurias negligere qvàm meminiſſe maluit; ſervavit ſemper in deditos fidem, qvâ etiam geſtorum ſuorum extrema obſignavit; civiumqꝫ inprimis commodis ſollicitè atqꝫ aſſiduè invigilavit. Hinc Thrandorum conſtans in eum fides, Bergenſium qvoqve ſub finem ſtudia,

dia, & post mortem bonorum omnium desideria. His virtutibus tenacissimus justitiæ cultus accessit, legumqꝫ severissima custodia; unde illæ cum Archiepiscopo lites, moderatione tamen tantâ exercitæ, ut causam omnem Rex judicum sententiæ subjiceret. Magnificentiam ejus simul ac magnanimitatem Dani, in terram sanctam profecti, prædicarunt, uti ex iis, qvæ mox adducemus, apparet. Et talis qvidem erga alios fuit Sverrer. At non minor ei ornamentorum, si ipsum in se consideremꝰ, possessio. Vis animi incredibilis atqꝫ ardens, laboris patientia propemodum nimia, qvâ Magnum illum Alexandrum æqvabat, cæterarum qvoqve virtutum constantiâ superabat, licèt gestorum magnitudine ab eo, ut qvi maximam orbis partem paucos intra annos domuit, superatus sit. Verùm si utriusqꝫ conditionem penitiùs inspiciamus, haud minore ratione eum cum hoc Rege conferri posse existimamus, qvàm maximus Scriptor Livius Ducibus Romanis & L. Papirio Cursori olim eundem comparavit.

Confluxerunt in hunc principem omnes illæ virtutes, qvæ in maximo qvoqve Imperatore laudantur; prudentiâ enim & circumspectione Fabium, promtitudine Marcellum, cautione Marium aut Sertorium, frugalitate Iulium Cæsarem, referebat. Semel in die cibum cepit, neque unqvam ita se potu ingurgitavit, ut non par qvibuscunqꝫ muneribus exsequendis esset. Orationes graves disertasqꝫ habuit, flexitque mirificé in suam sententiam auditores; in prædis dividendis æqvus & abstinens, nihil sibi, ultra qvod convenerat, arrogabat In adeundis periculis sine temeritate audax. Ordinem sacrum & coercebat & honoribus dignis afficiebat, adversus summorum Pontificum, qui tunc universum prope orbem concusserunt, (videlicét Celestini Tertii, qvi imperatori Henrico Sexto coronam capite, qvam imposuerat, pede excussit; & Innocentii Tertii, cujus adversum Imperatorem Philippum Svevum, Johannem Angliæ, & Petrum Secundum Arragoniæ Reges injuriæ orbi notissimæ sunt) vim, minas fulminaqve in se concitatorum persecutiones invictus: Utqve paucis absolvam, moribus adeo castis castigatisqve fuit, ut jam moriturus conscientiæ fiduciâ faciem suam post mortem omnium conspectui exponi, ad elevandus & eludendas Pontificum diras, mandaverit. Posteritate denique sua regnum ad ducentos ferè annos felicissimé illustravit; nec regnantes post eum augustiore titulo Majestatem suam exprimi posse rati sunt, quam si se illo prognatos in diplomatum exordiis profiterentur; testante hoc etiam authore, qvem seqvimur. Qvid? qvod hostes ejus & inimici ultro confessi fuerint, nullum ei parem suis temporibus Norvegiam vidisse. Et tantarum qvidem jam memoratarum virtutum Sverreris absolutissimum testimonium perhibet æqvalis ei ætate Scriptor anonymus (qvem Danum ego existimo fuisse) de profectione Danorum in terram sanctam: de qva hîc observandum, eam non, ut putabat Clariss. Kirkmannus, aut annô Christi circiter 1181, ut in præfatione typographus erravit, aut circa annum 87, ut in titulo habetur, susceptam fuisse, id qvod ille literis Pontificis Gregorii Octavi Beneventani, eodem anno, qvo constitutus est Papa, 87. scriptis opinabatur., sed dilatam fuisse ad minimum in qvinqvennium, tantoqve tempore apparatam. Nam Simon iste Karii filius cum puero, cujus hic fit mentio, anno 1191 cæsus est, ut ex gestis ejus anni clarum est. Ulfi præterea de Lausnesia mentio ad annum 1188 injicitur. Hujus verò Ulfi, qui ex Norvegia se sacræ huic expeditioni sociabat: præmissis è scriptore laudibus, deinde, qvæ de Rege nostro habentur, integris ejus verbis adscribam. *Est autem illinc* (agit de Gotalbia)

ubi

ubi naves fixerant, ad tres Levgas in ora fluminis civitatula quædam sita, nomine Kongun-hellja, in qua Dani vitæ suæ & propositi socios habuere Northmannos ferme ducentos; quibus vir præclarus & elegans Ulf de Loufnes principatum agebat, assiduitate bellandi satis eruditus, & ad arma promptissimus, & portuum scius, gnarus maris, navigandi peritia exercitus. Et paulo post. *Hic suorum sodalium adventu percepto, lætabatur uberrimè. Manserat enim in oppido supradicto tempore aliquanto, & desideratissimum illorum præstolabatur aspectum, & continuò visis nunciis ad eos visitandos properanter occurrit, mutuâque salutatione susceptos ad sua servitia reverentèr & honestè vocavit. Ad singulos quoque principes speciali ducebatur obsequio, contemplatoque navium apparatu gaudens ad propria repedavit, jucundè multum & honorificè secum socios, non sicut advenas incognitos, sed sicut cives & ejusdem professionis domesticos reducens, muneribus honoravit & obsequiis, postero siquidem die succinctus & expeditus descendit ad illos, & viæ comitem ducemque se gratulabundus exhibebat; de viris autem secum comitantibus, qvi peritiores videbantur, & gnari latentium scopulorum, singulis navibus destinavit, ut provisione diligenter habitâ secura possit esse navigatio. Postqvam Tunsbergam ventum esset, ibique aliquantulum temporis reficiendis navibus impendissent.* Hæc autem cap. X adjicit.

Interea dum hæc agerentur, viri quidam ex iis, assumtis secum sociis Ulfhi, properabant ad Sverum Regem Norvegiæ (morabatur enim in Asloga, quæ civitas est dives multum & populosa, tertiaque totius regni nobilior) salutantes eum, nunciantesque illi causam, propter quam venerant, ne quasi fraudis alicujus æmuli notarentur: qvi cum gaudio suscipiuntur ab eo, statimque revertuntur, reportantes sodalibus Regis gratiam & favorem & optatam prosperitatem; illi autem, receptâ Regiâ salutatione, de die in diem parantur ad iter, emptis sibi necessariis, auræ prosperioris gratiam obtinentes Ulpho ducente recedunt. Cum deinde ad insulas, quas Seleir appellant, provecti essent, subjungit, *disquisitum, Bergasne pergere aniter continuare placeret? Sed,* inqvit, *disceptantibus hinc inde vulgi partibus Ulfhus consulebat, utilius fore Regis adventum Bergas præstolari, eo quod Sverus Rex homo fertur profundi consilii multaque legisse libro experientiæ: asserebat quoque vir disertus se plures socios illic habiturum; nec â facie Domini sui quasi fugitivus & illicentiatus voluisse discedere. Postquam Bergis in portum Floruvogos movissent,* cap: XII ita differit. *Abeuntibus autem illis Ulfhus in civitate remoratur, ægrè multum ferens Regis adventum nimiâ dilatione differri, quia tempus auræ lenioris abibat, & tota via periculi altioris imminebat. At non multo post optato fruebatur desiderio, & ecce supervenit Sverus Rex inopinatus more solito, Danis eum adhuc propè civitatem, in portu qui dicitur Floruuagh, exspectantibus, & penè juxta illos in portu tamen altero tentoria fixit. Sequenti vero nocte, duobus tantum secum assumptis, quasi curiosus explorator descendit in lembum & lentâ remigatione ducebatur ad eos, ut diligentius singulorum consideraret apparatus ornatum. At illi navigantium more servantes excubias, tum propter insidias furum & latronum fraudulentos incursus, tum etiam ob ventorum mutabiles qualitates, viderunt homines in umbrâ noctis obscuræ, quasi furtivo quodam processu, silenter propellere cymbam, nihil similiter de Rege suspicati, cæperunt eis clamosâ subsannatione insultare, contumeliasque verborum & injurias, fures appellantes, irrogare. Ille autem patienter satis sufferens, blanda pro asperis responsa reddebat, mitigare volens insipientiam se frustra molestantium. Excitati tandem quidam de nautis, scire volentes, unde foret tanti risus occasio, cognito Regis accessu, Aue dicebant ei. Hi vero, qui prius stolida*

dâ insultatione garriebant, confusi linguas faucesque restringebant.

Cap: XIII. *Ut enim ea, quæ narrare gestio, luculentiori stylo valeam indagare, superiori reincipiendum est exordio. Multum temporis elapsum novimus, quod Norvegia civili bello pulsata pæne deperiit, & post & ante mortem Magni Regis multa mala emerserunt in regno, quia Rex Sverus, qui prædictum Regem multis præliorum & insidiarum occursibus molestaverat, & tandem occisum vicerat, pluribus infestus effectus, tam extraneis quam indigenis, ut alium Hismaelem crederes, multos illjus regni nobiles expulit, quos non interfecit, quorum unus Simon aliquis Kari filius, dives multum & nobilis, ad Daciam ejectus est; qui susceptus â quodam viro valde probo, nomine Suuein, & communicato cum eo consilio, contra Sverum bella movere tentavit; sed cum principem, cui posset inniti, non haberet, tornatoris alicujus, ut ajunt, filium â Magno Rege mentiuntur generatum. Hunc assumens, stipatus latrunculis, Norvoagiam adire conabatur, nec multo post, rusticis resistentibus, cum principe suo succubuit.*

Cap: XIV. *Hic Suvein, qui Simoni supra dicto consensit in hoc facto, unus erat illorum, qui præfuerunt Danorum collegio, ideoque Sveri Regis valde metuebat adspectum. Convocatis igitur amicissimis suis, Ulpho sc: aliisque sui comitatus principibus, agere cum illis cæpit, quomodo Regis gratiam, quam criminaliter læserat, mitigare posset. Placuit illis Regis adire præsentiam, pro eo bona verba facturi, si fortuna faveret. Vadunt & redeunt, desideratam pacem reportantes Nibil in principe magis honestum clementiâ. Die verò sequenti Regis ipse præsentatur adspectui, suscipitur osculô, hisque tamen eum Rex affatur alloquiis. Miror, vir bone, cùm nihil unquam tuæ mansvetudini molestum intulerim, nec tuorum quempiam verbo vel facto læserim, cur in me nihil peccantem gratis tantum desævire voluisti, ut meæ vitæ regnique discrimen molireris. Scire te non ambigimus, omnium illorum te fore obnoxium, qui cum Simone compositi perierunt Sed quia incomparabilis divina bonitas, quæ suâ pietate de patrato scelere suscitavit ad pænitentiam, ignoscim⁹ & tibi; quia plus in Domini quàm in nostram deliquisti majestatem. Fortè si non venisses ad nos, de te meditaremur ultionem. His dictis multo sermone virorum propositum commendabat, svadebat concordiam, hortabatur ad tolerantiam, quia Moyses in lege mandavit, in sacrificio caudam hostiæ immolari, id est boni operis consummationem. Et in Evangelio; qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Multaqve in hunc modum vir disertus edocuit. Consulebat quoque per Orcades iter agere, eò quod æstas abiisset, ut illic biemarent; sed consilium hoc vulgo non placuit. Finitoque colloquio, regiam liberalitatem ostendens, munera largitus est. De cibariis autem, quæ regionibus illis abundant, communiter omnibus obtulit, ut singulis navibus quinquaginta mensuræ butyri provenirent. His ita gestis, data licentia, cum pacis osculo dimittuntur ad sua, nil animo de Regis indignatione, quæ circa Suvein efferbuerat, sinistrum suspicantes, eò quod majori pænè affectu, quàm cæteros, ipsum videbatur amplecti.* Hoc scriptoris hujus, qvicunq; fuerit, pii certè & rerum, qvas scripsit, apprimè gnari, ut qvi diutiùs se Tunsbergæ versatum profitetur, grave & luculentum testimonium, qvô insignes Regis virtutes, pietas nempe, clementia, benignitas, hospitalitas, liberalitas, magnanimitas, facundia, fusè commendantur, Saxonis perperam edocti, inq; sinistras opiniones calumniis hostium abrepti, narrationi opponimus. Nec Ulfi de Laufnesia laus parùm ad Sverreris laudem facit; ab hoc enim uno cætera satellitum procerumq; cohors, qvam corpori suo circumdedit Rex sapientissimus, facile cognoscitur, ipsiusqve a talium delectu ingenium.

CAP: XXVII.

UNDE HÆC HISTORIA PRIMUM CONSCRIPTA SIT.

AUthor ſcripti hujus Karl, ſive Carolus, Jonis filius, Abbas Thingeyrenſis: is profectò, cujus obitum in annum 1213 nos in Serie R. Daniæ ex Annalibus retulimus. Cænobio Thingeyrenſi præfuiſſe. *vita Gudmundi Epiſcopi* memorat. *Sturlungorum hiſtoria* anno 1170 Abbatem factum, anno deinde 1185 in Norvegiam profectum. Ejus qvoqve *Arildus Hvitfeldius* ad annum 1185 meminit, polliceturqve ejus vitam lucem propediem viſuram. De hoc ipſo Carle *Pontanus* ad eundem annum. *Res*, inqvit *ejus* (Sverreris) *totumque vitæ ſpatium, & quam mirabiliter ad imperium pervenerit, integro libro proſecutus eſt Carolus Ionæ Abbas, ut meminit in chronologicis ſuis vir nobiliſſimus Arnoldus Hvitfeldius regni olim Cancellarius, ὁ μακαρείτης. Eum librum vernacule aut latine conſcriptum, ſi aliquando prodire in publicum contingat, plurimum lucis Norvegiæ rebus illaturum nullum ſit dibium.* Qvâ vero authoritate ſcriptus ſit, teſtatur proemium hic verbis: *Hic incipimus relationem earum rerum, quæ geſtæ ſunt illorum memoriâ, qui primi hunc librum conſcripſerunt. ſciente ipſo Sverrere dictitanteque, ut ſcribi, ut diſponi deberet, quem Karl Ionis filius exſcripſit. Eundem librum Stirmer Multiſcius deinde tranſcripſit. Quem codicem poſtea paſtor Magnus Thorhalli filius exſcripſit, qvi hic exhibetur.* Non igitur de authoritate illius dubitandum, cum ex aliorum relatis exceptus non ſit. Circumferuntur qvidem alii ex variorum relationibus excerpti, qvibus nec veritas deroganda. Multisqve, & in his *genealogia Sverreris* ad Odinum, inde ad Adamum, recenſitâ, ordine qvam primo & ſecundo partis primæ libro ad Haraldum Pulchricomum oſtendi, præmiſſis. Cujus principium bella qvædam Sverreris complectitur, proceſſus, virium ejus argumentum, idqve tanqvam omen rerum majorum, qvæ deinceps ſecutæ ſunt. Pars prior Grila / ɔ: *monſtroſum puerorum terriculamentum*, appellata eſt, qvod metus qvidam, bellis increpantibus, injectus ſit. Poſterior pars libri *perfecta fortitudo* appellatur, qvod ſtatum illum perſeqvatur, qvi in tantum virium excrevit, ut factiones ſingulas, fortes juxta ac debiles, contereret. Licet tamen illis ea adjicere, qvibus ars ſcribendi, aut melior earum notitia ſuppetit. Verum qvamvis qvædam de præliorum eventibus præter veriſimilitudinem exponantur, utpote cum paucitatis in multitudinem ſucceſſus memorantur; conſtat tamen omnibus, vera ex omni parte, ne hilum qvidem in majus aucta, narrari: nec protinus veterum geſta ſuſpectæ fidei fiunt, cum ſua magnitudine admirationem merentur. Talia ferè Abbas ille ad fidem iis, qvæ narraturus erat, præſtruendam in ipſo operis limine præmiſit, qvæ nos ad calcem referimus, ut inſtructus jam ſufficienti rerum harum notitiâ lector judicium de notis facilius ferre poſſit. Mihi certe nihil â ratione alienum narrari conſtat.

HISTO-

HISTORIÆ RERUM NORVEGICARUM PARTIS QVARTÆ

LIBER SECUNDUS, DE HACONE SVERRERIS FILIO ET GUTTHORMO SIGURDI FILIO.

CAP. I.

HACON IN PATRIS LOCUM CONSTITUITUR. PUGNA CUM BAGLIS. CONCILIATIO EJUS ET ARCHIEPISCOPI. INGII BAGLORUM REGIS CÆDES.

POst mortem Regis Sverreris Betulopedes statim, ducibus Hacone Galino & Petro Steipere, cùm literis à Rege scriptis in Thrandiam sine mora magnâ nave optimeqꝫ instructa trajiciunt. Jamqꝫ è mari Stadensi advecti extra insulas rectà ostio Thradensi se inferunt: non enim tuta interna navigatio propter Baglos erat, qvi maritima Sogniæ, Fiordorum, Raumsdali & Mæriarum occupata turmis freqventibus insidebant. Nidarosiam deinde accedunt, ubi, peractis primùm Sacris, Palatium Regium ingrediuntur. Hic qvidam Regiorum obviam procedentes, amicè salutatos, multa inprimis de valetudine Regis, qvem ægrotare nunciatum erat, interrogant, acceptoqꝫ responsô, eum melius se habere, acqviescunt. Postqvam deinde Regis filium adesse & in ædibus suis remansisse intellexerunt, sacram primò Servatoris ædem adeunt, à rebus divinis cætera auspicatò orsuri; ædes inde Regias repetunt, Haconeqꝫ Principe, cui se secreta qvædam offerre profitebantur, evocato, cum ad fores hic processisset, Hacon Galinus & Petrus Steiper, cum qvibusdam aliis primæ existimationis viris, post mutuam salutationem, mortem ipsi Patris Sverreris nunciant, redditis simul literis à Parente novissimè ad eum scriptis. Hinc post mutuum colloqvium, omnibus, qvi à consiliis erant, singulis-

 gulis-

gulisq; Ministris aulicis convocatis, qvæ afferebantur, ipse Hacon exponit: eodemq; ipso consessu absq; ulteriore morâ totius Norvegiæ Rex proclamatur. Ipsô qvoq; hôc vere, civibus omnibus ad comitia Eyrensia convenire jussis, publica voce suffragiisq; communibus Rex regni totius pronunciatur, præeunte agrestium primô, Skervardo nomine. Mox aucta novis ministris aula, satellitesq; plures assumti, admissis in numerum eorum omnibus, qvi Patri ipsius ministraverant: præpositi qvoq; præfecturis, qvi ex aulicis idonei videbantur. Inde classis instructa, juventus ad delectus vocata, paratisqve omnibus, profectio Bergas instituta.

Ingius autem Baglorum Rex, qvàm primum Sverrerem cognovit post adactos ad deditionem castellanos è Vika movisse, ipse se eò recepit, mansitqve ibidem qvoad mortis ejus nuncius certus adveniret; tum denuò comparata classe Bergas adire meditabatur. Verum prævia fama alia longè ac diversa de proposito Baglorum spargebat, aliis Thrandiam infestaturos afferentibus, aliis in Jadriam jam infusos. Rex itaqve in occursum iis classem armatam copiasqve sub ductu Petri Steiperis, Thorgrimi de Lianesia, Einaris Regis affinis, pluriumqve aliorum, misit. Qvi ubi ad insulam Rott pervenerunt, nunciatum est, Baglos Stafangriæ appulisse. Hi verò postera die insulam classe petentes inproviso occursu Betulopedum territi ilicò fugam capessunt. Instant fugientibus Betulopedes, unamqve eorum navem haud segniter se defendentem plurimis occisis capiunt, unde alii statim in Fiordos fugâ præcipiti acti, relictis navibus in terram exscendunt. Cæterum exemplar Ms. non à Rege missos in Baglos Duces nominatos tradit, sed Sigurdum Regis propinqvum (Sigurdi Regis Bronchi nepotem) Bergis tum resedisse, atqve cognitô Bergas adventare Baglos, magnas in illos copias eduxisse, inqve Jadria deprehensos è navibus in terram fugâsse; demum ex fuga retractis, omnibus cum rebus, qvas secum vexerant, potitum Bergas rediisse. Rex verò eadem æstate in Thrandiam redit, aliqvo tamen tempore in itinere in Fiordis transacto.

Cæterum post mortem Sverreris Regina Margareta, assumtâ filia Christinâ, filia item sororis suæ Christinæ Nicolai filiæ, rerumqve pretiosarum magnâ suppelectile, in Vikam se contulit, in Vestrogothiam inde profectura. Sed Consiliariis Regis indignum hoc visum est, filiam Sverreris, sororem Regis, regno exportari. Petrus itaqve Steipir Osleyam profectus, Reginam ibi adhuc morantem deprehendit. Hoc igitur cepit consilium. Paucorum dierum interjectu, cùm Regina fortè corpus Balneô ablueret, oportunitate hac se offerente, ingressus ad virginem Baglos urbi ipsisqve imminere refert: qvæ subitô periculo consternata, consilium ejus efflagitat; is brachiis levatam ad naves deducit, remotisqve tentoriis magnâ remorum concitatione portu excedit. Mox Regina excitata procurrit ad mare, èqve ponte vociferans, reddi sibi filiam postulat. Is fratri priùs reddendam respondens, multis imprecationibus dirisqve iratæ matris devovetur, extensis ad cœlum manibus Deum inclamantis, *vellet sibi vitam tantisper modò indulgere; donec tantam mæstitiam injuriamqve eis reponere liceat, qvanta se jam illi crudeles homines afficerent. Se Rege natam, Regi hujus regni sociatam, nec præter hanc filiam ex eò suscepisse. Qvâ me*, inqvit, *porrò miseram spoliatis, captivamqve qvasi in servitutem natam, vel stuprô conceptam, abducitis.* Hæc inclamando usqve qvò voces ejus audiri poterant ingeminabat; indeqve in Sveciam cum sororis filia mœsta animo

animo profecta eſt ; filia autem ad fratrem Haconem Regem deducta, optimeqve ab ipſo habita & honore culta , nihil præter convictum matris deſiderabat. Manuſcriptum Hafnienſe tradit , Regem hoc eodem vere in Vikam moviſſe, ibiqve diutius per æſtatem manſiſſe : qvod cum Chronico Norvegico ægrè admodum conciliatur , ſi Bergas primò Thrandiâ profectus in itinere longam in Fiordis moram impenderit , niſi pars æſtatis pro vere intelligi debeat , id enim annorum ſupra numeratorum ſeries Annalesqve planum omninò faciunt, ejusdem qvidem hìc anni , qvo Sverrer mortuus eſt , geſta deſcribi : aut fortè ſtatuendum , eum poſt fugatos Baglos , Bergis relictis, primò Vikam , inde Thrandiam petiviſſe.

Inde Rex Hacon Epiſcopos omnes , qvi offenſam Patris ejus incurrerant , juxta mandatum , qvod à parente ultimum acceperat , literis ad ſe veniam & reconciliationem offerendo evocat; igitur accedebant ſtatim Archiepiſcopus Eiricus Nidaroſienſis , Martinus Bergenſis , Niall Stafangrienſis, Ivarus Hamarenſis, & Nicolaus Asloenſis ; qvi omnes Baglorum partes ſecuti , jam rebus ſuis diffiſi , vices manſionum in Dania & Svecia diviſerant ; tum verò in gratiam cum Rege Hacone redeuntes arctiori qvoqve amicitiæ nexu ſe illi jungebant. Singulis ita in ſuas Eccleſias reſtitutis , Archiepiſcopus regnum anathemate ſolvit. Perſpicuum hinc fit , non minus qvàm ex Pontificis Innocentii Tertii literis, Sverrerem anathemate iſto devotum , nec verò ſolutum mortuum eſſe. Neqve aliud ſibi voluit , qvod moriturus faciem poſt mortem nudatam omnium conſpectui exponi mandaverit, qvàm ut monſtraret, poteſtatis illius terreſtris , quam divinæ homines vel præferebant, vel æqvabant, minas pænasque vanas eſſe & injuſtas, Deoque inviſas.

Eâdem æſtate Gudmundus Arii filius, cognomentô Bonus , ſuffragiis ordinum in Epiſcopum Holenſem in Islandia electus , ad Regem profectus eſt : â qvo benignè ſuſceptus , longoque cum ipſo tempore converſatus , propenſiorem in dies gratiam conſecutus eſt; ſeqventem verò hyemem apud Archiepiſcopum exegit , â qvo conſecratus muneribusque donatus , in patriam eſt remiſſus. Hac ipſâ æſtate Ingius Baglorum Rex, qui præcedente vere in fugam conjectus erat, Vikam, mox Uplandas , acceſſit , rebusque ſuis in dies deficientibus , cum novi Regis humanitate & benevolentiâ univerſi penè & ſinguli allecti ad eum tranſirent , ab inſula lacus Miorſis aliqvod ſibi ſuisqve præſidium ſperans , majora, qvotqvot nanciſci poterat , navigia tractus iſtius ruſticis eripiendo detinendoqve ſeſe circumſepſit. At jam maximè ſecuritatem ſuam confirmâſſe ratus, ſpe valde fruſtratus eſt. Etenim Hacon mirâ animi dexteritate ità occupaverat animos , ut hujus jam gratiam ruſtici in primis ſpectarent : iis enim ſe mitem & propenſum admodum oſtendit, aulicis contra ſeverum , qvos durioribus verbis ab inferenda vel minima colonis injuria coërcitos , ſi deinceps violarent , etiam pœnis caſtigabat. Igitur Uplandi, Regiis ſe miniſtris jungentes , ſcaphis & cymbis exiguis , qvas ſolas eis Ingius reliqverat, in inſulam trajicientes nondum exorto die eo advenerunt , accedentesqve ædes, ubi Rex totam noctem cum ſatellitibus comesſabatur, indicio demum præcurrentis vigilum unius , tum cum domum circumſtetisſent , primum animadvertuntur. Exſiliens igitur Ingius , arma ſuis ut corripiant , exeantqve in occurſum hoſtium , mandat, nec patiantur ſe intra ædium penetralia mactari. Egresſi itaqve, non vincendi , ſed mortis qvisqve ſuæ ulciſcendæ ſtudiô , infeſtos in obſidentes gladios ſtringunt, dignamqve deſperantibus pugnam , alacritate qvàm diuturnitate nobiliorem , cient; qvâ

plurimis, & inter eos ipso Rege, cæsis, oppidò pauci evadunt. Hac clade cœteris, qvi diversis in locis se continebant, Baglis animi fracti, igitur alii in Daniam, alii in Sveciam, alii ad amicos & propinqvos fugâ dispersi sunt, pars Regis Haconis clementiæ se dedentes veniam impetrârunt. Itaqve factionis tam validæ vires, qvas industria neqvibat patris, exoriens novi Regis fortuna subitò dissipavit. Manuscriptum supra laudatum Ingium qvidem à rusticis (qvi modô à nobis descriptô eum invaserunt) occisum refert, non tamen sinè suorum fraude atqve insidiis, in primis Gunnaris Lesti, qvem maximis beneficiis devinctum in proximam sibi sedem receperat, oppressum. Sed nullis solet meritis perfidia mitigari, nec avavitia largitionibus expleri, non ambitio honoribus, vel obseqviis superbia, suis qvippe irritamentis in majora semper augendis, satiari potest; præsertim cum fortuna eorum, qvi talia debent sustentare, incipit vilescere, spesqve novæ majora prœmia emolumentaqve pollicentes aliunde affulgent. Totâ hâc hyeme Rex Hacon Nidarosiæ morabatur, id enim rectius qvàm Exemplar MS. qvod Bergis mansisse refert, Chronica nostra tradunt, consentientibus Haconis Senioris Episcopiqve Gudmundi vitis. De hoc enim constat ac disertè ibi perhibetur, delatum ad Thrandiam isto autumno, ibiqve à Rege comiter exceptum esse; qvem tum Bergas adiisse veritati haud consentaneum est.

CAP. II.

REGIS HACONIS IN ORDINANDO REGNO CURA. ERLINGI STEINVEGGI COEDES. REGIS MORS REPENTINA, CUM EO SPECTANTIBUS.

REx Hacon, festô Nativitatis Domini exactô, nuncios in Uplandas Vikamq; cum literis ablegat, qvibûs certa regiminis forma præfectis provinciarũ præscribitur, plenâ iisdem potestate à subditis obseqvium exigendi & negligentiam pænis coërcendi datâ, dicaturqve simul Regem proximâ æstate Vikam accessurum. Missi qvoqve in Sveciam ad Reginam Margaretam, ejusq; sororis filiam Christinam, alii nuncii cum literis. Utraq; à Rege honorificè admodum magnâqve sinceri affectûs testificatione invitabatur, omnium, qvas expeterent, rerum copiâ liberalissimè oblatâ; illæ autem aliqvo post tempore pari qvoq; affectûs animiq; grati significatione rescripserunt. Initiô demum veris post festum resurrectionis Dominicæ Rex Hacon Nidarosiam relinqvit, magnâq; classe Bergas primò devectus, inde Vikam petit; qvô in itinere urbes adeundo singulas, Albiã usqve regni limitem lustrat, magno ubiqve studiô à civibus exceptus, qvi omnes in obseqvium ejus propensi fidem juramentô sanciverunt. Stipabatur autem præcipuis regni proceribus, Hacone Galino, Petro Steipere, ex sororibus Regis Sverreris natis, Sigurdo Regis propinqvo, etiam ex altera sorore Regis Sverreris, Sigurdi nempe Bronchi filiâ, nato (ut MS. illud, qvod suprà laudavimus, habet; licèt nec sororis istius nomen nec conditionem, in qvam transiverit, exprimat) præter hos Hroare qvoq; Regis propinqvo nuncupato, Dagfinno Bondio, aliisq; regni optimatibus. His addit MS. vitaq; Haconis Senioris duos itidem primæ conditionis viros,

ros, Einarem presbyterum, generum illum Sverreris, & ſororis Haconis maritum, Rogiæ præfectum, virum magnificum, Regiq; in paucis carum, Alterumqve Eyvindum, Sacerdotis affinem dictum. Ab Albia regreſſus longo per autumnum tempore Sarpsburgi moratus eſt, ubi virginem indolis ingenuæ & ſinceræ, genere qvoq; haud ignobili ortam, nomine Ingam, qvæ ex parœcia Heggine, prædio Folchisbergo, Audunum de Burgo aliosq; præcipuæ notæ cives Burgenſis provinciæ cognatione attingebat, ex familia Verteingorum (Vöreigorum habet *Gullinskinna*) nactus memoratur. Inde Osleyam profectus, ſtatim ac reditum Reginæ Margaretæ ſororisq; illius filiæ Chriſtinæ cognovit, obviam eis proceſſit, benignèqve exceptos Bergas ſecum, ubi hyematurus erat, reduxit.

Fuit Regis Sverreris tempore in Dania vir qvidam, nomine Erling9, qvi ſe Magni Regis filium profiteri palam eſt auſus. In hunc igitur Rex percuſſores in Daniam miſerat; is verò de periculo certior factus, in Veſtrogothiam fugit. Miſit ergò jam Rex Hacon oratores ad Sveciæ Regē Knutum, qvi nunciarent, eſſe in Svecia virum qvendam, qvi tumultum in Norvegia primâ qvâqve occaſione moturus videretur. Igitur Rex Knutus comprehendi eum, turriqve in Inſula Viſingia includi mandavit. Ubi cùm aliqvantum temporis ſediſſet Erlingus, operâ tandem fæminæ, qvæ cibum ei miniſtrabat, lodices pannosqve accepit, qvas in ligulas diſſectas invicemqve nodis arctiſſimis colligatas corpori in terrā demittendo adhibuit; cùm autem breviores eſſent ligulæ, qvàm uſus reqvirebat, nec ad terram pertingerent; ipſe ſe per illud, qvod ſupererat, ſpatii præcipitans femur alterum fregit, ita ut claudus exinde ſemper exſtiterit. Inde per Jarnberiam profugus erransqve ab immiſſis Regis Haconis miniſtris occiditur; inqve argumentum rei ac teſtimonium inventi apud ipſum pugillares, propriâ ipſius manu exarati, ad Regem afferuntur, affirmantibus, qvi manum Erlingi noverunt, nullius niſi ejus fuiſſe. Idem cognomine Steinveggus, à pariete lapideo, ſev muro, appellatus traditur. Hujus autē anni æſtate ad nundinas Skaneyrenſes vir alius, Erlingi nomine, Magni ſe Regis filium profeſſus, venit; utqve fidem faceret, eundem ſe eſſe, qui aliqvo tempore in Vanlandia verſatus fuerat, atqve inde in Viſings Eya in turrim conjectus, affirmabat. Manuſcriptum, omiſsâ prioris illius Erlingi mentione, hunc in turrim in Vandalia conjectum memorat, mulierisqve Vandalicæ, nomine Margaretæ, ope evaſiſſe, veſtibus in corrigiarum modum ſciſſis, inqve catenæ uſum adhibitis, è feneſtra per parietē demiſſum; cùmqve contractior juſto reſtis eſſet, magno caſu delapſum, luxata coxendice, per tenebras tamen noctis evaſiſſe. Sed verius utraqve Chronica referunt: qvibus confeſſio Simonis Kyris, de qva in vita Haconis Senioris, conſentit.

His auditis, protinus diſperſæ hactenus Baglorum reliqviæ certatim ad eum confluentes ducem poſcebant, ſatis ſibi virium auxiliorumq;, nec qvicqvam defuturum rati, duce qvalicunq; impetrato. Is autem negabat *ſe tantum periculum ſubiturum: conſtare quippe jam ſatis ſibi, potiſſimos Baglorum proceres ad Haconem tranſiiſſe, quem omnium indigenarum vota ſolum Regem poſcant, quiqve maximè omnibus in deliciis ſit.* Eô igitur vivô nihil ſe tentaturum reſpondens, repudiatis factionis inſtrumentis, Hafniam petiit, ibiq; per hyemem ſe continuit. Degebat interea Rex Hacon Bergis, ubi tum qvoq; noverca ejus Regina Margareta cum Chriſtina impenſis Regiis, ſed diverſâ in domo, alebantur; raro autem menſam Regiam acceſſerunt, nimioq; erga privignum livore irâqve excandeſcens Regina

triſtem

triſtem ſe ſemper & trucem oſtendit; cùm & Rex hilari & blando vultu ſermoneq; urbano eam mitigare ſibiq; conciliare ſtuderet; & ſororis Reginæ filia Chriſtina, nihil non, qvod ad concordiam amicitiamqve redintegrandam faceret, aſſiduè ſuggereret. Jamq; apparatus in feſtum Natale Chriſti magnis ſumtibus fiebant, convenitq; tum eò omnis flos procerum ac Satraparum regni, ad vigilias feſti ſolenni lætitiâ celebrandas. Ut itaq; Regina regiam ſuâ præſentiâ cænam exornaret, poſtqvam completo hoſpitibus palatio, more antiqvo, ſuas ſinguli ſedes occupâſſent, miſſi, qvi eam filiamq; arceſſerent. Illa verò truci etiamdum vultu, magnâq; irâ æſtuans, reſpondit: *Equidem diuturna recordatione recolo, me ſæpius beatiſſimo Regi Domino meo hac feſti celebritate in ſolio aſſediſſe. Haconi verò quantumvis me invitanti neutiquam aſſidebo.* Qvô relatô, contemni ſe in tanta maximorum virorum freqventiâ, honoremq; oblatum mulieri ſordere, admodum ægrè ferens; *Etſi*, inqvit, *Regina in contemptum noſtrum tantopere inſoleſcat, nobisque aſſidere dedignetur; at certè ſoror noſtra Chriſtina aſſidebit.* Relatô inde ad Reginam, iratum eſſe Regem, illa nihilo mitior facta, *an*, inqvit, *memoriâ excidiſſe mea putat, me ab illo Osleyæ filia ſpoliatam, nec ſatis ipſi eſt factum, pari niſi facinore dolorem jam meum renovet.* Qveis auditis filia eam manu inhibens bonô animo eſſe juſſit, ſe enim apud eam remanſuram. *Imò verò*, reſpondit mater, *me præſente in hoſtium manus non venies; ſperabimusqve jugum iſtud, Deo providente, haud diuturnum futurum*; exſurgeneqve ità cum illâ, menſam Regiam acceſſit, inq; ſolio Regi ad latus aſſedit, magnâ qvidem hujus omniumq; convivarum lætitia. In primis verò Petro Steiperi aliisqve, qvi in abducenda filia operam Regi locaverant, infenſa, non poterat ipſis conciliari. Haconem autem Galinem diligebat, ejus patrocinio plurimum ſemper confiſa. Verum ſecundâ feſti hujus feria Rex Sacra ſibi primum celebrari juſſit, iisqve peractis, conclave paucis comitatus ingresſus, venam ſibi inſcindi fecit, exiguoq; cibo ac potu refectus, poſt celebrata iterum in baſilica Servatoris Sacra menſam acceſſit, nec multum tum ſumens cibum potumq; pauca qvoq; locutus, candelarum lucem ſibi propiorem ferre non potuit. Tertio autem die Sacris in conclavi habitis, ad menſam prandebat, ſtatimqve à prandio conclavi repetito, valde debilis & langveſcens lecto ſe ingerit; plurimum verò nocte, qvæ inſecuta eſt, morbum augeſcere ſentiebat; qvinto die corpus omne intumeſcebat, paucisq; tum aditus ad eum permiſſus eſt. Hinc ingraveſcebat in dies morbus usq; feriam octavam, qvæ annum MCCIV auſpicata, æternæ eum qvieti reddidit. Tunc corpus univerſum colore livido in tantum intumuit, ut vix humanam figuram repræſentaret. Idem mox Templo Servatoris illatum ad latus aqvilonare è regione paterni ſepulchri conditum eſt. MS, omisſis his circumſtantiis, ſingula breviter exeqvens, tradit Haconem Natalitiorum tempore in morbum incidiſſe adeo acutum, ut ſibi moderari neqviret; delatumqve in caſtellum brevi deinde animam egiſſe, atqve circa octavam feſti feriam exſpirâſſe.

Morte Regis luctus & mæror univerſum invaſit regnum. Omnes qvippe ſummum jam & acerbiſſimum damnum acceptum judicabant; etenim ante imperium Hacon, cum ad huc privatus patris ductu auſpicioq; militaret, clypeus ſuorum dictus & præſidium ſubditorum omnium eſt habitus. Invidiâ deinde ſublati per venenum Regis Regina protinus onerabatur, occultioribus ſuſurris primò, mox colloqviis, inde jurgiis cum illâ apertis exercitâ. Tandem ipſa juxta ac miniſtri ejus tanti criminis palam

inſimu-

insimulabantur; qvod qvidem à se suisq; amoliri qvovis modo factum publicè inficiando tentabat: causæ præterea ejus Hacone Galino strenue patrocinante. Sed invidiâ ac indignatione procerum eousqve agitata est, ut coacta sit virum producere, qvi ex veteri lege regni suô suorumqve nomine candentis ferri testimonium periclitaretur. MS. crimini Reginæ datum tradit, qvod Regi, ministerio certi, qvem tum alii designârunt, hominis venenatam potionem præbuerit, eumqve ad culpam ordalio, ut vocant, diluendam adactum; nomen ei Petrus: hic præmissis pro more jejuniis alacriter qvidem & fortiter ferrum sustinebat; cum verò manus revolutis vinculis vel fasciis inspecta malè habita ac læsa appareret, convictus sceleris damnatusq; protinus extra sinum Bergensem rapitur, ibiqve submersus, qvam diluere non poterat culpam Sacramentô, luit Suppliciô. Moxq; milites aulicíq; Regis eandem in Reginam poenam ex poscebant; ea verò exterrita amicos in præsidium vocabat; qvod Hacon Galinus fideliter ipsi præstitit, idoneoqve comitatu in Sogniam, inde Valdresiam, ad Erlingum de Qvidno deduci curavit; qvi deinde in Vermiam eam, hincqve in Sveciam, deportavit. Atqve ita instanti ab infesto nimium exercitu periculo exemta est, magno tamen famæ ad omnem posteritatem dispendio, utpote perpetua suspicione onerata, qvam nec piisſimi parentis exemplum, nec incorrupta in sanctissima illa domo educatio, non tanti mariti integrias & merita, non ipsius Haconis moderatio & humanitas, coercere poterat, qvo minus novercale illud odium ad necem usq. innocentissimi Regis, suamq; adeo perpetuam infamiam, extenderet. Neptis ejus Christina apud Haconem Galinum remansit, qvos inter arctior amicitia & necessitudo intercedebat. Fuit verò Rex Hacon facie liberali, capilloqve decoro, apta membrorum proportione, staturâ mediocri, patre tamen multò altiore, voce sonorâ & clarâ, sermone eleganti, & qvoties verba faceret, diserto pollebat, magnâ præterea humanitate morumq; elegantiâ præditus, cultissimæ aulæ studiô, periculorum contemtu & eorundem evitandorum solertiâ celebris. Decimo hinc natalis festi die Episcopus & consiliarii Regii aulicique Ministri conveniunt, de electione novi Regis, qvem in demortui locum substituerent, consultaturi.

CAP. III.

DE GUTTHORMO SIGURDI FILIO REGE ELECTO, ET EJUS TEMPORE GESTIS.

NOn diu in dicto conventu deliberatum: omnium enim statim suffragiis Sigurdi Lavardi filius designabatur. Nomen ei Gutthormus; qvod is qvidem inter Norvegiæ Reges primus idemq; postremus gessisse legitur. Puer tum erat qvadrimus; cujus parentis obitum Annales unô annô Patris Sverreris mortem antecessisse tradunt. Manuscr: Hafniense Paulo ante mortem Sigurdi decessisse Sverrerem vult; vita autem Sverreris prorsus de ea re silet. Divisis deinde officiis Regnum aulaqve Haconi Galino administranda, Regis ipsius cura & educatio Petro Steiperi (qvi filiam Regis Magni Ingibiorgem in matrimonio habuit) & Einari Regis affini commissa. His consensu votisq; omnium, tactis pro more

 armis,

armis, confirmatis, cum menſas accederent, ſolio Regio puer imponitur, fruiturqve miniſteriis tantæ Majeſtati debitis. Ipſe deinde Rex novus gladium lateri Comitis Haconis alligat, humerisqᵹ ejus clypeum appendit, ſicqᵹ omnium ſuffragiis Comitem creatum in ſolio Regio â latere ſuo conſtituit. Tantum tunc qvidem à priſco inaugurandi Comites ritu deflexum erat, ut qvi ad pedes Regios olim dignitati ſuæ congruum locum caperent, nunc immutata mirè conſvetudine lateri admoverentur.

Mittuntur exinde in Thrandiam nuncii cum Regis Comitisqᵹ literis, qvibus Ingio, Bardi de Reinere filio, fratri Comitis, Haconis uterino, præfectura Thrandenſis addicitur. Ibi igitur ſtàtim in publico Eyrenſi foro Gutthormus omnium voce Rex pronunciatur. Hac arte exercitus qvoqᵹ omnes in obſeqvio & imperii reverentia continebatur. Inter proceres aulæ præcipui tum numerati ſunt Sigurdus & Hroar Regis propingvi, Eivindus Presbyteri affinis, & Einar Regis affinis; his enim vulgò nominibus dignoſcebantur. Qvibus in Daniam ad Erlingum Steinveggum, Hafniæ tunc degentem, ſe conferentibus, confeſtim Baglorum iſtæ reliqviæ, qvæ Erlingum prius ducem popoſcerant, eò qvoqᵹ confluxêre; qvibus & pars illa, qvæ deploratis in Norvegia rebus etiam ſpes omnes ſuas inter Betulopedes decoxerat, è patria in Daniam profecta ſe aſſociavit, Ducibus Torleifo Scalpo, Oddo Rane, & Arnbiorno Trollio, Aunundi Lunni filio. Hi igitur Hafniæ convenientes, inqᵹ militiam Erlingi ſe tradentes, ſtatim nuncios in Norvegiam mittunt, omnes, qvi eandem ſeqvi militiam vellent, Alaburgum ad tempus qvadrageſimale evocantes. Ipſe Erlingus Daniæ Regem Valdemarum Secundum adit, rerumqᵹ ſuarum ſtatum ipſi exponens, auxilium, qvod neceſſitudo qvodammodo nexusqve ſangvinis exigeret, implorat. Rex, promiſſis auxiliis ad Regnum hœreditarium recuperandum, optimæ ſpei plenum dimittit. Hafniâ igitur Alaburgum ad præfinitum tempus proficiſcitur; ubi eum recèns è Norvegia advecti proceres, Hreidar Nuncius, Solvius Diſæ filius & Philippus de Vegine, Jon Drottning / ſeu Regina, cognomine appellatus, excipiunt. Mox comparatâ magnâ lemborum copiâ, triremibusqve aliqvot egreſſi è Dania, familiarem ſibi ſedem Vikam repetunt; nec gravatè ab indigenis recipiuntur.

Osleyam deinde ad Epiſcopum Nicolaum profectus Erlingus, qvô dubitationem illi civibusqᵹ eximeret, ad igniti ferri examen ad fidem generis, qvod profiteretur, adſtruendam admitti ſe poſtulat: qvod Epiſcopus iſto tum loco abnuit. Inſtantibus autem proceribus & aliis magnæ exiſtimationis viris, preces ſuas jungentibus, copiam examinis Sarpsburgi ſe ipſi facturum pollicetur. Eò igitur profectus Erlingus jejuniô religioſè ſe præparat: & jam manus ſcintillanti laminæ excipiendæ extenderat, cùm Epiſcopus eum inhibens, *non ibi, ſed Tunsbergæ, examen peragendum* denuò moneret; *ibi enim Daniæ Regem præſentem examinis teſtem adfuturum, jam in ſingulos dies exſpectandum: ab illo itaq; examine, ſi feliciter ceſſerit, univerſum fortunæ ejus momentum dependere, aſſertoq; tanti generis ſplendore, auxilium Dani ſecuturum: ſecus ſi eveniret, tantam temeritatem haud inultam futuram.* Placuit Erlingo Epiſcopi adhortatio, *accepturumq; ſe conditionem* protinus affirmavit, *certitudinem cauſæ ſuæ notam ſibi, notum & ingenium divinum, quod juſtam nunquam cauſam ſoleat deſtituere.* Cæterùm jam antea, cùm primùm Epiſcopo de factionis hujus in Daniam confluxu conſtiſſet, ipſe qvoqᵹ ad Regem Daniæ profectus, qvæſiverat à Rege, *an Erlingum Norvegis Regem imponere ſtatuiſſet?* qvo affirmante, ſeqᵹ ſangvinis nexu

nexu provocatum auxilium pollicitum profitente: *Mirum*, inqvit Episcopus, *te tantâ Sapientia præditum Regem, intra Regnum tuum confluxus factiosorum pati, eosq; sustentare, tantùm ad obtrudendum alieni regni civibus incolisq; Regem, de cujus genere oppidò obscuro nemo certi quicquam cognovit. Etenim non Regis Norvegici, sed vilis cujusdam in Uplandis homuncionis filius mihi apparet: patria jam diu ob mendacium proscriptus, jam diu civibus bonisq; omnibus exosus. Qvod si verò animo sedet, Rex optime, exercitum in Norvegiam adversus illos, qui jam diu multa sangvinis effusione gentem illam vexarunt, componendas, finemq; tot cædibus, rapinis, aliisq; malis, quibus Bagli jam longo tempore sævierunt, imponendum mittere, quò sic numen cœleste optata pace reducta propitietur, saltem propinqvorum tuorum unum, cujus in te fidem & obseqvium habes perspectum, isti negotio adhibe. Deus enim jam omnes Baglorum Principes, qvi prudentia aliquâ & imperandi scientia pollebant, penitus delevit, qvòd illa scilicet potius ad mala perpetranda, quàm bona promovenda abusi fuerunt. Jam verò hominem vesanum & pueriliter temerarium sibi præfecerunt, ipsi meliorum consiliorum expertes.* Ad ea Rex respondit. *Nostri quidem propinqui tam lautis apud nos conditionibus gaudent, ut Norvegiam hujus factionis gratia recusaturi sint. Novi itaq; ego*, respondit Episcopus, *virum, poscentibus Regem ducem idoneum futurum, & hunc qvoq; tuum, nempe Philippum Ingii Norvegiæ Regis sororis filium, omnibus, qvæ in Rege & Principe expetuntur, virtutibus instructum.*

His & tum & postea sæpius apud Regem insigni facundiâ repetitis, eum tandem permovit, ut se proxima æstate in Norvegiam profecturum ipsi fidem daret: qvâ acceptâ, Episcopus domum rediit. Seqvente igitur æstate circa festum Botolphi Rex Valdemarus Tunsbergam trecentis navibus appulit, his duobus Norvegiæ proceribus comitatus, Philippo Simonis filio, Karii Nepote, & Elto Karii filio. Philippi mater erat Margareta, Arnii de Stodreimio filia, nata matre Ingeride, Rognvaldi, qvi Sveciæ Regem Ingium Patrem habuerat, filiâ. Margaretæ fratres uterini Rex Ingius Haraldi Gillii filius, Ormus Regis frater, ab Ivare Sneise & Ingeride, ut sæpius dictum, strupro procreatus, & Episcopus Nicolaus, erant. Promiserat Rex Episcopo se Philippum Principem Baglis constituturum, si ipsis probaretur; de qva re cum publicè ad eos referretur, omnes tam proceres qvàm plebs, *neminem nisi Magni Regis nepotem Regem se habituros*, vociferabant; *eum enim ad id fastigium natum; alium verò pari secum genere oriundum haud passuros sibi imperare; malle itaq; factionem dispergere, singulisque sui curam posthæc remittere.* Qvin & Rustici pari ardore respondebant, *si quis Regis filius præsto esset, ei se protinus Regium nomen ingesturos, ejus deniq; Imperio obsecuturos; is si nullus esset, nec se intra regnum turbas aliquas ulterius moturos.* Episcopus itaq; animadvertens, ni Erlingus Rex foret, actum de factionis progressu esse; his eum verbis alloqvitur. *Ni fallor, parum tibi præsidii ab agrestibus exspectandum, ad turbas quidem ciendas jam segnioribus, ni tuam ego causam consiliis meis promoveam: non enim me latet, si in examine minus feliciter res cesserit, Daniæ Regem te protinus occisurum. Sed qvamvis optimè constet mihi, quô natus parente sis, tamen penes me est exáminis ejus directio, qvod pro libitu, in qvam partem volo, facilè intorqvebo. Si igitur propinqvum meum Philippum ad Comitis dignitatem te erecturum promiseris, tuam pro viribus factionem sustentabo, tuasq; partes omni opera ac industria promovebo, amicosqve & consangvineos omnes in tui tuarumqve partium studium meâ authoritate pertraham.* Assensit statim Erlingus, mutuisq; pactis hæc ambo inter se tacitè confirmabant.

Tunsbergam deinde profectus Erlingus, novo iterum jejuniô se ad examen præparat. Ferrum inde ab Episcopo consecratum; juramenti verò formula ab ipso Rege Valdemaro, qvi tum adfuit, prælecta, modusq; examini præscriptus, qvod ipso præsente & inspectante ritè ex more majorum peragebatur, sine ullo Erlingi dolore dolorisve indiciô. Cùm autē manus fasciis evoluta inspicienda esset, armatum militem Valdemarus circa templum disposuit; unde facilè conjectari poterat, qvid in Erlingū decretum, si in examine tum defecisset. Episcopus verò eum ad fores sacrarii ductum, omnium conspectui exhibuit, nudatâq; manu, suisqve digitis pertentatâ, causam optimè declarâsse Erlingum proclamabat; nec sibi unqvam à ferro tam illæsam manum conspectam. Ipse Rex ante fores chori assistens, infraq; eum comites universi, *Te Deum laudamus* concinebant. Erlingus eodem die à Rege ad convivium invitatus, triginta qvinqve naves bellicas cum armamentis omnibus donô accipit; postero die in foro Haugensi Rex renunciatur, ipse Philippum statim eodem tempore Comitem creat.

Paulo post Rex Valdemarus pacatè & absq; ullius damno è Norvegia regressus, classem copiasqve incolumes in Daniam reduxit. Magnus inde ad Erlingum procerum populiqve confluxus, singulis fidê datâ Regem suum agnoscentibus, fidemq; juramento obligantibus: qvos inter hi præcipue memorantur. Arnbiornus Gauti filius, Helgius Byrgeris filius, Asbiornus Koppus, Gyrdir Benteini filius, Guthornus Thoanus, Ormus Langius, Thordus Docka, Benedictus de Gumanesia, Simon Kyr, Kolbeinus Raudius, sev Rufus, & Gygir Skialgius; qvi numeroso comitatu magnisq; instructi navibus ad eum confluxerunt. Post festum S. Johannis, comitiis Sarpsburgi celebratis, Erlingus Rex, Philippus Comes publicâ præconum voce nunciantur. Inde Tunsbergam repetunt, Episcopo Nicolao itineris sociô. Betulopedes verò, his cognitis, extemplò celeri fugâ, provinciis relictis, alii Bergas, alii in Thrandiam se recipiunt. At Hacon Comes, Christinâ secum adductâ, in Thrandiam repentè movit, Bergis exercitu satis magnô relicto, cujus hi duces, Dagfinnus Bondius, Thorgrimus de Lianesia, & Thorer Brusius. In Thrandiam cum ventum esset, Rex comesq; civibus cunctis & provincialibus ad forum Eyrense evocatis, militem legunt. Verùm paulo post Rex Guthormus in morbum adeo gravem incidit, ut universum corpus acubus acutissimis compunctum qvereretur. Interrogatus qvò tempore primùm eum sensisset, respondit; *Sveticam mulierem* (Christinam intellexit) *se genubus impositum, manibus totum corpus pervagando contrectâsse, moxqve ex eo momento morbum exortum.* Sic post paucorum dierum intervallum die 11. Augusti eodem morbo exstingvitur, ad ædem Christo sacram sepulchrô conditus. Solus tum Comes Hacon militiam, qvam sanè ingentem habuit, regebat.

Consultatum deinde inter proceres de Rege idoneo sibi præficiendo; plurimorumq; votis Comes Hacon destinabatur; sed adversabatur inprimis Archiepiscopus, obtendendo, dissensum aliqvem se inter & illum intervenisse, amicitiam qvoq; Haconis cum Christina Reginæ, Margaretæ sororis filia, constitutionibus Ecclesiasticis minus consentaneam dictitans. Mox ad comitia itum, qvò agrestes ex singulis Thrandiæ provinciis ad Regem designandum undiqve convenerunt. Candidati verò nominabantur Comes Hacon, Ingius & Sigurdus Bardi filii de Reine, Hroar Regis propinqvus, & Petrus Steiper, Stephani Parci ex sorore Regis Sverreris filius, jam Ingibiorgis, Regis Magni Erlingii filiæ, maritus, nescio qvo jure in eligen-

eligendorum numerum receptus, nullo qvippe, qvi erat Rege prognatus. De his longo tempore inter Proceres disputatum; tandem comitia instituta, scriniumqve Sancti Olafi eò delatum; Archiepiscopo cum clero inseqvente. Post longum salis colloqvium, res omnis ad legum præscripta remissa est, qvæ eo seculo Regis eligendi jus penes rusticos esse voluerunt. His itaq; ab omnibus demum consensum est. Disceptatum deinde, qvinam ex tribus fratribus, Bardi filiis, qvos Cecilia Regis Sverreris sorore Sigurdiq; Regis nata procreaverat, partibus placeret. In Sigurdum omnium ferè vota inclinabant, qvod ingenio is miti & facili, ad hæc justi æqviqve tenax valdeqve popularis esset. Verùm alii opponebant, probum qvidem hunc virum; magni tamen exercitus, tempore iniqvo, periculis à tantorum virium hoste undiqve imminentibus, ducem minus idoneum futurum. Isti autem necessitati negotiorumqve moli sustinendæ haud alium Comiti Haconi parem. Eòqve longa disceptatione ventum est, ut Satrapæ omnes hunc Regem postularent. Rustici autem & cives negabant, se pro Rege agnituros illum, qvi Gotho Patre natus, & à majoribus Gothis oriundus esset, pari gradu alium materno genere Regis complexum, paterno autem è nobilissima tota Thrandia domô editum ei præferendum, Ingium nempe Bardi Guttormi filium, Comitis fratris uterinum. Erat autem stemma illius tale: Cecilia utriusqve mater, Regiâ, ut par erat, educatione in Thrandia enutrita; qvo tempore Erlingus Skackius sobolem omnem Haraldi Gillii ad internecionem perseqvebatur, in Vermiam fugiens, supremo ibi Judici Folkvido collocata est, ex qvo Haconem Comitem procreavit. Cognitô deinde, fratrem suum Sverrerem regnum Norvegiæ tenere, deserto Judice, cum qvo aliàs haud satis ei convenit, ad fratrem in Norvegiam rediit. Is prædium Jelminum, ubi educata erat, inhabitandum illi tradidit; postea in matrimonium eam collocabat Bardo Satrapæ de Reinio, ut suprà præcedente librô dictum est. Genus autem Bardi altius repetitum hoc exstitit. Pater ei fuit Asulfus de Reinio, avus Skulius, Regis nutritius cognominatus, proavus Comes Tostius Anglus, Haraldi Godvini filii Angliæ Regis frater, qvi cum Haraldo Strenuo Norvegiæ Rege in Anglia cæsus est. Asulfi mater Gudruna Nefsteini filia, matre nata Ingiride, Regis Sigurdi Siris filia. Gutthormi mater Thora Skoptii filia; Skoptii pater Augmundus, Augmundi Thorbergus Arnii filius, Regis Haraldi Strenui socer, Augmundi mater Ragnhildis, qvæ Erlingum Skialgi filium de Solio parentem habuit. Thori verò Skopti filia, mater Sigridis, Thordum Folii filium genuerat, eum, qvi S. Olafi in pugna Stiklastadensi vexillarius qvondam erat. Sigridis mater Alof Einaris Thambaskelferis ex uxore Bergliote, Comitis Haconis Hladensis filia.

Sed qvia toties de jure ad regnum, superqve eo dissentionibus eligentium, in hac historia incidit mentio, hôc potissimùm locô annectere libuit illa, qvæ *Celeberr. Thomas Bartholinus Antiqvit. Dan. Lib. II. Cap. I. pag.* 237. de jure successionis veteri annotavit. Sic ergò ille, jura Regis Sverreris contra calumnias *Neubrigensis* defensans; *Nunc*, inqvit, *monstrandum est, post Sigurdi Regis interitum potius Sverro, licèt illegitimo filio, attamen ex tali conjugio nato, ut legitimari posset & hæreditare, regnum Norvegiæ jure ipsius regni regio debitum fuisse; quam Magno ex Sigurdi Regis patrui filia nato, quousque lineæ successionis Regiæ in Norvegia particulariter in jus relatæ, se non extendebant. Tulit illud jus Olaus Haraldi, Rex Norvegiæ, in Sanctorum numerum post obitum relatus, à quo sancitum, in Codicem Legum aulicarum,*

rum, ſev Hirdſkraa *illud retulit Magnus Rex,* Lagabœtir *; ſev legum Reformator dictus, cum ſtipulatione omnium incolarum regni ad perpetuam ejus obſervationem, eidemque Codici conſentiunt alii legum Norvegicarum Codices,* Froſta-ings Logbok/ Gulaþings Logbok /Eidſiſiaþings Logbok, *uti & liber legum Islandicarum antiqvus,* Jonsbok *dictus. Iſtud itaque S. Olai de ſucceſſione Regia jus hæreditatem regni primò defert Regis filio, deinde nepoti ex filio, tertiò Regis fratri, quartò Regis patruo, quintò Regis ex fratre nepoti, ſextò Regis patrueli, ſeu patrui filio, & tunc ſeptimò Regis filio naturali.* Et paucis interjectis: *Quod ſi jus ſuum ab avo materno fortè, Sigurdo Iorſalafare, Magnus deducere voluiſſet, nihiloſecius Sverro eſſet poſtponendus, cùm Regis ex filia nepoti octavo tantùm gradu jus ſucceſſionis Olaus Sanctus dederit, hac ſemper reſtrictione; ſi nullus eorum ſuperſit, quorum prius mentionem fecimus.* Hæc & alia iſtiusmodi, huc apprimè ſpectantia, locô citatô diducit laudatus Author; lectu jucundisſimus. Nos ad electi Regis geſta properamus.



HISTO-

HISTORIÆ RERUM NORVEGICARUM PARTIS QVARTÆ

LIBER TERTIUS, DE INGIO BARDI FILIO.

CAP. I.

INGIUS IN DEFUNCTI REGIS LOCUM SUBSTITUITUR. RES REGNI ORDINANTUR. HACON SECUNDUS NASCITUR. BAGLORUM FACTIO PER NICOLAUM EPISCOPUM CONTINUATUR.

DIctum est superiore librô de diversis procerum plebisq; Norvegicæ in creando post obitum Gutthormi novo Rege suffragiis. Dictum etiam de prærogativa generis Ingii, Bardi filii, qvi à plebe Rex postulabatur. Eventus litis hic erat, ut adnitente Archiepiscopo, in cujus domo educatus fuerat, urgentibusq; provincialibus pariter ac urbanis civibus, totius regni Rex Ingius constitueretur. In ejus itaq; obseqvium ab omni ordine protinus juratum; qvi itidem sacramentô Regiô ad jura singulorũ legesq; conservandas sese obstrinxit. Prima deinde actio fuit confirmatio in officiis ministrorum satellitumq; omnium, qvi prioribus Regibus servierant. Cùm autem Comitis Haconis amici, adhærensqve ei factio, protinus opposuissent, ducem exercitui utiliorem Comitem qvàm Ingium esse, hocqve ipsum milites qvoq; contenderent; tandem intercedente comũnium amicorum authoritate res ita composita est, ut Ingius, qvod acceperat, Regium nomen deinceps gereret, Hacon autem Comitis titulô dignitateqve contentus militiæ præesset, reditusq; Rex omnes cum eo ex æqvo participaret. Itaq; Comes à Rege creatus fidem vicissim ei obligavit. Adjudicatum inde à rusticis Regi jus ex semisse in reditus universos regni

gni delectusq; provinciarum. Et jam expeditio magno copiarum naviumqve numero festinatò apparabatur. Post festum S. Olafi Erlingus triginta qvinqve navium classem copiis gravem in aqvilonem lento itinere litora provinciarum circumeundo ducebat, exactis ubiq; in transcursu reditibus Regiis tributisq;, in expeditionem expendi solitis, donec Bergas deveniret.

Casttum Bergense ducentorum qvadraginta Betulopedum præsidiô tenebatur, Præfectis Dagfinno Bondio, Thorgrimo de Lianesia, & Thordo Brasio, qvi parati ad defensionem telis & sagittis cum Baglis strenuè contendebant: id cùm aliqvantisper tenuisset, Erlingus suos cohibens: *Abstinete*, inqvit, *sagittas in eos conjicere; sunt enim omnes mei servi*. Pars interim classis adversus castellum anchoris alligata, pars ad pontem Monachorum stativa habuit: in his Bagli noctes, dies verò in urbe exegerunt, sæpeqve, ut antea, castrum telis sagittisqve, mutua qvidem vulnera, cædes autem rariores faciendo, infestârunt. Interea die qvodam Erlingus, dum celoces aliqvot ponti Episcopi applicat, ad ædem Servatoris progressus, ab effusis & irruentibus in se Betulopedibus tantâ vi pellitur, ut in undas ipse cum parte suorum præceps ruens, navem, qvâ exciperetur, ægrè tandem nando sit assecutus. Qvô visô, per ludibrium inclamabant alteri, *an adhuc ejus servi essent*? qvod ille hoc etiam statu non dubitavit affirmare. Nonnulli istâ velitatione veriùs qvàm pugnâ cæsi sunt. Mox Bergis egressi Bagli, ulteriusq; in septentrionem pergendo Rugsundam usq; pervenerunt; interjectis verò provinciis præfectos suæ factionis imposuerunt. Tres ibi hebdomadæ exercitui recreando, dum Episcopus Nicolaus proventus Regis annuos, delectumqve militum ex provinciis colligeret, insumtæ; duces eorum Lodinus de Leikine Stallarius, Nicolaus Botolphi filius cum fratre suo Karlungo, Endridius Hegrius, & Kalfus de Hornunigo. Ibi ex relatione incolarum cognitum, Betulopedes Regem sibi constituisse, eiqve Comitem adjunxisse, jamqve in hoc magnô apparatu occupari, ut adversus Baglos moverent, intra breve tempus adfuturi. Placuit itaqve Episcopo Bergas repetere, castrumqve ante adventum Betulopedum suam in potestatem redigere. Erat tum in exercitu Episcopi artifex qvidam Germanus, qvi catapultam ad diruendum castrum satis robustam se fabricaturum spondebat; hac enim arte multa se antea castella munimentaqve fregisse; idqve coram omnibus tantâ confidentiâ jactabat, ut juberet, se, ni castellum hôc modo dirueret, ingeri tormento, inqve castrum inter missilia vibrari. Ingens itaqve copia materiæ ac lignorum, aliaqve, qvæ ad tantum opus reqvirebantur, advecta. Munga lingvâ Norvegicâ catapulta est; inde hic autumnus Mungæ seu catapultæ autumnus ob rem inprimis memorabilem appellabatur. Verùm dum in hoc strenuè occupantur, nunciatur, ecce, visas in sinu Stafensi septentrionem versus Betulopedum naves. Igitur Episcopus Nicolaus universos navium singularum nautas signô tubæ convocat, rectoresqve de rerum statu, qvid jam usui fore arbitrarentur, consulit. Et placuit qvidem Erlingo belli fortunâ periclitari, inq; ejus sententiam potissima Baglorum pars consensit. Tum verò Episcopus: *Quod si tu*, inqvit, *Erlinge, ad castrum hoc maritimum bellum cum Betulopedibus susceperis, non est quod in posterum exercitûs hujus curam geras; etenim qui id tibi svadent, vires suas & conditionem rerum nostrarum haud satis æstimant. Vikam potius repetamus, svadeo, ubi rectius cum illis certabimus, si modò eò usque nos persequi illi insistant.* Id verò demum consilium ab omnibus approbatum est. Igitur sine ulteriori mora è portu

portu ſolvunt, ingreſſiqve altum ſum̃â celeritate diurnis nocturnisqve itineribus Tunsbergam navigant. Epiſcopus inde rectà Osleyam tendit.

Hoc tempore fæmina illa Inga, cujus ſuprà mentionem fecimus, Regi Haconi ſuperiore anno cognita, in paræcia, qvæ Folkarberg appellatur, puerum enixa eſt. Eum presbyter iſtius loci, qvi nomine Thrandus memoratur, cùm probè ei conſtaret, filium eſſe Regis Haconis Sverreris filii, ſacrâ undâ abluit, nomenqve ei patris impoſuit, idqve clam aliis hominibus, tantùm filiis ſuis duobus & uxore teſtibus adhibitis: poſtea eundem Presbyter in domo ſuâ detinuit, remqve ſoli, deinde Erlendo de Huſabæis, Regis Sverreris cognato, de ſtirpe Gutthormi Grabardi oriundo, aperit: quocum conſiliô com̃unicato, placuit, ut puero qvàm occultiſſimè miniſteria præberentur; in eâdem igitur domo Sacerdotis Thrandi per duodecim menſes infans remanſit. Betulopedes poſt Baglorum diſceſſum Bergas perveniunt. Verùm qvòd jam autumnus præcipitaret, perſeqvi eos in Vikam nolebant. In Thrandiam igitur reverſi ibi hyemabant; Bagli verò Tunsbergæ. Memoratur autem, factiones aliqvot tum temporis per Vikam & Uplandas exſtitiſſe, utrosq; nempe & Betulopedes & Baglos mutuis injuriis cædibusqve ſe invicem infeſtâſſe; inde in Uplandis varii utriusq; partis remanſerunt, & hi qvidem ex Betulopedibus, Ulfus Procerus, Haraldus Kiesja, Gudleikus Flotbitta, pluresqve tribuni alii. Ex Baglis verò nominantur Thoraldus Augii vel Augmundi filius, Gudleikus Skeidung⁹. In Hringarikia item Benedictum de Gumaneſia in Valdreſia & Ionem Gridmadrem referunt hac hyeme occidiſſe Nartium, cognomentô Spiot, & cum illo plures. Non pauci autem fugâ evaſerunt.

Hac ipſâ hyeme miſit Epiſcopus Nicolaus in Valdreſiam, qvi Bardi Gutthormi filios Gutthormum & Skulium captivos ad ſe deferrent. Sed Erlingus de Qvidno, qvi apud ſe eos nutriebat, de propoſito iſto certior factus, ſtatim pueros in receſſibus qvibusdam ſilveſtribus, qvoad Bagli ibi morabantur, occultatos, poſt eorundem abitum in Thrandiam ad fratrem illorum Regem Ingium miſit, à qvo recepti in aulam Regiô more educabantur. Eodem qvoqve annô Eiricus, Canuti Sveciæ Regis filius, qvi in imperio dehinc parenti ſucceſſit, apud Ingium exulabat. Tempore verò feſti Natalitii Servatoris Comes Hacon nuptias cum Chriſtina Margaretæ ſororis filia celebravit. MS. Hafnienſe Haconem ante obitum Regis Gutthormi eam duxiſſe tradit.

Seqventi æſtate Rex Ingius omnes à Stadis usqve ſeptentrionem verſus habitantes in expeditionem evocat; ipſe deinde cum Hacone Comite numeroſâ claſſe exercituqve valido in auſtrales regni partes profectus, rectores multos in provinciis, qvà iter ipſi erat, reliqvit. Einar interea Regis affinis Stafangriæ ſedem titulo Regii præfecti habuit. Finito autem Paſchatis feſtô, Erlingus lembos levioresqve naves, numerô octodecim (ut habet MS. viginti ſeptem *Editio Danica*) ducibus Arnbiorno Ionis filio, Nicolao Botolfi filio, Lodino Stallario, Gyrdere Benteini filio, & Atlio Gridkona (qvod cognomen ſi interpreteris, mercenariam ſonat mulierem.) Bergas deſtinabat. Hi non ſegniter egreſſi citato itinere cùm Fiölbyriam deveniſſent, nunciatur Einarem Regis affinem Stafangriæ cum turba ſatellitum ac miniſtrorum morari, adventûs Baglorum, nullo de iis nuncio accepto, nimium qvàm ſecurum. Transmiſſâ igitur Jadriâ tempore meridiano eò perveniunt, Einare conventum qvendam litis componendæ causâ habente; qvi improviſâ irruptione excitatus perturbatusqve, jamq; ſpe omni elabendi deſtitutus, in turrim ædis S: Svithuni fugâ ſe recipit. Bagli

gli verò effractâ turris januâ, pace primùm pactioneqve oblatâ, eum cum sociis, ut in sacrarium descenderent, pellexerunt. Ibi ad juramentum adigitur, se in posterum Erlingo Steinveggo arma nunqvam oppositurum. Deducto deinde foras & à militibus raptari cæpto, Erlingus cæteriq; Principes fidem volentes servare, vi militum coërcebantur, horum eum petulantiæ coacti permittere. Videns autem Einar promissa injustè violari: *ægra*, inqvit, *& insidiosa semper Baglorum fœdera.* Mox cum qvatuor satellitibus eodem dolo è turri pellectis trucidatur. Eâdem qvoqve fraude qvinqvaginta, qvi fidem eorum secuti templô egressi sunt, prius interierunt. Spolia ibi multa magnaqve, pensionesqve omnes, qvas in expeditionem nauticam ex civibus Einar collegerat, interceptæ. His aucti Tunsbergam Bagli denuò repetebant.

CAP. II.

REGIS INGII ET COMITIS HACONIS CUM BAGLIS VARII CONFLICTUS, ET UTRIUSQVE PARTIS DISCRIMINA.

NOn ita multò post Rex Ingius, comitatus Hacone Comite, universam qvoqve classem & copias secum habens Bergas devenit; verùm post aliqvam ibi moram in Vikam concessit, constituto in locum Einaris Regis affinis Regiæ præfecto Petro Steipere, qvi ipse tamen Regem ulterius pergentem secutus vicem suam Anio sororis suæ filio & Thorkeli Diacono implendam commisit. Bagli verò Tunsbergæ classem ad expeditionem in septentrionalia apparabant: sed audito adventu Betulopedum, ad consultandum statim, qvid è re potissimùm esset, abibant. Et valebat tum qvoqve Episcopi Nicolai authoritas, censentis certamen adversus vim majorem omni ex parte declinandum, Daniamqve potius ad tempus sese recolligendi gratiâ petendam; qvô consiliô approbatô, statim in Hallandiã moverunt, inq; portu Viskum aliqvantisper stativa habuerunt.

Interea Betulopedes Tunsbergam appellunt, moxqve habitis comitiis Haugensibus, Ingius Rex, Hacon Comes, omnium suffragiis pronunciantur. Paribus deinde votis idem Sarpsburgi factum; totâqve Vikâ in potestatem redactâ, Præfectos provinciis imponunt; inde Tunsbergam reditum. Horum ad Baglos famâ delatâ, Philippus Comes in Vikã cum expeditionis sociis, Arnbiorno Ionis filio, Philippo de Vegine, Hreidare Nuncio, Nicolao Botolphi filio, Atlio Gridkonâ, Helgio Byrgeris filio, cognomentô Gaurne, viginti omnino navibus movet, Rege Erlingo cum copiarum parte in priore statione remanente, Episcopo vero Nicolao Kaupmannahafnam (Latinè mercatorum portum dixeris, Hafnia verò intelligitur) profectô, cùm Philippus cum suis qvam velocisſimè spe incautos ex improvisо opprimendi iter faceret. Verum cum ad portum Hafsteinsundam ventum esset, Regem Ingium classem inde educentem conspicati, præviamqve adventus sui famam Tunsbergam replevisse rati, non segnius retrocedunt (*Editio Danica* non qvidem Regiâ vult classe territos recessisse, sed dum in portu Hafsteinensi in vesperam usqve morabantur, de nocte sinum transmisſuri, visum ipsis lembum, qvi naves ipsorum præteribat; qvem diutius, ne demum indicio ejus proderentur, cum frustra persecuti essent,

essent, converso itinere Hallandiam statim repetiisse.) Inde longius in Daniam penetrantes sinum Limicum totâ classe ingressi, Alaburgi in multam æstatem morabantur; huc etiam Episcopus Hafniâ ad eos rediit. Demum tædiô longioris in istis locis moræ murmur in exercitu exortum, ut portum Hallandiæ Viskum repeterent, duces perpulit; unde tamen mox Augusundam prope Kongahellam devehuntur, qvod reliqvum erat itineris, terrâ confecturi, navibus ità omnibus in Hallandiam retrò remissis. Episcopus verò Nicolaus sub ductu Lodini Stallarii & Arnbiorni Tröllii (Arnbiorni Jonis habet editio Danica) cum illustri prope ducentorum qvadraginta virorum comitatu, Nizam usqꝫ navigabat (Vina hujus locô in Danica legitur.) Ibi sese exponi jussit Episcopus, & relictâ nave sua Bokaskreppâ, terrestri itinere plurimis stipatus comitibus in Vikam rediit. Pars qvoqve lembis minoribus Sarpsburgum delati iterum eodem autumno cum reliqvis sunt congressi, qvi postea naves suas in lacum Miors atqꝫ inde in Heidmarkiam devexerunt. Ad minorem, qvem vocant, Hamarem pervenerunt, cum Gudleikus Flotytta ê sylva cum qvatuor viris aliis prorepens ex Baglorum numero Oddum Tanum Amundi Lindii filium occidit, eademqꝫ celeritate post perpetratum facinus in saltum se denuò recepit. Inde Bagli per montem in Uplandas, & inde in Orkadalum profecti, Nidarosiam nullo resistente tendunt, comitiisqve Eyrensibus, rarô qvamvis confluxu hominum celebratis, Erlingus Rex, Philippus Comes eorum, qvi tum aderant, suffragiis declarantur.

Præfecti deinde Provinciis gubernandis dati exiguos omninò reditus, eosqve ægrè satis a rusticis expressos, colligunt. Reliqvæ verò Baglorum cohortes ad Uplandas profectæ in Hardangriam se infuderunt, numero hi octoginta erant, qvorum Duces Serkver Snapus, Simon Uxius, Erlingus Skamhals, Hallius Laude, Augmundus Eykiland, (hæc enim correctius longè in nostro traduntur, qvàm habet Editio Danica, nisi qvod hæc in ducum numero Birgerem de Stanga recenseat.) In Hardangria itaqve Erlingum Betulopedem ejusqve filium Thorgrimum Lidandisnesiæ Præfectum occiderunt. Mox ad Anium & Thorkelem perseqvendos latius progressi, eosdem ad Karmsundam, & Thorkelem qvidem Draconem ad Augvaldsnesiam, cum viginti sex (Danica triginta qvinqve habet) comitibus securos & nihil tale opinantes oppresserunt. Interea Rex Ingius & Comes Hacon, Bergis adhuc commorantes, certâ relatione cognoscunt, Baglos cum universa classe copiisqve Thrandiam insedisse. Itaqve divisis copiis in diversa euntes Rex Septentrionem, Comes Hallandiam petit; hic autem feliciter ad Nizam, ubi statio erat hostilis classis, provectus, custodes circa eam triginta improvisus occidit. In his ipse Arnbiornus Tröllius, Amundi Lindii filius, erat. Alii in superiora fugâ elapsi universam hosti classem reliqverunt. Navis Episcopi Bokaskreppa Comiti in prædam cessit; reliqvarum verò pars statim incensa, pars Bergas ducta, eò demum vergente autumnô pervenit.

At Baglorum illi, qvi fugâ sibi consuluerunt, laborioso per Hallandiam itinere, vespere qvodam serô Liodhusam pervenerunt, ubi tum fortè Betulopedes duos suorum lembos in statione tenebant, duce qvidem Hallvardo Hlidarfaxio; itaqve ignari omnium miseri ab hostibus nec opinatò instantibus ferè cuncti opprimuntur; naves eorum subitò raptæ adverso-qve flumine ad cataractam Naustdalsfors actæ, ibi incensæ sunt. Inde ad Markas, mox nemus Eidense, processum, hinc Uplandas usqve, inqve insulam lacus Miors trajectum, ubi tum Rex Baglorum morabatur;

Hallvardus itaq; Hlidarfaxius certus de hoc factus recessit ocyus, evasitq;, cum tempore adventus ejus Rex adhuc in urbe se contineret. Ingius verò in Thrandiam movit. Tumq; Betulopedes Stim prætervecti atq; in Septentrionem tendentes Albiornum Koppum & Thoraldum Skinnringum in Mœria, qvò a Baglis cum duobus navigiis speculatum missi erant, toto die perseqvebantur. Qvidam eorum in Thingvallum sese infundunt, ubi Gutthormus Thvarius provinciæ rector cum universis copiis a Betulopedibus occiditur. Asbiornus autem Koppus multô vespere Solskelam delatus nocte hac totâ sæpius impetitus per insulam passim fugatur, qvâ delectis militibus seqvente nocte undiq; obsessâ diligentiusq; lustratâ, plurimi produntur, qvos maximam partem hostis interfecit, ipse verò Asbiornus cum paucis elapsus est. Eodem itinere ad Agdanesiam unus adhuc Baglis lembus ereptus est, inde Nidarosiam petunt Betulopedes, qvarum classe conspectâ, Bagli mox urbe egressi, superatô ponte Sælam intrant, inde ulterius per montem Skaneyensem in Eystridalos, mox Heidmarkiam provecti demum sistuntur: pars eorum in magna lacus Miorsis insula remanebat, pars etiam Osleyam petiit. Ità verò rebus ex sententia gestis, Ingius Nidarosiæ, Comes Hacon Bergis hyemem exegerunt.

CAP. III.

HACON AD INGIUM EDUCANDUS TRANSFERTUR. EJUS IN PUERITIA PERICULA SUPERATA.

Appetente solenni Natalium Servatoris festo hujus anni, cum Hacon puer, Regis Haconis filius, in domo Presbyteri Thrandi jam integrum annum qvam occultissimè esset nutritus, ab eodem nutritio cognatoq; Erlendo de Husabæis unà cum matre in Thrandiam ad Ingium Regem deducendus suscipitur, nemine adhuc consilii vel itineris consciô factô. Primo die festi Natalitiorum ad oppidum Heidmarkiæ Hamarkaupangrum pervenerunt, ubi tum duo Betulopedum Satrapæ, Fridericus Slafsius & Giafaldus Gautius, cum magno uterq; & numeroso satellitum comitatu hospitabantur, metu periculorum a Baglis in singula momenta imminentium, qvi per omnes Uplandas adhuc sparsi grassabantur. Sed & Episcopus Ivar, qvi tum in urbe Hamarensi degebat, ex veteri ingenio Regi Sverreri ejusq; posteris, atq; adeo omnibus illis aliqvo nexu adhærentibus, infestus, metuebatur: is enim rem totam, qvantumvis anxiè occultatam, puerìq; adventum resciverat: magna igitur pietatis humanitatisq; simulatione eum matremq; ad se festi tempore invitat, sangvinis se inter & puerum nexu, repetitis cognationis gradibus, ad majorem sibi fidem præstruendam assertô. Iterum suspectam humanitatem Betulopedes pari arte elusuri, moram paucorum dierum & qvietem fesso ex itinere puero matriq; postulabant, tum enim ad eum diversuros se promittebant. Sed finito statim primo festi die, ii, qvibus id negotii datum, tribus eqvis puerum matremqve Hamarem minorem deduci curant, ubi in exigua qvadam villa latentes totum hoc festum transigebant.

Interea Betulopedes ê Thotniâ, Hadalandiâ, affitisq; provinciis omnibus, copias conqvirunt; qvibuscum, peractis feriis, Hamarkaupangrum, indeq;

indeq; minorem Hamarem adventantes, puerum ibi matremq; ad se recipiunt, postea ulterius ad Eystridalos pergunt, in Thrandiam hinc profecturi. Verùm præter inusitatam tempestatem raræ, qvæ ceciderant, nives intensissimo gelu induratæ maximam iis molestiam creabant, præsertim cum noctes sub dio vel in sylvis vel eremis agere cogerentur. Unâ sunt præcipuè vesperâ, sæviente acrius cœlo, ferè attriti: præterea notitiâ viarum destituti universi prorsus defecissent, nisi duos delegissent, cursus per trabes ligneas soleis subditas accelerandi peritos, Thorsteinum nimirum Skeflam & Skervardum Skruckam. His puerulus deferendus traditus, datiq; comites rustici duo, viarum apprimè gnari. Hi rapidissimo cursu per congelatas nives feruntur, tandemqve in culta qvidem deveniunt; attamen hospitium præter remotum aliqvod à rure horreum nullum nacti, ignem mox excutiunt, instructoq; in horreo foco puerum refocillantes, mittunt duces itineris ad reliqvos deducendos. Qvibus mediâ demum nocte accedentibus non licuit rigentia membra reficere; liqvefacta enim moles incubantis in tecta, rimis undiqve fatiscentia, nivis, vim imbris in subjectos affatim effudit, cujus violentiæ declinandæ ergò cum omninò exeundum esset, frigus ut antea pariter toleratum. Sed nec puero alimentum ullum, nisi sola nix in aqvam resoluta ori ejus ingesta, suppetebat. Næfardalus nomen vallis erat, ubi tantam itineris calamitatem perpessi sunt; tantaqve vis fuit frigoris, ut nix hastilium incussu ægre perfringi posset. Tandem naturæ inclementiam rusticorum per universum Eystridalum hospitalitas & propensus in Regiam stirpem affectus pensavit; omnia enim, qvæ poterant, liberaliter & promptè subministrabant, eqvos ubiqve itinerisqve duces præbentes.

Hæc sub prima ætatis auspicia Regii pueri fata prudentiores cum fatis inclyti Regis Olafi Tryggvini componebant: cùm hic qvondam cum matre regno profugus à Gunnhilde ad mortem qværeretur, perq; medios hostes maximâ suorum sollicitudine deductus, etiam cœli minis & tempestate adversâ premeretur; id qvod Sturla Thordi filius, qvi vitam Haconis hujus conscripsit, elegantiq; carmine illustravit, versu superstite memorat. Tum demum non ulterius occultari res poterat, qvin Erlingus Steinveggus, seu Saxomurus, Comesqve Philippus cum Baglorum Principibus, Tunsbergæ commorantes, ab Episcopo Nicolao de itinere Erlendi & Thrandi certiores facti, confestim octo tribunos in Uplandas ad reducendum Regis Haconis filium ablegârunt cum magnis copiis: qvò cùm pervenissent, qvi puerum ducebant, jam inde in Eystridalos processerunt. Baglorum itaqve emissarii, cognitô, congregatum in comitatum ejus magnum Betulopedum numerum, sæviente præterea etiam cælo rarâ atqve gravissimâ tempestate, qvamvis strictè in mandatis haberent, omnem ad puerum capiendum operam intendere, nec voluntas illis ad exeqvendum deesset, tamen se nihil profecturos animadvertentes, ad Regem redierunt. Interea puer in septentrionalem vallis regionem defertur, magno semper comitantium accedentiumqve confluxu, qvi studiis suis nimiùm invia, aut cæli aspera, minimè passi sunt obstare, nobiles pariter ac rusticorum filii; & præsertim ex Guldbrandsdalis hi erant. Ex Eystridalis Satrapæ duo, Semingus & Thorbrandus Svartius, etiam se huic comitatui associabant, atqve jam numerus ad qvadraginta supra ducentos præter famulos & servos Dominorum creverat. Cùm in paræciam Gaulardali monti proximã delati essent, jam periculo omni, superato monte, defuncti sibi videbantur. Perspicua in his duobus infantibus, Hacone & Olafo Tryggvino, cœlestis

providentia Numinis, & ingentem Norvegicam clementia simul apparuit; utrumqve enim ad promovendum opus suum ab utero matrum elegit; illum ad Religionem Christianam plantandam, idololatriamqve exstirpandam, hunc ad fundanda & exstruenda tot templa, Ecclesiisqve idoneos ministros præficiendos, mores reformandos, jura & leges emendandas, turbulentasqve factiones penitus tandem deprimendas, pluraqve alia, qvæ ipse gessit, iisqve sunt nota, qvi æqvales vel ejus temporibus propiores acta ejus & gesta singula accuratiùs noverunt.

Et jam fama Nidarosiam ad Regem Ingium deferebatur, magnam hominum multitudinem montem transiisse. Cum autem tardè procederent, causam itineris hujus non poterat facilè explorare; sparsus tamen per provinciam rumor, homines illos filium secum Regis advehere, nec tamen, qvinam ille esset, constabat, nec cuiqvam licuit hoc divinare. Metus autem erat, ne nova adhuc qvædam factio (qvod temporibus illis haud insolens) exorta novos motus tumultusqve in Regno cieret. Tandem cum appropinqvarent urbi, Regi relatum est, magnam multitudinem Regiæ proli circumdatam urbem petere. Cum verò incertus adhuc esset Ingius, qvænam Regia hæc esset proles, aut qvid iste sibi confluxus hominum vellet, confestim signo tubæ copias ex urbe omnes ad castrum minus excivit, missisqve duobus satellitibus, Gunnare nempe Tindo & Eyvindo Sami filio, in collem qvendam venientibus obvium, causam rei jubet explorare; qvi protinus in emissos a Satrapis cursores incidentes, simul hos secum ad Regem reducebant, nunciantes, filium Regis Haconis propinqvum Ingii adduci. Erat Ingio ingenium ab Herode aliisqve similibus, qvi hæredum Regiorum cœde, etiam suorum fratrum, Regna sibi confirmare qvæsiverunt, oppidò diversissimum: siqvidem is magnopere statim gavisus, Deoqve palam gratias agens, redire in urbem exercitum mandavit: ipse cum satellitibus aulicis eodem in loco, qvo nuncium adventus pueri accepit, perstitit, &, postqvam venerat, complexus eum statim osculatusq; gratum sibi optatumqve adesse, propinqvum qvippe suum, aulæqve universæ acceptissimum, jussit. Tum ingressus urbem puerum matremqve in aulam receptos liberaliter sustentavit. Cæterùm veteribus istis Betulopedibus, qvi Haconi Sverreriqve servierant, vix exprimi fando potest, qvàm gratus & acceptus pueri istius ortus adventusqve fuerit; ad qvem invisendum freqventes qvotidie accedebant, ingentem in eo amorem affectumqve, qvô parentem ejus avumqve, in primis Sverrerem, juvenes olim coluerant, renovantes.

CAP. IV.

BAGLORUM AD PRÆLIUM APPARATUS: ERLINGI IN THRANDIAM ITER: CUSTODUM REGIS INGII NEGLIGENTIA ET SECURITAS.

Confectis jam festi Jolensis solennibus, primo statim anni, seculi istius sexti, exordio, Præfecti Baglorum singuli suas provincias obeuntes classem ædificari curabant. Et Philippus qvidem de Vegine, præfecturæ Sarpsburgensis Satrapa, duos pro sua parte lembos parari fecit, Asbiornus Koppus Foldiæ Præfectus duos, Thoraldus Augii (aliis Augmundi) filius

us Osleyæ unum, Ormus Langius (Skinnerum *Editio Danica* appellat) de Odinseya unum, Thorsteinus Thiofus, seu Fur, in Skotanesia unum, Jon Drotning, seu Regina, ad Gautelfam duos, Godolfus de Blackastadis & Gunnar Asæ filius de Lidis duos, Hreidar Nuncius de Drofnio (hodie Dramen) itidem duos instruebant: duos Philippus Comes, unum Thordus Docka, Hunolfus Hettius & Gunnius Langius (Editione Danicæ Lafvius, id est Parvus, appellatur; cum Langius longum denotet) in Skinio (juxta eandem editionem, MS. Skidam habet) duos, Gyrdir Benteini filius de Visedalo unum, Simon & Ragnar Gamalis filius in Beflio duos, Einar Forkius in Biergherret unum. In universum viginti duo lembi apparabantur, ductiq; deinde per Vikam in sinum Kongahellæ medio Jejunii verni tempore pervenerunt, inde mox Tunsbergam delati. Feriâ demum tertiâ Hebdomadis, qvæ festum resurrectionis Domini præcedit, Betulopedibus navium istarum apparatus innotuit, admixto tamen falso rumore, qvasi ê Norvegia hac classe Erlingus excessurus esset.

Interim dum hæc a Baglis appararentur, Jon Drotning, qvi præfecturam ad Gautelfam administrabat, multis stipatus satellitibus provinciam lustrans conviviis pro more indulgebat. Fortè ad rusticum qvendam, nomine Thrandum, diverterat, cui uxor formâ valdè speciosâ erat: eâ itaqve captus utrumq; in ædes superiores evocavit, præcedenteqve uxore intrò admissa, virum a foribus deturbans januam clausit, qvem postea increpantem gravius minis confictoqve crimine terrere conatus est: qvod cum rusticus negando a se amovere vellet, caudæ eqvinæ alligatum ad naves traxit; eòqve metus adegit miserum, ut in lucro poneret carceris supplicium selibrâ auri redimere. Post septem verò dies Jon convivio in prædio, cui Forsæla nomen, exceptus, mane diei templum uno tantum comite accessit; cum non procul inde Thrandus septem comitibus instructus opperitur, observatoqve Jonis gressu, ad templum cum suis advolans, impetu in eum protinus facto hastam conjicit, sed cum in sacrarium se ille proriperet, eò etiam rusticus eum perseqvitur, elapsumqve per fenestram, in agro vicino assecutus obtruncat. Cadaver ejus Kongahellam delatum ad monasterium sepelitur, Thrando Betulopedum factioni se adjungente. Verum licèt justam de Jone vindictam rusticus sumsisset, haud tamen inultus ille cecidit: nam frater ejus Gunnbiornus ut & Saulvius Disæ filius in ultionem sangvinis ejus viros novem occiderunt, septem qvoqve pedibus truncârunt. Nempe hæc erat seculi illius superiorumqve consvetudo antiqva, qvâ non satis erat vindictam de authore cœdis exigere, propinqvi enim omnes pari periculo implicabantur; e qvibus ultor elegit, qvos neci destinaret: nec viles tum personæ placebant, illustrissimi qviqve gentis ejus in compensationem sangvinis legebantur. Inde invaluit, ut, si reus ad litis satisfactionem admitteretur, singuli gentiles, etiam qvi in qvarto cognationis gradu reum attingebant, suam conferre portionem deberent, qvô se ultionis periculis subtraherent: qvod postea ab Hacone Rege, qvi Ingio successit, abrogatum est.

Comparatâ verò, ut diximus, structâqve classe Erlingus Steinveggus die passionis Dominicæ Tunsbergâ solvens Odinseyam usqve progressus est. Feria secunda Paschatis, qvæ tunc in secundum Aprilis incidit, retro ad Grindholmasundam cessit, die Saturni ad Portyriam, feriâ Dominica ad Efioneseyas navigavit, qvò tandem universa classis est congregata. Ibi tum primùm propositum suum aperit, nimirum constitutum sibi in aqvilonares Regni partes classem ducere: id qvod statim variis sententi-

tentiarum ſuffragiis, aſſentientibus his, illis verò diſſentientibus, exceptum eſt; tertio inde die ad Randarſundam iter promotum. Verum remanebant in Eſioneseyis, qvi expeditionem detrectabant, qvatuor navibus, ductoribus Ormo Langio, Ragnare Gamalis filio, Gunnare Aſæ filio, & Benedicto de Gumaneſia. Adeo precarium imperium Regum illorum fuit, ut etiam impunè obſeqvium detrectaretur. In Randarſunda cognitum, Thorkelem Fudkundum commeatum ingentem in expeditiones conferri ſolitum in Innisdalo pro Betulopedibus collegiſſe: itaqve navigatio ante diem inſtituta, ad Hitras (hodie Hiturøen) mane ejusdem diei proceſſit: verum Thorkelem nuper inde digreſſum maximo remorum niſu placuit inſeqvi. Cumqve ad Foxſteinem perventum eſſet, naves qvædam onerariæ commeatum portantes eminus conſpiciebantur; qvarum vectores, viſis Baglis, portum Rekavogum ingreſſi, relictis ibi navigiis in continentem fugiebant. Bagli navibus prædâqve potiti Eikundaſundam (Eggerſund) per veſperam petebant. Inde feriâ qvintâ, tranſitâ Jadriâ, Hvitingseyam, prævectiqve Kormtem in Siggiarvogi ſtationem conveniunt. Convocatos ibi navium Præfectos Erlingus conſulit, rectàne in aqvilonem curſum dirigere, an Bergas ad opprimendum Comitem Haconem, qvem conſtabat nullis de adventu ſuo nunciis certiorem factum, deflectere placeat. Pluribus Bergas invadi plaucit: id verò Hreidar diſſvaſit, rectiùs Regem ipſum impeti exiſtimans, prævaluitq; hoc ejus conſilium, Præfectorum plerisq; approbatum. Itaq; Skalavikam eodem die delati, duo navigia Grafdalum miſerunt, ablatisq; inde duobus molitoribus, inq; naves deductis, cognoſcunt Comitem in procinctu ſtare, civesq; omnes in cœmiterio ædis Servatoris in apparatu bellico occupari, cognito per nuncios propero Baglorum adventu excitatos; nihilominus Erlingus Bergas petere præoptabat: ſed vicit tamen authoritas & ſententia Hreidaris, plurium ſuffragiis approbata, velisq; ſublatis, curſus extra Volaneſiam Fenringumq; directus. Tres naves onerariæ in portu Vikingavogo ſtabant: vectores Betulopedes erant, qvorum alii occiſi, alii fugâ in inſulam evaſerunt. Die Lunæ per veſperam portum Skutuſundam ſubeuntes Bagli, villam ingreſſi Betulopedes ſe eſſe ſimulant, variaq; in rem ſuam exqvirentes cognoſcunt a ruſtico, miſſos ad Regem Ingium a Comite Hacone tabellarios, qvos eodem die ſeſe vexiſſe ruſticus affirmabat, indicato loco, ubi per noctem diverſarentur. Iis in Vagſeya deprehenſis occiſisq; literas interceptas ad Regem Erlingum deferunt; qvibus, voto ſalutis præmiſſo, fratrem Ingium hortatur: *caveat ſibi a Baglis, qvi in itinere qvidem verſentur, verum qvò illud dirigatur, ſibi incertum. Bergas an ulterius tendant, an & Nidaroſiam, explicari non poſſe: paucitatem copiarum ſaltem perſvadere tantillâ manu parvis navigiis in Regem vix aliqvid auſuros: non igitur admodum metuendos.* Die Martis reflanti obnixi vento in Angurgerdium deveniunt, obviamq; habentes ſecundô uſas vento onerarias qvasdam, cognoſcunt ab iisdem, commeatum magnum Borgundæ collectum, longamq; & ingentem navem recèns ibi ædificatam.

Die Mercurii ê portu Angurgerdenſi ſolvunt: ſed Comes Philippus, repulſis & exſpectare ſe juſſis cæteris navibus, lembis tantum qvatuor Borgundam noctu provectus, viris ſtatim octodecim occiſis, commeatu univerſo potitus, magnam illam navem accendit. Die Jovis Rex in Yxneyam appellens noctem ibi exegit. Ibi relatione certâ compertum, Regem Ingium ſororis ſuæ Sigridis nuptias magno magnificoq; apparatu in poſterum diem inſtruere, qvam Thorgrimo de Lianeſia ſociare decreviſſet.

Relatum

Relatum præterea, ædificatam Betulopedibus in Raumsdalo longam navem. Missi igitur statim ad eam incendendam Philippus de Vegine & Thordus Docka cum duobus lembis. Die veneris ad Lingver remigantes, vespere deinde Veeyas devecti, in exteriore sinu stationem capiebant, lembo Betulopodum in interiore stante; qvem post magnam commeatus copiam captam igne exusserunt, paucis hominum, qvi aderant, captis vel occisis. Ejusdem diei vespere, leni aurâ ad votum carbasa impellente, Rex Erlingus cum copiis suis portu egressus, per noctem ad Sveigiadarsundam deferebatur, mox vento acriore urgente agebatur ad pulvinum qvendam, unde postero die Veeyæ classe admotâ, prandebant primum, ibiq; de ulteriore itineris cursu consultabant. Arnbiorno Jonis filio & Hreidari visum vires non dispergendas, Philippum verò potius (nondum enim redierat) exspectandum. Rex autem, *malle se hac nocte qvatuordecim lembis urbem aggredi, qvàm duplo majore manu die postero*, respondit: pervicitq;, ut sublatis velis eodem vespere Agdanesiam contingerent. Ibi mandata, qvâ qvisq; parte urbem adoriretur, distributa. Lodinus autem Stallarius singulis animos hac fertur oratione addidisse. *Oportet, ut rem fortiter inprimis geramus, cum jam urbs nobis invadenda sit: ad Eyras enim classis applicanda, diversoriaq; conviviis celebrandis adhibita* (Gildiſtala *appellant*) *ad marginem ripæ occupanda: honestius hic moriemur, qvàm in posterum a Betulopedibus fugæ damna atq; dedecora patiemur; sed neq; hoc statu fuga dedecori nobis erit, prementibus nos simul Betulopedibus rusticisq; hinc atq; illinc effusis; sperandum tamen, adventum nostrum nullo adhuc indice proditum, non opinantibus opprimendis haut infructuosum futurum, vino enim mulsoq; madentibus superveniemus, qvibus nunc se largè ingurgitasse facilè crediderim. Rex cum suis turmis plateam occidentalem, Comes Philippus & Arnbiörnus Septentrionalem occupent, Arnthor Thoka & Simon Ulpius* (Kyr habet Editio Danica) *duabus navibus flumen ingrediantur, observentq; ab ea parte transnatare conantes.* Hæc serò diei disseruerunt, sed ingruentibus tenebris demum navigatio instituta, per noctem satis tenebrosam processit.

Cæterum, anteqvam hæc agerentur, tres tabellarios, totidemq; literas, Comes Hacon ad Regem miserat; primæ (ut modò dictum) interceptæ, postremæ tardius delatæ, diei Saturni vespere ad Regem pervenerunt: qvibus adventum Baglorum tam accuratè Comes denunciavit, ut illum ipsum vesperem, aut crastinum diem, qvô exspectandi essent, definiret. Acceptas Rex lectasq; Magnatibus suis monstrat, convenitq; ut eodem vespere exercitus omnis (erat autem numero satis magnus) signo tubæ ad diversorium publicum armatus evocaretur, ibiq; per noctem excubaret. Inde Rex convivium ingressus cum hospitibus paulisper perpotabat, magnaq; tum exorta est lætitia convivarum.

Monitus deinde a satellitibus, tempus jam esse, ut communi saluti prospiceret, militibus ad arma excubiasq; buccinâ convocatis, a Sponso Thorgrimo exoratur, *nè cæptam lætitiam periculorum metu vel commemoratione interpellaret: se enim satellitibus suis id muneris Rectores in vicem impositurum, qvorum industriâ cæteri noctem securi transigant, sed nec Baglos ausuros Regem, tantis hic copiis instructum, paucis suis navibus, militè raro, aggredi.* Imperato funesto postulato, suis Thorgrimus satellitibus præcepit, ut in Eyris excubias pro omnium salute fideliter agerent. Hi verò, accepto mandato, cum Thorgrimus cœteriq; post convivium, in multam noctem protractum, acqvievissent, inter se disserebant, iniqvum

esse sibi præ cæteris excubias vel pro Regiis satellitibus vel pro rusticis ingurgitabant, privatam non minus qvàm publicam salutem periculosissimo exponentes ludibrio. Sed & convivæ proceresq; omnes, qvibus hôrum incumbebat cura, poculis obruti, jamq; somno & vino sepulti, in excubias illas inqvirere fatali qvâdam negligentiâ omiserunt. Ipse Rex vino similiter oppressus, in domo Sigurdi Svardagi altum dormiebat. Ibi qvoq; Sponsus cum Sponsa lecto sociabantur. Sigvaldus Karl (Jarl habet *Editio Danica*; qvæ etiam corruptè eum Sigult appellat) ante fores, ubi Rex qvievit, cum suo famulitio stationem habuit; verum pariter atq; alii ebrius atq; impos sui officio satisfacere neqvivit.

CAP. V.

REGIS INGII IN CONFLICTU CUM BAGLIS PERICULUM. BETULOPEDUM COEDES ET DISCRIMINA. BAGLORUM VICTORIA. REDINTEGRATA PUGNA. REGIS NIDAROSIAM FUGA. BAGLORUM IN CASTRUM BERGENSE INSULTUS.

NOcte itaqve, qvæ vigesimum primum Aprilis diem præcessit, Bagli Flokensi sinu transmisso colli Gaulensi (ut habet Editio Danica, in Manuscripto Ilensi legitur) classem applicuerunt, cum exorta subitò procella tenebras cœlo induxit. Pars noctis postrema erat, navesq;, ut mandatum, separatæ in stationes ordinabantur. Ingressi tum ostium fluminis Arnthor Thoka & Simon cœperunt inter se dissidere, Arnthore ultra in amnem procedere recusante, Simone vero cum parte cohortis observanda, qvæ acceperant, mandata contendente; fereq; inter eos ad manus ventum est. Pervicisse tamen Arnthor, nè ulterius progrederentur, dicitur. Pars alia classis Eyris admota est, appropinqvansq; littori leni atqve suspenso remigio, si qvi ex urbe adventum eorum observarent, explorabat. Cum silentium ubiqve altum animadvertissent, qvosdam in terram exposuerunt. Illi diversoria perlustrantes, cum nec ullum in iis excubitorem deprehenderent, idem ad naves retulerunt. Ad terram igitur remigantes, naves subitò litori â custodibus vacuo admovent, unôqve impetu in terram exsilientes in urbem irruunt, ubi pariter tranqvilla omnia, & nocturna adhuc qviete sopita. Tum verò in palatio Regio coëuntes repentè, buccinas inflant, sublatoq; militari clamore totam pervadunt urbem, paucos admodum in Regia deprehendentes. Tum qvoqve campanam illam magnam, tumultibus indicandis adhiberi solitam, acerrimè pulsant, occisis, qvi in turre excubias agebant. Neqve tamen hæc irruptio erat admodum cruenta. Extra urbem deinde per sata agrosq; procurrentes, qvoscunq; in fugam sparsos asseqvebantur, occiderunt. Iteratâ verò in urbem irruptione, plateis lustratis, plures occubuerunt, & in his qvidem Thordus Finngeiris frater ante propriæ domus fores trucidatus est. Thorgrimus de Lianesia in superiore platea cum sex comitibus collapsus, pluribusqve deinde â prætereuntibus vulneribus affectus, ægrè vivus evasit. Hunc tamen eodem anno tanqvam reum cœdis Jonis Uslæ occisum annales referunt.

Rex

Rex Ingius cum concubina qviescens in lecto, paucis in eadem domo præsentibus, ad primum fœminarum accurrentium clamorem difficilè excitari potuit; vixqve tum sui compos, cum qvid hæc sibi vellent? percunctatus esset, accepto responso, occupasse urbem hostes, fores accedens tumultum increbrescentem cognovit; in confinio itaqve ædium sese occultando remansit, donec plateam hostes præterirent. Hinc ad pontes festinans protinus in flumen se præcipitem dedit, nandoqve navium, qvæ propior litori erat, unam assecutus est, cujus complexus anchorale ascensum in eam moliebatur, linteis verò fœmoralibus, qvibus erat cinctus, laxatis funi adhærens, a viro qvodam intra navem hoc animadvertente compellatur hoc modo: *funem ne premito: perge potius qvò constituisti.* Rex ad hæc nulla voce redditâ, ilico nautæ conto, nexu, qvo implicatus erat, solvitur, iterumqve natare incipit. Eodem momento multi in amnem proruentes pars eum nando præcesserunt, pars etiam inseqvebantur.

Emensus tandem, qvàm latum erat, flumen, ad ripam qvandam eluctatus est: ubi lassitudine simul & frigore langvescens, nec ultra tendere potis, omni humano destitutus auxilio jacuit. Videns autem fortè prætereuntem Ivarem Fliodakollum, auxilium ejus imploravit. Is verò sibi se primum prospecturum respondens, impieqve & sceleratè Regem deserens, qvò intenderat, perrexit. Paulo post alii ê flumine evaserunt: inter qvos Reidolfus Bardi frater propiùs Regem accedens, visôqve & agnitô eo exclamans: *Tune*, inqvit, *Domine? Ità*, respondit Rex, *me heri appellâstis* Tum Reidolfus, *idem adhuc es, Domine; erisqve, qvoad nos vivimus.* Detractâqve protinus sibi tunicâ Regem indutum ligamento vestium suarum tergo suo alligavit, atqve hoc modo portans in collem Sifuas detulit (*[illegible]* habet *Editio Danica.*) Ibi Regi eqvi, vestes, trahæqve pro temporis indigentia subministratæ: neqve enim Reidolfo qvicqvam præter tibialia & interulam suppetebat, qvi Regem inde ad Strindam insigni pietatis & fidei documentô secutus est. Vel hoc unicum exemplum Principes ad ingenia ministrorum diligenter exploranda, Gnathonesqve & adulatores â fidis probisqve discernendos instruere poterit: scitè enim Poëta hanc virtutem inter cœteras maximam æstimavit: *Nôsse suos.* Interim Sigvaldius Karl aliiqve, cum eo qvi erant, octo in superioribus ædibus se defendentes ad unum omnes occisi sunt; signifer qvoqve Regis Bergsveinus Langius unà cœsus. Sed discedentibus Baglis fœminæ qvædam vexillum auferentes servabant (*Manuscriptum* fœminas baltheo abstulisse illud tradit.) Kolbeinus Berir ad templum Sancti Gregorii sextus ipse trucidatur: Eyvindus Feylir cum septem comitibus in agro concidit: Kolbeinus Strinesus in platea septentrionem versus, sociorum qvintus: Hallvardus Hlidarfaxius ad ædem crucis cum duobus comitibus occubuit; in agro itidem qvadraginta (triginta tantùm Editio Danica numerat) ceciderunt. Demum colligere se, qvi supererant, Betulopedes, Ducibus Sigurdo Skialgio, Aurnulfo Hækile, Thorgilse Sokko & Thorfinno tibicine, cœperunt. Hi duos ex Baglorum cohorte occiderant, alterum intra septa, cui nomen Styr, alterum natione Islandum, nomine Kolskeggum. Conversi deinde ad portam vicinæ domus, ubi Bagli non pauci numerô irruentes a Godolfo de Blackastadis fortiter excipiebantur: is enim objectu clypei se defendens gladio rem impigrè gerebat; donec transverberatâ Aurnulfi cujusdam fronte infra galeam, cœteri pulsi sunt, pluribus ædem Servatoris ingressis. Aurnulfus autem in amnem se projecit, mortuusqve postea inventus est. Hunc *Editio Danica* Thorolfum Senerfs, cognomine

procul

procul dubio depravatô, appéllat. Cumqve ex fœminarum indicio Bagli persvasi essent, Regem Ingium in ædem S. Virginis fugisse, ad sacrarium templi accedentes dolabris ingressum moliebantur. Apertô hoc modo templô, duo Præfecti, Olafus de Krianadis & Ivar Dinulaus, septemqve alii sunt inventi; & Olafus qvidem sagittâ in sacram ædem conjecta oculo orbatus. Omnes deinde occisi, statuæqve Virginis Matris manus altera præcisa. In templo S. Olafi Bialfus Skinnstackus & triginta cum eo trucidantur. In æde verò S. Andreæ cum tribus aliis Bardus Stalpius: cujus invictus in ipsa morte animus laudem inprimis meruit. Frater Regis Ingii Skulius ad primum statim tumultum excitatus, prospiciens de fenestra vexillum Baglorum agnovit. Exanimati propemodum hoc visô auxit metum periculumqve sive imprudens sive inimica mulier, qvæ extenta voce clamanti similis pronunciavit, *Baglos non tam propere aut negligenter domum istam præterituros, si Regis ibì fratrem constitutum scirent*; qvibus tamen dilapsis, Skulius in plateas egressus, nuncqve ædes penetrando, nunc subeundo, pavens & trepidans ad amnem pervenit, ubi tum Jon Uslius opportunè cum qvadraginta Betulopedibus scaphas pontonesqve parabat. Transmisso itaqve fluvio omnes simul Klephusam pervenerunt, ibi Regem offendunt, qvi cum centum Betulopedibus rusticisqve, qvi ad eum coiverant, eos excipiens, mutuo gaudio fratri salutem gratulatur. Alter verò Regis frater Gutthormus sub trabibus, qvæ domum superstructam sustinebant, jacens delituit, donec inqvisitio Baglorum (de qva mox dicetur) cessaret: tum demum ædem S. Virginis ingressus, feriam Dominicam universam illic transegit.

Die Lunæ Canonici veste ordinis sui indutum supra pontem deduci curârunt: armis deinde, eqvo, comitatuqve instructum dimiserunt. Accidit autem, cum Baglorum unus qvendam Betulopedem ad templum usqve perseqveretur, ut, cum ad angulum templi eum trucidasset, fratrem a se occisum agnosceret, abjectoqve protinus gladio indignatus fortunam suam miserè lamentaretur. Nonaginta plus minus Betulopedum eo impetu occisi perhibentur. Die Dominica, cum primum per lucem licuit, ex solenni Principum consulto urbs in regiones qvatuor distributa, â totidem cohortibus lustratur; earum unam Rex Erlingus, alteram Comes Philippus, tertiam Arnbiornus & Godolfus, qvartam Hreidar & Philippus de Vegine (qvi unà cum Thordo mane ejusdem diei ad urbem appulerant) ducebant. Multi tum Betulopedum inventi, extractiqve è latebris suis, omnes ferè occisi, magnâ spoliorum vi in potestatem Baglorum redacta. Die lunæ naves, qvæcunqve ipsis placuerant, e litore propulsæ. Rex ipse Erlingus Gullbringam sibi elegit, Comes Gestaskalpum, Arnbiornus Darrhettam, Hreidar Lyrtam, Philippus Ognarbrandum, Gudolfus de Blackastadis aliam magnam navem invaserunt. Kladius & Elftria, tertiaqꝫ alia, cujus nomen non æqvè cognitum, exustæ. Singulæ deinde noctes in castro exactæ, interdiu autem naves apparatæ. Die Mercurii spolia omnia in diversorium (Gildisskala) devecta, ibiqve tribus proximis diebus Jovis, Veneris, & Saturni divisa. Inter alia memorantur loricæ annulares trecentæ sexaginta, totidemqꝫ ocreæ (Brynhosur) more prisco factæ: qvarum certè pretium magnum inprimis esse debuit, itá ut ex nongentis supra mille, singulis tres qvatuorve selibræ (credo sive argenti sive vulgaris æstimationis) evenerint. Interea Rex Ingius ê Strinda, qvò prius eum pervenisse diximus, per superiora in Gaulardalum profectus, affluxu tum eorum, qvi periculo erepti sunt, tum etiam civium & provincialium,

usqve

usqve adeo augebatur, ut nongentis & mille hominibus tantillo temporis spatio contractis, hostibus ipsis formidabilis, statim die Saturni urbem repetere constituerit.

Jamq; ad campos Ilenses provectus, subsistentibus in urbe Baglis, ipse qvoqve in diem usqve Lunæ cum suis substitit. Tum verò Orcadalensium magno concursu collecto, in universum duorum millium & qvadringentorum capitum exercitu hostibus tantum terrorem incussit, ut repetitis subitò navibus eodem die Holmam peterent, & seqventem ibidem noctem exigerent; die verò Martis, qvi idem mensem Aprilem finiebat, ad Agdanesiam navigarent, indeq; in australiora pergerent, multis Nidarosiensium, imò qvotqvot asseqvi poterant, in militiam suam adscriptis. Cum verò cognovisset Comes Hacon Baglos in septentrionem movisse, ipse unà magna nave, lembisq; aliqvot & celocibus, eos perseqvi instituens, ad Stadas prætoriâ nave in scopulum impactâ naufragium fecit, qvindecim vectoribus submersis. Reliqvos natandi beneficiô salvos minorum navium nautæ in sua receperunt navigia. Stinem inde provectus & cautior factus mari apertô navigabat. Tum verò classis universa Baglorum ad Markarholmam constitit; visis autem Betulopedibus, versus septentrionem propulsis, acriùs remis intra Langeyarsundam navigans, in occursum eorum tendebat. Comes autem Hacon Sveggiadarsundam intrans, visâ Baglorum classe, cui se imparem animadvertebat, per Septentrionalem sinum Hamrasundam usqve remis connixus, inseqventibus Baglis ad Ædeyam contendit, versoqve in occidentem vento, velis sublatis evasit perseqventes. Jamqve in Thrandiam provectus, fratri Regi acceptus desideratusq; accessit. Bagli directo in austrum cursu Bergas pervenerunt, ubi tum castro præfuisse hi Duces memorantur, Svertingus, Thorir Brasius, Ivar Gusius, & Eiricus Maxius. Et in urbe qvidem interdiu, noctibus autem in navibus remanebant Bagli. Dumqve hic ità morabantur, Ormus Langius ex oriente Margaretam Regis (Erlingi credo) filiam, uxorem Philippi de Vegine, Bergas deduxit. Paulò post ii, qvi in stationibus erant, in Ormum Benedictiqve de Gumanesia turmas inciderunt, qvi statim aufugere conati & in editam ripam copias ducentes excubabant. At cives Bergenses, hoc visô, in eos irruebant. Bagli itaqve ad castrum pulsi ibi à castellanis portâ confertim effusis excipiuntur, fuganturqve: qvô impetu Ormus Langius occubuit. Ex eo Bagli sæpius castrum per vesperas, poti plerumqve & temulenti, adorti sunt: sed repulsi semper & vulneribus cœdibusqve mulctati ad naves reversi sunt.

CAP. VI.

COMITIS HACONIS CUM BAGLIS VARIA CERTAMINA. ERLINGI BAGLORUM REGIS MORS. HACON HACONIS FILIUS IN COMITIS HACONIS FAMILIAM RECIPITUR.

Appetentibus pervigiliis sacris, (ut credo, sanctæ Cruci dicatis) Comes Hacon è Thrandia (ubi tum magnæ naves ædificabantur) qvinqve navibus longis, lembis tredecim (septendecim habet *Editio Danica*) movit, Stadasq; prævectus continuato itinere Hindeyas pervenit; ibi remissis in Thrandiam copiis rusticanis, navibusqve majoribus, ductore iis

Andreâ Dritliode impoſito, ipſe delecto milite, Regiis ſuisqve ſatellitibus comitatus, in auſtrum navigationem inſtituit. In Miadmarſunda duo tum Baglorum lembi conſtiterunt, rectoribus Martino Soddio & Kolbeino Smiorredo; hos in ſinu Sognenſi concitato remigio Comes, ſed acriore ventô provectos, Keiluſtraumum usqve perſeqvebatur, ubi tandem Kolbeinus appulſam ad ſcopulum navem Comitis poteſtati reliqvit, qvi plerosqve occidi juſſit. Martinus interim elapſus in urbem Comitis adventum nunciat. Hic, claſſe Haeyis admotâ, eâdem nocte Arnarfiordum (Jernfiord exſtat in *Editione Danica*) intravit, ubi ſubductis navigiis paucisqve cuſtodibus commiſſis, armamenta ſingula in ſylva abdidit, pedesqve monte ſuperatô, ſeqvente nocte cum ſeptingentis militibus Bergas devenit. Cognitô ejus adventu, Rex Erlingus & Comes Philippus copias, qvas numero ſexcentas ſupra tria millia habuerunt, in ſtationes ocyus diſpoſuerunt: ipſe Rex in cæmiterio templi B. Virginis cum parte conſtitit; in Kopria verò ſupra ædificia urbis ſpatium ingens occupans, ſepimentisqve ligneis complexus, magnæ copiarum parti tanqvam vallum qvoddam præſtruxit. Comes Philippus, cognomínisqve alter de Vegine, ſupra templum S:Nicolai cum magnis cohortibus ſtabant.

Poſtero die Bagli Betulopedes, qvi in caſtro erant, inſolentibus verbis affati: *adeſtne jam*, inqviunt, *mordax ille canis veſter, quem exſpectâſtis?* Reſponderunt iſti: *adeſt quidem Comes noſter. Vobis itaque cavete, quibuscum ipſi propediem res erit.* Tum Bagli per ludibrium: *commeatûs fortè defectu preſſi vos intrò gemitis. Satis in urbe annonæ. deſcendite modò pauliſper, famem hic ſedaturi.* Caſtellani *id ſe quam primum facturos* pronunciabant, *præſertim cùm decreviſſent in urbe unà cum illis jentaculum ſumere.* Peractis matutinis ſacris, Comes cum Petro Steipere, cui alterum vexillum præferebatur, è caſtro eruptionem faciens, in copias Baglorum, qvorum numerus bis mille qvadringentorum fuiſſe hominum dicitur, irruebat, moxqve in Kopriam erupit, tanto qvidem robore militum & impetu, ut protinus locô Bagli pellerentur, nec diu morati, ſummâ, qvâ poterant, celeritate urbem percurrentes ad naves, factâ haud exiguâ ſuorum cæde, properarent; Rege interim Erlingo circa templum S. Mariæ conſiſtente, qvi buccinam inflare buccinatori mandabat. Is verò, qvem Thorfiñum Budrſvein Annales appellant (Svidebrand *Editio Danica*) nuper Nidaroſiæ in templo Chriſti inter alios captus erat, unà cum tuba Regis Sverreris Andvaka (ſeu pervigilio, appellata: qvæ deinde cùm in Baglorum veniſſet poteſtatem, ejus cuſtodiæ commiſſa eſt, ipſeqve ei inflandæ adhibitus. Verùm ſive fortuitô caſu, ſive aſtu tibicinis (poſterius Danica confirmat Editio) nullus tum ſonus editus eſt. Secuta effuſa Baglorum fuga ad ædem S: Virginis; qvò cùm perventum eſſet, tibicen Regi Erlingo ſvadet, ut templum intret, qvi, animadverſâ haud dubiè fraude, monitis parere recuſavit. Thorfinnus verò cum multis aliis Betulopedibus, in ſocietate & miniſterio antea Baglorum, adveniente jam Comite Hacone, deſerentes Baglorum partes certatim & ſociato agmine effuſi ad eum tranſierunt; tumqve primùm muta illa Sverreris tuba, qvam nuper tubicen neqvicqvam inflabat, ſatis vocalis latè perſonabat. Ad ædem S: Laurentii Bagli à perſeqventibus pulſi, cum anguſtiis portæ cæmiterii (Mixlagardenſis addit *Editio Danica*) inſuper premerentur, acervatim unus ſuper alterum ſternebantur. Cæſorum præcipui Thordus Docka, Benedictus de Gumaneſia, & Gunnius Lagus, aliis Lavius, memorantur. Comes autem Philippus propero curſu incidens in cadavera interfectorum inter tranſiliendum undecim gravia vulnera accepit.

Et

Et jam Betulopedes qvidam congeriem istam corporum jacentium gladiis rimari cæperant; cùm unus eorum, ne stratos occiderent, inclamans, mistos Baglis Betulopedes promiscuè jacere monuit; qvô cognitô, reliqvi cædibus porrò abstinebant. Celeriter itaq; in pedes se Bagli conjicientes, pars cursu ad naves perveniunt, pars in undas præcipiti saltu se demittentes recipiuntur à suis, pars qvoqve magna periit: alii incisis navium vinculis in altum dederunt vela, cùm viderent qvasdam suorum naves Betulopedes in pontes procurrentes ad se trahere, raptis utrinq; in telorum usum obviis qvibuscunq; rebus, qvæ nocere posse videbantur. Alii Baglorum ad Monachorum pontem delati à suis ibi recipiebantur, elapsiqve è manibus hostium concitantes in sinum navigia cursum in aqvilonẽ dirigebant; sinumqve inde Arnarfiördum ingressi, iis, qvi ibi à Comite Hacone in custodiam navium relicti erant, primo conspectu sui tantum terrorem injecerunt, ut sylvas trepidi qværerent, navibus omnibus maximâqve armamentorum in sylvis abditorum parte Baglis in prædam relictis. Inde ulterius in aqvilonem, duce Philippo de Vegine, tendentes, cùm ad Hindön (Hindeyam *Editio Danica* appellavit, MS: portum Sild reponit) venissent, magnas illas naves, qvas Comes Hacon ibi reliqverat, interceperunt; istæ namqve faventes ad exeundum ventos exspectabant. Vectores autem, qvamvìs mandata à Comite accepissent remis noctes diesqve anniti, qvoad in Thrandiam pervenirent; tamen Stadas remigando prætervehi detrectabant: navem verò sex remorum speculatum in Visafundas miserunt, qvæ visos Baglorum lembos numero qvatuordecim, cùm agnovisset eosdem esse, qvos Comes Hacon in australia profectus duxerat, concitato ad suos cursu redire hostes adesse nunciat. In subita itaq; trepidatione interiora sinûs petentes, ad sinum Moldafiordum deflectunt, Baglis confestim eò perseqventibus, totoqve remorum nisu cursum accelerantibus. Ut ergò terram primò assecuti sunt, statim alii Betulopedum in eam exsiliunt, alii in undas sponte sese projiciunt. Cæsi autem ducenti circiter & qvadringenta sunt, cum ipso duce Andrea Dritliode; naves omnes cum universa vectura & spoliis certè magnis captæ. Inde in austrum profectio instituta, adqve Regem Erlingum, in portu Vikingavogo tum qvidem commorantem, deventum. Qvamprimum verò Comes Hacon cognoverat Baglos in aqvilonem movisse, sine ulla morâ eò ipse qvoqve proficisci, veritus ne Regem nihil tale opinantem opprimerent, decrevit: transitâq; Borgarskarde, in sinum Ostrafiordum descendit. Hinc (secundum *Editionem Danicam*) monte Trollfield superatô, in Læradalum Sogniæ paræciam profectus, inde per Valdresiam in Gudbrandsdalos, perqve ardua montis Dofrini juga in Thrandiam ad Regem pervenit. MS: non tam distinctè singulis enumeratis itineris partibus, à sinu Ostrafiordo transiisse montem rubrum, Raudafiall, nec prius destitisse tradit, qvam in Thrandiam pervenisset. Archiepiscopus Eiricus, jam, ut supra meminimus, cæcus, cum in Norvegiam esset revocatus, inq; tertium annum iterum sedisset, officiô spontè abdicatô, in locum suum substituerat Thorerem Gudmundi Flati filium, Canonicum ad ædem S: Hallvardi, qvæ Osleyæ est. Hic igitur anno superiore Romam profectus, acceptô palliô, adultâ jam anni hujus æstate in patriam rediit, vir sapiens & gratiosus: cui inde magna in Regno authoritas accesfit.

Verum post interceptas naves Regias Bagli Bergas repetentes ibi aliqvantisper morabantur: divisisq; deinde copiis, Comes Philippus in partem illam Regni, qvæ in oriente est sita, naves majores transtulit; eas

verò

verò, qvæ viginti scalmorum minoresq: erant, Rex ipse secum detinuit. Inde in Septentrionem ad locum, qvem Stin appellant, profectus, in portu Frekeyarsunda stationem habuit, unde navigiis lembisq; in Mæriam missis, milites colonis & commeatum imperavit. Qvibus ex voto instructus, per universas regionis oras (Sunnhordiam usq;, ubi qvosdam ministrorum suorum reliqvit (qvod qvidem additum in *Editione Danica* legitur) canones, ut vocant, annuos latè exegit, transmissisq; deinde Septentrionalibus Sundingsundis, qvæ Regibus semper periculosa sunt habita, paulò ante natale Christi festum Tunsbergam devenit, ibiq; solennia ejus festi sacris conviviisq; celebravit. Circa hujus finem Comes Philippus cum illis viginti scalmorum minoribusq; navibus Bergas profectus, ibi per tempus hybernum substitit. Rex autem Ingius, Comesq; Hacon, & Petrus Steiper, Nidarosiæ hyemabant, ubi Rex navem triginta sex loculorum parabat, Petrus Steiper aliam triginta duorum. Multæ qvoq; aliæ majoris fabricæ exstructæ sunt. Qvo cognito, Bagli qvoq; tres, mole structurâq ampliores, qvàm Norvegia in eum usq diem viderat, ædificari curarunt. Unam Rex Erlingus, alteram Philippus de Vegine, tertiam Hreidar, suis qvisq; sumtibus, adornabant. Talis verò earum describitur forma. Erant in singulis bini inter sentinarum loca remorum ordines, & infra illa qvidem remi numero viginti qvatuor, supra vero (ut habet Editio Danica) qvadraginta octo, suis singuli foraminibus exerti, longiq; ulnas viginti, eas concitabant, tentoria in triginta qvinq; ulnas extendebantur, dimidiis qvibusq; locis vectores octo assignati; altitudo hæc erat, ut procerissimi in ima parte stantes vix longâ secure foros pertingerent.

Comitem Philippum multi Baglorum in orientem secuti sunt, remanebantq; ibi, qvibus id erat necessum. Sorqver autem Snapus in Hardangriam profectus, inde lembo exiguo vectoribus tantum decem & tribus in australia concessit; qvo tempore Styrkar Stagnal Rogiæ gessisse præfecturam dicitur; qvi de Sörqveris itinere certior ex aliorum indicio factus, ad inqvirendum eum sese accingebat: jamq; ad Bardholmas eum conspicatus perseqvebatur Karmsundam usq;, sed ingruente nocte villam Bo ingressus, subductâ nave, in coenaculo hospitii qvievit.

Interea Sorqver hostem, â qvo petebatur, & ipse investigare atqve adoriri ausus, eidem villæ non segniter navem suam admovet: agnitoqve navigiô hostis sui, domum accedit, in qvam subitò & improvisò irrumpens, gæsa duo ê cænaculo rapuit, eodemqve impetu egressus Styrkarem, si liberet ipsi, ad auferendam prædam provocat jactabundus, & numerum suorum viresqve longè suprà veritatem verbis augens, dum interdicendum rhedis & trahis fores obstruit. Styrkar, ni viribus ipse, qvantis alius gloriabatur, abundaret, haut audendam rem tantam ratus, egressum paulisper distulit: qvosdam tamen suorum per fenestras, in qvas per subjectam mensam ascendebatur, emisit, armaqve cum suis induit omnibus. At Sorqver, qviqve cum eo erant, conscensô tectô, lapides per fenestram, qvæ in culmine cœnaculi, more Norvegis usitato, erat, in eos dejecit. Inde diruto tecto ignem corticibus admovit, qvi accensi fenestræ ingeruntur. Exorta inde flamma clara satis & lucida destinare in subjectos ictus certiores docuit. Hinc vulnera cædesqve multorum secutæ. Occisus & ipse Styrkar cum septendecim suorum. Novenis tamen parcitum legitur. Tantum qvidem audacia Sorqveri, consiliiqve solertia profuit: & vulnere is uno, haut gravi tamen, acceptô, simulqve victor, magna cum laude discessit. Hac hyeme, cum non multum a festo temporis effluxisset, Erlin-

Erlingus Saxomurus subitô correptus morbo, eadem hebdomadâ, qvâ in eum incidisse fertur, exstinctus est: mors ejus aliqvantisper occultata, corpusqve intra conclave per septem dies abditum, inde templo S. Olafi clam populo illatum. Missus dehinc Bergas una nave ad Comitem Philippum Olafus Thoræ filius, qvi obitum ei Regis referret: in vulgus autem sparsum, Regem Daniæ eum ad colloqvium arcessivisse. Philippus igitur absqve longiore mora iter ingressus, jejunii qvadragesimalis tempore Tunsbergam pervenit. Tum primum excessus Regis Erlingi publicatus, corpus verò ejus in septentrionali pariete sacrarii templi S. Olafi e Regione altaris est conditum. Eodem hoc anno Comes Hacon puerum Haconem Regis Sverreris nepotem matremqve ejus in familiam tutelamqve recepit, eodemqve ac proprium filium loco habuit: qvin singularem amorem & tenerum erga eum affectum declaravit, ità ut sæpe coram amicis testatus sit, & se & Regem Ingium patrimonium illius pueri detinere.

CAP. VII.

COMES PHILIPPUS ADNITENTE EPISCOPO NICOLAO REX CONSTITUITUR. CLASSIS IN AQVILONEM MITTITUR. PHILIPPUS DE VEGINE MORITUR. VARIA BAGLORUM ITINERA ET INSULTATIONES. INGIUS CUM REGE PHILIPPO TUNSBERGÆ CONGREDIDUR, EUMQVE FUGAT.

AB excessu Regis Erlingi Comes Philippus tota Imperii mole in se recepta universam Baglorum factionem in obseqvio studuit continere, & nè disspergeretur, statim disseminavit in vulgus uberem satis materiam domi Regiæ esse Regis constituendi, superstitibus duobus Erlingi filiis, Sigurdo nempe, tum qvadrimo, cujus se Patrem ipse Erlingus vivus erat professus, & Magno, octo jam annos nato: cujus genus, inqvisitionem Erlingo faciente, candentis ferri testimonio assertum semper postea indubium fuit habitum. Spes igitur fastigii Regii in alterum eorum conferendi animos militum a novis motibus tantisper retinuit. Cæterum *Editio Danica* neutrum horum pro filio â Rege Erlingo agnitum, opinione tamen omnium filios ejus habitos assèverat. Totum jejunii tempus hoc modo Tunsbergæ transactum. Interea literæ inter Comitem & Episcopum Nicolaum missitatæ, conventusqve occulti cum civibus potentissimis, hinc à Comite, illinc ab Episcopo, habiti. Post qvatuordecim dies a festo Paschatis elapsos Bagli cum copiis suis universis comitia Sarpsburgi celebraturi, Erlingi filios in successionem Imperii destinatos advexerunt. Ibi Episcopus Nicolaus civiumqve omnium flos convenit, inqve templo B. Virginis, ubi conventus agebatur, Episcopus agrestium locupletissimos argumentis, qvibus haud promptum erat resistere, in suam de electione Regis sententiam traxit. Verum Hreidar ille Nuncius in foro interim his verbis rusticos alloqvebatur: *Magnum qvidem Regis Erlingi obitu partibus nostris damnum illatum est, sed qvod resarciri haut ægrè potest, si filiorum ejus alter, sive is, qvem vos elegeritis, sive qvem exercitus prætulerit, maturè substituatur.*

Nihil adhoc responsi ab iis datum; cum potentissimus qvisqve, & penes qvos præcipuum electionis arbitrium erat, in sacra æde consilia cum

Epiſcopo conferebant. Evocati itaqve in forum, cognitîs, qvæ Hreidar disſeruerat, unum ex ſuis ad reſpondendum ei deligunt, qvi his verbis eum affatur: *Haut eqvidem ſine cauſa necesſitatem eligendi Regis commemoras; magna enim hic civium, magna militum, magna navium vis, qvorum ſingula capite deſtituta, rectore jam novo indigent; attamen ſingula virum prudentiæ expertæ, militiæqve ac juris civilis apprimè gnarum, ſimul ac audacem, & præſertim authoritate gravem, expoſcunt, talem omninò, qvi Betulopedum potentiæ tutò opponi posſit. Imprudenter itaqve & vano conſilio imbelles pueros tanto oneri ſubjiciemus, qvi ſibi ipſis regendis inhabiles ab aliorum jamdudum arbitrio pendent. Nos igitur omnes decrevimus Comitem Philippum Regem conſtituere, Principem iſto faſtigio dignisſimum, inſtructum qvippe virtutibus, qvæ a Rege expetuntur, omnibus; natum ſorore Regis Ingii Haraldi filii, optimi omnium Regis, & in animis noſtris ac memoria ſemper victuri. In hunc, ſi vobis ità placet, nos vota noſtra & ſuffragia conferemus.* Ad ea ſtatim Lodinus Stallarius reſpondit: *arbitrium eligendi Regis penes vos qvidem, cives provinciales, eſt: milites tamen alterum filiorum Erlingi, qvi maximè placeat, expetunt, iis enim ſervire malunt.* Id qvod, ut dictum prôetat, univerſa militum corona unô & conſtanti ſuffragiorum favore probavit. Cives autem pertinaci in ſua ſententia animo, *ſi Comitem recuſarent, nullum ſe electuros amplius*, reſpondebant: *ſed nec ſeſe in poſterum ullis obſtringi obſeqviis paſſuros.* Hoc igitur rerum ſtatu, cùm Betulopedibus ſine ruſticorum auxilio reſiſti non poſſe omnibus conſtaret, facilè in ſententiam eorum ab omnibus itum eſt, nè diverſis ſententiis validæ factionis vires diſpergerentur. Primarius civium Erlendus de Huſabæis ex parœcia Hegne exſurgens, publicâ voce nomen Regium Comiti Philippo impoſuit; mox ſurrexit alter, qvi jura expeditionum, commeatuum, claſſis, armamenti, canonumqꝫ Regiorum & tributorum ei adjudicavit. Mox naves ingresſi poſtera die Tunsbergam repetebant, poſtqꝫ aliqvam moram ſedecim lembos in Septentrionem ad explorandas res Betulopedum miſerunt, ducibus Ambiorno Jonis filio, Endridio Hegrio, Nicolao Botolphi filio, Arnthore Thokio (Thordo Editioni Danicæ) & Gyrdere Benteini filio. Hoc eodem tempore Philippus de Vegine ex apoplexia mortuus, ad templum S: Olafi ſepultus eſt.

Eadem æſtate Betulopedes â ſeptentrione progresſi, novam claſſem, inq; ea tres naves plus triginta inſtructas loculis, multas autem viginti ſcalmorum, cum lembis qvàm plurimis, minoribusq; navigiis ducentis, Bergas tendebant, præmisſisq; decem & tribus lembis, ductoribus Thorſteino Gemſere & Sveno Næpa, qvi itinera Baglorum explorarent, ipſe Rex & Comes majoribus navibus ſubſeqventes Hvitingſeyas venerunt. Bagli qvoq; ab oriente in portum Seleyenſem advecti, cognoſcunt Thorgilſem Fudkundum in Veggis â Betulopedibus conſtitutum commeatum collegiſſe. Igitur poſtera die ſub ortum Solis, aſpirante leniter aqvilone, remigantes Hitras curſum dirigunt; convenerat enim, clasſem ibi totam conſtituendam fore, qvò etiam omnes ad horam ſextam pervenerunt. Arnthor autem Thoka longius in ſeptentrionem prævectus, cum ad oſtium fluminis Sokndalenſis conſtitisſet, duos Betulopedum lembos progreſſos ex amne inqꝫ ſe tendentes animadvertit, qvi ipſum deinde perſecuti telis aliqvot nautarum vulnerabant. Verum in hoc occupatis Betulopedibus, Arnbiornus Jonis filius & Nicolaus Botolphi filius ſupervenerunt, qvorum vim declinaturi Betulopedes ad Hadyr usqve concedunt. Bagli verò cum univerſa claſſe amnem Soknadalenſem ingreſſi, tres lembos ſpeculatum

tum emittunt, qvi ad Selvogas provecti cognoſcunt Betulopedum duodecim (aliis decem & tres) lembos in portu Eikaſundenſi conſiſtere. His relatis, Bagli, Haeyris in tranſitu relictis, Betulopedes cum qvadraginta lembis ex oris ſeptentrionalibus adventantes conſpiciunt. Fugâ igitur ſibi conſulentes, cum perſeqventes evadere vix poſſent, Arnbiorni auxilio liberantur; qvi per exploratores certior de ſuorum periculo factus, ſublatis ſignis amne excedit. Qvo viſo Betulopedes, omnem vim claſsis in ſe ferri exiſtimantes, illicò ipſi fugam capiunt, adqve Svafuvikam in terram exſcendunt; naves igitur omnes Baglis ibi in prædam ceſſerunt, multiq; delectorum militum occiſi: in his Svenus Næpa & Erlendus Thiofakappius. Qvibusdam parcitum. Ibi cognitô, Betulopedes majorum navium claſſe in Hvitingseya conſiſtere, converſô itinere, dies noctesq; remis ac velis omnibus Tunsbergam tendunt. Betulopedes autem ad Regem Ingium in Hvitingseyam ſeſe receperant. Paulò poſt, cum jam iterum lembis triginta qvinqve Tunsbergâ ſolviſſent Bagli, ducibus Nicolao de Liſta, Erlingo Vikre, Ormo dapifero, Kaurre Hattſpiorre, prænavigatâ Helgaſundâ, nunciatur Betulopedes Jadriam prætergreſſos in orientem jam curſum dirigere; qvô auditô, Nicolaus mutatâ ſententiâ domum repetere geſtiens ab obnitente Ormo totam diem impeditur; de nocte verò in orientem tendunt.

Mane ſeqventis diei portum Portyriam intrant, ſed multâ caligine incubante, nec dum crepuſculô discuſſô, qvid gereretur, non prius animadvertunt, qvàm claſſis Betulopedum portum præterveheretur. Subitò itaqve remotis tentoriis, orientali portûs oſtiô egreſſi, intra Aurem reducto curſu, inde in ſinum ſe effundunt. (*Editio Danica* eos extra Jomfrulandiam indeqve in ſinum excurriſſe tradit) qvem Betulopedes tunc totum erant emenſi. Secuti Bagli Stavernam deveniunt, Betulopedes verò Sundas, tres tamen Baglorum lembi, rectoribus Biorgolfo Bato, Eirico Bergo, & Skiæringo, Regi Philippo inſtans periculum annunciant: qvi confeſtim buccinâ exercitum Haugas convocat, qværitqve, *an hoſtes navali excipere prælio, an exſpectare in urbe, magis placeat? numero ipſos ſuperiores videri; patere etiam in terram effugium. Poſteriorem certè ſibi hoc ſtatu conditionem videri tutiſſimam.* Reſpondit Arnbiornus Jonis filius, *magnas illas naves roboris ſatis habere ad propulſandum hoſtilem impetum, nec facilè expugnari poſſe, ſi vectores acriter pugnando tantum iis præſidii ac fortitudinis, qvantum ab illis habituri eſſent, præſtarent.* Multis conſilium placuit. Ingreſſiqve navem, qvam Philippus de Vegine fecerat, omnium qvippe maximam, proram Arnbiornus cum ſuis cohortibus, Rex puppim, defendendam recipiunt. Verùm ſuam interim Rex Ingius Hroſſaneſiæ claſſem admovit: inde cùm armis ſe ac ſuos loricisqve munitos reduxiſſet, navem hoſtilem petit. Cum primum ſub teli jactum ventum eſſet, Bagli de nave in pontes tranſiliunt, omnium verò primæ Regis ipſius turmæ; cum Arnbiornus: *Malè me*, inqvit, *Dii perdant, ſi fugam hinc capio: conſilium tamen, qvod præſens neceſſitas ſuppetit, non reſpuam.* Atqve his dictis pontes ipſe qvoqve ocyus conſcendit. Betulopedes tardè ad pontes pervenerunt, longarum navium objectu præpediti; ſed poſtqvam advenerant, Bagli ſubitâ fugâ ſupra urbem procurrentes collem Frodaſem ſine ulla ſuorum cæde, niſi unius Thorbiorni, cognomine Skeifi, tranſeunt. Univerſam igitur ſuam claſſem, cùm eam qvam Bagli Regi Ingio & Comiti Haconi eripuerant, tum ingentes illas, qvas nuper ædificaverant, naves ſpoliaqve inſignia hac expeditione ceperunt Betulo-

tulopedes; præcipiti enim trepidatione Bagli, relictis omnibus, excesserant. Inde aliqvantisper ibidem Betulopedes morati dicuntur.

CAP. VIII.

BAGLORUM DIREPTIONES. CASTRI BERGENSIS OBSIDIO, DEDITIO, ET RECUPERATIO.

PRiusqvam Bergis Betulopedes excedebant, Dagfinnus ab iis castri Bergensis Præfecturæ destinatus ducentos qvadraginta viros in præsidium postulans, nimium exigere visus est, cum paucioribus castrum facilè defendi posse crederetur. Svertingo itaqve non ultra dimidium numerum exigenti, cum Ivare Boddio & Eyvindo Slidrio custodia ejus commissa est. Interea Bagli, qvi lemborum ducebant classem, dum septentrionem versus tendebant, exploratum ab ipsis est, Olafum Jorundi fratrem & Olafum Smiormagium, Occidentalium Agdarum Præfectos, duobus lembis ex aqvilonari tractu domos regredi; in qvos properando cum incidissent, alterum ad Thrimlingas, ad Flausturgaflem verò alterum consecuti plurimos occiderunt. Verum cum utriqve Olafo & Nicolao de Lista esset parcitum, milites tantam clementiam indignè & ægris animis ferentes ambobus mox necem intulerunt, ulteriusqve profecti propter Jadriam navem Anglicam opibus gravem spoliarunt: aliam qvoqve, qvæ itidem erat Anglica, in insula Kormte diripuerunt. Inde Bergas profecti divisis copiis urbem invadendam censent, Toluvikam aliis, aliis verò castrum aggressis; utrisqve hinc atqve inde oppugnationem parantibus. Tum verò sua Betulopedibus paucitas nocuit, qvippe qvi a propugnaculis expulsi intra arcem se subduxerunt. Bagli autem, exustis propugnaculis, dispositisqve per castella militibus suis, arcem strenuè obsidebant.

Dum hæc geruntur, Archiepiscopus Thorer in urbem advenit. Eum igitur per internuncios consuluerunt obsessi, *dederentne arcem, conditionibus a Baglis præscribendis, an ad extrema, qvoad viri ac arma suppeterent, defensarent?* Is svasit, *ut retinerent, qvousqve liceret, arcem: sin autem gravioribus causis inducti de defensione desperarent, maturè modo, atqve dum hostibus adhuc constaret per aliqvantum temporis defendi posse, deditionem paciscerentur.* Hoc igitur accepto consilio, orabant obsessi, ut eos accedere Archiepiscopus dignaretur, eorumqve conditionem inspicere; qvi cum intrò esset receptus, omnia in dies arctiora fieri animadvertit. Exoratus itaqve rursus, ut conditiones ipsis tolerabiles procuraret, Præfectum Baglorum adit, cui se deditionem arcis procuraturum esse, si petitis primò suis annueret, promittit. Reqvirenti, qvid postularet? *Neminem*, inqvit, *latet, castrum hoc arcemque jam diu magno urbis civiumqve damno stetisse, multorumqve votis ultimum ei exitium destinari. Qvod si vel maximè expugnaverint Bagli, possessio tamen ejus penes ipsos haut diuturna futura. Sed nec multa illi cum Betulopedibus certamina ulterius jam, ut antea, Bergis exspectaturi sunt. Qvod si liberum obsessis egressum, vitam incolumem, intacta atqve integra bona sine ulla injuria aut damno permittant recipere, deditio ipsis conciliabitur.* Variè ad ea responsum est, assentientibus qvidem nonnullis, aliis *invecta in arcem civium bona, qvæ sibi in prædam deberentur*, objectan-

jectantibus; *sed nec obsidionem diuturnam futuram, cum compertum esset, defectu jam potûs laborari.* Archiepiscopus negabat ità esse, *satis enim potus, qvoad largior de cœlo imber aqvam subministraret, haberi: in biennium qvoqve cibaria ipsis sufficere; qvod si adventu suo Comes Hacon expugnationem prævertat, etiam ulteriore eos spe dejici.* His talibusqve obtinuit, ut memoratis utriqve pactis convenirent; hâc tamen cautione additâ, si ea Rex Philippus, cujus adventus qvotidie exspectabatur, probaret. Is autem Tunsbergâ pulsus per Uplandas in Sogniam copias trajecit, ubi cognitô, milites suos Bergis tanto desiderio adventum suum opperiri, rebus cœteroqvin gravissimis impeditos, collectis undiqꝫ navibus, sociorum fugæ aliorumqꝫ numeroso stipatus comitatu ad eos contendit, mox ab Archiepiscopo de ratis habendis pactionibus, qvas obsessos inter & obsidentes confecerat, sollicitatus, haud difficilis in assentiendo fuit. Cautum tamen, ut opes Regiæ, qvæ in arce invenirentur, cum deditione facta obsessi excederent, intactæ omnes atqve integræ inter milites suos dividerentur.

Tertiâ post die Bagli arcem accedunt; mox apertis portis cuncti, qvæ ipsorum erant, exportant. In utroqve autem plateæ latere Bagli diversas fecerunt vias, ut per eas exeuntes Betulopedes â suis distingverent. Ipse Rex ad portam arcis stabat, apprehensâqve manu Christinæ, Regis Sverreris filiæ, eam per portam deduxit; illam Christina Comitis Haconis uxor subsecuta, proxima Sigridis Regis Ingii soror, tandemqve Giridis Jonis filia, Eyvindi Presbyteri affinis uxor, exiit. Singulæ in cœmiterium ædis Servatoris deductæ. Illarum omnium, præter Christinam Sverreris filiam, nullâ mentione factâ, nobiles fœminas qvadraginta in arce fuisse author uterqve tradit. Adjicit *Editio Danica*, defuncti Regis Haconis filium, Sverreris nepotem, nec non Skulium Regis Ingii fratrem, unà cum iis fuisse; de hoc posteriore Author noster consentit. Vita tamen Haconis, tam illa typis excusa, qvam Manuscripta ejus exemplaria duo, Danicam Editionem utrumqꝫ memorantem tuentur. Idem annales faciunt. Alius tamen Codex MS. in qvo nullius matronæ nomen, nisi Dagfinni uxoris Margaretæ, & Gudridis Thorsteino de Hemnesia nuptæ, legitur, in hoc qvoqve admodum a cœteris discrepat, qvòd obsessos, penuriâ aqvæ ad deditionem coactos, vitam & bona sua salva a Rege Philippo pactos esse, absqve opera Archiepiscopi, qvem nè hic qvidem nominat, tradat. Istud verò minimè consistit, qvod, exemplar vitæ Haconis typis impressum & alterum MS. *Codicis Flat.* asseverant, triennium nempe ab hoc tempore nepotem Sverreris in potestate Baglorum fuisse: qvod aliud vetustum, Gullinskinna dictum, de trimestri tempore affirmat. Utrumqꝫ autem ex his, qvæ supra memorata sunt, facilè refellitur: siqvidem & Archiepiscopum eum cum fœminis omnibus in tutelam suam recepisse, &, qvamdiu Bagli in urbe essent, sustentasse, sub discessum autem Baglorum â Rege Philippo puerum eidem redditum, vita ipsius tradit; atqvi Baglos paucos tantum dies post dirutam arcem, ut mox dicetur, in urbe remansisse constat. Igitur triduum fortè apud eos fuisse existimandus est.

Cœterùm objurgabant Regem Philippum Bagli, qvòd se prædâ, qvæ in manibus erat, ipse orbâsset; *facilè enim arcem expugnari, nisi fortunam suo interpellasset adventu, potuisse: Betulopedes integros auri argentiqve acervos cum aliis rebus pretiosis, qvæ Regis Ingii & Comitis Haconis essent, obtentu suarum rerum extulisse.* Rex itaqve in cœmiterium ædis Servatoris procedens, juratam â singulis confessionem expressit; nihil præter res proprias exportatas, solis fœminis juramentô remissô. Lustratâ deinde arce, com-

meatûs primò copia magna inventa, parum verò rerum aliarum, donec tandem protracta sunt cimelia Regis Ingii, solium qvoqve Regi Sverreri olim fabricatum, qvod Rex statim Archiepiscopo donavit, Nidarosiæ inde in æde Servatoris per aliqvot tempora asservatum. Die Jovis arci subjectus est ignis; tunc apparuit eam non satis accuratè lustratam esse: butyri enim magna vis liqvefacta per parietum rimas effluxit, cunctaqve tum, qvæ igni concipiendo apta erant, arserunt. Die veneris sub vesperam muris demoliendis admotæ manus, inqve iis destruendis dies Saturni totus consumtus; mox autem ejusdem diei vespere fama adventus Comitis Haconis ad aliam eos curam fugæqve apparatum convertit. MS: tum universam classem ad Floruvogas directam, &, qvòd venti ab aqvilone incumberent, proximo die Lunæ ad castrum iterum conversos, omnem civitatem ad residua ejus solo æqvanda excivisse tradit. Idem mox die Martis urbe egressos, inqve australe Sunnhordiæ ostium devectos, perhibet. In Sundæ verò ostium tertio post destructos muros die classem Baglorum deductam Editio Danica, cæterà cum MSto consentiens, refert. Dicitur deinde malè audivisse Svertingus, qvòd Baglis juramentum fidei præstitisset: non enim evitare suspicionem proditæ arcis potuit, cum satis ei temporis ad commeatus providendos suppetivisse, inter primam adventus Baglorum famam eorundemqve accessum, multis videretur. De puero autem Hacone hæc traduntur, qvòd exportatum in podium, vel pergulas, sub qvibus classis Baglorum stabat, collocaverint, qværentes ab eo, *cujusnam esset?* Cumqve respondisset, *Domini mei sum*; *Tuus*, regesserunt alii, *Dominus Rex Philippus est*; at puer hoc negans, & Dominum suum Comitem Haconem vocans, *ejus qvoqve*, inqvit, *hæc classis est.* Admirati responsum pueri, qvi nondum triennium impleverat, & subridentes, haud fa ventem sibi eum futurum ominabantur. Tum Hreidar, convocatis Proceribus qvibusdam suæ factionis: *Ea*, inqvit, *occasio nobis affulget, quâ potentiam Betulopedum subitò evertere omnem possimus, Regniqve totius vires, modò benè audeamus, ad nos trahere.* Jussus id consilii edicere: *In potestate*, inqvit, *nostra habemus Haconem, Regis Haconis filium, Principis, qvem ordines Regni omnes unicè amârunt; cujus jam filii partes certus sum seniores omnes Betulopedes statim secuturos esse, vitamqve pro ejus salute libenter exposituros, cum prolem istorum Regum omnibus præferre aliis consveverint. Hunc igitur si partibus nostris Regem præfecerimus, jubentes Comitis titulo eum, qvem nunc Regem vocamus, posthac acqviescere, Betulopedes, qvotqvot sunt futuri, nobis se jungent. Novimus enim, qvid S. Olafi legibus mandetur, eum solum Regem Norvegiæ constituendum, qvi Regis est filius, non qvi nepos vel sororis filius, qvales sunt ii, qvibus utriqve nos Bagli Betulopedesqve hodie servimus. Nec verò ista tituli jactura Regi nostro ægrè ferenda, qvæ majori potestate compensabitur, cum Regnum Regemqve simul gubernaturus, isto solo modo utrumqve, & Rex & Comes, idqve totius Regni, habendus sit.* Id consilium multi eorum, qvi aderant, laudabant; alii verò, *magno se criminе contaminari, si Regem, qvem ipsi fecissent, auxiliisqve & opibus juvissent, nomine jam Regioqve titulo privarent*, regerebant. Suberat tamen alia causa, metus nempe iræ Regis Philippi, si Majestatem ejus tantâ injuriâ læderent.

Eô ipso, qvô hæc aguntur, tempore, ut ait vitæ Haconis Scriptor, properus Comitis Haconis adventus, certis nunciis compertus, ad accelerandum iter eos convertit. Igitur Archiepiscopus statim Regem Philippum adit, tutelæqꝫ suæ puerum committi, qvoad Hacon Comes rediret, petit,

petit; impetratum vero advenienti deinde Comiti reddidit: qvi actis Deo gratiis valdè de eo recepto gavisus est, vovitqꝫ diligentiorem se ejus curam postea habiturum, nec ultra â se unqvam passurum divelli. Atq; inde puer materqꝫ ipsum, sive in urbibus sive in navibus commoraretur, ut perpetui comites assiduè seqvebantur: qvod tamen cum alia relatione inferius adducenda haud convenit. Rex autem Ingius post exactos Tunsbergâ Baglos, partamqꝫ ibidem victoriam, naves majores iis ereptas exussit, etiam Gesta-Skalpem & Lyrtam; Gullbringam verò aliasq; in classe sua retinuit; mox famâ de Baglis in aqvilonem profectis delatâ copias suas divisit, Rexqve ipse Tunsbergæ cum majoribus remansit navigiis; Comes Hacon minoribus ad eos perseqvendos proficiscitur. Is die Mercurii post exustam arcem, vento ab austro flante, ad Hardsæ Baglos obvios habuit, qvi cum primò in occursum Betulopedum remigarent, paratos eos ad pugnam existimabant: igitur depositis velis se qvoq; ad certamen præparant; verum iis subitò in sinum, Comite neqvicqvam perseqvente, declinantibus, Bergas ille rectâ navigat. Ibi postqvam cum iis, qvi castrum dediderant, expostulatum esset, Dagfinnus inprimis svasit castrum reparari; evocantur itaq; cives omnes ad fundamenta ejus denuò jacienda, singulisqꝫ diebus labor ædificandi continuatur, cum interim subiret Comitis animum, Regem Ingium Tunsbergæ auxiliis indigere: ad eum igitur profectus, Petrum Steyperem & Dagfinnum ad restaurandum castrum reliqvit.

CAP. IX.

PRÆLIUM NAVALE INTER INGIUM ET PHILIPPUM, ET CASTRI BERGENSIS OPPUGNATIO.

VErùm Rex Ingius Tunsbergæ non diu commoratus, qvatuor navibus, Gullbringâ scilicet, Ognarbrando, duabusq; aliis, Osleyam profectus, tantisper ibidem constitit, donec Bagli, qvi placido vento ab aqvilone navigantes in portu Thrimlingis certiores de eo facti sunt, adventarent: hi itaq; per Ormeyam rectâ in Höfudeyam provecti, cives militesq; qvo tempore in publica diversoria ad potandum freqventes coiverant, â cœpta lætitia avertebant; adeò ut ad signum tubæ exciti naves ocyus conscensas anchoris alligarent, Baglis tam propè eos aggressis, ut ipsa qvoq; anchoralia inciderent. Vento igitur deinde acrius insurgente, naves ad Frisiam actæ hærere in luto atq; subsidere, Regiâ â cæteris separata, coeperunt. Cumqꝫ Baglis classem suam strenuè applicantibus fit acre prælium; nec gladiis tantum aut hastis, sed omni materiâ in usum telorum raptâ, res geritur. Ipse Rex Philippus suam navem propius in hostes concitat, ità ut illa contis horum et manibus ferreis injectis implicata sisteretur, jamqꝫ in extremum periculum adductis solam elabendi viam præceps a lateribus navis in mare saltus præberet. Rex igitur, octo ex vectoribus amissis, cum reliqvis natando ad suos eluctatus, in naves recipitur. Inde Bagli, aliam excogitantes machinam, urbem petunt, ubi qvinq; naves onerarias corticibus arborum stipulisqꝫ repletas injecto igne accendunt, ardentesqꝫ in classem Regiam secundo ventô immittunt. Sed Betulopedes eminus animadversas contis validè â se repellentes in vada protrudunt. Igitur hoc altero

tero conatu frustrati ad urbem se iterum conferunt Bagli: mox autem sub vesperam, cessante vento, inde egressi Hofudeyam perveniunt. Tum verò refluxu maris naves Betulopedum evectæ in urbem reducuntur, anchorisq; per noctem figuntur.

Seqventis diei mane Bagli Tunsbergam petunt, duasq; inde naves onerarias secum abducunt, septem verò alias majores, detractis loricis, qvô remis aptiores fierent, supra trabes perforatas lapidibus replent, cumq; his in sinum progressi Betulopedes plenis velis adnavigantes offendunt. Ut primum sub teli jactum est ventum, Betulopedes obliqvato cursu transversum in sinum (*Editioni Dan:* Aafiord, MS: Innafiord) tendentes congressum declinabant; missis itaq; onerariis illis, Bagli lembis minoribusq; navibus eos perseqvuntur atq; incessunt, totôq hoc die jaculis invicem certatur. Sub vesperam Betulopedes portum Renshafn ingressi naves anchoris, Bagli verò suas pontibus alligabant. Alterius diei mane Betulopedum naves aqva destituebat; inclamabantq; tum Baglos, ut propinqvus ille Karii butyracei (Regem Philippum intelligebant) portu Regi suo cederet; simulq;, his dictis, sublatis anchoris ad promontorium pergebant. Bagli verò non segnius tergis inhærentes, in orientem versus Stavernam seqvebantur, stationemq; ibi juxta eos, ut prius, capiebant. Seqvens verò ubi illuxerat dies, utriq; e promontorio naves triginta a Grenjis (Grannmor *Editioni Danicæ*) adventantes prospiciunt: metus inde Baglis haud exiguus injectus, nè Comes Hacon instructâ classe accedens eos opprimeret. Qvod animadvertentes Betulopedes, per ludibrium eos qværunt, an navigia conspicerent? hortantes ut qvieti modò in statione permaneant. Verum illi surdis auribus convitia excipientes, confestim sublatis velis sinum transmittunt, inq; portum Ostrigsholmas (Astisholmas MS: appellat) sese recipiunt, ibi aliqvantisper se continentes. Compertum deinde vanum fuisse metum: erat enim oneraria mercatorum classis, Bergis veniens, & Tunsbergæ jam hyematura. Verumtamen paucis post diebus Comes advenit, Regiq; se jungens, unà cum eo Tunsbergam navigavit, ubi simul per autumnum manserunt.

Interea Bagli per septentrionalia profecti, in portu Thrimlingis ab onerariis navibus ex septentrione eò delatis cognoscunt, Comitem Haconem vela in orientem vertisse, Petrum verò Steiperem & Dagfinnum Bergis in instauranda arce occupari, Dagfinnô imprimis magnâ in opus illud curâ & solicitudine incumbente, qvippe qvi erat Præfectus Hördiæ, ideoq; castrô ad propulsandam vim hostium finibus suis incursantium valde indigebat. Petro autem Steiperi & Comiti Haconi istius ædificatio adeò cordi non erat. His cognitis, Bagli magnis itineribus eò destinabant contendere, portumq; primò Eldeyarsundæ adibant, vesperâ deinde totaq; inseqvente nocte remis promovebant cursum, tanto nisu, ut ante diluculum urbem asseqverentur. In eam mox a navibus effusi, alii supra urbem per montes incedentes, horribili tubarum cantu dormientes atq; securos excitabant. Dagfinnus tum cum suis manipulis intra castrum se abdidit; primus enim is adventum hostium, cum jam urbem ingressi erant, sentiebat: manipulares verò ejus, qvi in urbe pernoctabant, mox, ut expergefacti erant, ad arcem conversi, ab intervenientibus Baglis invaduntur, nec sine undecim suorum cæde castrum contingunt. Petrus Steiper cum iis, qvæ ipsum seqvebantur, turmis supra urbem se proripiens cursu evasit. Interea Bagli lucem exspectabant, simul ut per eam jam liqvidiorem liceret arcem oppugnaturi; prius tamen Dagfinno incolumitatem offerunt, si de-

si dederet castrum; qvi negabat se eorum beneficiô indigere. Summâ igitur contentione oppugnatio cæpta est, castellanis numero qvinqve supra viginti haud minori alacritate se defentibus, donec admoto igne præter lassitudinem & vulnera, qvorum nemo immunis, fumo torrenteq; ardore repati neqvirent ulterius tantæ multitudinis impetum sustinere; quæ jam in stationes divisa arcem ex diversis partibus majori alacritate oppugnabat. Pacem igitur Dagfinnus sibi suisqve petens responsum accepit, *non jam magis istâ, qvam brevi antea, eum indigere.* Mox scalis sacrarum ædium arci admotis ascensum moliebantur. Tum verò Dagfinnus dicitur puero Hacone Regis Haconis filio per funem dimisso pacem orasse (id qvod a superius narratis dissentit, siqvidem puerum Comes Hacon semel receptum nunqvam a latere suo dimiserit. Majorem tamen similitudinem veri habet, in loco tuto præsidiôqve munito fidissimorum virorum custodiæ comissum, semelqꝫ a Baglis Archiepiscopo donatum, non iterum in castro retentum esse) dimisisse & gladium affabrè ornatum unà cum puero ad Gyrderem Skialgium affinem suum, cum mandatis, ut adeundo Regem pacem sibi impetraret. Is utroqve recepto Regem adit, pacem orat, bona sua omnia pignori obligat, si Dagfinnus unqvam ei hostis in posterum foret; subsecutus ejus preces Arnbiornus Jonis filius causam promovebat.

Rex concione advocata postulata Dagfinni proponit, militibus verò potestatem pacis permittit. Obstabant omnes; cum nihilominus Gyrdir precibus instaret. Donec Rex eum abire jussit, Dagfinnoqve referre, *soli qvidem ei pacem, si Regem adeat, patere*: qveis ille auditis, gratiam vitæ, ni omnibus itidem pateret, soli sibi oblatam recusabat. Hisce iterum relatis, Rex apud suos pro iis intercessit, ostendens nullam gloriam paucorum & malè multatorum virorum cœdibus adipiscendam: obtinuitqve demum, ut omnibus parceretur, exuti tamen armis & tunicis singuli exirent, soli Dagfinno galeâ permissâ. In ædes itaqve Episcopi omnes deducti, fidem obseqviumqꝫ Regi jurejurando addixerunt; postero die arx omnis destructa, lapidesqꝫ & saxa in diversa hinc inde loca dissipata. Bagli inde Thrandiam petunt, ubi Philippus publico Eyrensium foro Rex renunciatur. Magna tum annonæ caritas universam Thrandiam affligebat, atqꝫ adeo qvidem, ut sustentari exercitus nullo modo posset, creverat. Initio igitur hyemis Bergas denuò profecti emittunt speculatorias naves earumqꝫ Ductores hosce, Biorgolfum Batum, Skiæringum Skutam, Byrgerem de Stangis, & Bryniolfum Nef, ad exploranda hostium itinera, per qvos certô indiciô compertum, Petrum Steiperem hinc inde vagabundum Stafangriæ plerumqve interdiu, noctibus verò alibi morari; nihil ulterius certi cognoverunt. Ad Herfilium itaqve remigando concedunt, ubi adversis ventis qvadriduum detinentur; inde austrum versus fretum Forbyriam interioremqve sinum occupant; qvo tempore Petrus Steiper sacris matutinis cum tota sua cohorte intererat, tantaqve tum caligo terris incumbebat, ut accessus Baglorum tam diu lateret, donec navibus in terram egrederentur. Ad tantam tam subiti periculi famam certis nunciis allatam, Petrus cum universis turmis in pedes se conjicit: qvi licèt omnes dictus sit homines pernicitate pedum superâsse, attamen ægrè dum ac nè vix qvidem, tunicâ baltheôqꝫ abjectô, periculum effugit; tunica sine zona inventa inqꝫ urbem delata uxori ejus (non, ut habet Editio Danica, filiæ, erat enim Regis Magni Erlingii filia) de occiso marito persvasit; undecim militum ejus cœsi (MS: novem hic numerat) nocteqve ibi exactâ, alterô die Bagli Bergas repetebant. In hunc annum Annales obitum Episcopi Stafangriensis Nialis referunt.

CAP. X.

BETULOPEDUM LONGA IN SELEYIS MANSIO, FRIGUS HYEMIS; EORUM EX ORIENTE, BAGLORUM EX OCCIDENTE ITER ET CONFUSIO. LITERÆ AB EPISCOPO NICOLAO DE PACIFICATIONE A REGE PHILIPPO ACCEPTÆ, PUBLICEQVE RECITATÆ.

POstqvam Ingius & Comes Hacon ex oriente enavigare cœperunt, in portu Seleyensi diutius detinebantur. Huic igitur anni ejusdem parti, qvâ hærere ibi coacti sunt, nomen Seleyarhaust | seu Seleyensis autumni, in memoriam rei indiderunt, qvæ eadem aliis qvoqve Dura Hyems est appellata. Nam potulenta omnia intensô frigore congelata sunt, butyrum qvoqve adeò induruit, ut pandis panis orbibus, ex consvetudine Norvegica, Scotis etiam, teste Buchanano, receptâ, illini neqviret. Unde ex faceto parvuli Haconis, Haconis Regis filii, acumine, cum Comes Hacon, qvi tunc navem Olafssudam unum supra triginta scalmos longam dirigebat, triticeum panem densiorem (Surbraud) exhibendum curaret, jocus exortus: qvòd dum alios panem butyrumq; alternis morsibus devorantes observaret, ipse alligari pani butyrum postularet, qvod deinde in familiarem dicterii usum conversum est, hortantibus sæpe se invicem Betulopedibus, ut secundum mandatum Regii pueri panem butyro alligarent. Cœterum Bagli, cognito adventu Betulopedum, Bergis solventes noctem primam in Bardasunda exegerunt, postero die Hrisvikam, adversis licèt ventis, delati, cum Betulopedes favente Zephyro Eldeyarsundam intrarent, ibiqve certiores fierent, Baglos nondum ad insulam Stordem provectos. Igitur Comes levioribus, qvotqvot habebat, navibus ad promontorium Titolfsnesiam pergit (Utolfsnes habet *Editio Dan:*) Eâdem iterum vesperâ comperit, nondum præteriisse Baglos: de nocte enim in austrum tendebant, existimantes Betulopedes in portu Eldeyarsunda detineri. A Lofingsnesia igitur ad Titolfsnesiam provecti, Arnbiorno cum tribus lembis prætereunte, ab excubitoribus observantur; qvi statim exclamârunt hostes adesse, removendaqve tentoria. Admirantibus, qvid rei esset, Baglis, qvi cum lembis suis ante portum tum substiterunt; visô mox in terrâ igne, multisqve in statione navibus se ostendentibus, Biorgolfus Batus, qvinam essent? inclamabat. At Betulopedes, removendis tentoriis malisqve erigendis distenti, nihil responderunt. Alterâ igitur tertiâq; vice idem vociferanti: *parce clamori, parce?* regerebant illi, *brevi enim cognosces*: neqve ulterius, qvin Betulopedes essent, dubitatum.

Et jam ad portum omnis eorum classis pervenerat, cum Betulopedes remos summâ vi torqventes, buccinis undiqve personantibus, eos perseqvuntur. Verùm cum per tenebras discerni ab alterutra parte, qvinam hostes essent, non posset, simul omnes uno agmine navigabant. Tandem Bagli litora legentes a Betulopedibus altiùs in sinum provectis separantur; nec his ulterius, qvonam illi evaserint, animadversum. Cœterum fortè apud Eikundasundam Petrus Steiper lembum gubernans in navem Hreidaris Nuncii affinis sui impegit; unus igitur ê nave Petri inclamans: *qvid*, inqvit, *vos mali genii totâ hac nocte nos usqve præceditis?* arreptumqve lapidem

pidem cœco jactu projiciens unum nautarum Hreidaris, qvi propè proram erat, contigit; at hi nihilominus taciti remigio insistebant, Petro deinceps, qvinam essent, inobservati. Hreidar & Helgius Byrgeris filius intra Mostur-Eyam cursum dirigebant; Arnthor autem Thoka retrò septentrionem versus, sinum Teknafiord intrans, celeriter se inde in terram cum suis proripiebat. Sed & Betulopedes, stativis ibidem occupatis, donec illuxerat, remanserunt. Mane seqventis diei Arnbiornum Sorqveris Snapi filium in Vadilseyam perseqvuti cum qvindecim suorum trucidârunt. Inde Bergas profecti, finito festo natali illuc pervenerunt. Bagli verò mane ejusdem diei cum universa classe in Haugasundam pervenerunt. Ibi literæ ad Regem Philippum ab Episcopo Nicolao de pace inter Baglos & Betulopedes concilianda scriptæ, publicè recitatæ sunt. Inde converso itinere Eikundasundam itum, pars verò Agdas petit, divisisqve per provinciam copiis, festum ibidem transegit. *Editio Danica* Borgarleya transita Tunsbergam inde reditum perhibet: MS. hyemem ibi exactam tradit.

Circa idem tempus peracto festo natalitio faber quidam ferrarius Nesis villam Pislum (*Edicioni Danicæ* Fislum) dictam inhabitans, nomine Thordus Vetter, ab eqvite qvodam ignoto sub vesperam advecto de hospicio compellatus, petitioni annuit. Exceptus hospes eqvo ferreas soleas fabricari postulat: Promisit & hoc faber, longeq; ante diem uterq; cubitu surgit; accingit se operi faber, præmissâ tamen ad hospitem qvæstione, ubi proximam noctem exegisset? *Medaldali* respondit, villâ in septentrionali Thelamarxia sitâ, (addit *Edicio Danica*, qvæsitum etiam, ubi præcedente nocte hospitium habuisset, responsumqve *Jardali*, Ryafylkiæ villa) *Te*, respondit faber, *hominum mendacissimum existimo, cum absurda & verùm excedentia narres*: exorsusq; opus, ferrum, ut consveverat, mollire aut formare, totis etiam viribus advocatis, neqvibat; qverenti *non aliàs opus suum tam infeliciter cessisse*; *ut ferrum fortunæ permittat*, respondit hospes. Extractum igitur ex igne formam qvidem solearum retinuit, sed magnitudine inusitata, qvæ tamen ungulæ eqvi optimè congruebat. cumq; calceâsset faber: *Næ tu qvidem insulsus & insipiens vir es*, ait hospes, *qvi me talem de nulla re amplius interrogas. Unde igitur tibi*, ait faber, *genus? qvæ patria? qvò tendis? Ex aqvilonaribus oris*, respondit, *veni, diu hic in Norvegia moratus, jam verò Sveciam peto*; navibus *sat longo tempore assvetus, jam aliqvantisper eqvo uti insvescam. Fabro porrò, ubi hac vesperâ hospitaturus esset?* qværenti, *in Orientali Sparmarka* respondit. *Sed nec hòc verum esse potest*, regessit faber, *id enim iter vix septem diebus peragitur?* Demum hospite equum conscendente, qværit faber, *qvinam esset?* is verò, *de Odino*, inqvit, *fando qvid unqvam inaudivisti? Audivi*, respondit faber; *itaq; hic jam eum poteris videre*, dixit alter, *dictisq; si fidem non adhibes, saltem eqvum observa, cum sepimentum transiliero*, eqvum deinde calcaribus fodiens adeò concitavit, ut sepem nè pedibus qvidem tactam, septem licet ulnas altam, ilicò transiliret, nec deinceps fabro est visus. Post qvatuor inde dies Svercherus, nobis Sörqvir, & Eiricus ad Lænam cruentô bellô pugnârunt, magnâ Sorqveris Danorumq; auxiliarium clade. Monstratur hodieq; apud Vestrogothos prope villam, cui Læna nomen, memorabilis hujus pugnæ locus, duobusq; versiculis â Sveonibus tum confictis res olim cantata fuit: qvi, qvòd ex Latinis & vernaculis inter se mixtis vocabulis constent, Scuttici, seu militares, ac generis miscellanei, teste *Pontano*, populariter appellantur. Sunt autem isti:

Contigit in Lænum, thuo Jutta lopa for enum.
For Svenska Svenum thoge dorsum verbere plenum.

Hanc relationem ipſe faber Comiti Philippo eadem hyeme Tunsbergæ expoſuit: is autem, qvi præſens narrantem audivit, nobis (ait autor MScritpi) retulit.

CAP. XI.

CONSULTATIONES ET CONVENTUS DE PACE INTER PRINCIPES SANCIENDA. ACTUM DE EXPEDITIONE HÆBUDENSI. PHILIPPUS REGIUM TITULUM ABDICAT. EJUS CUM CHRISTINA SVERRERIS FILIA NUPTIÆ, ET IN VERMIAM PROFECTIO.

SUperiore, quæ hanc hyemem præceſſit, æſtate Epiſcopus Nicolaus Nidaroſiam ad Archiepiſcopum Thorerem profectus erat, ut cum eo conſilia de pace tandem inter Betulopedes Baglosq; conciliandа conferret; qvam cum uterq; pro virili promovere conſtituiſſet, proximo vere Nicolaus Regem Phillippum Tunsbergam acceſſit: ille vero, à pacificis haud alienus conſiliis, de conditionibus ſaltem qvæſivit. Tum Præſul: *vos*, inqvit, *tres Principes Norvegiæ eritis, Reges duo, Comes unus, tertiamq; Regni partem ſinguli tenebitis. Tu, Domine, Vikam Uplandaſq;, diſtrictus ipſâ Thrandiâ ampliores fœcundioreſqve, cum hanc qvoqve annonæ charitas affligat; hic verò abundent omnia. Sed & inter Archiepiſcopum & me convenit, ut tibi conjugio aſſocies virginem Chriſtinam Regis Sverreris filiam, nobiliſſimo totâ Norvegiâ genere prognatam. Qvòd ſi ex illa tibi maſcula proles contigerit, viloſcet profectò Guttormi aut Judicis Folkvidi genus. Certamina cum Betulopedibus ſemper nobis ardua fuerunt; hæc verò ſi primò nobis, ut ſpero, conceſſerint, haud dubiè ampliora deinceps concedent.* Probabilia proponere viſus eſt: itaq; Bergas inde ſplendidô comitatu profectus, Regem Ingium Comitemq; Haconem his verbis aggreditur: *A me perſvaſus propinqvus noſter Philippus ex hoſte amicus vobis fieri cupit, ſi Chriſtinam Regis Sverreris filiam in matrimonium ei dederitis: magno id vobis emolumento futurum credite, ſi qvidem primò de hac re tranſactum inter vos fuerit.* Iſti paucis ad poſtulata iſta verbis reſpondentes, negarunt pacificationem ſuſcipi ullam poſſe, niſi Rege Ingio ſolo Rege Norvegiæ conſtitutô. Verùm Epiſcopus aptâ oratione, &, qvâ plurimum pollebat, eloqventiâ iras mitigando, minora primò, inde per gradus majora poſtulando, pervicit tandem, ut conjugii virginis copia fieret, modò ipſius conſenſus impetraretur, partemq; illam Regni Philippus poſſideret, qvam Comes Eiricus Regis Sverreris frater antea habuit, titulo qvem Rex Ingius arbiter totius rei ipſi præſcriberet: omnia tamen liberiore ab Epiſcopo interpretatione excepta ſunt, qvàm conceſſa â Betulopedibus erant. Aderat & Archiepiſcopus Optimateſq; Osleyenſes, qvi cauſam pacis omni ſtudiô promovebant.

Mox igitur Epiſcopus Nicolaus virginem adeundo, nuptias ejus nomine propinqvi ſui Regis Philippi ambit; cui hoc ipſa reſponſum dedit: *ſe qvidem eo genere ac loco natam, ut Regi, qvi juſto titulo Regnis præſit, collocari mereatur. Betulopedes autem haud qvaqvam videri eâ mente futuros, ut Regno vel Regia dignitate aut poteſtate Phillippum, ſi vel maximè uxorem ſe accipiat, aucturi ſint.* Ad ea Epiſcopus: *facilè animadverti ab ipſa*

ipsa posse respondit, *non esse propinqvis ejus cordi, splendidum ipsi matrimonium procurare, neq; vel Daniæ Regi vel Sveciæ ut jungeretur, libenter aspicere: in remotis forte Regionibus conditionem ei qvæsituros, unde non sit expectandum, posteros ejus unqvam in Regnum redituros esse; vel intra Regni limites civis alicujus filio sociandos. Qvamvìs vero Philippus non videretur Regio natus stemmate, attamen eum se, postqvam Rex factus esset, qvalis esset, Betulopedibus satis monstrâsse: nec unqvam Regno Betulopedibus cessurum, nec pacis conditiones nisi in sponsæ gratiam admissurum.* At negabat tum virgo *se inferiorem maritum, qvàm fuerat Pater ejus aut avus maternus, accepturam: sibi enim relatum, Philippo, si pax componatur, Regium statim nomen abdicandum.* Instans ille, *optima Domina*, respondit, *noli omnino curare, qvid in vulgus spargatur; nos certè eadem curâ ità omnia moderabimus, ut Regium nomen penes ipsum illibatum maneat; multò enim libentius Regem illum, postqvam talem nactus fuerit Reginam, qvàm hactenus, appellabimus.* Inde â colloqvio discessum; nec Episcopus Regem Ingium aut Comitem Haconem virginis responsum celavit. Exinde, annitente Archiepiscopo, obtentum, ut Episcopus in foro publico postulata proponeret: qvi cum id faceret, statim à Betulopedibus probris atqve conviciis proscissus, proditoris & scelesti titulum non evitavit. Sed ille magnô animo contumeliam ferens: *parcite*, inqvit: (noverat enim ità attemperare verba sua Nicolaus, ut sapientibus utiqve viris probarentur) *partibus qvidem ego Baglorum hucusqve forstan favi, verum ab hoc tempore publica mihi salus cordi & curæ erit: paxqve Regno hoc tempore demum utilissima, ad qvam conciliandam aptissimam ego viam monstrare non desinam*; tantaq; verborum vi ac pondere concionem allocutus est, ut conventus in Hvitingseya proximô statim autumno inter Reges & Comitem Haconem instituendus concluderetur, sed navium copiarumqve pari numero; qvò etiam Archiepiscopus & Episcopus Nicolaus ad partes conciliandas evocati sunt.

His peractis, Episcopus Nicolaus in Vikam proficiscitur, Regiqve Philippo, qvid obtinuerit, nunciat: qvi non moratus iter magno comitatu navibusqve majoribus, prorsus uti convenerat, apparans, lembos suos navigiaqve alia, qvæ constituto numero in classe plura habuit, in diversis Agdiæ partibus reliqvit. At haud pari fide ad comitia processerunt Betulopedes: viribus enim & copiis majoribus, qvæ freqvens adhuc confluxus in dies augebat, instructi aderant. Ingius & Comes Hacon ad Hvitingseyam, Rex Philippus ad Nauteyam, stationes elegerunt, missisqve primò oratoribus, tandem & ipsi Reges se mutuò convenerunt: numero tamen Betulopedes Baglos, ut dictum, longè superârunt. Cœterum ut consederat Rex Ingius, Archiepiscopus & Episcopus Nicolaus ê regione ejus sellas occuparunt, â latere verò Ingii Rex Philippus se collocaturus, ab ingerente se Comite Hacone detruditur: hic itaqve in medio eorum consedit. Mox Archiepiscopus pro Ingio, Episcopus Nicolaus pro Philippo de facienda pace ejusqve conditionibus, suæ qvisqve partis studiosus videri cupiens, disserebant. Post longam disceptationem Betulopedes Philippo offerunt Uplandas & Vikam â Svinasunda ad Rygiarbit, seu amnem Syram usqve, titulô dotis Christinæ Sverreris filiæ, ipsi desponsandæ, cautô simul, *ut parte, qvæ à Svinasunda Gautelfam usqve extenditur, regiôqve in posterum titulo, contentus eo, qvem præscriberet ipsi Ingius, abstineret; redditoqve ei sigillo Regio, sacramentum ut Regi suo fidei obseqviiqve præstaret, ità ut dehinc semper tam extra qvàm intra Regnum omnibus viribus ad defensionem Regni, ubicunqve res posceret, concurreret. Cædes ab utraqve parte* inultas

inultas fore, damnaqve invicem illata absqve ſatisfactione remittenda. Cùm autem animadverteret Philippus, Betulopedes viribus ſuperiores tergiverſationem hoc ſtatu haud placidè admiſſuros, reſpondiſſe in hunc modum fertur. *Bellis utiqve & hoſtilibus inimicitiis, qvæ jam diu patriam afflixerunt, finem imponere cupiens, conditiones, de qvibus & antea conſenſiſſe me fateor, cum parte Regni, qvæ conceditur mihi, accipiam; enim verò qvocunqve eam titulô obtinuero, is tamen ſum, qvem me maximè exſtiturum velim: nec ægrè ejus arbitrium Regi Ingio hodie permiſero. Sigillum autem meùm penes me non eſt, ſed Osleyæ ſub Cancellarii mei cuſtodiâ, inde id poteritis repetere.* Tum Rex Ingius: *Id tuum primum nomen titulusqve erit, qvòd Philippus voceris.*

Hæc pacta ſacramentis ab utraqve parte firmata ſunt, primiqve Rex Ingius, Comes Hacon, & Philippus, jurârunt, deinde (ut habet *Editio Dan:*) ex qvalibet factione duodecim Proceres & Satrapæ, pacta hæc integra ſemper & inviolata utrinqve ſervanda eſſe. Exemplar MS. poſt Principes, Satrapas, Qvæſtoresqve inſuper à ſingulis partibus viginti qvatuor juraſſe tradit. Hac invicem obligatione fideqve datâ & acceptâ ſecundum illam, qvam Gunnar Grionbakus prælegit, formulam, comitiis finis impoſitus; qvibus peractis, Bagli ad naves regrediebantur. A latere Philippi Arnbiornus Jonis filius, manu eum ducere ſolitus, pro more incedebat: cui cum Philippus manum porrigeret, ille retrahens ſuam, *jam te ipſum deducas*, reſpondit: indignatus qvippe, eum Regium titulum ſibi extorqveri paſſum. Poſtero die Chriſtina Regis Sverreris filia Philippo deſponſata eſt. Mox exortæ inter utrosqve Baglos & Betulopedes qverelæ de magna Procerum ſummorumqꝫ virorum inopia, ad qvam continuis bellorum ſumtibus damnisqve redacti pœnè omnes erant, conſultumqve de ratione, qvâ ſuppleri jam commodè & ſublevari poſſet. Placuit demum, ut ſeqvente annô piraticâ Hæbudas laceſſerent; qvòd earum inſularum Reges ex inteſtino Norvegiæ bello ſuperbiores facti obſeqvium exuiſſent; delecti itaqve ab utraqve factione expeditionis duces, è Betulopedibus qvidem Thormodus Thiasſamus, Thormodus Trilbeinus & Oſpakus Hæbudenſis, è Baglis Eirikus Tofii filius, & Erlingus Pikus, Bergus Maul, & Nicolaus Gillius, cum duodecim navibus. Aliam verò ſocietatem Petrus Steipir & Hreidar Nuncius itineris in ſeqventem annum Hieroſolymam inſtituendi iniverunt.

His ità compoſitis, ſinguli ad ſua remeabant, Betulopedes qvidem Bergas, Bagli in Orientem converſi: qvi jam nihilo ſecius atqꝫ antea Regem Phillippum appellabant. Miſſus deinde Dagfinnus Bondius Tunsbergam cum lembis benè inſtructis qvinqve, literiſqve ad Philippum, qveis hic Regium ſigillum tradere Dagfino jubebatur; qvi verò ſtatim reſpondit, *ſine procerum conſenſu reddi ſigillum non poſſe, ideoq; ut ibi maneret, donec convocati adveniſſent illi, ſe rogare.* Interjectis verò paucis diebus, in comitiis Haugenſibus freqventi omnium ordinum conventu Philippus ſeriem ictorum fœderum coram Proceribus civibusqꝫ & provincialibus publicè expoſuit, *ſe ad Regium titulum abdidandum, ſigillumque Regium Ingio tradendum, obſtrinxiſſe qvidem opem ſuam, adesſeqve jam legatum Regis Ingii, qvi hoc repetat: nunqvam tamen ad id adactum ſe fuiſſe, ni Betulopedes numeroſiore, qvàm convenerat, commitatu comitia acceſſisſent.* Tum Bagli Betulopedes pactis non ſtetiſſe vòciferantes, ſeqꝫ exemplum eorum ſecuturos, diris ſe, qvotcunqꝫ aderant, devoverunt, ſi permitterent ſigillum Regium auferri: ſed & manum ſe ei, cuicunqꝫ traderetur, præciſuros publicè edixerunt. His cognitis, veniam â Philippo Dagfinnus domum repetendi,

di petiit; qvem is benignè affatus: *vade*, inqvit, *in pace: consiliarii mei ministriq; obstant, qvò minùs sigillum reddatur. Nihil certè interest, qvo nomine hic vel in septentrionalibus oris appeller; nec partem majorem Regni, qvàm pacta præscribunt, expeto.* Humaniter itaq; dimissus Regi ipsi hæc denuò retulit; qvi aliqvantùm commotior factus pauca respondisse fertur. Comes autem Hacon majorem in modum excandescens, nec lingvam a maledictis temperavit, maximè indignatus, qvòd Regium titulum sibi adhuc tribui pateretur: nam licet in hoc tractu aqvilonari nemo eum Regis nomine dignaretur, a suis tamen civibus eô vocabulô honorabatur.

Proximo vere Philippus, duobus lembis Bergas missis, sponsam suam Christinam apparatu magnifico deduci ad se curavit, Præfectis legationis Eysteino Roii filio, Hamundo Buste; nec non Grundio qvæstore. Nuptiæ Osleyæ celebratæ, ad qvas mater ejus Regina Margareta ex Svecia advenit, qvæ paulò post ex morbo legitur decessisse, prædives fœmina, cui multæ possessiones agriq; in Vermalandia & Vestrogothia erant, bonorum insuper aliorum magna vis, præter ingentem æris signati copiam. Ad ea dispensanda Philippus multos suorum eò miserat, qvibus intra nemus Eydense vir qvidam ignotus se associâsse dicitur, Hallvardum Hvitium, seu Candidum, se appellans, præ cœteris formâ conspicuus. Hic, cum in Vermiam provecti essent, rebus eorum se dissimulanter immiscuit: in hæreditate autem Reginæ dispensanda adeò authoritate prævaluit, ut ex nutu & voluntate ejus omnia curarentur. Cùm verò in Norvegiam reversum esset, disparuit repente Hallvardus; sub cujus persona, ne Svecis agnosceretur, Philippus ipse hactenus latuerat, qvi Osleyam redux magno omnium applausu & gratulatione excipitur.

CAP. XII.

GESTA INTER NORVEGOS ET ORCADENSES. HÆBUDENSES AD OBSEQVIUM REDIGUNTUR. CASTRUM BERGENSE INSTAURATUR. ERLINGI FÆREYENSIS TUMULTUS ET MORS. MOTUS NONNULLI DE SUCCESSIONE IN REGNO EXCITATI. CHRISTINA REGIS SVERRERIS FILIA MORITUR.

Interea in Orcadenses id, qvod superiùs constitutum diximus, Betulopedes & Bagli junctis exseqvi viribus parabant. Eqvidem postqvam vitâ excesserat Sverrir, Haraldus Maddadius Orcadum Comes, qvi vivo Sverrere nihil ausus erat contra pacta deditionis, cujus in historia ejus Regis fecimus mentionem, moliri, jam verò mortuo eô, cum intestinis Norvegia bellis concuteretur, ab obseqvio statim defecit, Arnium Lioram Qvæstorum Sverreris Præsidem per insidias necandum curaverat. Hialtlandiâ, hoc modo & Orcadibus in pristinum statum reductis, ejus filii successoresq; David & Jon itidem ex calamitate Norvegiæ, tot jam annorum bello collisæ, spiritus sumentes, retentâ Hialtlandiâ cum reditibus, partem insuper vectigalium Orcadensium, Regi debitam, sibi vindicârunt Jam verò, cum sopitis discordiis coaluisse pacem in Norvegia cognovissent, protinus misso legato Episcopo Biarnio, seu Bernhardo, pacem veniamq;

orabant;

orabant; qvi cum Rege Ingio & Comite Hacone Bergis collocutus, Comitibus tutum in Norvegiam accessum publicâ fide munitum impetravit. Interim non segnius hoc ipso annô utraqꝫ Norvegorum factio, qvam de piraticâ instituendâ societatem superiore anno iniverant, effectui jam dare cœperunt; navibus enim duodecim ê Norvegia solventes simul secum Præfectos novos Hialtlandiæ & Orcadibus à Rege Comiteqve impositos transportârunt. Seqvente anno, testantib⁹ annalibus omnibus, Hæbudas insulas mutuis tum Regum suorum Ragnvaldi Hæbudarum & Gudriodi Manniæ discordiâ dissidentes (qvos tamen simul regnasse *Chronicon Manniæ* nescit) depopulati sunt. In his S. Columbi insulam, in hunc usqꝫ diem ab injuriis omnibus Norvegarum intactam, religioneqꝫ sacram habitam. Mox ortæ inter ipsos piratas discordiæ eos iterum separarunt; dispersi itaqve diversisqꝫ in locis certaminibus fusi pœnas dederunt incolis: reliqviæ verò cladium in Norvegiam reduces, ab Episcopis ibi ob infesta, qvæ agitare pergebant, latrocinia exstirpantur.

Hac ipsa æstate Comites Orcadenses Episcopusqꝫ Biarnius in Norvegiam profecti, Regis sese Comitisqꝫ judicio stiterunt, pœnæ, qvam irrogarent, sponte se offerentes. Magnâ pecuniæ summâ multati, prædibus insuper & obsidibus datis, sacramentum fidei in posterum religiosè servandæ præstare jussi sunt. In Orcades deinde & Hialtlandiam certis conditionibus, qvas leguntur, qvousqꝫ vixerunt, observasse, restituti; cujus qvidem relationis fides de Hialtlandia mihi eò suspectior est, qvòd hanc non ex membranaceo, ut cœtera, codice, sed tantum ê Chronico Norvegico typis impresso, qvod non semel falsum deprehenditur, exscripserim, cum tamen *Orcadensium historia* testetur ab eo tempore, qvo Halardus Maddadius Hialtlandiâ excidit, nunqvam eam sub imperio Comitum fuisse. Cæterùm non solùm Comites Orcadenses post mutatum Norvegiæ statum ad obseqvium redierunt, sed etiam Hæbudarum Reges postqvam piratæ Norvagi in insulas eorum flammâ ferrôq; sæviissent, veriti nè concordia Norvegorum in ulteriorem suam perniciem verteret, Norvegiam profecti, Regiq; Ingio & Comiti Haconi supplices facti pacem exorarunt, redditis census residuis, fidei qvoq; denuò & obseqvii jurejurando datô, unde easdem insulas novo beneficiô feudi, ut vocant, titulo receperunt, demumq; reversi sunt.

Inter hæc autem Rex Ingius Bergis palatium Regium, qvod propè arcem situm Bagli superiore bellô exusserant, iterum instauravit, & in alium locum, nempe ubi ingens illud a Rege Eysteino quondam ædificatum steterat, transtulit, arcem autem ipsam exstruere noluit. Eadem æstate (ut qvidem tradit MS: exemplar, *Editioni Dan*: consentiens, Annalibus in seqventem annum rejicientibus) Petrus Steiper & Hreidar Nuncius, prout inter ipsos convenerat, in exteras terras iter instituerunt, in cujus societatem uxores suas Margaretam & Ingibiorgem, Regis Magni Erlingii filias, receperunt. Multa de illorum itinere relata *Editio Danica*, qvam in ea re solam seqvor, refert, qvorum tamen nihil omninò in antiqvis memoriis aliis mihi occurrisse memini. Petrum Steiperem cum uxore sua in itinere mortuum memorat. Hreidarem verò Hierosolymam primum delatum, regressum deinde Constantinopolim, aulam & militiam Imperatoris (Henrici, ut videtur, fratris Balduini primi Latinorum Imperatoris, ità ut ad annum MCCXIV. res referenda sit) secutum esse: ubi vitam eum clausisse Annales adjiciunt.

Circa eadem tempora inter Færeyenſes Erlingus qvidam exſtitit, Sverreris Regis filium ſe profeſſus, ex matre Aſtride Roii filia, qvi cum ſeptem, qvi ipſi erant, liberis inſulas illas novis miſcuiſſe turbis legitur. Inde nave qvæſtoris Einaris in Norvegiam vectus Philippum Chriſtinamqve acceſſit, qvæ eum fratrem ſtatim, licèt antea nunqvam viſum, agnovit, altiore fortè conſilio, qvàm ſangvinis amore impulſa, cum Rex Sverrir jam moriturus publicè teſtatus fuiſſet, nullum ſibi filium præter Haconem reliqvum eſſe. Tamen non diu ſuperfuit idem, paucis poſt annis ſectâ venâ ex nimio ſangvinis profluvio extinctus. Accedebant & interim novi motus, haud eqvidem levioris momenti, tantòq; graviores, qvòd intra aulæ ipſius domuſq; Regiæ clauſtra effervescentes magnis rebus occaſionem dederint. Angebant nimirum Comitem Haconem, ſe, cætera fratri parem, ſolo Regio titulo eo inferiorem haberi. Clandeſtinis itaq; molitionibus varios Regni Optimates aggreſſus, ut hoc qvoq; nomine ſe ornarent, poſtulabat, fratri id ſuo haud ingratum futurum dictitans. Annuebant omnes, dignum eum tanto faſtigio ingentes virtutes, induſtriam, naturæq; præclaras dotes reddidiſſe prædicantes. Illorum itaq; favore ſtudiiſq; erectus Comes, non amplius occultum, qvod moliretur, habuit; ità ut facilè Ingius iſta omnia, primarioſq;, per qvos gererentur, auſpices, atq; adeò totius rei ordinem, per amicos cognoſceret: qvi ſtatim omnibus ad concionem advocatis, hac uſus eſt oratione: *Prolixi in forò conventibusque publicis ſermones mihi quidem, ut ſcitis, inuſitati: ut verò hic fuſius paulò diſſeram, neceſſitas haud exigua poſtulat; quam ut rectè intelligatis, idoneis verbis exponere mihi eſt animus. Certis jam equidem indiciis compertum habeo, fratrem meum Comitem Haconem cum multis Proceribus Regni ſatellitibusq; primariis egiſſe, ut ſibi Regium nomen imponeretur; ipſum quoq; ab iis hoc faſtigio non ineptiorem me indignioremve (quod haud quaquam negavero) prolixis præconiis declaratum. Perſvaſit interim iis, me haud ægrè laturum, ſi ipſe partis Regni, cui gubernandæ præeſt, Rex habeatur, cum facilè tolerem Philippum Regem appellari. Verum conſtat omnibus, & in recenti adhuc eſt memoria, nos in Hvintingſeyis Philippo Regium nomen detraxiſſe, ipſumq; jurejurando ad illud deponendum ſe obſtrinxiſſe; dedecori itaq; magis quam honori hæc ei erit nominis; quod minimè ei competit, uſurpatio. Ego in publico Eyrenſi foro Rex renunciatus, Regio juſtè ornatus titulo, totius populi ordinumqve Regni omnium, etiam Comitis Haconis & Philippi, juratum obſeqvium mihi pactus, in nullius verba juravi, nemini qvicqvam præter legum juriſqve ſingulorum conſervationem promiſi. Scietis igitur, qvamdiu vixero, cum nullo me unqvam iſtius tituli honorem communicaturum, modò vobis juriſjurandi veſtri meiqve obſervantia curæ cordiqve fuerit.*

Hæc omnes ſummo favore excipientes, verbis ejus orationeq; collaudatis, qvaſi uno ore reſponderunt, ſe ipſius Majeſtatem omni ſtudio propugnare, eumqve ſolum Regem venerari paratos eſſe; actiſqve, qvòd hæc ipſis indicâſſet, gratiis, facundiorem eum multò, qvam exiſtimâſſent, affirmarunt. His itaq; publicè actis, non jam, ut antea, occultè ſibi agendum Comes Hacon exiſtimavit, ſed ex conſilio amicorum apertè, qvod intendebat animo, prodidit, pertractiſq; in partes ſuas Archiepiſcopo aliiſq; Epiſcopis, novam cum fratre pactionem de ſucceſſore Regni poſt ejus obitum declarando urgebat. Objecerunt enim iſti, *Regem Ingium ex legitimo non eſſe conjugio natum, cum Cecilia mater ejus Bardo Guttormi filio vivente adhuc priore marito nupſiſſet.* Reſpondit Ingius; *Matrem non ſine conſenſu Archiepiſcopi nupſiſſe.* Sed reclamabant Epiſcopi; *ex legibus Patriis*

non nisi legitimum filium ad Regnum vocandum. Tantaq; animorum contentione instabant, ut Ingius, qvantumvis invitus, postulatis tandem consentiret, ut fratrum, qvi alteri supervixisset, illi statim in Regnum jure integro succederet, post ejus verò mortem filiorum is, qvi ex legitimo conjugio natus esset. Hæc statim literis tradita, sigillis Regis & Comitis, Archiepiscopi Thoreris, Archiepiscopi Eirici, Episcoporumqve Nicolai & Martini, obsignata, & in foro Eyrensi præconis voce publicè promulgata sunt. Iniqva pactio visa est, qvòd esset Comiti Haconi Knutus ex justo conjugio Christinæ natus, Ingio autem Guttormus extra conjugium natus, Matre Giride, secundo Imperii Parentis anno, Knuto ætate paullò major, qvi hoc modo à successione excludebatur. Veteres tamen Betulopedes magis angebat, justum Regni hæredem Haconis filium, octo tunc annos natum, patrimonio suo deturbari, qvi cum in familia Comitis educaretur, hoc ipsô die, qvo hæc agebantur, veniam dicitur impetrâsse, in villam Backam ad Astridem propinqvam suam egrediendi; vespereqve serò rediisse. Erat in aula Comitis ex veterum Betulopedum numero Helgius qvidam, cognomento Hvassius, Sverreris qvondam satelles, qvi cum puerum prolixo amore & studio proseqveretur, eum consvetudini suæ, assiduè ut sibi adesset, assvefecit; jam verò redeuntem rure, accedentemqve pro more, repulit atqve abire jussit; qværentem, *unde hæc in se ira?* iterum repulit; tertio verò aggressum, idemq; scitscitari pergentem immiti vultu aversatus: *abi jam*, inqvit; *hodie enim patrimonium tuum publico tibi judicio ademptum est, proinde nec tu mihi ulterius cordi eris.* Tum puer qværit, *ubi hæc, aut à qvibus acta fuerint? in publico Eyrensi foro, Authoribus Rege Ingio & Comite Hacone*, respondit. Ad hæc vultu imperterritô puer: *non est certè, mi Helgi, qvod ideò indigneris: neqve enim judicium istud mihi timendum censeo; cum nullus Tutor meus ibi pro me responderit. Qvinam igitur*, ait Helgius, *tuus Tutor? Deus*, inqvit puer, *& S. Olafus, iis enim causam meam tutelamqve tam in Regni divisione qvàm cætera sorte mea commisi.* Omnes, qvi aderant, tam sapiens in puero responsum admirabantur: ipseq; Helgius eum amplexus osculatusq;: *felicissimus*, inqvit, *dixeris, Regis fili: istud certè responsum malo qvam nullum*; qvod statim ad aures Comitis relatum parum qvidem eum movit, Christina autem Comitis uxor muliebriter impatiens, iram non potuit continere, qvin asperis in puerum verbis eam palam testaretur. Sed Betulopedum gratia tenerrimusq; in eum amor magis indies crevit, cumq; incremento ætatis & corporis augebatur; erat enim venustiore indole, sermoneq; lepido & facetô. Sæpe duo eum simul capite pedibusqve apprehensum inter se trahebant, extensuros se eum in justam virilemqve staturam jocantes, cum ex voto non satis crescere ipsis videretur. Sed & ipse Comes eum impensè dilexit; octennem enim literis imbuendum curavit: qvibus cum jam aliqvantisper vacâsset, qvæsiit fortè ab eo, *qvid disceret? canere*, cum respondisset; *cantum nè didiceris*, inqvit Comes, *neqve enim Episcopus tu vel Presbyter unqvam eris.* Ipsa qvoqve Christina haud dubio eum amore complectebatur, licèt interdum blandè, interdum asperiùs alloqveretur; iratiorq; aliqvando nescire se diceret, cujus filius esset. Qvô auditô, Comes: *nè dixeris*, inqvit, *nôrunt enim omnes, nos patrimonium ejus insidere*; idq; sæpius multis audientibus testatus est.

Finitis comitiis Comes Bergas repetit, puerum pro more secum ducens: in qvem tum uxor ejus, observatô nimium qvantum seriô Betulopedum favore, plus solito verbis sæviebat. Cœterum admodum indignè tulit

tulit Hacon, Philippum Regium nomen non minus qvàm antea uſurpare, idq; ſæpius apud Regem Ingium qveſtus non multum moveri eum tantâ injuriâ doluit. Tandem effecit, ut literis legatisq; miſsis Philippus admoneretur, iſtâ uſurpatione pacta violari. Qvibus ille acceptis, amicos conſuluit, ſingulosq;, ne titulum deponeret, graviter adverſantes habuit. Ipſa qvoq; Conjux Chriſtina commotior animô admodum ferebat indignè, titulum, qvo cives eum publicè honorarent, ipſum non auſurum retinere. Reſcripſit itaqve Philippus, verbis amicioribus declarando; *non in ſua poteſtate eſſe, nè ſe hoc nomine ſui appellarent, prohibere: ſibi eqvidem nec diſplicere, ſi qvis ſe eo titulo omiſſo compellare velit: pacta cæteroqvin â ſua parte nullo modo violanda.* Miſſitatis ità ultrò citroqve aliqvot literis, tandem concluſum, ut iterum ad novum conſilium in Hvitingseya convenirent, utraqve pars navibus qvindecim inſtructa, qvarum nulla qvindecim ſcalmorum longitudinem excederet. At Skulius Regis frater, qvi præfecturam Sogniæ geſſit, navem locorum qvidem qvindecim ædificavit; eâ autem magnitudine, qvæ facilè alia viginti ſcalmorum navigia æqvaret; qvo cognitô Bagli conventum protinus abnuebant, navi huic Skulii Violatricis pacis vel Fœdi-fragæ nomine inditô.

Hoc Anno MCCXIII. teſtantibus annalibus atqve *Chronici Editione Danica*, Chriſtina Philippi uxor, Sverreris filia, ex partu obiit; relictâ prole, qvæ aliqvantiſper ſuperfuit, multorum Procerum conſpectui à Patre exhibita, publicis etiam in curiis civium gratulationibus excepta; ut hoc nomine Philippus hæreditatem matris univerſam adire ſibiqve vindicare poſſet. Clauſiſſe & ſupremum diem Archiepiſcopum Eiricum, Petrum Steiperem, & ejus uxorem, Annales iidem memorant.

CAP. XIII.

DIRA ANNONA THRANDIAM VEXAT. COLONORUM TUMULTUS ET SEDITIO. REGIS INGII ADVERSA VALETUDO, CLEMENTIA. HIDII SCELESTA ADVERSUS PUERUM HACONEM MACHINATIO. COMITIS HACONIS ET ARCHIEPISCOPI MORS. INGIUS MILITES CONSCRIBIT ET THRANDOS AD OBSEQVIUM REDIGIT.

ANnus ſeculi hujus decimus qvartus, præ cæteris ſterilitate infelicior, dirâ fame Thrandiam univerſam afflixit, usq; adeò ut reditus Regi debitos non eſſet unde ſumerent provinciarum Præfecti. Hos inter Eiricus Foſſius, Strindæ Satrapa, multis de eo qverelis ad Regem perſcriptis, obtinuit tandem, ut ediceretur ruſticis publico coram judicio in foro Strindenſi (Annales alii forum illud Raumenſe, alii verò Raumenſe ſcribunt, Editio Danica Rimmerthing appellat) convenire. qvos cum è ſingulis provinciis in jus vocâſſet, Regem de eo certiorem fecit; qvi mari terraq; eò ſtatim profectus legitur. Eò qvoq; ruſtici univerſâ armaturâ inſtructi, tanqvam ad bellum congregati, ſub rupe conſidebant. Rex præmiſſo fratre Skulio eos ad forum arceſſit; qvò cùm ejus authoritate adduci nollent, Eiricus Foſſius, idem ut perſvaderet, miſſus eſt. Qvi dum propellere morantes obſtinatosq; conatur, unum haſtili inter ſcapulas feriens, ſtatim ab eo magnâ

ſecure

ſecure fæmore altero truncatur, ut ſemivivus in terram decideret. Moxque omnes, quotquot erant, ruſtici ſecures, haſtas, & gladios promte expediunt, eq; rupe effuſi rectà in Regem feruntur, qvi vexillum ſtatim referri juſſit, præfatus, nolle ſe eqvidem cum civibus ſuis confligere. Illi verò timorem fugamq; interpretantes, protinus referentem pedem perſeqvuntur, nonnulloſq; occidunt. Inclamat tum Regem frater Skulius, ut ſuos defendat tandem; nihil enim a Ruſticis moderatè agi: cœdi illum omneſq;, qvi eum ſeqvantur, deſtinari. Vexillum itaq; inferri denuò Rex jubet; id qvod Betulopedes fortiter executi, facilè ruſticos in fugam vertunt, poſtea mari terraq; fugatos inſeqvuntur. Seditio hæc occultis Comitis Haconis conſiliis artibuſq; Archiepiſcopi Thoreris excitata credebatur. Verùm ab eo tempore, qvô Bagli occupatâ Nidaroſiâ Regem Ingium in ſummum vitæ periculum adduxerunt, non tam proſperâ, qvàm antea, valetudine uſus fertur: langvebat enim ſæpius, gravedine qvâdam moleſtâ affectus; qvam maximè, cum in navibus verſaretur, levari ſentiebat: in urbe verò ſemper pacis tempore intra conclave ſuum ſeſe continuit, convictu paucorum, qvos maximè dilexit, qvibusq; fidem præcipuam habuit, contentus. His verò omnia liberaliter & magnificè ſuppeditari juſſit, ipſe moderati manſvetiq; animi, nullâ inflatus ſuperbiâ, nec temerè audax, liberalis & benignus, mirâq; erga omnes clementiâ præditus, ſtrepitus hominum garruloſq; ſermones & nugas averſatus; conviviis atq; potationibus abſtinuit: qvà præſertim ſobrietate multos gulæ & libertati lingvæ indulgentes miniſtros offendit. Tres verò Optimatum ſuorum in conclavi ſuo ſemper retinebat ſecum, Paulum nempe Drottſetium, ſeu aulæ Magiſtrum, ArnfinnumThiodii (Thioſi) filium, & Henricum Scotum (natione an vocabulo, neſcio) ex qvibus Paulum maximè coluit, lectiq; conſortem fecit, utpote in proxima à ſe dignitate conſtitutum. Sed nullis ne tantis quidem meritis perfidia mitigatur. Cum enim ſemel pro more lectum ingreſſus eſſet, obſervabat eum Rex nudum cultrum dextrâ tenentem. Apprehenſâ igitur manu ejus, reliqvos inclamabat, qvi confeſtim advolantes protinus occidiſſent hominem, niſi vetiti a Rege eſſent ulla eum moleſtiâ afficere. Extruſus itaq; e conclavi in urbe pernoctavit. Ereptus ei culter Henrico Scoto cuſtodiendus traditur: omnibus qvoqve, qvi in cubiculo aderant, interdictum, qvicqvam eorum, qvæ eveniſſent, enunciare, donec ipſe primò expoſuiſſet.

Longo poſt tempore Skulius Regis frater affiniſq; ejus Jon de Auſturatte (habebat enim hic in matrimonio Sororem Regis Sigridem, qvæ Thorgrimo de Lianeſia prius nupſerat) urbem accedunt. Tunc primùm fratri rem omnem aperit, exactô priùs promiſſo, inultum ab ipſo hoc ſcelus fore, nihilq; ab ipſo mali Paulo acceſſurum, qvippe qvem extra Patriam ablegaturus eſſet; qvod cùm in aliqvot annos differretur, Rexqve ſemper aliqvid prætenderet, qvoties compellaretur â fratre, cur ſecum, ut antea, iter facere parricidam permitteret, nec, ut ſæpius promiſerat, relegaret? Tandem ipſe Skulius cum Jone de Auſtrate eum in Thrandia interfecerunt. Factum Regi majorem in modum diſplicuit, ſiqvidem ei Paulus confeſſus erat, qvinam ad tantum ſcelus ſe impuliſſent: qvod tamen ipſe ad turbas avertendas optatamq; Patriæ pacem conſervandam tacitè habuit, ſemperq; apud ſe continuit. Paulò poſt Jon de Auſturatte Bergis deceſſiſſe traditur. Eodem annô, qvo Archiepiſcopus Thorer, 8 Auguſti. die, David Orcadum Comes, Hreidar Nuncius vitâ conceſſerunt, qvem annales MCCXIV. deſignant, adq; eum itidem cœdem Pauli Drotſetii referunt.

runt. Alebatur interea his annis in aula Haconis Comitis Hacon puer, Regis Haconis filius, qvi qvamvis impensè ab omnibus diligeretur, iis præsertim, qui seniores Patri ejus avoq; servierant, inventus tamen est ex eorundem numero ingratus qvidam & sceleratus, nomine Hidius, Sigurdi Skialgii frater, qvi aulæ militiæq; Regis Sverreris qvondam adscriptus fuerat, postea verò ad Philippum Regem comes Reginæ Christinæ, cum ad eum deduceret, se contulit; post obitum autem Christinæ ad Comitem Haconem rediit. Hic Hidius, observans Comitis uxorem Christinam erga puerum iniqviorem esse, Comitem ex ejus ingenio æstimans, eum qvodam die his verbis alloqvitur. *Educatur, apud te, Domine Comes, puer iste, vulgò pro Regis Haconis filio Sverrerisq; nepote habitus, majori equidem popularium studio, auleq; & Procerum cultu, qvàm vel tibi vel filio tuo, ad Regni culmen ascensuro, contigit; hunc enim cives omnes in oculis ferunt, adq; id fastigii eum promovere pro se qvisq; annititur, maximo filii tui ad spes tantas impedimento. Eqvidem si in exteris regionibus hæc res ageretur, haud difficulter iniretur consilium, quo in metu hujus pueri, metu quoque Procerum populiq; arbitrio liberaretur. Nec res ardua erit, si ad exteros missus fuerit, devinctosq; tibi amicos, qvi in tui filii gratiam aut membra desecabunt, aut alio qvovis modo Regno ita inhabilem reddent, ut ab ejus postea cultu studioq; omnium animi avertantur. Qvòd si mihi negotium istud commiseris, efficiam certè, ut gratias mihi acturus sis.* Pauca ad hæc Christina Comitis uxor, tum præsens, respondit. Comes autem ipse, postqvam aliqvantisper silentium tenuisset: *Displicebit*, ait, *Deo qvàm maximè, si tanti Regnum mercatus filio meo tradidero, interficiendo tantorum virorum filium & nepotem, quibus ego me præcipuè ante omnes alios devinctum & ad merita rependenda maximè obligatum agnosco.* Non pluribus qvidem verbis Comes tum mentem aperuit: nunqvam verò Hidius exinde locum gratiæ eundem, qvem antea apud eum tenuerat, consecutus est.

Eadem hyeme post Natalitiorum solennia incidit in morbum Comes; semperq;, ut antea solebat, puerum secum vesci voluit: cumq; provecto morbô astantiū paucos noscæret; ipsum tamen optimè semper agnovit. Non diu post vitâ excessit, Bergisq; in templo Christi sepultus est, magnô civium suorum luctu, qui ingens damnum morte ej⁹ acceptum sentiebant. Cōmunis enim omnium existimatio erat, neminem totâ Norvegiâ fortius ejus tempore vibrâsse gladium, dexteriusve tractavisse arma. Gnarus insuper fuit civilis Regiminis, & militares pacisq;, qvibus excelluit, artes in usum Regni & emolumentum adhibuit. Uxor ejus Christina cum filio Knuto statim â morte mariti Gothiam petiit, ibiq; supremo terræ illius Judici Askeli nupsit. Snorrium Sturlæum, qvi in Islandia eum honorifico carmine celebravit, literis ad se invitavit, honoribus se eum aucturum pollicitus, missisq; muneribus clypeo, gladio, & cornu, affectum suum testatus: îssetq; statim in Norvegiam Snorrius, ni fata Comitis iter propositum prævertissent. Nihilominus tamen post mortem ejus in Norvegiam profectus in magna apud Comitem Skulium gratia vixit. Tunc qvoq; in Galliam discedens, carmen, qvod rogatu Haconis Comitis in honorem uxoris ejus Christinæ fecerat, Andvakam, seu lucubrationem, inscriptum, obtulit, summa ibi humanitate ab illa maritôq; Askele exceptus. Inter alia munera vexillum, qvo usus est Eiricus Knuti filius, Sveciæ Rex, cum Sörqverem Regem ad Gestilremium (Gestilbus *Johanni Magno*) devicit atq; occidit, dono Comitissæ accepit. Inde eodem autumno ad Comitem Skulium reversus

 est,

eſt, hyememq; ibi tranſigens novo honoris monumento auctus eſt, Regis Comitisq; communis Dapifer creatus.

In locum Archiepiſcopi Thoreris electus Guttormus eâdem æſtate patriâ exceſſiſſe legitur. Rex verò Ingius partẽ illam dimidiam Regni, qvam Hacon tenuit, ſtatim ſibi vindicavit, aulamq; univerſam & Satrapas ejus ſuis adjunxit miniſteriis, Cumq; hoc anno Bergis commoraretur, Satrapas omnes convocavit, excivitq; toto Regnô ad militiam magnam civium partem, qvibuſcum in Thrandiam vectus, ad tributa, quæ per aliqvot annos incolæ detinuerant, pendenda omnes adegit: qvô factô, impoſitisqve provinciis Qvæſtoribus, exercitum dimiſit, ipſeq; in Thrandia, uti antea, ſedem fixit. Vogsbru locus apellatur, ubi pax Regẽ inter & incolas convenit, inde & æſtati huic apud vulgum nomen hoc manſit, ut Vogsbruenſis æſtas diceretur. Cœterum cum antea Rex Ingius è Thrandia Bergas acceſſiſſet, puerum Haconem in aulam ſuam recepit, pariq; cum filio ſuo Guttormo educatione inſtituit, nec, qvoad vixit, a ſe unqvam divelli paſſus eſt. Multa in eorum pueritia incidiſſe tradit Author, qvæ ſi notata ab ipſo eſſent, haud indigna forſan ſcriptione noſtra viderentur. Nihil verò eorum retulit, niſi ingeniorum diſcrimen iſtud, qvòd præceps aliqvantùm Guttormus, ſedatior verò Hacon pluribusqve acceptior fuerit.

CAP. XIV.

ACTA INTER REGEM ET PUERUM HACONEM. INGII MORBUS. PHILIPPI BAGLORUM REGIS ÆQVITAS. SKULIUS COMES CONSTITUITUR. REGIS INGII MORS, SEPULTURA, ET ELOGIUM.

Poſtqvam Nidaroſiam Rex rediit, propinqvi pueri Haconis eum adeunt, poſtulantes, ut illi provinciam Regni aliqvam, unde victum & neceſſaria ſibi familiæq; haberet, cederet. Juſſi edicere, qvam vellent, Jamtiam ſtatim nominant, utpote qvæ gladio olim avi ipſius Sverreris ad obſeqvium reducta Regnoq; reſtituta fuerit. (qvam tamen ego non obſervo unqvam à tempore majoris Eyſteini a Regno defeciſſe: qvamvis ſat notum ſit, eam qvidem ut cætera Imperii membra Sverreri ſeſe oppoſuiſſe) Ad ea verò iracundô vultu Ingius: *Tantam jam*, inqvit, *partem Bagli ad Orientem Imperio abſciderunt, ut hæc qvoq; abſciſſa, anguſtioribus nos demum, qvàm deceat, cancellis includamur: proinde nec Regnum ulteriore diviſione in fruſta divelli patiar.* Itaq; rogabant illi, *ut paroeciam ſaltem unam aut alteram ei aſſignaret.* Rex vero *negabat conſtanter, ſe qvicqvam horum conceſſurum: apud ſe enim vivere Haconem tam lautè, tamq; haberi honorificè, ut nulla re amplius indigeat.* Paucis interjectis diebus, iidem puerum ipſum ad auſtrale templi crucis latus offendentes accedunt, Ingiiq; iniqvitatem commemorantes, *qvòd univerſum illud Regnum, qvod avus pueri Sverrir armis acqviſivit, inſidens, nè ad partem qvidem minimam nepoti ejus reddendam adduci poſſit: affluere opibus honoribuſq; eos, qvi nullo ſangvinis jure ea mereantur, illum ſeq; velut extorres ab ſolo patrio omnibus iſtis carere.* Orabant itaq;, *ut permittat ſe ab iis in Ducem conſortemq; conſiliorum, quæ jam animis agitarent, rapi: facilè vires contrahi poſſe, cùm conſtet, multos veterum Betulopedum indignari, ſibi pro meritis nihil rependi, nec ſe ullo jam loco eſſe: adhæc Baglos in Oriente, haut certè patientiores, facilè ſtatim confluxuros, ſeditionemq; moturos, ſi idoneum Ducem acciperent.*

Pue

Puerum hæc postulata qvietè, sed sine ullo responso, audientem Andreas Skaildarband his verbis denuò compellat: *Nos propinqvi tui, qvi adsumus, ut relicto Rege nos seqvaris, petimus. Brevi futurum scito, ut ii, qvi expetitos jam denegant honores, etiam ultrò oblaturi sint* Omnibus hæc assensu comprobantibus, ingeniumqve pueri ad turbulenta consilia flectere magis magisqve conantibus, tandem respondit; *ætatem qvidem sibi ad tam arduas res aggrediendas nondum sufficere, sed nec in animum inducturum, addictissimos sibi suisqve Majoribus Betulopedes inter se committere, funestisqve seditionibus in mutua viscera concitare. Se enim certum, multos eorum adhuc Ingio adhæsuros esse; qvapropter nolle se eos, qvos sub uno militari vexillo conveniat, in diversa distrahere, tempus verò potius a Deo prævisum patienter exspectare, ejusqve arbitrio tantam patrimonii sui portionem, qvantam ipse decreverit, obtinere, qvàm intestinis bellis laceratam sic denuo Patriam videre.* Hoc responso omnes â se dimisit.

Accidit qvoq;, cùm aliqvando ægrotaret Ingius, fraterq; ejus ac Proceres reliqvi de exitu morbi valdè essent solliciti, qvod Skulius, penes qvem regimen aulæ universum erat, præcipuos Regni viros convocaret, qvos inter hi memorantur, Gregorius Jonis filius, Eyvindus Presbyteri affinis, Ivar Boddius, & Dagfinnus Bondius; tali eos oratione allocutus: *Qvam graviter frater meus ægrotet, haud qvaqvam ignorare vos scio. Anceps certè nobis eventus extimescendus, si ingravescat morbus, tantusq; Rex nobis eripiatur. Maturè igitur de successore deliberandum, consiliaque utilissima excogitanda.* Tum Dagfinnus: *qvosnam igitur nobis tantæ Majestatis Candidatos & Regni hæredes nominas?* *Nostis*, inqvit Skulius, *Guttormum ipsius Ingii filium, eundemqve hæredem, & qvidem aptum tanto fastigio, haberi. Ego qvoq; & Ingius fratres sumus consangvinei, ex legitimo ambo conjugio nati, nec, qvid de tali nexu lex sentiat, vobis ignotum. Adest & Hacon Haconis Regis filius, idemqve Sverreris nepos, in Gothia qvoqve Knutus Comitis Haconis filius, & ipse qvidem Parentis sui legitimus hæres; attamen nullum est dubium, qvin omnes, qvi Regi Ingio ministrarunt, etiam filio ejus partes suas vindicaturi sint.* Hæc ultrò citroq; differentes, cum suas singuli sententias edixissent, Eyvindus, qvi parciùs ad cœtera responderat, sententiam tandem rogatur. Is verò: *hucusqve*, inqvit, *non rogatus tacui, haud tamen sine admiratione, reliqvis auditis, cum animadvertam, vos tantâ sapientiâ viros in re luce meridianâ clariore tantopere hæsitare. Qvivis enim, veritati sincerè deditus, facilè perspiciet, filium Haconis, nepotem Sverreris, solum totius Norvegiæ hæredem legitimum esse, minimè verò te, Skuli, nec fratris tui filium, aut Comitis Haconis. Qvod si & vel maximè ambo isti fratres Ingius & Comes Hacon superfuturi sint, donec ille ad maturam administrationi ætatem pervenerit, non video, cur non ipse tum Regnum soliumq; ab iis repetere, iisqve remotis, idem occupare possit.* His ab Eyvindô prolatis, nemo eorum, qvi aderant, qvicqvam opposuit: nec aliás sermones illi repetiti, cum non diu post Rex convaluerit.

Et jam Philippus Baglorũ Rex, sopitis discordiis, Regnum suum pacatè administravit, cùm frater ejus Andreas Simonis filius ex Dania ad eum reversus summô favore excipitur, multisq; in Norvagia provinciis statim præficitur. Is verò hac occasione lætus in animum revocat, cives Tunsbergenses patrem suum occidisse. Thorlakum itaqve Ulfkelis filium, & Ulfum Svartium, seu Nigrum, omnesqve alios, qvos ad Brinistadas pugnæ interfuisse noverat, in jus vocat. Qvo cognito, ipsi Regem Philippum adeunt, petuntq;, ut a tantis se periculis patrociniô suô protegat. Rex, causâ eorum in se receptâ, apertè profitetur, *se gratiam facti dudum, cum Regem sese creâssent, omnibus fecisse; etiam ad eos â qvorumvis insectatione protegen-*

dos ſacramentô obſtrictum eſſe. Andreas autem negabat *impedire qvenqvam poſſe, qvin, ſi minus illi, attamen ſibi pro cœde Patris ſecundum leges patrias ſatisfieret, cum fratres eſſent germani.* Pervicit tamen Philippus, tantôqve ardore cives propugnare inſtitit, ut fratri ab omnium provinciarum adminiſtratione remoto nihil præter duos famulos ad cuſtodiam corporis relinqveret. Coactus igitur Andreas Regis arbitrio cauſam permittere: unde ingens populi favor Philippo acceſſiſſe, qvòd cauſam graviſſimi momenti, unde multis exitium imminebat, tantâ fide compoſuerit, memoratur.

Anno MCCXV. Archiepiſcopus Guttormus inauguratur. Tertia demum ab obitu Comitis Haconis hyeme, jam affectâ, Rex Ingius Nidaroſiæ ægrotare cœpit, lento qvidem initiô morbo, cui leniendo frater Skulius ſæpius, aſſiduè autem Hacon Haconis filius, lecto decumbentis aſſidebat, qvòd lepidô ſermone facetiisqꝫ langvorem levare videretur. Adfuit & qvam plurimum Nicolaus aulæ Magiſter, vir urbanus & elegantis ingenii, qvorum colloqviis Rex mirè exhilaratus eſt, cum longô tempore lecto detineretur. Ut verò in dies vires minui morbumqꝫ ingraveſcere animadverſum, proceres auliciqꝫ omnes de rectore ſibi idoneo præficiendo apud ægrum inſtant: qvorum ille voluntati obtemperaturus, Skulium fratrem in ſede Regia collocatum, Comitisqꝫ titulo inſignitum, aulæ militiæqꝫ præfecit. Nono deinde Calendarum Maji, ſeu die 23. Aprilis, placidâ morte exſpiravit; moxq; fratris curâ funebri pompâ Regioq; apparatu elatus Nidaroſiæ in latere auſtrali chori ad templum Servatoris ſitus eſt. Pro temporum autem more Skulius ad miſſam pro anima ejus poculum aureum, qvod Johannes Rex Angliæ Ingio donaverat, dediſſe traditur, aliaq; præterea pretioſa donaria templo cathedrali etiam pro ejus anima obtuliſſe: ſepulchro autem artificioſum lacunar è ſecto lapide affabre pictum aurôqve inductum ſuperſtruxit, exſculpiq; ibidem inſignia ejus coloribusq; ornari, appenſo gladio, galea & clypeo, curavit. Fuit Ingius facie pulchrâ, ſtaturâ idoneâ, membris magnis, proportione corporis juſtâ reſpondente, capillô ſcutullatô (Skeſqra) oculis interdum, cum attentius rem aliqvam intueretur, nictantibus. Feliciorem Regem, aut in plebem propenſiorem, à tempore Regis Sigurdi Hieroſolymipetæ Norvegiam non habuiſſe etiam inimici confitebantur. Decem ac tres annos regnavit, decimo qvinto autem à morte Regis Sverreris, qvi eſt æræ Chriſtianæ MCCXVII. deceſſit.

HISTORIÆ RERUM NORVEGICARUM PARTIS QVARTÆ

LIBER QVARTVS, DE HACONE SECUNDO, SENIORE SEU GRANDÆVO DICTO.

CAP. I.

CONTENTIONES DE NOVO REGE ELIGENDO. HACON REX CONSTITUITUR.

POſt mortem Ingii crebris conventibus variisqve ſententiarum diſſidiis de ſucceſſore imperiiqve hærede actum, currente anno à nato Chriſto MCCXVII. Qvi Regi Sverreri militaverant, parsqve adeò aulæ maxima, in nepotem ejus Haconem, tunc decem & tres annos natum, inclinabant. Comes autem Skulius filium fratris ſui, Regis Ingii, Gutthormum com̃endabat. Erant & amici Comitis Skulii, qvi ipſum, utpote legitimum Regis Ingii fratrem, bonorumq; omnium tam mobilium qvàm immobilium hæredem, ſolio Regio deſtinarent. Hæc privatis primò ſermonibus agitata, mox cum pluribus com̃unicata, tandem in vulgus eruperunt. Unde ſtatim conventus forenſes cæpti, factionesq; diverſarum partium exortæ. Comes autem Skulius ipſe conventus vitabat, gnarus ſatis, qvò Betulopedum ſuffragia tenderent. Aderant & cives ex ſingulis provinciis utriusqve Thrandiæ, qvorum ſeniores omnes pro ſe filiisqve ſuis, qvi domi remanſerant, eum poſcebant Regem, qvi Regio ſtemmate inde ab ethnicismi temporibus continuâ utriusqve ſexûs ſerie ortus eſſet. Multi tamen juniorum Skulio vel Guttormo favebant. Eodem tempore Archiepiſcopus Guttormus in Halogiam profectus erat, cujus, ut amici, reditum Comes omninò exſpectandum in tam gravi cauſâ authoritatis nomi-

ne svadebat; proceribus autem Betulopedum eò dilatio illa tendere visa est, ut in suas Episcopum partes traheret: nôrunt enim, multos Canonicorum ecclesiasticiqve ordinis in progeniem Sverreris malè animatos, interitum ejus unicè exoptare, & qvemvis alium, qvám ex illa familiâ, Regem deposcere. Ipse Comes summam votorum dissimulans, cùm in consilium aulicum procederet, secum illis consultaturum professus est. Id cùm de die in diem protraheretur, ipsi concionem aulicam tandem advocabant, accedentesqve Comitem, ut unà veniret, postulabant. Qvod cùm obtinuissent, Vegardus de Veradalo, qvæ antea inter eos convenerant, his verbis elocutus est: *Regis*, inqvit, *Domine Comes*, *electionem ulterius differri non permittimus*; *quin potius postulamus, ut hoc antemeridiano tempore in palatio Regio comitia tu instituas, simulque filium Regis Haconem receptum, in solio Regio juxta te constituas, candidatumque Regii fastigii publicè pronunciari, usque in comitia publica Eyrensia, cures; Hæc si abnueris, stat in procinctu classis, quam brevì expediemus, Bergas profecturi ad satellitum collegium, quod ibi remanet: evocatisque ex omni Gulathingensi territorio civibus omnibus, ibi eum Regem, vel te invito, declarabimus: eventum deinde Deo Sanctoque Olafo commendaturi.*

Comes igitur, cognitâ tantâ procerum constantiâ, facturum se, qvæ peterent, promisit. Mox advocatis omnibus suis amicis, ecclesiastici juxta ac politici ordinis, totam inde diem noctemqve colloqviis consultationibusqve extraxit. Mane seqventis diei præfecti aulici buccinâ universum populum in palatium Regium convocant, ubi tunc Comes ab australi S. Nicolai templi latere solium erigi fecit. Ibi Vegardus iterum assurgens, hesterna postulata repetit. Respondit Gregorius Jonis filius, nobilis Satrapa: *in tanti momenti negotio haut festinanter agendum: causam enim, quæ ad omnium salutem pertineat, omnino Archiepiscopi, atque adeò Episcoporum omnium & prudentissimorum totius regni, consilia consensumqve reqvirere.* Ad ea Augmundus vexillarius: *Haut eqvidem*, inqvit, *ê re nostra erit, hoc statu lentas longasque Sacrorum Antistitum deliberationes consiliaque exspectare. Illi-ne Sancti Olafi leges aut publicam regni necessitatem, in causa, quæ Sverreris progeniem attinet, pensi habebunt? Accedit qvod Bagli in Vika potentiores, Rege quoque superbiunt; qui cognito, nos capite orbatos, etiam inter nos dissidere, ilico nos invadent, multosque in factionem suam pertrahent. Cum itaque insuper Ecclesiasticorum gratiâ destituamur, superest, ne nobis ipsi desimus. Sed nec annitentibus nobis Divinum auxilium deerit.*

Mox delecti duodecim ê comitiis ad arcessendum Haconem; qvi tum in ludo literario ad templum Servatoris præceptorem audivit, ingressi eum his verbis compellant: *Omnes Betulopedes, provinciales urbaniqve cives, quotquot huc confluxerunt, salutem tibi dicunt, teqve in palatio Regio exspectant.* Apprehensâ deinde ejus manu, eum in curiam deducunt, sistuntq; Comiti in solio sedenti. Is autem negabat, *se tam properè in illam eum sedem statuere posse, qvòd essent multi, qui sibi non satis constare qverantur, an filius Regis Haconis esset.* Mox responsum, *cum primùm ad Regem Ingium adductus esset, pro cognato agnitum receptumqve, nec unqvam de patre ejus dubitatum; idem Comitem Haconem fecisse, utrumqve, qvoad vixerint, eum ut propinqvum Regisqve filium coluisse; videri hæc, quæ jam primum objiciantur, nuperis consiliis excogitata, iis authoribus, qui Regiam Norvegorum stirpem delere, aliamque, nullo jure fultam, substituere jam diu conati essent.* Mox exsurgentes propinqvi Haconis aliiqve, qvibus plurimum de ratione generis ejus constabat, ad probationem se offerebant, ne patrimoniô suo in-

indignè excideret. His peractis, à comitiis secessum. Mater autem Regis Inga ad ædem S. Petri accedens, jejuniô se ad candentis ferri examen præparabat. Freqventes interea nocturni cum Comite Canonicis aliisqve Ecclesiasticis, qvi Haconi resistebant, conventus, cùmq; examen instituendum esset, ferrum inventum nusqvam est, nec, qvi sciret, qvid de eo factum. Qvidam etiam Canonicorum, absente supremo Præsule, examen permitti posse negabant. Hoc dolo cognitô, aulæ præfecti nihilominus in cæpto persistebant; missisqve per universam Thrandiam nunciis, omnes ad forum Eyrense ad diem inde decimum qvartum evocant; constitutis interea Regio adolescenti certis fidisq; custodibus: candidatumq; eum regni appellando, in solio juxta Comitem, qvantumvis ex parte invitum, statuebant.

Dum hæc in Thrandia peraguntur, advenit Dagfinnus Bondius, supremus Gulathingensium judex, Regisq; Stallarius, missus cum literis ab Havardo, Episcopatûs Bergensis candidato, omnibusq; districtûs Gulensis Satrapis; cujus adventu concio tubâ advocata, literæq; publicè lectæ, hâc formâ: *Domini nostri Regis Ingii obitum ægrè, longeque prius, quàm vellemus, si votis vis inesset, cognovimus, simul etiam ortum de successore dissidium, nec id sine admiratione, qvòd vos præsertim, viri sapientes, de eo dubitare velitis, qvod nemini non satis compertum esse existimamus. Nos qvidem omnes profitemur, neminem Regio titulo dignum, præter solum Haconem, Regis Haconis filium: utpote cujus majores, unus post alterum, non interrupto successionis ordine, Norvegiam semper rexerunt. Ne itaque nostram voluntatem amplius ignoretis, iterum profitemur, nos nemini præter ipsum servituros, ad cujus defensionem patrimoniumque asserendum nos vitam bonaque omnia periculo, imò (si opus) morti exponemus, & si qvem alium Regem feceritis, ei nos cives militesqve, qvi districtum Gulensem incolimus, omnes resistemus. Qvod si vos Thrandi necessarios vestros aut alumnos, licèt Regibus cognatione junctos, Reges creaveritis, singulique suis quisque alumnis studeatis, certè multiplicatis Regulis polyarchiam in regnum reducetis. Eqvidem nobis persvasimus, etiam si alii in Rege deligendo hæsitarent, vos, omni metu gratiæque respectu abjecto, liberè ad Regum fastigium evecturos eum, cui id jure competit: nec aliud de vobis persvaderi nobis patiemur, qvicqvid demum fama ferat. Dagfinnus Bondius & Hroar Regius propinqvus aliiqve, qvi eos comitantur, omnem nostram voluntatem vobis fideliter exponent.* His publicè recitatis, Dagfinnus Bondius exsurgens, postulata Gulensium civium cùm liberè multis exposuisset, tandem vehementi conclusione additâ minatur, *nî absque mora Hacon Rex constituatur, Betulopedes eum Bergas deducturos: id enim sibi in mandatis datum ab omni societate Gulensi.*

Magno applausu omnes qvi aderant, Betulopedes hæc exceperunt, promittentes se sine omni obstantium respectu hanc causam ad effectum strenuè promoturos. His conventus solvebatur; mox missi per provincias Thrandiæ nuncii, cives ad comitia Eyrensia maximâ freqventiâ celebranda exciunt. Conveniunt illi ad præstitutum diem, moreqve prisco tubâ in Eyras evocati omnes procedunt. Inde per nuncios ad Canonicos scrinium S. Olafi efferri jubent; qvi accedentes, templum occlusum deprehendunt, referentibus æditvis, sub anathematis pæna à Canonicis templũ effringi aut scrinium efferri interdictum. His ad comitia relatis, Regi more prisco nomen Regium, Skervaldo de Gaulardalo proclamante, inditum; mox publicè regnum ei civesqve adjudicati, universiq; Thrandi omne ei justum obseqvium obædientiamq; jurârunt, sine ulla exceptione; nihil morati

rati, qvòd Rex nondum se vicissim jure jurando solenni obligâsset. His actis comitia finem habuerunt: postridie concio aulica advocata. Ibi Satrapæ totusq; aulicorum satellitum numerus Regi & Comiti, tactô ex more gladiô, sacramentum fidei præstiterunt, singuliqve in honores & officia, qvæ à Rege Ingio acceperant, repositi sunt.

CAP. II.

REGIS ET COMITIS ITER BERGENSE: SKULII CONTRA REGEM CONSILIA ET LITERÆ CLANDESTINÆ, PER IVAREM BODDIUM DETECTÆ.

His ita compositis, Rex Comesque simul unâ nave viginti scalmorum Bergas iter instituunt; alteram navem Gestaskutam, seu emissariorum lembum, duxit Eylifus Kapalinus, seu Sacellanus, tertiam locorum undeviginti Asolfus Comitis propinqvus. Rege autem è portu modicô ventô enavigante, Comes in urbe remansit. Ad Hattarhamras cùm ventum esset, Eylifus & Asolfus de prærogativâ stationis litigârunt; emissariis Asolfum, qvi priùs occupaverat, deturbare conantibus. Remis contisqve primo pugnatum, mox gladiis, idqve acriter, navibus æqvô in adversa latera cursu directis. Rex autem adveniens, ubi micantes gladios conspexit, interseri eis navem suam jussit, validoqve remigio omnes in portum duci, qvo citissimè dirimerentur, ulterioreqve pugnâ prohiberentur; multi tamen ab utrâqve parte saucii erant. Evocatos deinde in terram Rex suâ authoritate conciliavit. Hinc cùm ex urbe Comes accessisset, unà cum Rege prospero vento Bergas profectus est. Statio sub vesperam ad Hegranesiam capta. Primâ luce Dagfinnus Bondius urbe egressus iis obviam processit, referens missas ab Archiepiscopo & Canonicis literas ad electum Episcopum Havardum, Canonicosqve Bergenses, qvibus prohibebantur Regi Haconi ullum honorem exhibere: id quod illos magnâ molestiâ afficiebat, cùm & iram Archiepiscopi Canonicorumq; Nidarosiensium incurrere nollent, & nihilominus Regem dignâ observantiâ colere, eiqve honorum omne genus deferre constituissent. Paucis ad hæc Comes respondit, *parum æquinum referre, quid facerent.* Tum Dagfinnus: *quod si*, ait, *cæptam Nidarosiæ contumaciam hi quoque persequantur*, *brevì omnis Regius honor obsolescet.* Tum Rex: *I*, inqvit, *Dagfinne Bondi, urbemque repete: refer ibi Canonicis, me mihi ab iis studium, quantum ab optimis totius regni civibus, polliceri: secus si fecerint, cognoscent, placeatne nobis an displiceat.* Dagfinnus in urbem regressus Regis Comitisqve responsa iis reposuit; omnes igitur professi sunt, *Regem se omni honore culturos, nec tanti Archiepiscopi aut Canonicorum Thrandiæ gratiam emturos, ut Regiâ excidant.*

Advectum deinde urbi Regem campanarum ubiqve sonantium clangore excipiunt. Excepit & ordo Ecclesiasticus qvàm honorificentissimè. Mox ad pervigilium sanctorum de Selia, (qvorum festum in octavum diem Julii incidit) satrapæ omnes aulicorumqve præfecti, certiqve viri è singulis provinciis, evocati sunt. Rex interea & Comes in urbe morabantur, & Rege qvidem, more ejus ætatis, ad ludos qvàm regni negotia propensiore, Comes sibi non defuit, sed toto illo tempore consiliis cum amicis

cis collatis, varia moliendo, literas in Sveciam, alias in australes, alias in aqvilonares provincias misit, nec, qvid iis contineretur, nisi oppidò paucis notum, paucæ Regi ostensæ; missæ & ad Regem Philippum in Vikam ad amicitiam ejus societatemqve conciliandam. Id vero Consiliarii Regii suspectantes, monuerunt Regem, *mirum videri sibi, quod Comes jam veteres hostes de amicitiâ interpellaret.* Is autem respondit, *eâ Comitem prudentia esse, ut amicos eligere quàm optimè noscat, quorum proventum sibi haut noxium esse: viderique illum firmatam nuperis pactis amicitiam ex fide culturum; nec verò se ejus jura priorem violaturum.* Misit & literas Skulius ad Comitem Orcadensium Jonem, sigillo Regis obsignatas, inscio Rege, qvid in illis scriptum esset, Josteinoqve Thumbio, qvi emissariorum unus erat, proferendas dedit; qvô ad navigandum parato sentiebant, qvi in Regiâ nave erant, dolum subesse. Ivari itaqve Boddio & Dagfinno Bondio id per nuncios significârunt. Adit ergo Ivar Regem, qværitqve, an qvicqvam ei de literis constaret? negantem monuit, necessarium omninò esse, eas Regem, qvæ Regio sub sigillo in peregrinas regiones perferrentur, nôsse. Misit itaqve Rex ad stationem Herlensem, qvi literas referrent, qvod statim odoratus Comes, aliam navem ablegavit, qvæ celeriùs provecta literas ad eum reportavit; his autem receptis, conventum sine morâ indixit, ubi multis de Ivare cæterisqve consiliariis Regis qvestus est, qvòd odiorum semina se inter & Regem jacere satagerent, seqve Regi suspectum reddere conarentur. Etiam Gregorius Jonis filius, Comitis propinqvus, nec Regi tunc satis amicus, exsurgens, vehementiùs in Ivarem Boddium exarsit his verbis. *Inter eos unus eram, qui primi fidem Regi Comitique jurarunt, nec præter concordiam eorum in posterum exspectabam, quam unus presbyter nunc labefactare, nosque invicem committere tentat: quod tamen neutiquam ipsi procedet; pœnam itaque de eo sumamus, ut sit aliis exemplum.* Ad eam vocem multi amicorum propinqvorumq; Comitis Ivarem Boddium vivum se discerpturos minati sunt. Illum verò copiam fandi neqvicqvam postulantem, amici Regis, objectu corporum suorum, ab omni injuria protexerunt. Et tunc quidem magnum inter aulicos murmur exortum est; qvo cessante, Rex surgens: *Pauca*, inqvit, *loqui adhuc didici; istud tamen vos oro, ut nutricium meum Ivarem audiatis: tum demum, quid placeat, respondete.* Hroar Regis propinqvus ita futurum pollicitus est.

Tum procedens Ivar sic verba fecisse perhibetur. *Neminem vestrûm latet, me in satellitium Regis Sverreris, cum ad Strindsio pugnaret, receptum, toto deinde tempore, quoad vixit, magnâ ejus gratiâ usum, atque adeò, ut tandem me plurimorum, eorumq; secretiorum, consiliorum participem faceret, nec unquam, cum in gravioribus rebus amicissimos suos consiliaros advocaret, me excluderet; nequaquam facturus, si dolum & perfidiam in me ullam notâsset. Patris vestigia filius Hacon secutus est; parem enim mihi fidem, parem & Guttormus successor ejus habuit. Rex vero Ingius & Comes Hacon, id quod mihi certè invito accidit, adjecerunt adhuc epistolarum curam. Hinc mihi semper metus, inimicos aliquot excogitaturos, unde mihi periculum crearent: neq; enim tunc magis qvàm hodie invidiâ carùi, aut iis, qvi perniciem machinarentur. Omnes itaque, qui hic adsunt, testes advoco, ut edicant, an dolo aut assentatione unqvam dominum meum circumvenerim? causam verò, cujus hic reus peragor, probè novi. Rex noster ætate puer consiliariis fidis aulicisq; probis indiget; vicinos enim habet, qui tales ei detrahere cupiunt, ut deinceps pro arbitrio res ejus disponant: hoc si crimen tantum est, quòd literas sigillo Regis obsignatas, inque exteras regiones missas, ut inspiceret, hortatus sim,*

ut vivus discerpi meruerim, uti tu, Gregori, & tu, Paule Flida, pronunciâstis; faciam ut haut in posterum istam pœnam promerere dicar; jam enim ex aulâ discedam, egressusq; è palatio Regio non ampliùs Regis & Comitis amicitiam turbabo. Faxit Deus, ut ii tantum remaneant, qui utriq; fidi sunt. omniaque ita disponant, ut honorem sortemque, in quam nati sunt, singuli ex æqvo teneant. Tristes ex hoc conventu amici Regis, invidi læti excedebant.

CAP. III.

JURAMENTA REGI ET COMITI DICUNTUR. PHILIPPI BAGLORUM REGIS MORS. HROARIS ET ERLENDI PEREGRINATIO. ROGNVALDI FOLDUNGORUM PRÆFECTI CÆDES.

CUm Rex Hacon in locum Ingii primùm subrogaretur, ex omni patrimonio nihil, præter fibulam auream annulumqve, rerum mobilium accepit. Comes autem Skulius in universa bona, qvæ Ingius morte Haconis Sverrerisqve lucratus est, successit; nec tamen his contentus plura reqvirebat: nam pridie qvàm comitia festumq; Sanctorum de Selia celebrarentur, cùm Bergas Satrapæ satellitumq; rectores cum præcipuis è Gulathingensium societate pervenissent, Rexqve & Comes cum suis qvisq; consiliariis convenissent, postulantibus ministris Regiis, ut Comes more prisco Regi fidem juraret; ille omninò abnuebat, donec de tantæ rei mercede sibi cautum esset; mox dimidiam Norvegiæ partem subjectarumq; provinciarum tributariarum poscebat. Consiliariis autem Regiis toti⁹ Norvegiæ trientem, sed nullam provinciarum partem, offerentibus; Gregorius Jonis filius & Paulus Flida singularum adhuc trientem ad minimum postulabant; secus Comitem vires suas cum iis conjuncturum minati, qvi causam ejus promovere possent.

Facilè animadversum est, si societatem cum Philippo Baglorum Rege iniret, ambobus simul resisti non posse. In eas itaq; conditiones descensum, triensqve Norvegiæ subjectarumq; provinciarum Comiti concessus. Postridie conventus ad signum tubæ in cæmiterio ædis Christi aqvilonem versus actus; eò scrinium Sanctæ Sunnefæ, multorumq; aliorum Sanctorum reliqviæ delatæ. Tum verò exsurgens Sigurdus de Unnarheimo, successum totius societatis Gulensis prolixâ oratione Regi Comitiq; gratulabatur. Excepit eum Dagfinnus Bondius aliâ pari venustate recitatâ, cujus præcipuum argumentum erat; *non Gulathingenses clerum Thrandensem imitaturos, qui invitis secularibus scrinium S. Olafi occluserint; hic autem utrumque ordinem summâ alacritate Regem certatim honoraturum.* Exinde Steingrimus qvidam Strillus, vir sapiens & expeditæ lingvæ, surgens, Regio titulo Regem compellat, multâ auditorum laude gratiarumq; actione. Mox à Rege in leges juratum, adjectâ formulâ, quam Comes præscripsit, ad pacta omnia inter eos conservanda. Inde Satrapæ, Gregorius Jonis, Paulus Flida, Bryniolfus Knuti filius, Gautus Jonis filius & Arnius Studius, pluresqvè alii aulicorum magistri, Regi jusjurandum præstant: postremò rustici. Comes etiam fidem populo dedit; *legem se conservaturum; Regi quoque se fidum utilemque futurum, quamdiu pactis, quæ inter eos convenissent, staret.*

Istius

Iſtius anni fertilitas in primis notabilis florentem ſub novo Rege ſtatum regni portendiſſe videbatur. Præter annonæ enim copiam ipſa æſtas paſſim duplum ex arboribus fructum produxit, bis qvoqve aves nidificantes pullos excluſerunt. Extat adhuc verſus *Olafi Hvitaskaldi*, duo etiam *Sturlii*, ex *Haconis Oda* deprompti, qvi hæc teſtantur. Poſt exiguum tempus â comitiis, legati Philippi Regis Vikâ advenientes, literas Comiti Skulio exhibent, qveis bipartitò ſe inter & Betulopedes Norvegiam dividi poſtulat; ni obtineat, bellum interminatus, ſine tamen ullâ Regis Haconis mentione. Apparuit tamen, plures nuncios eum Comitemqve intermeâſſe. Legatis Comes reſpondit; *Philippum parte, qvam teneret, in proximos duodecim menſes contentum debere eſſe, donec inſequente æſtate omnes Epiſcopi aliique totius regni ſapientiſſimi ad comitia convocarentur.* Hoc reſponſo illi ad Philippum remittuntur. Sigurdus Regis propinqvus parti Vikæ, qvam Betulopedes tenebant, præfectus erat; qvi hac æſtate Hieroſolymam legitur petiviſſe, relictis provinciarum præſidibus Lodino Pauli filio, Hallvardo Brattio, Bardo Brimſteino, & Karle Svangio; qvi magno interea metu provincias tenebant, mortis periculorumqve minis ſingulis fere diebus a Baglis territi. Reditum legatorum, qvi ad Comitem Skulium miſſi erant, ejusqve literas referebant, mors Philippi Regis antevertit. Tunsbergæ cæperat ægrotare; Lauſeyas inde vectus poſt modicum tempus deceſſit: princeps multâ laude dignus, clemens & mitis, civium ſuorum ſtrenuus protector, artium civilium militariumqve juxta gnarus; qvi audaciam prudentiâ temperaret, etiam in hoſtes moderatus, fidei pactorumqve, qvantum in ipſo erat, tenax. Illius obitum Bagli omni arte celârunt, qvi tamen Lodinum Pauli filium, Betulopedum præfectum, non poterat diu latere. Itaqve lembum ſummâ celeritate, rectore Gunnare Banamanno, cum literis ad Regem Haconem & Comitem Skulium, qvæ id ſignificabant, miſit: monendo ſimul, ut qvantâ poſſent feſtinatione Vikam peterent, ad factionem Baglorum in herba (ut ajunt) ſuffocandam, qvæ jam Regem ubiqꝫ qværeret, miſſis nuper in Daniam legatis, ad inqvirendum Sigurdum Erlingi Steinveggi, ſeu Saxomuri, filium, quem ibi inaudiverant remanſiſſe. Poſt triduum Gunnar Bergas pervenit.

Lectis literis, Rex ſtatim Comesque qvadraginta navibus, plerisqve magnis, inter qvas Ognarbrandus, viginti quinqꝫ ſcalmorum, quam ipſi ſimul conſcenderant, eminebat. Bergis poſt feſtum B. Virginis, quod in qvindecimum Auguſti diem incidit, profecti, iter feſtinabant. Cùm itaque Betulopedes Vikam ingreſſi ſunt, Bagli ad orientalia ſinus latera conſiſtebant, ducibus Andrea Regis Philippi fratre, Rögnvaldo Hallkelis filio, ex ſorore Regis Magni Erlingii & Arnbiorne Ionis filio; multis præterea ipſis, magni nominis viris, adjunctis. Epiſcopus Nicolaus cum qvibusdam militum tribunis in aqvilonem Ivaſundam usqꝫ navigaverat, accedentibus eò Regi & Comiti obviam profectus, ad Hroſſaneſiam eos convenit; ibi pax primùm inter utramqꝫ factionem conſtituta. Andreas deinde, Rognvaldus & Arnbiornus, pluresqꝫ alii, navibus ad Gunnarsbæas admotis, urbem Tunsbergam ingreſſi, in templo Deiparæ Virginis Regem Comitemqve offendunt. Multa tunc Regem inter & Comitem agitata, qvi Baglis officia & dignitatem, qvam qvisque ſub Rege Philippo tenuerat, illibatam fore promiſerunt, ſi eorum ſe poteſtati permitterent; ipſi autem cedendam ſibi partem illam regni, qvam antea tenuerant, poſtulabant, qvòd aliàs Betulopedibus vererentur ſe dedere, ob inveterata inter factiones odia. (*Codex Flat*: Baglos refert Comiti Skulio deditionem obtuliſſe, ſi ſtatus priſtinus

nus illibatus foret. De Rege tacet.) Tandem convenit, ut proximâ hyeme Bagli dimidium omnium provinciarum, qvæ Philippo parebant, retinerent, utraqve pars ad Archiepiscopum legatos mitteret, qvi hæc authoritate suâ confirmaret, pacemqꝫ integram proximâ æstate inter partes componeret. Missi â Betulopedibus Gregorius Jonis filius & Dagfinnus Bondius, â Baglis Endridius Bekill & Grundius Qvæstor. Rex Hacon & Comes provincias, qvæ illis cesserunt, inter suos dividebant. In comitiis inde Haugensibus Hacon Rex pronunciatur; maxima deinde copiarum pars dimissa boreales regni partes repetit. Rex autem & Comes transmisso sinu Foldensi Bergæ conventum celebrabant, alium mox in occidentali territorio ad Stofnas, inde ad Hornboras, & deniqve ad ripam Albiæ, versus orientem. Singulis his comitiis Hacon Rex, Skulius verò Comes, declarantur; regia qvoque tributa omnia summâ alacritate reddita, adjectaqve â subditis per universam Vikam tributis munera, Konghellæqꝫ deinde magna pars autumni exacta.

Nupserat verò tunc Christina Comitis Haconis Galini vidua, ut antea memoratum, Askeli supremo Vestro-Gothiæ judici, ordine in fastis (ut habet *Loccenius Hist: Lib. 2. in Rege Philippo*) decimo septimo, Magni Minniskiöldi filio. Is Magnus frater erat Comitis Birgeris Brosæ; habebat autem Askell privignum Knutum, Comitis Haconis filium, qvem domi educabat. Ad eum arcessendum literas Kongahellâ Rex & Comes miserunt, invitâruntqve judicem ad certum tempus, prolixi affectus signa in Knutum promissis magnis ostentantes. Comes Skulius ad destinatum conventui diem locô præstitutô adfuit; qvem tamen judex metu Betulopedum, qvibus fidem non habuit, vitabat. Tunsbergam inde Rex Comesque revecti Satrapas Vikæ omnes arcessebant, sedulò eos hortati, ut summâ curâ res Baglorum observarent, ne fortè novæ ab illis turbæ excitarentur, sibiqve qvàm accuratissimè ab insidiis illorum caverent.

Hac eâdem æstate, cùm in Vika adhuc morarentur, Hroar Regis propinqvus, delectis copiis magnoqve apparatu, Hierosolymam profecturus orîs solvit; alter qvoqve Erlendus Thorbergi filius eum secutus alterâ navi vehebatur, qvam cives Tunsbergenses propriis impensis apparaverant; & Hroaris qvidem navis Akursburgum usque (Ascalonem) reliqua Darmatas (Damiatam credo) pervenit, sicque re prosperè gestâ deinceps in patriam redierunt.

Rebus in Vika feliciter compositis, Rex Comesque septimâ ante festum Natalitiorum nocte Bergas reversi sunt, ipsoque festi tempore duos Satrapas, Jonem Stalem & Ivarem Nef, creârunt. Signum id mutuæ concordiæ, etiam in posterum duraturæ, visum est. Hyems deinde anni MCCXVIII. Bergis transacta, dum Bagli interea provincias, qvæ ipsis in Uplandis & Vika obtigerunt, inter se partiuntur. Rognvaldus præfecturam Foldensem, & ea, qvæ circa Osleyam, sortitus est. Rexerat autem prius Raumarikiam; qvam cùm nimis avarè administrare videretur, odium civium in se accendit, non hoc cogitantium, qvod ad sustentandas numerosas turmas multis indigeret. Hunc ut sibi præfectum Foldungi audiverunt, territi famâ severitatis, vel potius sævitiæ ejus, haud sibi mitiorem qvàm Raumensibus fore augurabantur. Jamque ad Haugsvikam, curiarũ forensium unam, omnes more præfectorum usitatô signô evocat, cum cives forensi signo in bellicum versô ad arma singulos vocant; qvô auditô, omnes, qvi arma ferre poterant, convenerê. Ipse Rognvaldus paucis comitatus fori negotia imperabat. Exorsum verò loqvi vocem continere jubent

bent coloni; alii ſtrictis gladiis minitantes ei inſtant: fugientem inde perſeqvuntur & trucidant, nonnullis etiam comitum ejus vulneratis, qvi properâ ad naves fugâ periculo ſe ſubducunt. Cadaver autem Rognvaldi ad Osleyam translatum ibiq; ſepultum eſt.

CAP. IV.

NOVA FACTIO SLITTUNGORUM. PRÆLIUM AD GUNNARSBÆAS, ET VARIA CUM ILLIS CERTAMINA. ACTA INTER NORVEGOS ET SÆMUNDUM DE ODDA ISLANDUM.

Hâc eâdem æſtate, cùm Rex Comesque in Vika verſarentur, presbyter qvidam, nomine Benedictus, ſed Benius vulgò appellatus, apud Rognvaldũ alebatur, vir ſcurrili magis dicacitate qvàm facetiis nobilis. Hic ex orientalibus Markis oriundus, ſparſit in vulgus, ſe Regis Magni Erlingii eſſe filium; magis autem à Rognvaldo ludibrio habitus, qvàm ut propinqvus cultus, poſtq; ejus cædem in Markas reverſus, mutato nomine, Magniq; coñentitii patris nomine aſſumto, copias viresq; collegit; eiq; haut exigua turba, generis nominisq; ſplendore illecta, ſe aſſociat. Haraldi presbyteri de Rackaſtadis (cujus Sacellanus fuerat) conſiliis res ab initio agebatur. Cùm autem magnâ egeſtate premeretur, ab armorum defectu detritisq; veſtibus univerſæ factioni Slittungorum nomen evenit. Hi per ſolitudines & devia plurimùm vagabundi, rarò culta acceſſerunt, rapinisqve & clandeſtinis furtis ſe ſuſtentabant. Proximâ hyeme Thorbiornus de Linnalandia ſe eis adjunxit, ut & Helgius frater ejus, viri opibus & genere nobiliumq; artium notitiâ clari: qvorum exemplum colonorum multi ſecuti ſunt, pro certo habentes, Regis Magni filium ſibi principem obtigiſſe. Exinde provinciæ furtis rapinisqve & id genus calamitatibus infeſtæ peragrabantur; Baglis interea Tunsbergæ remanentibus, præfectis urbi Domino Andrea & Arnbiorno Jonis filio cum pluribus aliis. Cùm autem tempore qvadrageſimæ per exploratores cognitum eſſet, ſtatuiſſe eos urbem invadere, duces ad defenſionem neceſſariam ſe qvoqve præparabant. Cùm verò paulò poſt, transmiſſo ſinu, Slittungi navibus urbem aggreſſi, ſtationem ad vada Skeliaſteini occupâſſent, adq; Gunnarsbæas aſcendiſſent; cives protinus copias omnes Haugas claſſico evocârunt, & appetente veſpere magna pars ſupra ædem S. Thomæ aſcendens, ibi per noctẽ acqvieverunt. Interea Benius per nuncios Arnbiorno Jonis filio ſignificat, præter ſpem ſuam eum fratrem Erlingi Steinveggi, cui prius ſervierat, armis aggredi. *Verè id*, reſpondit Arnbiornus, *conjectat Benius; id enim indecorum eſſet: nec facerem, ſi mihi certò conſtaret, Benium eundem eſſe. Aliâ potius ſtirpe, ab Erlingi parentibus diverſa, hunc Benium prognatum exiſtimo; itaque referte ei, ſi urbem oppugnaverit, nos eam defenſare manusque cum eo conſerere paratos eſſe.* His Benio relatis, cognoſcunt Bagli, Slittungos prope qvingentos numerô ad Gunnarsbæas conſiſtere. Ad Haugas itaqve copiis omnibus tubâ convocatis, circiter qvadringenti (aliis trecenti) convenerunt, tumqve in agro ad Gunnarsbæas prælium editur, utrinqve cruentum, ſed multo majore Slittungorum clade. Benius eqvo inſidens prælio non interfuit. Adfuit verò Arnbiörnus, graviterq;

in collo infra aurem vulneratus eſt. Dominus qvoqve Andreas in genâ, qvi accepto vulnere, projecit ab humero clypeum, ſiniſtrâqve hoſti ſuum detraxit, dextrâ deinde gladio, qvem Skardium appellare conſveverat, miri acuminis, obvium qvemque ad necem usqve conſcidit; erat enim vi corporis & robore incomparabili. Arnbiornus autem in collo ſaucius, acrius in vexillum Slittungorũ invectus, cæde Thorbiorni de Linnalandia & Helgii fratris ejus prælium redintegravit. Hoc impetu centum qvadraginta occiſi ſunt, reliqvis Slittungorum in fugam verſis: Benius qvoq; magna apud omnes infamiâ evaſit. Thorbiorni & Helgii funera ad templũ ſepulta, reliqva Slittungorum eô, qvo ceciderant, locô humata. Hac clade acceptâ, Benius in Markas concedens, affluente iterum multitudine, copias auxit. Dominus autem Andreas & Arnbiornus Regem Haconem & Comitem Skulium literis in Vikam evocant, ad evertendum im̃inens à Benio periculum, qvi novis indies viribus creſcebat. Jamqve poſt feſtum Paſchatis Slittungi rurſus in Vikam infuſi Osleyam aggrediuntur, qvibus Ivar de Vika provinciæ Osleyenſis præfectus ſtatim cum ſatellitibus Epiſcopi occurrit. Res eminus, conjectis trans amnem telis, gerebatur; conciderunt ex Epiſcopi ſatellitibus Magiſter Stephanus, paucíqꝫ alii, pluribus vulneratis, civibusqꝫ in urbem ipſam fugatis, qvam Slittungi deinde diripuerunt. Cum cœtera præda navis Epiſcopi longa aliæqve paucæ ablatæ. Inde ſinu egreſſi, in auſtralibus Vikæ partibus, qvàcunqꝫ occaſio ſe dabat, prædas egerunt. Ad Gautelſam delati, orientale amnis oſtium ingreſſi ſunt, qvo tempore Judex Aſkell Liodhuſæ morabatur; qvi certior de itinere Slittungorum prædandique more factus, rapinis eos prohibiturus, inſtructis lembis flumine egreditur, auxilia ſibi ex vicinia, ſi ita neceſſitas ferret, certò pollicitus: cognito autem Slittungorum adventu, qvi longis vehebantur navibus, privignum ſuum Knutum in terram expoſuit, qvi ſtatim in ſylvam ſe abſcondidit. Verùm & paulò poſt, appropinqvantibus Slittungorum lembis, ipſe judex, relictis navibus, in terram cum omnibus ſuis fugit; naves ab hoſtibus captæ, tentorium inſuper magni pretii, veſtes ſacræ, multaqꝫ alia pretioſa. His aucti ſpoliis Slittungi diſceſſerunt, ſecundoqve flumine mare ingreſſi, infeſto, qvà prævehuntur, itinere Hallandiam petunt. Knutus inter ſylvas à vitrico diu qvæſitus, tandemqꝫ inventus eſt. Hæc ubi à Slittungis geſta pernotuiſſent, Betulopedes, qvi Vikæ præfecti erant, conſcenſis navibus, ad eos inqvirendos ſeſe accingunt. Duces turmarum conſtituti Guttormus Gunnii filius, Hallvardus Brattius, Ivar Utvik, & Karl Svangius. His ſe adjungunt Bagli, præfectis Domino Andrea & Arnbiörno egreſſi. Longius in auſtrum provecti, cognito eos Hallandiam verſus navigâſſe, acceleratô itinere eò curſum dirigunt, inque ſinu Bardafiordo eos adeò qvidem improviſò aſſeqvuntur, ut priusqvam obſeſſo portu nulla de ſe fama aut indicium præveniret. In ſum̃a igitur trepidatione, navium prædæqꝫ curâ abjectâ, exſcendentes, ſparſim in terrã fugiebant, navesqꝫ cum vectura Betulopedibus Baglisqꝫ ceſſerunt. Paulò poſt Dominus Andreas, recrudeſcente vulnere, qvod Gunnarsbæis acceperat, ægrotabat; augeſcente deinde dolore, ut finem vitæ appropinqvantem animadvertit, literas cum com̃emoratione amicitiæ nuper inſtitutæ, gladium Skardium, clypeumqꝫ aurô incruſtatum Comiti Skulio miſit, pauloqve poſt exſpiravit. Corpus ejus Osleyam delatum in cæmiterio ad ædem S. Hallvardi humo conditum eſt, magno omnium luctu. Hyems, qvâ Slitungi Vikam infeſtabant, prima erat regni Haconis; ſic enim antiqvi annos regni ex integris hibernis manſionibus computant: annum

enim plerumq; à conceptione B. Virginis ordiuntur, partesqve anni prioris, qvæ nativitatem Christi præcedit, cum primis posterioris anni mensibus confundunt: qvæ nos ad nostrorum annorum rationem redegimus.

Annô 1217. Sæmundus de Odda, celebri Islandiæ villâ, Jonis filius, Lopti nepos, Sæmundi illius multiscii celeberrimiqve pronepos, vir Islandorum omnium sui temporis nobilitate ac potentiâ facilè princeps, qvippe qvi Magni Nudipedis Norvegiæ Regis ex filia erat pronepos, Norvegos admodum infestaverat: Eyras enim (hodie Eyrarbacka) portum notissimum, qvingentis comitibus invadens, panni Islandici ulnas septem mille octingentas abstulit, titulo satisfactionis ob filium amissum; cujus mortem Bergensibus ex conjectura qvadam imputabat. Anno enim 1216. Paulus filius ejus Bergas profectus civibus ludibrio habebatur; alii enim eum Regem Norvegiæ, alii Comitem se destinâsse jocabantur; alii simulatis minis atqve timore maturè ei occurrendum monebant, nec exspectandum, donec collectâ factione statum universum regni turbaret. Horum ille impatiens, sub hyemem vectoriâ nave Bergis excessit, Nidarosiam inde ad Regem Ingium profecturus; in itinere autem cum septem navibus simul jam Stadas prævectis miserè periit, cum universa vectura vectoribusq;, ut ne unus qvidem mortem effugeret. His cognitis, pater irâ in omnes Norvegos exarsit, qvòd eorum injuriâ filius, non propriâ voluntate, Bergis excedere coactus fuerit; mulctæ itaque seu arbitrariæ pœnæ specie has eis merces expressit; nec his contentus navis Gronlandicæ præfectos Skulium & Grimum, viros Hardangrienses, magnâ qvoqve summâ mulctavit, Ormo fratre ejus neqvicqvam intercedente, qvi omnium humanissimè se erga Norvegos gessit, & utrumq; per hyemem totam hospitio excepit: qvi verno tempore cum popularibus suis Sæmundum invasuri, numerosiore familiâ succinctum deprehendunt, qvàm ut ipsis eum aggredi expediret. Infestis itaq; animis insulas Vestmanneyas repetunt. Eò cum postea Ormus negotiorum ergò proficisceretur, ultionis in fratrem, qvàm juris hospitalis acceptiq; beneficii tenaciores, in eum omnem furorem suum vertunt, ipsumq; & filium Jonem, presbyterumq; Skeggium, & Thorleifum de Kollabæis, omnes innocentes nihilq; tale metuentes occidunt, navem verò Ormi cum cæteris spoliis rapiunt. Inde Sæmundus in fratris liberos, qvi omnes extra legitimum conjugium nati erant, magnificè benignum se ostendit; qvibus omnem paternam hæreditatem, sibi alioqvin jure debitam, concessit majore famæ ad posteros emolumento, qvàm si illam ad liberos suos brevì consumendam transmisisset.

CAP. V.

ARCHIEPISCOPI CONTRA REGEM CONSILIA. PROBATIO GENERIS REGII, EJUSQ; OPTATUS EVENTUS.

APpetente vere, Rex & Comes Bergis in Thrandiam iter apparabant, Nidarosiamqve duabus hebdomadis ante festum, qvod vocamus Resurrectionis, pervenerunt, nullô honoris apparatu aut pompæ celebritate excepti. Sed nec Archiepiscopus Regi obviam ire, nec, cum postea congrederentur, blando alloqvio dignatus est, cum tamen qvotide cum Comite

te familiariùs converlaretur, mutuâ hilaritate, magnisqve amicitiæ documentis editis, ità ut qvoties Comes solus ædem Sacram intraret, nunqvã sine debitâ reverentiâ ab Episcopo exciperetur. Festo verò Ramalium, cum simul in æde Servatori sacrâ Rex Comesqꝫ solio insiderent, omni officio abstinebatur; cumqve ad altare ad muneris oblationem ex more ducerentur, non obvertere faciem Regi, aut munus, qvod aris imposuit, accipere Archipræsul sustinuit. Sine ullo itaqve honoris signo relicto munenere solium Rex repetivit. Freqventiores deinceps inter Betulopedes de tanto contemptu sermones. Exiguo temporis interjectu, indicto conventu in ædibus Archiepiscopi, Rex ab eo exqvirit, qvâ sua culpâ factum esset, qvod Regio honore se dignari nollet? ad hæc ille respondit: *non se solum hujus rei authorem esse; omnium Episcoporum consilio, qvorundam etiam aulicorum Regiorum, hæc fieri, non aliâ de causâ, qvam qvod dubium esse sibi omnes conqverentur, an is verè filius Regis Haconis esset.* Tum Rex; *Eqvidem non hoc consilio ullo publico Episcoporum, nec paucorum in aulâ meâ virorum imputandum est, sed eorum artibus. qvi me deprimere, se vero in nostram hæreditatem inferre satagunt.* Tum Archiepiscopus; *cum primum id nobis manifestum fuerit, de qvo jam ambigimus, reverentiam te nobisqve dignam exhibebimus.* Interea Comes totum hoc colloqvii tempus silentio transegit. Demum in hoc congressu conclusum, ut æstate proximâ iterum Bergis Rex Comesqve & Archiepiscopus convenirent, eoqve totius regni Episcopi, satrapæ, supremarum curiarum judices, omniumqꝫ ordinum præcipui convocarentur, ad comitia causæ huic decidendæ instituenda. Tum temporis inter omnes consiliarios Regios Dagfinnus Bondius eminebat. Ad eum igitur Archiepiscopus clam nuncium misit, (alii literas misisse, alii ipsum convenisse eum tradunt) his verbis. *Novit Deus me libenter gratiam Regis exoptare, nec; si per me staret, ullæ ejusmodi qvæstiones, de qvibus jam disceptatur, moverentur; tu nihilominus consulas velim Regi, patienter ut hæc ferat: præsagit enim animus, singula ipsius honori & eorum dedecori, qvi eum deprimere cupiunt, cessura.*

Exacto in Thrandia verno tempore, Rex Comesqve, ut convenerat, initio æstatis Bergas petunt; qvò cum ventum esset, Betulopedes statim in factiones dispergebantur, satrapæ qvoqve, pars Regi pars Comiti se addixerunt, &, ut fieri solet, plures opulentiori adhæserê. Satellites interea Regem exqvisitâ observabant curâ, ita ut in Regiis ædibus assidui cum suis cohortibus ad fores palatii excubarent. Andreas autem Skialdarband & Vegardus Veradalus duodecim præterea armatos ordinabant, qvi super consvetas custodias Regem semper comitarentur. Procedente æstate Archiepiscopus Guttormus, Episcopi, Nicolaus Osloensis, Henricus Stafangriensis, Ivar Hamarensis, Biarnius, sev Bernhardus, Orcadensis, multiqve alii ordinis Ecclesiastici, supremarum qvoq; curiarum judices colonorumqve nobilissimi, urbem, ut præceptum erat, ingressi sunt. Rara tum Regi cum Episcopis colloqvia, Comiti freqventiora erant. Die qvodam, cum Rex fortè cum consiliariis consilia conferret, missi ab Archiepiscopo & Comite Havardus Episcopus Bergensis, & Magister Biarnius ê Thrandiâ, eum accedunt: & prior qvidem his eum verbis alloqvitur. *Postulant nunc â te, Domine, Archiepiscopus & Comes, ut illud candentis ferri examen, qvod tu te eodem ipso vere, qvo ad regnum evectus es, subiturum recipiebas, jam tandem suscipi atq; adhiberi, ad convincendos eorum sermones, qvi de genere tuo dubitant, permittas; qvod si feceris, divinoqve testimonio Regios ortus asserueris, Regiis te qvoqve honoribus in posterum se veneraturos pollicentur.* Ad

Ad hæc Rex: *nescio*, inqvit, *an vestrum tanti honorem emam, ut iniqvis postulatis accedam.* Variè deinde satrapæ & Consiliarii de his differebant; tandem in hanc sententiam itum, ut manè seqventis diei Rex, Archiepiscopus, Comes, Episcopiqve cæteri, in sacrario templi convenirent. Qvò cum accessissent, Dagfinnus Bondius primus in hunc modum verba fecit: *Exemplo, credo, res ista caret, rusticorum mendicorumqve filios eò audaciæ processisse, ut absoluti dominii Regem, Regisqve filium, impunè ad examen ferri adigere sine armis audeant; tum potissimum, cum jam antè omnium subditorum suffragiis totiusq; regni fide publicâ jurejurando solenni datâ Rex constitutus est. Non igitur, me judice, examen hoc candentis, sed algentis districtiq; adversus hostes ferri exercitium reposcit. cujus exitus Deo omnipotenti committendus; qvi hanc causam, non secus ac olim inter Sverrerem & ejus hostes, optimè decidet.* Ad ea Rex ità fertur respondisse: *Verè dixisti, Dagfinne: multis enim Regibus absurdum videretur, postqvam in regno confirmati essent; assertionem generis ordalio reqviri, qvod tamen ut superfluum repudiatum tum est, cum præmissis solennibus, matre ad hoc jam paratâ, illud enixe obtulissem, idqve ab iis, qvi jam idem tantâ contentione reposcunt: qvamvis neminem lateat, cum primum in Thrandiam cum matre ad Regem Ingium advectus essem, deinde ad Comitem Haconem, eam ipsis hoc idem ultrò obtulisse, si qvis esset, qvi de rei veritate dubitaret. Et tum qvidem illi omninò hoc abnuebant. Ipsumqve insuper constat Comitem Haconem confessum esse, se fratremqve suum meam hæreditatem insidere. Verum tamen tantum aberit, ut nefas hoc tanqvam mihi injuriosum ità interpreter, ut ipse hanc causam potius, in civium meorum honorem, promovendam ultrò suscipiam, ad tollendam qvoq; omnem suspicionem, qvâ me forte tergiversando non exsolverem, magis autem arguerem, me ipsum de patre meo incertum esse; maximè tamen movet fiducia judicis illius, cui hæc causa committitur; neminem enim unqvam judicio suo aut testimonio ille circumvenit, cum nullius timore veritatem supprimat. Tanti igitur arbitri decisioni libenter me sistam.* Responso hoc Regis omnium applausu exceptô, dimissâ concione, Regia mater templum ingressa, precibus ac jejuniô Divinam opem implorabat: cujus exemplum secuti Sigurdus Regis propinqvus, Dagfinnus Bondius, Andreas Skialdarband, pluresqve alii clerici & laici, votis atq; jejuniis eventum felicem rei à Deo exposcebant; deinde duodecim viri circa templum dispositi, qvi noctes diesqve custodias agerent, providerentqve sedulò, ne fraus ulla interveniret. Atqve his diebus Comes longè humaniorẽ se Regi, qvàm aliâs consveverat, exhibebat; nec, unde id fieret, conjici poterat. Fuit tum in aula Comitis qvidam in Brabantia natus, nomine Sigar, vir qvi consultus, sapiens, rerumq; multarum gnarus habebatur. Hic studium ingens in Regem simulans, matutino tempore feriæ qvartæ hebdomadæ, qvæ examinis diem præcessit, Dagfinnum Bondium accedit, remotisqve arbitris; *Scio*, inqvit, *vos de exitu causæ vestræ valde sollicitos esse, mihi autem fortuna Regis qvam maxime cordi est. Novi ego artem, qvæ illæsam Reginam ab ignis vi & integram conservabit. Datur nimirum herba qvædam, qvâ fricata manus ignitum ferrum sine noxâ sustinet.* Ad ea Dagfinnus. *Compenset*, inqvit, *hunc tuum tam sincerum affectum Deus, qvi tam sapientem te & solertem finxit. Dic igitur sodes, ubi hæc herba proveniat, qvæ tantis viribus pollet.* Ille autem, *supra tuum aliorumqve omnium Bergensium civium tecta*, respondit. Tum Dagfinnus; *nullas hic artes, nulla hic medicamina respiciemus, præter JEsu Christi gratiam, per intercessionem Sanctæ virginis Mariæ, Regisqve Sancti Olafi, Sanctæ Sunnefæ, & omnium Sanctorum Dei. Tu verò cum impostura hac*

 omni

omni dolisqve tuis abito; certus, si talia nobis sæpius attuleris, periculum te neqvaqvam effugiturum. Inde mox Dagfinnus Regis matrem. & eos, qvi proximi aderant, adibat, monebatq; secretò, si vel Sigar, vel qvilibet alius, antidota illa offerret, sibi ab eo tanqvam â malo dæmone caverent: se enim certum, dolum fraudemqve subesse, ad Regem matremqve decipiendam callidè ab hostibus structam. Itaq; seqventis diei mane peractis jam sacris matutinis (eptir primamal: Die dominicâ factum narrat *Editio Danica*) examen processit, sustinuitqve Regis mater ferrum sine ullo doloris signo, præsente Rege, Archiepiscopo, Comite & regni proceribus, Comite qvoqve Orcadensi. Die vero, qvô fasciæ solvendæ essent, relatum est Regi, clandestinis susurris circumferri, Comitis amicos armis, sed occultè, accinctos accesturos. Edixit itaqve Joni Stali, Guttormo Gunnii filio, Vegardo Veradalo, & Bardo Brimsteino, ut omnes suas cohortes arma capere juberent, etiam emissarios, adqve templum stationes peragere, dum manus Reginæ inspiceretur. Ibi Rex, Archiepiscopus, Comes, cæteriqve Episcopi, proceres qvoq; reliqvi, parsqve magna populi, convenere; apparuitqve divinô miraculô Regina clariorem multo manum, qvàm ante examen fuerat, exhibens: id qvod amici simul & inimici testabantur. Renovata inde priora inter Regem Comitemqve pacta, comitiaqve in cæmiterio ædis Servatoris proximâ die Dominicâ, præsentibus procerum singulis, celebrata. Ibi Archiepiscopus Natales Regios Haconi Divino testimonio assertos publicè promulgavit, additô interdicto sub pœnâ anathematis, ne qvis ab eo tempore in dubium eos vocaret. Tunc qvoqve pacta inter Regem & Comitem ab eodem publicata leguntur.

CAP. VI.
SECUNDUS CUM SLITTUNGIS CONFLICTUS: BAGLORUM FACTIO OCCIDIT: ACTUM DE FÆDERE INTER REGEM ET COMITEM: REGIS CUM COMITIS FILIA SPONSALIA.

His ità compositis, Rex Comesq; literis â Betulopedibus Baglisqve ad opprimendum Benium, qvi pessimorum hominum colluviem ingentem compararet, infestisq; itineribus provincias peragraret, exciti, lento itinere, adversis ventis, sed magnis copiis comitatuq;, Vikam petunt. Tunsbergam cùm ventum esset, cognitô nullam adventûs sui famam præcessisse, Beniumqve Osloæ morari, universam classem eò dirigi placuit, incautosq; & securos hostes opprimi: id qvod subitò, ventis præsertim faventibus, sperabant effici. Et jam pars classis portu egressa solverat, cùm Ecclesiæ Tunsbergensis præpositus, nomine Jofreir, fessum secum puerum adduxit, qvem ab Episcopo Nicolao ad cives missum properi Slittungorũ in urbem adventus nuncium professus est: ipse qvoqve puer partem classis eorum, cùm Osleyâ egressus esset, portu solvisse testimoniô suo confirmavit. Orant itaqve præpositus civesqve, ut Rex & Comes in urbis potius præsidium ibi remanerent. Qvidam Betulopedum fraudem subesse dolumque, ab Episcopo ad morandam classem Regiam excogitatum, conjectabant. Missi igitur eqvites, qvi iter terrestre explorarent. His qvidam recto

recto citatôqve itinere Osleyâ egressi obviam facti, referebant, falsum esse nuncium, fraude Episcopi emissum. Ivar Utvik & Asbiornus Kopus, illo tempore satrapiæ Osleyensi præfecti, ad Hofudeyam stationem habuerunt, qvi cognito Regis Comitisq; adventu, levi navigio ad eos celeriter misso, nunciant Slittungos securos adhuc Osleyæ subsistere. Rex itaq; prætoriam portu citatim expedit: seqvitur reliqva classis, simulq; omnes, qvantâ poterant festinatione, iter maturant: graviores qvoq; naves remiges, haud adversis ventis, remis velisq; concitarunt. Verùm Slittungi, qvi in turri fani S. Hallvardi in excubiis stabant, classem ad promontorii extremitatē (Nes odda) adnavigantem conspicati, confestim reliqvis periculum annunciantes, ut qvantâ possent velocitate cum duce suo Benio omnes simul ex urbe fugerent, perpulerunt. Cùm autem Regi ad Hofudeyam delato fuga qvorundam illorum observata esset, qvàm citissimè classem pontibus, tum ab austro, tum etiam ab aqvilone, admovit. Verùm tardiùs rem, qvàm oportuit, aggressus, cùm jam omnes eorum cohortes evasissent. Pars itaqve Betulopedum Fresiam usq; eos, sed frustra, perseqvebatur. Verùm Bagli in castello Episcopi residentes, post pactionem cum Betulopedibus, neqve Slittungis se adjungebant amplius, nec oppugnabant eos; Regem verò è regione castelli adnavigantem effusè & venerabundi excipientes, sua ei ministeria obtulerunt. Episcopus qvoq; Nicolaus, acatiô ad navem Regiam vectus, matrem Regis in ædes suas deduci curavit, exceptamqve qvàm officiosissimè, pari observantiâ coluit; etiam seqventis diei mane, summo honorum genere, qvod Procesſionem vocant, Regi obviam cum Clero ivit. Literis deinde nunciisqve arcessiti Arnbiornus Jonis filius, omnesq;, qvi supererant, Bagli, Osleyam venerunt, inqve Regis ministeria transeuntes, nomen factionis, qvod ad eum diem titulo Baglorum usurpârant, deposuerunt. Erant autem præcipui proceres, qvi sponte se tum dediderunt, Arnbiornus Jonis filius, Gunnbiornus Jonis frater, Simon Kyr, Eysteinus Roii filius, Gudolfus de Blackastadis, Endridius Bekill, Finnus Kalfi filius, Botolfus Ausuri filius, (Ivaris habet Editio Danica) Finnus Bergthoris filius, Gudleikus Skreidingus, Sigurdus Sefill, sev Sepill, Gunnar Asæ filius, Eylifus Kambus (Kimbi habet Editio Danica) & Thorer Amundi filius. Hic itaq; finis factionis, rei Norvegiæ per duos supra viginti annos perniciosissimæ, â primariis Ecclesiæ viris, exemplo planè execrabili, suscitatæ & sustentatæ.

Et jam Regi relatum est, Slittungos in lacu Eyensi se continere. Qvatuordecim igitur naves eò terrestri itinere deduci curavit, præfecti copiis Guttormus Gunni filius, Olafus Mok, Gunnbiornus & Haraldus Stangarfilia, pluresqve alii. Verum Slittungi, per exploratores facti de consilio eorum certiores, in Markas profugerunt; domum igitur Regii, cum eos asseqvi non possent, revertuntur; qvo tempore freqventes in urbe comessationes, multaq;, ut in his fieri solet, indecora perpetrata. Inter alios Regis Haconis avunculus, nomine Gunnolfus, adversus vinum infirmus, inqve ebrietate non satis compos mentis, vesperâ qvâdam virum honestum nomine Eylifum, innocentem & bonis præditum moribus, qvem Comes Skulius intimum habebat amicum & consiliarium, stricto gladio insecutus, dextra manu propemodum orbavit. His repentè Comiti nunciatis, qvamvis eâdem cum Rege nave veheretur, suos tamen ad arma omnes evocat, Gunnolfum autem in mediam navem lapsum Betulopedum præsidium protexit. Ad pontem Episcopi navis Regia stabat, aliæqve circa eam plures: sed audito in Regiâ nave tumultu, & ipsarum vectores arma capiebant;

bant. Comes autem Skulius Gunnolfum invafurus, ubi contra circumftans præfidium irritô conatu ferretur, ardens irâ, fuis fe cum comitibus in proram convertit. Hinc fatellites, metuentes ne fortè Rex ab armato duce armatâqve multitudine invaderetur, fimul ad eum concurrentes, objectis corporibus fuis ftantem undiqve fepferunt. Igitur Comes cum fatellitibus fuis propius pontem convertit fe. Proximè ponti adjaciebat navis Afolfi Comitis propinqvi, Thordi Draflii & Thorfinni Mali, pluresqve naves, omnes Comiti addictæ. His eum accedentibus, qværit, qvid jam agendum cenferent? fibi decretum enim Eylifi ulcifci necem. Ad ea Reidolfus Bardi frater, is qvi Regem Ingium flumen Nidam tranantem fideliffime juverat, in Regem Haqvinum haut nimium propenfus: *Ejus*, inqvit, *exemplo plures plectemur, mox etiam tu ipfe, Domine, fimile adibis periculum. Occupabimus igitur facinus, navibusq; eorum fubductis, ipfum Regem & omnes, qui eum protegunt, occidemus.* Tum Afolfus refpondit; *nimia verò ifta unjus manus vindicta. Eqvidem à fcelere in Regem tanto abftinebimus, cujus hic nulla culpa.* Atrox qvidem Reidolfi confilium, a fimplici in Dominum amore profectum videtur, cum ipfi aliàs præfago fatis metueret, animo vir expertæ nec unqvam fatis laudatæ in priorem dominum fidei. Dum fic animi in diverfa, ut fit, diftrahuntur, Dagfinnus Bondius, Guttormus Gunnii filius, Vegardus Veradalus & Andreas Skialdarband, finguli cum fuis cohortibus, Regiam navem ftipant, fed tum Comes infefto gladio genam Vegardi ferit, èqve vulnere, fectâ ruptâqꝫ genâ, gladii mucronem extrahit. Inde ponte egreffus, Eylifum decumbentem adiens, apud eum aliqvantifper remanfit. Hæc cùm Arnbiornus Jonis & Lodinus Pauli filii, Baglorum antea duces, cum maximâ copiarum parte confpexiffent, & ipfi arma fumunt; proras qvippe & puppes navium fuarum clypeis integebant, periculi metu: jamqve Regi nunciari curant, omnes fe eum feqvi velle. Dagfinnus autem Bondius & Guttormus cum fociis eum circumftantes, cohortes fuas armant. Interea Comes irâ exæftuans prætoriam ipfam petit: cui Rex ftatim affurgens fatisfactionem pro propinqvo fuo Gunnolfo & ipfi & Eylifo offert; qvam cùm Comes recufâffet, Dagfinnus ad eum dicit: *Ni tu, Domine, fecuritatem hac nocte omnibus promiferis, non poteris cum Rege fimul in eâdem navi pernoctare; aliò igitur Regem nos deducemus.* Rex verò negabat fe navem fuam fugâ turpi defertu-rum. Tum verò univerfi fatellites Regii fe Regem, ubicunqve effet, fecuturos vociferabantur. Mitior inde Comes in eam noctem fecuritatem qvidem pollicebatur; finguli tamen præfidiis fe circumfepferunt. Poftridie mane, finitis precibus matutinis, Rex ipfe Eylifum accedens, fatisfactionem pro Gunnolfo offert. Is fecuritatem promittit, donec conftet, qvô exitu vulneri medeatur. Rex verò hæc Dagfinno fingula exponit, advocatâqve concione qveritur de injuria Vegardo á Comite illata. Et Vegardus qvidem ipfe, cognitis plurium fententiis, exfurgens, qvâ ignominiâ fine ulla culpa fuâ affectus fuerit, exponit: adjecto, nullam fe litem eâ de re moturum, fi qvalifcunqve fatisfactio offerretur; fatellites autem negabant, fe injuriam impunitam paffuros: eòqve res deducta eft, ut Comes fe judiciô optimatum contentum fore promitteret; mulcta igitur irrogata & jusjurandum (pro fecuritate in pofterum, credo) exactum; utrumqve cùm Comes, tactis Evangeliis, exfecuturus effet, ftatim â Vegardo facinꝰ remiffum; tantum verò abfuit, ut Comitis animum eô mitigârit, ut concepto potiùs occulto odio afperiorem in pofterum redderet, ficut poftea eventus docuit.

Miffi

Missi deinde in Uplandas, comunes RegiComitiq; provincias, præfecti, viri ab utroq; selecti, ad continuas turbas, qvibus istæ inqvietabantur, compescendas. Gunnbiorno Jonis fratri & Thorbergo episcopatus candidato Hadalandia obtigit, Haraldo Stangarfiliæ & Thoraldo Auguris filio Raumarikia, Olafo Moki & Friderico Slaffio Heidmarkia provinciæ datæ, Endridio verò Bekili & Bardo Halio Gudbrandzdali comissi. Inde Rex & Comes Tunsbergam profecti, nuncios Bergas mittunt, qvi significarent Tunsbergæ ipsos hyematuros. Cura apparandi convivii in festum Natalitiorum â parte Regis Dagfinno, à parte verò Comitis Grundio Qvæstori, mandata. Ipsi interea, Vikâ Gautelfam usq; circuitâ, in causas veteres novasq;, qvæ ad Regium fiscum pertinebant, inqvirebant; inde Tunsbergam repetentes, natale festum ibi, ut constitutum erat, celebrant. Eodem autumnô Gautus Jonis filius ex suscepto dudum Hierosolymamq; destinato itinere adversis repulsus ventis magnâ Regis indulgentiâ Elfensi provinciæ præficitur.

Et jam secundus imperii Regis annus incipit, qvô Guttormus Gunnii filius & Paulus Vagaskalmus Satrapæ à Rege constituti sunt, & Gregorius Jonis filius Thrandiæ ab eodem præfectus post festum natale per literas Regem Comitemq; certiores facit, Nidarosiam incendiô conflagrâsse. Illo qvidem tempore Martinus Regis propinqvus, Gunnius Lodini filius, & ejus filius Guttormus, Dagfinnus Bondius & Bardus Brinsteinus Regi â consiliis leguntur fuisse, cùm hic annum ætatis decimum qvintum ageret. Hi accitis in consilium Arnbiorno Jonis filio, illiusq; fratre Guttormo & Paulo Vagaskalmo, inter se de statu regni cæperunt deliberare. Omnes periculosum inprimis existimabant, qvod Comes ipsum Regem regnumqve adeò omne solus pro arbitrio regeret, obnoxius nimis calumniatoribus atq; sinistris consiliariis, qvi semina discordiæ inter eos sererent, illis contrà, qvi Regi fidi, strenui, prudentesqve essent, raro adhibitis; inveniendam itaqve viam, qva amicitia eorum fida stabilisqve institui possit, atqve talis, ut nulla in posterum suspicio, ex interveniente calumniâ suboriatur; id tum demum futurum, si filiam Comitis Margaretam Rex sibi conjugio sociaret; exinde Comitem eum semper ut proprium filium dilecturum. Hæc cum assensu omnes approbâssent, Regem adeunt, consiliumqve exponunt. Paucis hic ad ea primò respondit, post tempus verò paucum non abnuit, si sinceram inde amicitiam securitatemqve sibi polliceri posset; *cæterum vereri magnopere, ne Comes ad ingenium redeat, vinculumque istud, quantumvis adamantinum videatur, arundineum experiantur, qui jam svadeant: se tamen eorum consiliis auscultaturum.* Deinde ad Comitem conversi Regis proponunt postulata. Is placide ea excipere visus, matris tamen virginisqve & aliorum propinqvorum voluntatem explorandam monet. Tandem Margareta Regi desponsa, omnium judicio perpetuæ in posterum & inviolabilis amicitiæ pignus tesseraqve habebatur. Proximo vere Tunsbergâ Bergas navigatum, ibiqve æstas exacta, qvò tunc Jon Stal navem, qvam Regi struxerat, scalmorum viginti qvinqve, duxit; egregiam qvidem illam, qva Rex postea longo tempore usus est. Circa festum Beatæ Virginis Bergis Nidarosiam multo nobiliqve comitatu ex præfecturis Gulensibus delecto, profecti sunt. Festo Michaelis Archangeli Margareta magna solennitate Regium in thalamum deducta est, conviviumqve in aula Regali magnificentiâ instructum. Et sic hyems regni Haconis tertia mutuâ animorum concordiâ ibidem exacta. Interim præfectura ad aqvilonem extrema Vegardo Veradalo & Andreæ Skialdarbandi, qvòd intimâ Regis gratia florerent, commissa legitur.

CAP. VII.

RIBBUNGORUM FACTIO ORITUR. COMITIS DE SUBIGENDA ISLANDIA CONSILIUM: EA CURA SNORRIO STURLÆO COMMISSA. REX PARATA CONTRA RIBBUNGOS PUGNA ABSTINET.

CUm itaq;, ut ſupra narravimus, Bagli Regi Comitiqve ſe ſubjeciſſent, præfecturæqve regni variæ illis diſtribuerentur, ex iis Godolfus qvidam de Blackaſtadis præteritus eſt, hac de cauſa, qvod præfecturas, qvas geſſerat antè, ſuperbâ avarâqve adminiſtratione inviſum ſe civibus reddidiſſet. Verum indignatus ille ſe ab honoribus officiisq; excluſum, abſtinens aulâ, proprios agros incoluit; mox impatiens privatæ ſortis magna moliri, eademq; hac hyeme, qvâ principes Nidaroſiæ reſidebant, filium ſuum Eyliſum, cognomento Coronam, comite Eirico, aliis Farrii, aliis Panii cognomine appellatô, in Hallandiam miſit, ad inveſtigandum Sigurdum Erlingi Steinveggi ſeu Saxomuri filium; qvi & inventus humaniſſimè eos excepit. Mox ad eum ingens undiqve multitudo confluxit. Conſiliorum arbitrium ſummaqve penes Godolfum authoritas erat. Erlendo Romſtafo vexilli cura mandata. Præcipui verò duces, qvi primi in partes ejus transgreſſi, memorantur, Sandolfus Hauki filius, Thorleifus Brudur, Erlingus Ringus, Helgius de Solbiorgis, Gautius Gottſmior, Gaſius ſub monte, & Grimus Svangius. Ingens exercitus conflatus eſt, qvi Ribbungorum nomen aſſumpſit. Paulo ante Ivar Utvik & Gudolfus ſocietatem inierant, mutuam fidem jurejurandô ſancientes, ideoqve Ivar nihil ſibi ab eo metuens officia potiùs tanto fœdere digna exſpectabat. Longè tamen ſecus res accidit, nam dum præfecturam ſuam, partem nimirum Osleyenſis provinciæ, qvæ occidentem ſpectat, ſecurus adminiſtrat, â Gudolfo, qvi clandeſtinum militem comparaverat, in Hauſudeya de nocte ex improviſo invaditur, evaſit tamen ê navi ſcaphâ avectus, ſed multâ cruentâqve fortiſſimorum virorum veterumqve Betulopedum cæde, inter qvos Smidus Kipa & Hallvardus Kurt eminebant; alii in templum fugientes præſidium a religione mutuabantur. Gudolfo armamenta navis omnia multaqve alia in prædam ceſſerunt. Vere proximo Rex Comesqve Bergas profecti ibi manſionem in æſtatem usqve produxerunt; qvo tempore Comes multas naves deſtinatæ in Islandiam expeditioni adornabat: Biornus enim Thorvaldi filius, Giſſuris, qvi deinde Islandiæ Comes factus eſt, frater, hominem Norvegum, qvem Sorli propinqvum fuiſſe audiverat, templo Midfiordenſi extractum occidi curaverat, prætextu vindictæ ob cædem Ormi Jonis filii, cujus filiam Hallveigem ipſe duxerat. Extant de ea re verſus *Gudmundi Oddi filii.* Snorrius Sturlæus biennium in aula Comitis à primo in Norvegiam adventu exegerat, jamq; in patriam reditum parabat. Hic expeditionem illam valde diſſvaſit; *ſatius* dictitans, *amicitias principum Islandiæ ſibi comparare: eorum authoritate reliquos majeſtatem Principum Norvegorum culturos; ſed nec in patria alios fratribus ſuis, ſolo Sæmundo excepto, potentiores, illos verò ſibi haud gravatè auſcultaturos.*

His

His talibusq;, tum etiam qvòd multi Norvegorum expeditionem illam tanqvam gravem admodum horrebant, Comes mitigatus, consilium dedit Snorrio, ut is cum reliqvis Islandis Regem ad intercedendum pro iis sollicitaret, precibusq; eò adduceret. Sum̃us Islandorum fautor Dagfinnus Bondius erat; illo intercessore Regem adeunt, utq; cum Comite agat de expeditione omittendâ, orant, evincuntq; instando, ut conventus ordinum indiceretur. Ibi Rex publicè disseruisse his verbis fertur: *Consilium istud, Domine Comes, quod de bello Islandis inferendo hâc æstate agitâsti, nostris quidem consiliariis haud admodum è re nostrâ videtur, tum ob rei gerendæ difficultatem, tum etiam quòd terra ista regni jam olim nostri colonia fuerit, exculta ab iis, qvi hinc eò profecti sunt, à nostris etiam parentibus sacris Christianis initiata, eorumque beneficiô optimarum rerum copiâ aucta. Iniqvum certè videtur, plerosque hujus incolas, omnis in nos culpæ immunes, tamen nec damna calamitatesque, quas bellum secum trahere solet, si arma inferantur, effugituros, plectere. Pauci verò sunt illi, qui in nostros cives crudelitatem exercuerunt. Peto itaque, Domine, ut in mei gratiam missam facias istam expeditionem.* Hæc multi assensu suo comprobabant; itaqve Comes à proposito minisqve, qvarum aliàs eum revera pænitebat, hâc occasione, majori suo honore, qvasi precibus victus, destitit. Mittitur ergò Snorrius ad pacem Islandis conciliandam, Satrapæ titulo à Rege Comiteque honoratus, multis antea de Islandia inter eos agitatis. Tum primò Snorrio in mandatis datum, ut terram illam sub obseqvium Regis Haconis redigere conaretur. Donatus à Comite nave, qvâ eò provectus est, aliisqve magnis muneribus, qvindecim numerô, dimittitur, datâ fide, ut filium mox remittat, obsidem futurum, donec promissa impleantur. Duo carmina in honorem Comitis fecerat, irrisa ab inimicis & in ludibrium ipsius tracta; qvi versum qvendam eorum in contumeliam authoris inverterunt. Sed autumno, qvô in patriam rediit, qvadrantis australis cives inter se diffidebant. Æstate proximâ Loptus de Skarde, Episcopi Skalholtensis Pauli filius, Biornum Thorvaldi filium Breidabolstadis occidit.

Eâdem æstate, dum Rex Comesq; Bergis residerent, Vikenses Satrapæ festinum eorum auxilium contra Ribbungos, qvorum vires in dies crescebant, implorabant. Sum̃â igitur festinatione triginta naves expediunt, qvibûs, Satrapis his, Paulo Vagaskalmo, Jone Stale, & Ivare Nef, comitantibus, sub festum Michaelis portu egrediuntur. Sæviente autem ventô prope Jadriam, in portu exinde Lygrium delati, dimidium mensem ibi detinentur; tandem cibo potuqve defecti, pecora rusticorum in alimenta mactant. Hinc paulatim tædio itineris subeunte, placuit copias dividi. Rex majoribus navibus, Comes minoribus, sed majoribus numerô copiis, Bergas redit; convenerat autem inter eos, ut Comes omnes canones, ut vocant, Regios per Vikam collectos Bergas secum afferret, ad instruendum festi natalis convivium, stipendiaq; militibus persolvenda. Interea Rex Eikundasundam provectus Henricum Episcopum Stafangriensem offendit; qvi post longum colloqvium rediit in gratiam cum Rege, subq; discessum fidem suam ei his verbis obstrinxit: *Scias*, inqvit, *o Rex, neminem tibi ex tantillis, atque ego sum, viris me infensiorem fuisse; in posterum autem me fideliorem ex omnibus Episcopis neminem te habiturum esse, quamvis vires sint exiguæ.* Nec majora tum promisit, qvàm præstitit. Rex prosperô ventô Bergas pervenit; sed parum com̃eatus ad instruendum convivium natale navibus devexit; & in urbe qvidem nihil admodum reliqvum erat. Arcessito itaq; Dagfinno æs in impensas tradit, curamq; illius seriò ei deman-

 dat

dat. Magna comeatûs vis ad mensam conviviumqve mutuò aliunde accepta; præfecti qvoqve provinciarum per literas de subsidio sollicitati tergiversabantur, utpote qvi maximâ ex parte soluti Regis metu, qvoties eos increpuit, responderunt, se alias spes secuturos. Interea Comes commeatus in expeditiones impendi solitos obventionesq; Regias per universam Vikam exigebat, acceptoq; qvantum qvidem traderetur, Bergas iter instituit; qvinq; diebus ante festum Tunsbergâ naves solvens, qvarta festi feria Bergas appellit, præmissisqve ad Regem nunciis, per alios vicissim à Rege ad convivium invitatur, amboq; simul mutuâ amicitiâ festum peragentes, anni regni Haconis qvarti initium auspicabantur. Hôc eôdem anno obiit Ivar Episcopus Hamarensis.

CAP. VIII.

VARIÆ CUM RIBBUNGIS ET SLITTUNGIS PUGNÆ. VINDICTA DE FOLDENSIBUS SUMTA.

DEcurente ad finem hyeme per nuncios è Vika refertur, Ribbungorum vires valde increscere, magno civium provinciarumqve, qvas turpiter expilarent, incommodô, Beniumqve & Slittungos Ribbungis se subjecisse, socios expeditionis factos: qvorum Benius qvidem tribunus militum a Sigurdo constitutus, nullum ampliorem honoris gradum in militia illa obtinuit. Itaq; Appetente vere placuit Comitem in Thrandiam proficisci, indeqve collectis copiis, terrestri itinere in Vikam contra Ribbungos, Regem verò navali, eodem tendere, ut junctis sic viribus eos utrinq; aggrederentur. Thrandiam ingressus Comes satrapas, Gregorium Ionis filium, Paulum Vagaskalmum, & Petrum Pauli filium ad se evocat, eorumq; ministeriô exercitum haut exiguum collectum in Heidmarkiam Hamarem usqve deducit, ubi eum omnes provinciarum Uplandensium præfecti confestim adierunt. Ibi certiora de Ribbungorum in Vika graslationibus cognoscit; nam & Sigurdus nuper Osleyam invadens, duas Episcopi naves abstulerat; certo apud se statuens classe undiqve comparata Tunsbergam aggredi, qvam tum Arnbiornus Ionis filius, pluresqve alii satrapæ tuebantur, rupe, qvâ sese continebant, confisi. His auditis Comes præfectis omnibus comitatus Osleyam properat. Interea etiam Rex Hacon, qvemadmodum convenerat, cum satrapis Gauto Ionis filio, Ione Stale & Dagfinno Bondio, navibus in Vikam movit, portuqve Grindholmasunda, qvi in interiore Vika situs est, occupato, cognoscit Ribbungos ad Orientalis sinus oras ad Vernam, (Vantum Edit. Dan:) magnis navibus multâqve classe consistere. Commode Tum Arnbiornus Ionis filius cæteriqve satrapæ, qvi Tunsbergæ remanebant, a classe satis copiisqve instructi, jamq; omninò parati, suas portu naves eduxerunt, manus cum illis conferturi, sed vadis ad Skeliasteinas superatis, ab obviâ mercatoriâ nave Regem magnâ cum classe ad Grindholmasundam provectum cognoscunt. Læti hôc nuncio, mutato proposito Regem adeunt, pluraq; de Ribbungorum rebus edocent; qveîs cognitis, Rex signo dato tentoria in naves referri jubet, cursumqve ad sinum dirigi. Gauto autem & Dagfinno placuit sinum statim peti; cùm contra Arnbiornus & Vikenses alii sub exitum diei parum id è re esse

esse judicarent, rectiusq; diluculum matutinum ex spectandum, eoq; ad Jarlseyam (compendio Chronicorum Iseya est) per noctem consistebant. Nocte concubiâ Havardi Bratti socii lembo ad Regem celeriter provecti referebant; *se Ribbungos qvidem persecutos, eos autem fugâ evasisse, jamque Rugeyam attigisse: cum fugerent, statuisse transmisso sinu satrapas Regios invadere, qvòd paucis eos, iisqve minoribus, navibus se sciàque tutari compertum haberent cum sibi quadriginta suppeterent. Videri itaqve hac eâdem nocte sinum transmissuros, qvippe adventus Regii ignaros.* Igitur convocatis copiis navalibus Dagfinnus Bondius universum exercitum aptâ oratione confirmat, Regisqve mandata exponit; qvibus noctem exigere armati, remotis tentoriis, jubebantur; videri enim Ribbungos totis viribus eos derepentè aggressuros. Missus & eadem nocte Lodinus Gunnii filius speculatum cum tribus lembis, anteqve diem frigido cælo in sinum provectus, cæptâ luce rediit, uno Ribbungorum lembo intercepto, adqve Regem adducto. Inde mox animadversum, Comitem Skulium terrestri itinere magnis copiis in Vikam infusum Osleyæ remanere, nec Ribbungos eum aggredi ausos; decrevisse autem Tunsbergam deflectere, Satrapasq; navibus minoribus, nec pugnæ satis aptis, instructos primò aggredi, iisq; devictis Comiti arma inferre. Rex, convocatis consiliariis, qvid in rem esset, deliberare jubet. Placuit naves minores erectis malis præmitti, majores seqvi, qvò classis omnis, vel onerariarum navium, vel parvarum, speciem præberet.

His ità dispositis, celeri remigiô in sinum provehuntur; insulamqve prætervecti, vident sibi occurrentes, rectàqve ex oriente cursum in se dirigentes Ribbungos: nec dubitabant, qvin copia tum certaminis foret. Cumq; tranqvillo cœlô placidum esset mare, in qvalibet magnâ navi duos remiges singulis remis admovebant; ut ità minores parvo eas intervallo præcederent: lentiùs verò illis adhuc procedentibus, Rex Sigurdum Skialgium cum parvula scaphâ ad classem minorum navium missum jubet iis referre; raro veteres Betulopedes in tanta necessitate tam segniter remigâsse. At Ribbungi omnem classem onerariam esse secum reputantes, rectà in eos feruntur. Verùm dum à proximis sagittis impetuntur, solis splendore illustrata majorum navium applustria animadvertunt, protinusqve mutatâ sententiâ colligunt, non â solis Satrapis hanc classem dirigi. Igitur conversis navibus sinum ocyùs repetunt. Qvô visô, Rex majores naves objiciens eos à destinato loco avertit. Ad proxima itaq; litora conversi, in terram Jolandas exscendentes, resectis prorarum puppiumq; supremis, fugam capessebant, Betulopedibus strenuè perseqventibus, jamq; ipsi extremo agmini iminentibus. Postqvam obvium pontem transiisent, eo rescisô, ab ulteriore persecutione interjectu fluminis se liberabant. Itaqve Betulopedes, paucis hostium occisis, qvibusdam vulneratis, ad suos redeunt. Superest adhuc versus integer *Sturlii Thordi filii,* qvô hæc actio memoratur.

At verò Comes Skulius interea Osloæ detentus navem Episcopi Nicolai, Barbatum dictam, in usum suum poscit; denegat Præsul concedi posse; veritus autem, ne se invitô auferretur, pœnam ecclesiasticam minatur, siqvis navem S. Hallvardi raperet. Ad ea Comes: *Haut*, inqvit, *longum tempus effluxit, cùm duo tibi navigia Ribbungi eripuerunt, quibus tamen sacris non interdixisti; eò igitur nos audacius hanc navem in usum nostrum vertemus. Quod si ideò fulmen excommunicationis in nos vibraveris, quia in utilitatem regni ad deturbandos publicæ tranquillitatis turbatores eam requirimus; scias illud jactu retrogrado sui ipsius ministros & jaculatores percussurum,*

rum; præsertim cum isto non fueris usus in homines antea ob maleficia sua excommunicatos. His motus Episcopus, navem cum effigiebus capitum omnibusq; armamentis concedit. Gregorius Jonis filius aliam navim, nomine Stockabussam appellatam, Paulus Vagaskalmus Hasaugubussam, aliiq; tribuni alias magnitudine præstantes, qvæ propter urbem stabant, auferentes, loricis proram inter puppimq; muniunt, summâqve celeritate in sinum eductas Jolandis admovent, cùm rusticus qvidam è promontorio altâ voce Satrapas Betulopedesqve Tunsbergâ provectos, ut Comiti sese adjungerent, inclamans refert, socios eorum in Ribbungos incidisse, jamq; cum iis navali certamine confligere: nec dubitandum, qvin auxilio indigeant. Nesciebat autem Regem cum suâ classe adesse, nec ipsi Comiti qvicqvam de ejus adventu constabat. Verùm eodem tempore Stallum prætervehitur Comes, qvo Ribbungi accedentes navibus desertis fugâ in terram exscendebant; acrius itaq; adnixus duos remiges singulis remis adhibet. Qvo viso, Rex lembum in occursum ejus mittit, qvi, qvæ gesta essent, indicet, dicatqve non opus esse tam gravi labore nautas fatigare, cùm hostes jam naves suas deseruerint. Inhibens itaqve suos Comes, lento remigio Regem adit. Uterqve mutuis benevolentiæ signis se invicem excipiunt. Milites autem Regii interceptas naves omnemq; prædam delectis viris, donec divideretur, custodiendam tradunt. Jamqve Ribbungi per superiora in orientem tendebant: qvo cognito, Rex Comesqve interiora sinûs Osleyensis ingressi, eâdem vesperâ Haugsvikam pervenerunt. Posteri diei mane ad Hofudeyam, qvo Rex maximam classis partem applicuit, alii rectà urbem petebant; Paulus nimirum Vagaskalmus, Asolfus Comitis propinqvus, Kolbeinus Kettuhriggus & Hacon Kafini (Gasi habet *Editio Danica*) plurimiqve Uplandorum præfecti. Hoc autem ipso vespere exploratores Regi Comitiqve referunt, eâ nocte, qvæ instabat, Ribbungos urbem aggressuros. Rex igitur misso tibicine milites omnes urbe excivit; qvi mandatis parùm obseqventes, pars in urbe, pars in navibus, ad anchoras ligatis, remanebant. Sub ortum autem diei Sigurdus Ribbungus cum universis suis copiis urbem invadit; descendendoqve per plateas in pontes delatus, qvosdam Betulopedum in aqvas deturbat, alios vulnerat; alii, dum naves è pontibus moliuntur, jaculis hostium sauciantur, inter qvos Hacon Kafini urbem ingressus, præceps è ponte ruens per pedem jaculo feritur, extractus tamen in navem evadit; qvatuor Betulopedes isto congressu occisi sunt; qvi verò in navibus excubabant, armaturis corpora munientes, naves pontibus admovent; qvo territi Ribbungi, per superiora platearū fugientes, urbe septentrionem versus, Betulopedibus persequentibus, exeunt. Rex autem in Hofudeya, audito tubarum sono, illicò suos arma capere jubet, citatisq; remis classem urbi applicat; ipsius verò navis, sicut & reliqvæ grandiores, ut mole gravior, ita tardior ad cursum erat. Verùm Augmundus vexillarius, conspectâ ex septentrionali urbis parte Ribbungorum fugâ, conversus ad Regem: *Nihil*, inqvit, *Domine Rex, in urbe agimus, effusis in fugam hostibus: quod si in transversa iverimus, Giljanda occupata ortum versus Kongshagam, seu Regis hortum, petemus, Ribbungisque ad pontem occurrentes, Deo propitio aliquid efficiemus.* Consentit Rex, proximasqve naves inclamans in occidentem eas deflecti jubet. Petrus autem, cui à liberis cognomen inditum, aliiqve obesiores viri moleqve corporum graviores, suam causabantur debilitatem, perseqvendis per saltus & invia hostibus inhabilem; qvos cùm multi secuti essent, tota classis pontibus est admota; militesq; è pontibus jussi excurrere, eodem momento tres Ribbun-

bungorum cohortes in urbem infuſas obvias habent, qvæ in ſuos ſe incidiſſe arbitratæ, ubi Rex eorum Sigurdus ſit? qværunt. Hoc indicio agniti Ribbungi, gladiis ſagittisqve impetiti per plateas aqvilonares fugantur, alii in aqvas compelluntur: octoginta eorum cæſi ſunt. Betulopedes autem iſti, qvi Ribbungos primò adorti ſunt, eos ad amnem, cui nomen Fad, perſeqvebantur, ubi utraq; pars jaculis ſe invicem aliqvantiſper inceſſebant, donec Ribbungis in fugam verſis, ipſi ad urbem reflecterent. Id qvod *Sturlius* itidem duobus verſibus, qvos hodieq; legimus, teſtatur. His peractis Rex & Comes, diſpoſitis per Uplandas provinciis, præfectisqve ordinatis, ex urbe Haugſvikam usqve exeunt. Ibi advocatâ concione Comes ſe exſcenſurum in Foldam profitetur, ad ulciſendum Rognvaldum, qvem ruſtici ibi occiderant. Rex *nullam ejus vindictam ad ſe pertinere* reſpondit, *cum propinqui ejus familiæ ſuæ ſemper infeſti fuiſſent; cum autem ſine culpâ occiſus ſit, nec ſe obſiſtere, quo minus eum ulciſcatur.* Eò igitur profectus Comes, comitante patruo Rognvaldi Gregorio Jonis filio (fratre, habet *Editio Danica*, membranis duabus refragantibus) multisqve Betulopedibus, præſertim iis, qvi Bagli antea fuerant, magnam provinciæ partem incendebant, agricolarū nemine reſiſtente. His peractis ad naves reditum. Navigant deinde Rex Comesqve ad Jarlseyam; ibiqve longiori itineri ſe accingunt, Bergas petituri. Ad rupis Tunsbergenſis defenſionem Lodinus Pauli filius relinqvitur, Guttormus Gunnii filius Grænlandiæ aliisqve provinciis ad Albiam præficiuntur: Arnbiornus Ionis filius & Lodinus Gunnii filius Regem comitabantur, hisqve noctes aliqvot in portu Hornboraſunda exactæ. Inde poculis largiùs ingurgitati, per veſperam ſolventes, pluviô cælo, ventis acriter reflantibus, noctu ad Hafnas vela verterunt, ipſi, qvò tenderent, neſci; poſtridie manè intra Treydaſundam nave in ſcopulum impactâ, gubernaculum fregerunt: proſpero tandem vento in Thrandiam pervenerunt. Hactenus duo exemplaria membranacea, Codex Flat. & Gullinskinna, qvæ tamen non conſiſtunt: nam ſtatim ſeqvitur; eò cùm ventum eſſet, offendunt Ragnhildem Comitis uxorem & Sigridem Comitis ſororem (abruptè Editio Danica Sigurd pro Sigrida ſcribit) qvæ poſtea in Reynio Abbatiſſa fuiſſe legitur, ex aqvilone profectas ad celebrandas Ingibiorgis alterius Comitis ſororis nuptias cum Lodino Gunnii filio, qvarum feſtivitas in aulâ Regiâ peragebatur. Qvodſi itaqꝫ in Thrandiam Rex Comesqve enavigâſſent, illæ, qvæ ibi erant, ex aqvilone profectæ dici non poſſent. Rectius igitur Editio Danica hæc Bergis acta memorat.

CAP. IX.

SNORRII IN PATRIA ACTA: CÆDES ILLUSTRIUM VIRORUM, HARALDI SÆMUNDI FILII, VEGARDI VERADALI, GUNNARIS ASÆ FILII ET GUDOLFI DE BLACKASTADIS. VARIA CUM RIBBUNGIS PRÆLIA ET DISCRIMINA.

HAc eâdem æſtate Snorrius Sturlæus filium ſuum Jonem Murtum ad Comitem Skulium ex pacto obſidem mittit, à qvo ille perbenignè exceptus eſt; nihil autem apud Principes proceresqꝫ patriæ ſuæ in mutando publico ſtatu, regnoqve Norvegiæ ſubjiciendo, proficiebat: neqꝫ multus in eo erat, ſive qvod occaſione idoneâ viribusqꝫ deſtitutus rem palam aggredi

gredi non auderet, sive qvod mutationem illam sibi ipsi periculosam, patriæ in primis damnosam, è longinqvo prospiceret; pacem tamen Norvegis fidam, comerciorumqꝫ securitatem procuravit. Eodem qvoqve annô Loptus Episcopi Pauli filius, ob cœdem Biorni exulare jussus, uná cum filiis Sæmundi Oddensis, qvi Norvegis olim infestus fuerat, in Norvegiam venit, Regemqꝫ Bergis comorantem uná cum Haraldo Sæmundi filio accedit, comiterqꝫ excipitur. Die qvodam cùm Rex sub prandium pollubrô manus ablueret, vir qvidam, nomine Eiricus, Juvenis dictus, præceps in cænaculum irruit, manuqve securem gerens gravi ictu cervicem Haraldi Sæmundi filii ferit; qvi subitò ad pedes Regis prostratus est. Eâdem velocitate egressum, qvi comprehenderent, emissi à Rege, qvi propero cursu ad vallem molarem hominem asseqvuntur, protinusqve occidunt. Haraldus autem ex vulnere convaluit. Causa facinoris ferebatur, qvòd Eirici hujus fratrem Sæmundus pater Haraldi Eyris inter cæteros Norvegos spoliâsset.

Ipso hoc tempore milites Vegardi Veradali ex Halogia Regem accedentes, cæsum eum ab Andrea Skialdarbande Regis propinqvo nunciant, virum Regi intimè carum. Causam Regi exqvirenti, *nullam ei culpam objectam* respondent; *ambos enim in provinciâ Hyne resedisse, Andream in prædio Hofne, Vegardum paulò superius. Huncque cùm Andream quodam die accedens, ad prandium vel cœnam invitâsset, obtento ejus consensu, misisse ministros suos ad apparanda, quæ requirerentur. Andream interea petivisse, ut domum, ubi census è Finnmarkia servabatur, ingrederetur, observaretque, an res ibi satis se haberent, nec corrumperentur; quod dum faceret, præ demissiore quâdam tabulâ galeam sibi detraxisse, dumque introspiceret, à duobus Andreæ famulis Botolpho Limo & alio,* (cujus nomen non extat) *ad necem usque vulneratum.* Majorem in modum Rex ad tam tristem nuncium indoluit, duobus fidelissimis amicis se orbatum qvestus: facilè tamen cognovit, cujus instinctu factum esset. Itaqve ad Comitem Rex se conferens, ei, qvid audiverit, refert; qvi paucis tum ad ea respondit, unde tamen facilè constaret, ipsi non displicere, si Andreas jure talionis occideretur, apparuitqve occultis ejus artibus cædem patratam, qvo Regem fidissimis ministris spoliaret. Rex advocatis consiliariis reqvirit, qvid faciendum videatur? Responsum, *Andream ab officio removendum, non autem necandum, licèt id promeruerit, ne de utriusque cæde gaudere is posset, qvi utriusque vitæ insidias struxerat.* Paulo post Andreas novâ viginti scalmorum nave â rebus omnibus bene instructâ ad urbem pervenit, ipsumq; tum facti adeo indigni graviter poenituit; jam enim, in qvos incidisset laqveos, perspiciebat. Rex remissâ severiore pænâ, præfecturâ eum amovit, in qvam Ivarem Utvikem reposuit, partem autem præfecturæ suam Comes ei per hyemem administrandam permisit.

Procedente autumno, Arnbiornus Jonis filius, Hallvardus Brattius, Lodinus Gunnii filius, pluresqve alii ex Vika Regem adeuntes, vires Ribbungorum valdè ibi increscere nuntiabant. Citatô itaqve itinere, Rex nave viginti scalmorum, qvam Ivar Nef exstrui curaverat, Comes nave Episcopi, eò navigant. Agdis transmissis, cognoscunt non procul ab eorum statione qvasdam cohortes Ribbungorum viciniam infestare; ê navibus ergo suis delectos milites levioribus imponunt. Hi partem eorum occidunt, alios fugant, villam diripiunt, spoliisqve navi impositis ad classem renavigaturi, procelloso cælo in fluctus scopulis interceptos atq; collisos incidunt, ubi naufragio facto multi pereunt, inq; his qvidam ex senioribus

nioribus Betulopedibus, natus in Hialtlandia, cujus nomen Slitandius memoratur; qvi verò evaserunt, boum cadaveribus innatantes fluctuum impulsu ad terram ferebantur. Eodem die Rex Grenmarem usqve navigavit; cum intra Nesias exorta â latere gravis tempestas navibus tantum æqvæ ingessit, ut in magno essent periculo, inqve sentinâ exhauriendâ in prorâ pariter ac puppi multi fatigarentur. Regis autem, Comitis & Arnbiorni naves, qvod reliqvis majores essent, inoffensum cursum tenebant, cæteris omnibus in varias partes convulsis. Hereyas (Ryas habet Gullinskinna,) appulsi cognoscunt Sigurdum Ribbungum & Benium in Raumarikia magnis cum copiis, cohortts verò alias in australibus Vikæ partibus considere. Placuit itaqve, ut Comes partes illas, sicubi locus daretur eos perseqvendi, lustraret.

Rex post hæc cum iis, qvas secum habebat, turmis Tunsbergæ subsistebat. Erat vir qvidam, nomine Gunnar Asæ filius, veterum Baglorum unus, infensissimus autem Betulopedibus, qvi tamen antea dedentibus se Baglis in satellitium Regis receptus erat. Hic cum honores, qvos sibi pollicebatur, non asseqveretur, Ribbungis se associavit, magnæqve cohorti præfectus, magna qvoqve præmia consecutus, in damnis Betulopedibus inferendis omnium strenuissimum se exhibuit. Comes autem in orientem iter instituens, cognovit eum cum duabus aliis cohortibus in provinciâ, qvæ Vittaberat appellatur, consistere. Intempestâ itaqve nocte eum adortus in loco, qvi dicitur Apaldasetr domo circumsessâ inclusit: pauci inde egressum tentantes mox concisi sunt; Gunnar autem, &, qvæ eum secuta est, magna cohors, defensioni se parabant; ibi Amundius Akafur/ sev Strenuus, Comitis vexillarius, gutture trajecto concidit. Post acre certamen, Ribbungis se fortitèr defendentibus, Gunnar cum nonaginta aliis cæsus est. De his extant duo *Snorrii Sturlæi* versus, ex poemate, qvod *clavem carminum* inscripsit, deprompti.

Post hanc victoriam Comes Tunsbergam reversus Regem adit, placuitq; ut in Vika porrò ad propulsandam vim Ribbungorum remaneret. Rex Bergas profectus, appetente festo Christo natali hyemem ibi traduxit, qvæ anni regni ejus qvinta erat. Paulo post Comiti relatum est, Gudolfum Blackum (qvi alias â prædio de Blackastadis appellatur) magnis copiis provinciam Osloensem variis loris carpere, dies in urbe, noctes in vicis provinciæ exigendo. Lembis itaqve aliqvot Comes Hofudeyam petit; ibi certior factus, in prædio Forse, ubi Monachorum villa erat, non procul ab urbe eum pernoctare, primo mane dubiâ adhuc luce villam militibus cingit; ipse Gudolfus septuaginta ex suis amissis ægrè evasit. Sæpe eadem hyeme Comitem eos adortum multos occidisse, *Snorrius Sturlæus*, versu ex oda in honorem Comites concinnatâ, qvæ adhuc superstes, testatur. Eâ tempestate Gunnbiornus & Thorgeir Episcopi affinis Hadalandiæ præfecti sunt, tantâqve industriâ & alacritate cives turmatim in Ribbungos concitarunt, ut facilé singulos hostium conatus everterent. Sigurdus autem Ribbungus alios Hatalandiæ satrapas constituit, Bergthorem nempe Lockum & Eysteinum Ringum, navesqve ex Drotne (hodie Dramen) in lacum Thyriam, inde in stagnum Rondem, deduci fecit. Verum præfecti Betulopedum obviam iis procedentes, ad litora Leinas dicta manus cum iis conserebant, aliqvantâ suorum in primo congressu clade, qvæ deinde in Ribbungos versa est; hi nempe ducentis qvadraginta in pugna amissis, ipsoqve duce Sigurdo in fugam conjecto, navibus omnibus exuebantur. Dispersi Inde rustici ac negligentiores facti, tanqvam jam debellatum esset, omnia remissius agebant, nec proprias domus navesve præ-

præsidiô amplius sepserunt. Qvô cognitô, Sigurdus Ribbungus collectis viribus in Hadalandiam rursum movens, Satrapam Jonem Kuz in prædio Hlunnis ex improviso oppressit. Mox rusticos in gratiam receptos magnâ mulctavit pecuniâ, insulæqve Thyris qvadrantem occupavit; inde obsidibus agricolis imperatis, provinciis rectores imposuit; redactis qvoqꝫ in deditionem Thelamarkensibus & Veradalensibus. His cognitis, Heidmarkenses, qvi aliàs Heinir, cœteriqve Hadalandiæ incolæ, qvi & Hadar appellantur, periculô eorum cautiores, sibi qvàm optimè consulebant, præsidiô provinciam munientes, ne Ribbungorum insultibus paterent. Sed nec his contenti in Raumarikia ipsos persecuti, magnis cladibus affecerunt: multaqve tum incidisse mutuis cladibus infesta memorantur.

Post festum Purificationis Comes certior factus est, Ribbungos occidentalem Osleyensis præfecturæ partem insidere. Eiricum igitur Sitizem (aliis Sirizem) præfectumqꝫ Osleiæ Andream Stangarfiliam cum suis turmis in eos immisit. Ad locum Svans concursum, pede cominus collato, adeò ut vexillarii sibi invicem occurrerent; tum ex Ribbungis Herbiornus in Betulopedum potestatem venit, alterqꝫ Astius, qvi vexillarius ipsius fuerat, occiditur; aliqvot, qvi supererant, turmis effusè fugientibus; Betulopedes autem ad Comitem profecti captivum Herbiornum ducebant; qvi exinde aulicorum ejus numero inscriptus est.

Proximo vere festô jejunii Rex septem navibus, comitibus Dagfinno Bondio, Bardo Brimsteino, & Hakone Kausio, in Thrandiam profectus, festum resurrectionis Leirgulæ celebravit, qvartâqꝫ feriâ tempestate sævâ Stadas prætervecti, tertio inde die ad Agdanesiam, ventô adeò sæviente, ut vela qvoqve excuterentur, pervenerunt. Aliis tum diversis locis naves ad promontorium applicantibus, ipse Rex cœteris exclusus amnem ingressus est, nec figendi navem facultas præ imensâ tempestate suppetebat. Illisam arenæ urbani cives vix ac ne vix qvidem anchoris alligabant. Tum verò Archiepiscopus Guttormus, omni honorum observantiæqꝫ genere Regem venerabundus excepit, sæpèqve cum eo sermones habuit. Inter alia tum Rex qvæsivit ab Archiepiscopo, cur se juvenem, sed Regem tamen, debito honore afficere dedignatus fuisset? Is aliorum id instinctu imperioqve, qvàm suâ voluntate, factum respondit, causamqve omnem & ordinem rei aperuit; promittens qvoqve se primâ æstate Bergas profecturum, ibiqve defectum illum majore veneratione compensaturum. Rex deinde Gregorium Jonis filium universæ Thrandiæ præposuit, turbarum metu, qvæ adhuc in Uplandis erant; sub exitum autem veris Bergas navigans æstatem ibi exegit.

CAP. X

RIBBUNGORUM CUM BETULOPEDIBUS CONGRESSUS: GUDMUNDUS ISLANDIÆ EPISCOPUS AD REGEM VENIT. COMES SKULIUS CENSUM REGIUM AD SE TRANSFERT. ANDREÆ SKIALDARBANDIS ET IVARIS UTVIKIS IN BIARMIAM ITER: AUGMUNDI DE SPANGHEIMO PEREGRINATIO.

Residebat hôc tempore Tunsbergæ Comes Skulius: Arnbiornus Jonis filius tractum finus ad orientem tuebatur. Ribbungi verò in continente cunctis formidabiles, vim magnam navium in provinciam Eyensem imiserunt; cùmqꝫ Betulopedes nuper lacum majorem Miorsem per duces Haraldum Stangar-

garsiliam, Olafum Mokē, Fridericum Slāssium, & Thorgeirem Episcopi affinem, magnis copiis occupâssent, Ribbungi idem stagnum navibus invaserunt, ubiqve stationes Betulopedum perqvirentes, ipso Rege Sigurdo, multis tribunis comitato, expeditionis duce. Itaq; in insula Ikornaholmo congressi sunt, conflictu certè acri, Ribbungis numero superioribus, impigrèq; pugnantibus; qvorum impetum fortiter sustinentes Betulopedes, tandem victores discesserunt. Cæsi ex Ribbungis plus centum (circiter CC. habet *Danica Editio*) hi qvoqve tribuni, Styr presbyter, Arnulfus de Folafellio (aliis Folavellio) Audunus Austansior, & Thorbiornus Rygus. Pauci ex Betulopedibus desiderabantur: Sigurdus ipse in Thotniam, indeqve in montem, fugâ se proripuit.

Eâdem, qvâ hæc geruntur, æstate, Arnbiornus Jonis filius per eos, qvos exploratum emiserat, cognovit, Benium, nunc primò novo cognomine Skinnknifum appellatum, turmis aliqvot Raumarikiam vicinis ab omni parte infestum insedisse. Helgium igitur Fleckhunem, seu Fledkonē, cum promtissimis militibus eò misit, qvi ad lacum Eyensem illum assecuti adeò terruerunt, ut ad naves subitò fugam capesseret; has verò Betulopedes ante occupatas fortiter detinuerunt. Cumq; Benius plurimis suorum occisis in aqvas se conjecisset, diuq; hinc illinc sub carinis latens urinando qværentium industriam fefellisset; tandem deprehensus est ignobili morte peremtus.

Interea Rex Hacon Bergis partem æstatis degebat, magnum hîc Satraparum ex provinciis aqvilonaribus & Gulensibus numerum circa se habens; cognitô autem Uplandarum statu, Ribbungorum injuriis obnoxio, iter in Vikam apparabat; retractus deinde nunciis Gregorii Jonis filii circa festum Visitationis B. Virginis ad se delatis, qvi Ribbungos superato monte Thrandiæ iminere referentes auxilium Regis implorabant, cunctis tubæ signô convocatis, se in aqvilonem moturum pronunciat. Singulis se Regem secuturos alacriter professis, Gregorio Jonis filio & Ivari Nefi per nuncios mandat, uti se ipsis jungant; qvibus necessaria approperantibus, Rex feria qvintâ triginta qvinq; navibus portu solvit. In itinere, cùm sinum intrâsset Sognensem, obviam habuit navem Islandicam, qvâ vehebatur Islandorum Episcopus Gudmundus; hic tum multa rerum in Islandia gestarum Regi narravit, ut præcedente hyeme Sigvatus Sturlæus in insula Grimseya cum ministris Episcopi conflixerit; superioris verò anni hyeme Tumius Sigvati filius ab Episcopi satellitibus Holis cæsus est. Decreverat Rex sinum Aleyensem transmittere, cùm levi navigio nuncius â Gregorio missus refert Ribbungos, transmisso monte, ingentibus copiis in Veradalum descendisse, magna ubiq; damna, præcipuè villæ Ivaris de Herudalo (aliis Berudalo) inferentes, qvod ubi in Gaulardalum relatum est, omnes telo belli indice pro more exciti ad arma concurrunt. Territi hôc Ribbungi montem transierunt; cùmqve metuendum esset, ne Raumsdalum qvoq; invaderent, Rex Leirgulam navigans Mæris deinde substitit, ab impetu Ribbungorum provincias defensurus, donec certâ relatione cognovit, eos ad Eystridalos conversos. Tum demum verso itinere, paulò post festum Michaelis Archangeli Bergas rediit, dimissisq; Satrapis, qvæ ad sustentationem hybernam reqvirebantur, acqviri mandavit.

Hac æstate Comes ex Agdia censum omnem Regium, & qvæ in commeatus expendebantur, exegerat; igitur ex aqvilonari parte aliqvid, nihil verò ex australi, Regi redditum. Convocatis itaqve consiliariis Rex graviter apud eos de hac injuria qveritur. Facilè constabat, Comitem tri-

entem ſuum ſupra pacta extendiſſe, cum univerſam Vikam Uplandasqve â Gautelfa Rogiam uſqve poſceret, cum tamen Comes Eiricus, Regis Sverreris frater, & Philippus Baglorum Rex tractu a Svinaſunda Rogiam usqve, ut et alii inter eos Principes, contenti fuſſent. Miſit ergo Rex literas nunciosqve ad Comitem, qvibus ſignificabat, novam illam ditionis amplificationem ſibi admodum diſplicere: ni cæptis Comes deſiſteret, non illi ſolis cum Ribbungis rem poſtmodum futuram.

Æſtate eâdem Andreas Skialdarband & Ivar Utvik qvatuor navibus Biarmiam invaſerunt. Cauſa motuum erat, qvod navis cujusdam, qvæ ad Haleyenſes pertinebat, vectores omnes Rex Biarmorum interveniente diſſidio occidiſſet, dum in Biarmam mercatum paucis ante annis profecti duabus navibus eſſent præcipuæ dignitatis viri Andreas de Sannmælingis *codici Flat:* (*Editioni Danicæ* Siomælingum, Gullinskinnæ Smælingum) & Svenus Sigurdi (*Gullinskinnæ* Sigridis filus) Augmundus de Spannheimio (aliis Spangheimio) compluresqve alii; qvorum priores duo eodem autumno domum repetebant; remanebant autem Helgius Bograni filius cum ſuis nautis & Augmundus de Spangheimio, qvi tamen & ipſe ejusdem anni autumno ad Sydridalos orientem verſus cum famulis & comitatu omni conceſſerat. Sed cognita ſociorum ſuorum clade, Holmgardum (Ruſsiæ metropolim) profectus, inde ad Pontum Evxinum, nec prius deſtitit, qvàm luſtratâ Hieroſolymâ in patriam Norvegiam magna cum gloria & celebri peregrinationis fama reverſus eſſet. Andreas & Ivar cladem memoratam ulturi, Biarmiam cædibus & rapinis vaſtarunt, magnis opibus argenti ſignati & pretioſâ pellium muſtellarum copiâ ditati, in reditu ad promontorium Straumsneskinnas in æſtuoſum verticem incidentes vix tribus cum navibus evaſerunt, qvarta qva vectus Ivar in labatus, impulſa magna vi aqvæ abſorpta tota tandem ſub vortice invertebatur. Extractum tamen vivum Ivarem Jogrimus qvidem ſecum in carinam traxit, tertius etiam eò eluctatus eſt, nomine Helgius; miſſa tum â Thorbergo ſcapha prora vel puppi privabatur; in eam tamen Iogrimus Ivarem impoſuit. Et jam ſocium ille ſuum Thorſteinum deſiderabat. In verticem itaqve rurſus proſiliens dum retrahere ſocium nititur, ipſe magno animo fortiqve conatu occumbit; ſicqve omnes præter Ivarem & alterum, qvi ſcapham conſcendit, perierunt. Magna pecuniæ jactura hoc naufragio facta eſt. At Andreas in Halogiam ſalvus hoc ipſo autumno pervenit, nec qvisqvam ex illo tempore Biarmiam adiiſſe in annalibus legitur.

CAP. XI.

COMES RIBBUNGOS AD NECEM QVÆRIT; EORUM FUGA. FILIORUM TOBBÆ CÆDES: SIGURDUS RIBBUNGUS CUM COMITE DE PACE AGIT, ET REGIUM NOMEN DEPONIT. COMES IN DANIAM PROFICISCITUR.

INterea Comes Skulius magnis cum copiis commeatuqve in Vikâ reſidebat. Tractum ad orientem Arnbiornus valido præſidio tuebatur, nec jam amplius ibi Ribbungis tutum erat. Lacus Miors præfectorum præſidiô defenſus eſt; Ribbungi autem in diverſa ſparſi varia loca carpendo & circumeundo, Hadalandiam qvoqꝫ ingreſſi ſunt. Ipſe Sigurdus inſulâ Fro,

Frodung, (qvæ lacu Rönde continetur) insidebat; qvod statim atq; accepit Comes, fluvium Drofnem intrat navibus aliqvot minoribus, prætoriaqve viginti sex scalmorum, omnes in lacum Thyr, inde in Rondem immissurus. Verum cum ad Drofnem pervenisset, unde naves educturus erat, affluunt eò Ribbungorum cohortes, jaculisqve eum aliqvantisper impetunt. Tandem verò fugâ in Markas rejecti periculo se subduxerunt. Comes Tunsbergam repetit, pauloqve post in Vikam orientalem ad investigandos hostes conversus, mittit in eos Simonem Kyrem, Thordum Draflium & Thorfinnum Malum in Tobbæ filios, qvi provinciam ad Gautelfam regebant, neq; improspero successu; nam ad Hlisseyam deprehensos omnes occiderunt.

Magna tunc ad orientem sinus Ribbungorum potentia erat, nam propemodum mille & septingenti Sigurdo militabant, provinciamqve Borgensem ab illo constituti Heriolfus Dyrdill, & Eyolfus Dregill, gubernabant, qvi cum Arnbiorno manus conserebant majore semper suorum damno. Comitem tres hyemes in Vika exegisse multaqve inter Betulopedes & Ribbungos prælia gesta, qvæ singula in literis non habemus, consentientes tradunt *Cod: Flat:* & *Editio* Danica. Verum hæc de continua Comitis mansione aut hybernis in iis regni partibus non prædicari, certum est; id qvod captivitas Regis Daniæ Valdimari pluribus refellit, in anni 1223 sextum diem Maii incidens; qvo tempore deditionẽ Sigurdus Ribbungus fecit, ut mox patebit. At verò Tunsbergæ Skulius tempore sat longò substitit; paulo post de Ribbungorum rebus certior factus, inter contubernales sortem mitti jussit, secundum qvam delectum agendum eorum voluit, qvi adversus illos mitterentur. Thorer Flik & Jatgeir poeta contubernales erant; sorte Iatgeir in expeditionem missus. Ad montem Kyrfiall pugna aliqvanto Ribbungorum damno pugnata est; qvorum qvidam cæsi, qvidam in fugam conjecti. Extat versus, qvo sciscitanti contubernali eventum prælii Jatgeir exposuit. Certè industria Comitis in delendâ istâ factione multis meritò commendatur; semper enim in promtu habebat, qvi ipsos aggrederentur, qvoties de mansionibus eorum aliqvid comperisset; missis etiam ad Nicolaum Episcopum nunciis consilia opemqve ejus ad debellandos seditiosos postulabat. Is autem concubinam Gudolfi, nomine Asam Blackam, subornabat, qvæ pacem â Betulopedibus petendam svaderet. Seqvente itaq; verno tempore Sigurdus Ribbungus per nuncios â Comite cæpit exqvirere, qvales ipsi pacis conditiones præscribere vellet, si deditione facta bello in posterum abstineret. Placidè primo Comes ad ea respondit, (*Codex* tamen *Flat*: eum primo abnuisse tradit) mox qvæ posceret, edicere jussit; ut vero trientem Norvegiæ filiamq; suam in uxorẽ expeti cognovit, in potestate Regis esse ait, suæ partis qvantum conveniret ei concedere: *meo vero*, inqvit, *trienti nihil prorsus decidi permittam; sed nec filiam viro sine Lare in exlium qvasi saltibus sylvisqve percurrendis collocare in animo est; id tantum spondeo, si meæ se potestati permittat, incolumem cum universo comitatu dimittendum; annitar præterea, ut Regem securus adire colloquiumque cum illo instituere possit, ubi de divisione regni, deque honoribus, qvos desiderat, tuto agat; neq; & in hoc fraudi ero, quin potius id agam, ut â Rege, si non in totum, saltem aliqvâ ex parte, ipsi satisfiat. Jamque penes eum erit sive bellum continuare, sive in has descendere conditiones malit.*

His auditis Ribbungi, qvi tum forte comitia habuerunt, conditiones primùm duriores qvam spes promiserat, qvesti sunt. Cum tamen nec in Vika nec Uplandis certas haberent sedes, neqve in aqvilomarem tractum, ubi

ubi Rex residebat, sine summo periculo transcursus daretur, deditio placuit. Adiit itaqve Sigurdus securitate pactâ Comitem, depositoqve nomine Regio, se factionemqve universam ei dedidit, amicitiam ejus commendationemqve apud Regem pactus. Ea vero victoria, qvam sine justô bello de tam validis hostibus Comes reportavit, ingentem ipsi gloriam reportavit, reductæqve in universum regnum pacis laudem ubiqve, maximè tamen apud Vikenses peperit. Hoc eodem vere, qvo Sigurdus apud Comitem detinebatur, hic tredecim navibus Kaupmannahaufnem (Hafniam) legitur navigâsse; qvo tempore Comes Henricus Zverensis Regem Valdimarum sexto Maji captum regno expulit; qvo cognito, Comes non ulterius moratus domum remeavit.

CAP. XII.

NOVA DE POSSESSIONE REGNI LIS DISCEPTATUR. REGNUM HACONI ADJUDICATUR.

DUm hæc aguntur, Rex Hacon Bergis commorabatur, annum regni sui sextum auspicatus; jamqve ab ipso & Comite, reductâ feliciter pace, per intermeantes nuncios in æstatem comitia Bergis indicta sunt; qvò optimates omnesqꝫ Principum per universum regnum tam Ecclesiasticorum qvàm politicorũ ordines evocabantur. Multi tum temporis regni hæreditatem sibi vendicare ausi, jure se potiores ipso Rege Hacone, regnoqꝫ administrando aptiores existimabant. Qvòd verò Rex tenerâ esset ætate, regnumqve jam diu alii insedissent, multi concordes dubitabant, cui potissimum servire vellent. Erant & multi qvi inveterato in Regem Sverrerem odiô totius ejus prosapiæ interitum sitiebant, in primis qvi potentiâ cœteris præstabant; vulgus tamen hominum in singulis regni partibus Regem unicè colebat. Comitia ad pervigilium Olafi instituta sunt Bergis, ubi tum Rex ipse & Episcopus Havardus degebant; accesserunt autem Henricus Episcopus Stafangriensis & Sorqver Færeyensis, docti qvoqve viri Nicolaus Archidiaconus & Sigurdus Abbas; Satrapæ Paulus Flida & Petrus ejus filius, Bryniolfus Knuti filius, Ion Stal, Gautius de Melo & Ivar Nef: ex Orcadibus Comes Ion & Biarnius seu Bernhardus Episcopus. Ex Hialtlanda Gregorius Kikus: judices item provinciarum supremi, ut ex Gulathingensi Dagfinnus Bondius & Amundius Remba; rustici qvoqve è singulis provinciis sapientissimi, Abbates omnes, singuliq; provinciarum administratores. Ex Thrandia eò venerunt Archiepiscopus Guttormus, Svenus Prior de cænobio Helgisetro, Asgautus Abbas de Holmo, Sigurdus Abbas de Tautra, Magister Biarnus, Petrus de Husastadis, Eysteinus Dispensator, satrapæ Gregorius Ionis filius, Paulus Vaskalm, Asolfus de Austratt, judices supremi Gunnar Grionbakus, Biarnius Mordi filius, Thorsteinus Asmundi filius. Ex Vika aderant Comes Skulius, Arnbiornus Ionis filius, Lodinus Gunnii filius, Lodinus Pauli filius, Simon Kyr, Hallvardus Brattius, Gunnbiornus Ionis frater, Kolbiornus Rufus & Haraldus Vesetius. Plurimi horum Comiti persvadere studebant, justum eum fratris sui Regis Ingii, adeoq; regni, hæredem esse. Etiam præter memoratos accesserunt, Nicolaus Episcopus Osleiensis,

Ascatinus Abbas de Hofudeya, Ormus Abbas Tunsbergensis; hi qvoqve præpositi, Ivar Gæslingus de Osleya, Jofreir de Tunsberga, Amundius de Grenlandia Norica, Olafus de Kongahella, Thorgeir Archidiaconus de Uplandis, Magister Thorleifus, Præpositus Bardus. Hi provinciarum præfecti: Olafus Mokus, Haraldus Stangarfilia, Aslacus, Thorgeir Episcopi affinis, Havardus de Sandbue, Fridricus Slaffius, Endridius Bekill & Eylifus Keikus. Non aliàs eorum, qvi tunc vixerunt, memoriâ, tantâ optimatum freqventiâ in Norvegia comitia celebrata sunt; nam sæpius qvidem inter Principes congressûs fuerant, sæpius qvoq; ipsis solennes cum consiliariis suis deliberationes.

A consiliis Regi tum temporis præter satrapas erant Martinus de Kinnarvika, Sigurdus de Unnarheimo, Askell ejus capellanus, seu symmysta, qvi deinde Episcopus factus est, & Ivar Böddius. Hi Regis nomine Archiepisco indicabant, locum comitiis destinatum [palatium] nempe ligneum, ubi proceres omnes, satrapæ & provinciarum judices ad diem dominicam, qvæ festum Ascensionis Divæ Virginis proximè seqveretur, comparerent. Cumqve accessissent illi, & aliqvantisper consedissent, Rex Archiepiscopum his verbis affatus est. *Nôsti, Domine Archiepiscope, vosqve cæteri Episcopi, aliiqve boni viri, qvi hic jam congregati estis, esse hic qvosdam, qvi de jure hæreditario regni Norvegici mecum contendant, ego vero regnum hocce meum patrimonium jure semper existimavi, meqve ejus hæredem allodialem, sev primus possessor a prisca memoria repetatur, seu postremus consideretur. Cum vero ad comitia hæc totius regni sapientissimi viri præstantissimiqve accesserint, par est, ut consiliis tu salubrioribus iis præeas, sententiamque tuam edicas justissimam; a Deo enim hominibusqve constitutum te esse ad judicia inter homines sine ullius metu aut gratia personarumve discrimine edicenda agnoscimus. Etenim tu hanc causam, singulorumque, qvi regnum jam sibi vindicant jura probè nosti.* Ad hæc ita Archiepiscopus: *Vere dixisti, Domine Rex, nos ad dirimendas justis judiciis hominum lites constitutos esse, id qvod & Deum exigere scimus: nec nos aliud, qvantum possumus, unqvam studebimus. Audivimus qvidam multos, qvi se hæredes regni Norvegiæ ferunt; nec nobis eorum, qvæ jactant, jura ignota. Deo itaqve duce, præsentiumqve optimatum consiliis fretus, sententiam edicam justissimam, idemq; ut omnes faciant, qvi hic adsunt, Divina authoritate monitos volo. Tu jam, ô Rex, regnum Norvegiæ tenes, magno amicorum tuorum & omnium sapientium virorum consensu, hæredemqve ejus te post patris tui mortem statuis, idqve jure ab antiqvissima memoria primoqve possessore per ordinem succesionis ad te demisso, nec unqvam interventu sexus fœminei interrupto: habesqve, ut existimo, sententiæ tuæ assertores aqvilonarium provinciarum qvam plurimos. Ex oriente qvidem Comes Skulius splendido cum comitatu huc profectus hæredem se fratris sui Regis Ingii profitetur; nec illius sententia suis caret fautoribus. Adest & Guttormus Regis Ingii filius, regnumqve, qvod pater tenuit, postulat. Sed & Sigurdus Ribbungus avi sui Magni Erlingi filii hæredem se gerit, regnumqve repeti[t]. Adsunt legati Domini Knuti, Comitis Haconis filii, qvi ipsum ex legitimo conjugio natum ad paternam hæreditatem haut immeritò adspirare contendunt; nec est, qvi eum Comitis hæredem neget esse; verum præter jus istud, qvod venditat, pacta quoque producit in publico Eyrensium foro cum consensu Archiepiscopi Thoreris, aliorumque Episcoporum inter Regem Ingium & patrem suum sancita; qvibus ad successionem regni & utriusque patrimonii superstes alterutrius filius legitimus vocatur. Omnes igitur & singulos, qvi in hoc consessu sententias ferent, satrapas & judices, Ecclesiasticos & seculares, ut nil nisi veri-*

veritati consentaneum conscientiâ illibata pronuncient, iterum atque iterum moneo. Nos, quamvis probè noscamus, quis jure potissimus sit, aliorum tamen sententias lubentes audiemus.

Inde Comes Skulius: *Verè*, inqvit, *Domine Archiepiscope, nôsti me fratrem esse Regis Ingii consanguineum, & ex legitimo conjugio natum, atque ideo ejus hæredem secundum leges, quas Norvegis olim tulit S Olafus.* Statim Rex eum interpellans; *certe quidem*, inqvit, *& jure hæres tu haberis Regis Ingii, & successor in omnia ea bona, quæ is frater tuus vivus jure hæreditatis tenuit, non autem in regnum Norvegiæ, quod ipse tutoris nomine, tum demum, cum ego adolevissem, mihi restituendum, administravit.* Certe, inqvit Comes, *successionis jure ad me devoluta sunt singula, quæ justè ille consecutus est. Examinet igitur hodie*, ait Rex, *bonorum virorum, qui frequentes hic adsunt, confessus, an hæreditate paternâ regnum Norvegicum illi cesserit, an tutor potius regni me puero ab optimatibus constitutus fuerit.* Archiepiscopus animadvertens, contentionis ardorem verbaqve ad iram prorumpere, petiit ut his abstinerent, neqve enim se ortas inter illos rixas libenter auditurum; itaqve interponentibus se amicis destiterunt. Mox exsurgens Jón Stal: *Certè nos*, inqvit, *veteres Betulopedes, cum labores ingentes pro Sverrere in regnum inducendo magno sudore sanguineque exantlaremus, nunquam hanc quæstionem de regni jure, quæ nunc magna contentione agitatur, motam iri existimavimus. Ad asserendum enim patrimonium ei ejusque posteris tot ac tanta tum pericula subivimus. Non tamen omnino mirandum Comitem Skulium regnum affectare: audivimus enim supremarum curiarum judices quosdam, qui jam intra hos parietes præsentes sunt, palam ei suggessisse, post obitum Regis Ingii ipsum verum esse Norvegiæ hæredem. Te verò, Amundi Remba, & te, Eysteine Roij fili, qui in scamno sedetis, intelligo.* Celeriter itaqve erecto corpore Amundius: *Ubi*, inqvit, *terrarum fueris, Jon Stal, cum hæc tibi dicerem, vel quis ille sit, qui hæc ex me audivit, indicare te velim.* Eysteinus qvoqve exsurgens negabat se hæc unqvam locutum esse. Tunc Arnbiornus Jonis filius *fieri potuisse*, respondit, *ut judices metu forte præpediti, aut inter pocula & conviviorum illecebras, liberiore lingvâ usi, præsertim si etiam munera intervenerint, quam secundum edicta legum Sancti Olafi, enunciaverint.* Hinc Rex, *denuò oratione cæptâ*, sic fatur: *Aliâ verò ratione hanc causam examinabimus; itaq; primum sententiam rogabimus supremū è Thrandia judicem, quærendo ab eo, quâ parte solium sedemque Regiam jure constitutā putet; etenim is jam ætate omnes hujus regni judices superat, quippe constitutus legum custos tempore Regis Sverreris & Archiepiscopi Eysteini, nec unquam dolo malo, aut in gratiam ullius civis jura pervertisse deprehensus, merito ab omnibus vir civium Norvegiæ habetur sapientissimus. Tu itaque Gunnar, quandoquidem te appellavimus, hic jam litem illam de regno, secundum conscientiam tuam, tanquam in conspectu Dei, prolata in publicum sententia, decide.*

Tardius ad ea, tandem tamen his verbis respondit Gunnar: *A me, Rex, requiris, ut apud vos Principes de regno, utri competat, sententiam dicam, nimiæ id molis opus rustici filio, indigno nimium ineptoq; ad tantas dispensandas opes, alteri vestrum addicendas, alteri auferendas, duco. Trepidus certe ego (quod & pluribus forte in tanta causa eveniet) nec sine horrore tantam rem aggredior; cum enim Rex Sverrir hanc mihi olim provinciam imponeret, sententias apud rusticos, non verò apud Principes, ferre me jussit, quod posterius, præsertim in earum præsentia, quorum interest, maximè periculosum. Audivi modò judices verba sibi imputata negâsse; cum itaque plurimi vim potestatemque*

que metuant, nec me temere tantis periculis implicabo. Cum autem causa tam gravis captum rusticorum plurimorum superet, alios quoque studiô partium à justa sententiæ pronunciatione abstrahant, eum judicem deligamus, qui veritatem novit, veritatemqve profitetur, sine auditorum discrimine ac respectu, sive illi potentes sive invalidi sint; nec ulli obnoxius metui iras & odia insuper habet; is est codex legum Sancti Olafi, mandato ipsius in usum totius Norvegiæ conscriptus, qvem omnes Norvegi, quotquot justitiam amant, in hunc usque diem seqvuntur; illius sententia si mihi primum expromenda, non aliter mentem ejus capio, quàm ut Rex Hacon ex omnibus iis, qvi hodie litem de regno movent solus Norvegiæ hæres jure natalium sit. Imo si hodie Rex Ingius & Comes Hacon simul viverent, regnumque tenerent, id tamen iis resignandum esse, reddendumque Haconi, si modo juris sui compos fieri deberet, pronuncio: simulqve addo, neqve Comitem Skulium sub hæreditate fratris sui Ingii, nec Dominum Knutum sub patris sui Domini Haconis hæreditate, nec Guttormum sub patris Ingii, Norvegiam, quoad vixerit Rex Hacon, complecti posse. Erlingi autem Saxomuri filio jura non dico; dicant Vikenses, qui eum patremque ejus evexerunt, sciunt & fortè, ubi patrimonium ejus quærendum: sicque de his nil amplius hac vice proferam.

Tum Rex Dagfinnum Bondium curiæ Gulathingensis supremum judicem suam depromere sententiam jubet, conscientiæ suæ coram Deo & veritati consentaneam. Is hoc modo exorsus est: *Regi Sverreri juvenis insinuatus, præliis ejus duobus interfui, qvorum unum Floruvogis contra Insulobarbos, alterum in campis Jonis cum Baglis habuit; ubi tum hanc formulam Divus Rex conflictui præmisit: Deus nos & Sancta Maria & Sanctus Olafus conservent, detq; mihi Deus victoriam secundum justitiam causæ meæ, qva ad patrimonium meum defendendum adigor, & secundum eorum iniqvitatem, qvi me oppugnant, decidat. Certò itaque scio, eum progeniemque ejus justo jure regni hujus dominos esse; pronuncio itaque, etiam coram Deo pronunciata defensurus, Regi Haconi regnum Norvegicum jure competere, quod nec ulli eorum, qui id jam postulant, cedere debet vel potest. Huic meæ sententiæ adjicio, me pro eo pugnare paratum, &, si res postulat, etiam vitam profundere.* Plurimi ejus libertatem in dicendo laudabant. Affatus deinde Amundium Rembam supremum Ryafylkiæ curiæ judicem Rex: *Cum te*, inqvit, *Amundi, insimulent alii, quod dixeris me sine jure regnum affectare, quæ coram Deo sentias, jam edic.* Tum Amundius; *multa ego certè Comiti Skulio debeo, nec quoties me convivio exceperit, numerare in promtu est: non tamen ita me potu unquam obrui sum passus, ut rationis impos libertatem veritatemque procul-carem. Deo enim teste scio, Haconem Regem verum sui patris majorumque hæredem in universam Norvegiam esse; id vero & sæpius dixi, Comitem Skulium verum Regis Ingii hæredem esse in omnia bona, qvæ is jure tenuit; verum non æqvè sincerè omnes cum Skulio egistis, ô vos Episcopi satrapæqve. Volo enim jam, cum dicenda res est, volo, inqvam, aperta facere, qvæ ei tum suggessistis, cum simul apud eum convivaremur, muneribus insuper ab eo acceptis. Magna vobis potestas, magna dignitas; nolite itaqve veritatis confessionem extimescere; vos enim eum ad regnum postulandum sæpius pluribusqve verbis incitastis, quàm qvi hodie insimulatur Amundus; & jam diu bellum Regi intulisset ille, si vestris auscultasset consiliis. Faxit Deus, ut ille Rexqve inter se quam optime concilientur, nec in præsens plura. Illud duntaxat Deum oro, ut singulis, qvi eum ad deteriora consilia qvam Amundius Remba in hac causa instigaverunt, cornu in fronte, nec illud in formam mitræ, enascatur.*

Tum Arnbiornus Jonis filius Eysteinum Roii filium hoc modo allo-

qvitur. *Eysteine alumne optimè & contubernalis; nos ambo ex veteri sumus Baglorum societate, diuqve unam tabernam incoluimus, expromamus agedum nos jam, qvæ semper præsente Comite diximus.* Eysteinus respondit: *Multos eqvidem credo coram Comite ea locutos, qvæ jam confiteri piget. Certum illud, me nec unqvam dixisse, vel illo vel te præsente, Haconem Regem jure ad regnũ Norvegiæ tenendum destitui, post mortem parentis sui, secundum sæpius allegatas Sancti Olafii leges, ab omnibus receptas.* Hinc Rex sententiam Thordi Skolli exqvirit; regio autem cui is præfuit, â Svinasunda ortum versus patebat. Qvi hoc modo respondit: *Non ideo judex appellor, qvod aliqvid legum sciam, etsi enim sæpe inter rusticos meos causas decidi, Regiarum tamen causarum parum gnarus sum, nec mei muneris esse credebam lites corũ dirimere; pater tamen meus Thordus, provincialis & ipse judex, retulit mihi se à patre suo majoribusq; accepisse, omnes Norvegiæ cives filio Regis obnoxios esse, qvandiu ille superesset; etiam certam eos pernicem manere, qvicunqve se ei opponerent.* Compellatus deinde Saxius de Haugio, judex Heidmarchiæ, ità dixisse fertur: *Ego verò Regis hujus patrem Haconem secutus fui, post cujus obitum unam eam communem vocem Episcoporum vulgiqve percepi, qva paratos se ad serviendum filio ejus, si extaret aliqvis, affirmabant; nec ego aliud in præsens pronuncio, qvam eum post mortem patris verum regni hæredem esse.* Thoreri judici australis Uplandarum partis proximus â Saxio locus datus; sic verò ille fatur: *Si vel maxime aut tam amens essem, aut tam malevolus, ut a sententia judicum horum recederem, nullum tamen verbis meis pondus inesset. Jam vero Deum testem invoco, nunqvam hac in re diversa me ab iis pronunciasse: & jam publicè declaro, ad Regem Haconem universam Norvegiam jure successionis pertinere. Enimvero incolas omnes Norvegiæ Regis filium, dum superstes est, colere & seqvi debere, Lex est perpetua regnoq; perutilis.* Post hæc ArchiepiscopusGuttormus: *Audivimus, inqvit, judicum sententias, verbis parum discrepantes, re ipsa maximopere concordes, nostræ qvoqve sententiæ consentaneas. Pronunciamus igitur, libenterqve confitemur, solum Regem Haconem post mortem patris sui jure successionis justum legitimumqve Norvegiæ hæredem esse; pacta tamen, qvæ inter eum & Comitem de divisione regni convenerunt, rata volumus: id enim ad pacem & salutem regni necessarium est, si amicitia inter eos firma maneat. Pro propinqvo verò eius Guttormo qvoqve intercedo, ut Rex eum sibi qvam commendatissimum esse velit, adqve optima qvæqve promoveat. Cæterum de Sigurdo Ribbungo nihil planè habeo hic dicendum.* Deinde Gunnar Grionbakus & Dagfinnus de negociis differebant, qvæ omnia maximam partem ad pacem & amicitiam Regem inter & Comitem tendebant. Hisq; actis, comitia solvebantur.

CAP. XIII.

DIVISIO REGNI INTER REGEM ET SKULIUM. REX IN VIKAM, COMES IN THRANDIAM TENDIT. GUTTORMI ARCHIEPISCOPI MORS. VERMORUM CUM REGE RECONCILIATIO. TUMULTUS TUNSBERGÆ EXORTUS. JON ORCADUM COMES AD REGEM ACCEDIT. TUMULTUS A SOCIIS NAUTICIS SKULII EXCITATUS.

Et

ET jam Rex Comesqve diebus ſingulis ſermones conſiliaqve conferebant; ad diviſionem autem diſputando cum ventum eſſet, Comes partem auſtralem in aqvilonem ad Sallz-ſyriam (Sallſuru Gullinskiña, Salto Siro *Editio Danica* nominat) usqve extendi voluit. Rex, etiamſi â limitibus regni verſus orientem usq; ad Ryarbit triens ejus porrigeretur, & latiorem ditionem eſſe, qvàm exemplis probari poſſet, conſtaret, pacis tamen nihilominus & ſocietatis intuitu ſe id conceſſurum pronunciavit. Deinde ſatrapæ Andreas Jonis filius, Lodinus Gunnii filius, & præſides Vikæ Regem adeunt, orantqve ut partem illam auſtralem ipſe retineat, Comiti vero Thrandiam partemq; ad aqvilonem permittat. Idem qvoq; Epiſcopus Nicolaus poſcebat, prolixè teſtatus, ſe deinceps Regi clàm ac palam amicum fidelem futurum. Cùm ergò iterum Rex Comesqve conveniſſent, partem ei Rex ſeptentrionalem Thrandiamq; offert; de finium autem diviſione cùm ageretur, Rex limites præfecturis terminari, Comitisq; trientem Sunnmæriâ, voluit. Comes ad ſinum Sognicum extendi illum poſtulabat; qvod cùm â prudentioribus animadverteretur, decem tantùm ſocietatibus nauticis, (qvas Skipreidur appellant) dimidia pars regni, qvæ Regis erat, trientem ejus ſuperare deprehenſa eſt. Tantum verò cùm Rex nollet concedere, Archiepiſcopus hoc dedit conſilii, ut iidem, qvi Epiſcoporum ditionibus, illis qvoqve limites eſſent, Comitemqve ad auxilium Regi in orientem ferendum, ſi qva vis hoſtilis ingrueret, aut qvoties id Rex poſtularet, obligavit, annitenteq; etiam Archiepiſcopo hæc literis mandata publicis, Regis, Archiepiſcopi, Comitis & ſingulorum Epiſcoporum ſigillis confirmabantur. Hisq; ità geſtis, Epiſcopi & Satrapæ domuitionem parabant. Rex ex provinciis aqvilonaribus fidiſſimos ſibi qvosqve maximèq; ſtrenuos in Vikam, ſuos item Comes amicos in Thrandiam ſecum transtulit. Rex deinde Gullbringam, ſeu aureum pectus, raræ magnitudinis navem, omnium, qvas habebat, pretioſiſſimam, in Vikam, gubernatoribus Biorno avunculo ſuo & Olafo Ingæ filio, præmiſit. Ipſe paulò poſt ſubſeqvebatur, qvem tum Sigurdus qvoqve, Ribbungorum antè Rex, ut ſe in comitatum ſuum reciperet, rogabat. Haud difficulter ejus petitis Rex annuit. At hoc animadvertens Comes, Sigurdo, ut ſibi caveret ab inſidiis, inſuſurravit. Verſo igitur itinere Comitem ſecutus eſt, qvem ſub diſceſſum Rex monuit, ſiqvidem Sigurdum apud ſe detinere decreverit, ut eum liberaliter ſuſtentaret, provideretq;, ne turbas deinde excitandi occaſionem caperet, id qvod Comes ſe facturum recepit; deinde in aqvilonem cum Satrapis ſuis copiisq; profectus eſt. Rex Tunsbergam Dominicâ primâ adventûs devenit, omnium ſtudiis & alacritate exceptus, in primis Epiſcopi Nicolai, qvi eò prior delatus ſtudioſiſſimè Regem amplexus multis muneribus honoravit. Hinc comiſſa ei à Rege pars ſeptentrionalis præfecturæ Osleyenſis regenda, navis qvoq; ſcalmorum octodecim cum armamentis univerſis dono data; nec Tunsbergâ Rex Hacon priùs qvàm triduo ante feſtum Chriſti natale movit. Primâ feſti die Laufeyis adverſis ventis detentus ſubſtitit. Miſſi tum præpoſitus Jofreir & Dagfinnus Bondius Epiſcopi, ex publico nomine eum ad convivium feſtivum invitantes. Affuturum ſe promiſit, ſi in tertiam feriam detineretur, ſed verſis ad obſeqvium ventis Osloam prius pervenit; qvò Nicolaus etiam per præpoſitum Ivarem multa Regi ſpecioſaqve munera miſit. Per idem feſtum Rex Hall-

vardum Brattium & Simonem Kyrem Satrapas creavit, hyemsq; hæc regni ejus ſeptima numeratur.

Appetente feſtô reſurrectionis Domini, Rex Osleyam profectus magnam veris partem in ædibus Thorleiki Sapientis exegit, ædificiô palati regii, ex qvo ignibus exuſtum eſt, nondum reparato. Nuncii tum à Canonicis & Comite miſſi literis obitum Archiepiſcopi Guttormi (qvem Kalendarium antiqvum in 6. Febr: refert) ſignificârunt, electumq; in ejus locum, licèt jam extra patriam degentem, Abbatem Sigurdum de Tautra: adjectæ erant preces, ut eam electionem Rex non modò conſenſu ſuo ratam habeat, ſed etiam cauſam ejus comendatitiis ad Pontificem literis promoveat. Regi ſuper his cum Epiſcopo Nicolao conſiliô comunicatô viſus eſt Sigurdus, qvi priore officio remotus erat, tanto faſtigio minus idoneus. Accedebat, qvòd minus in Regem propenſo animô fuerat. Literas igitur ei valde adverſas Rex ſimul & Epiſcopus ad Papam ſcripſerunt, comendâruntqve in Guttormi locum Petrum de Huſaſtadis, qvem in vacantem Archiepiſcopalem ſedem ſucceſſorem poſcebant, & is ipſe à Comite & Canonicis cum literis ad cauſam Sigurdi promovendam miſſus eſt; verùm prævalente comendatione regiâ, ab Honorio Tertio Romano Pontifice Archiepiſcopus declaratur.

Dum verò Sigurdus Ribbungus Norvegiam infeſtare pergeret, inq; Vermiam rebus arctioribus tanqvam caſtrum qvoddam arcemq; tutam receptus, inde reparatis viribus damna regno inferret; Rex viginti Vermorum præcipuos ad cauſam dicendam eodem vere Tunsbergam evocat: ex civibus item provincialibus accuſatores venerê, damna ab iis illata & prædam direptam repetentes; ipſi verò cauſam ſuam Regis arbitrio comiſerunt; qvi indictam qvidem pecuniæ haud exiguam mulctam mox clementer condonavit. Tactis ergò Evangeliis jurârunt Vermi, ſe Regi in poſterum fideles futuros, inimicosq; ex agris ſuis propulſaturos. Miſſis itaqve in Vermiam nunciis, Rex conventa hæc literis mandata in curiis omnibus publicari curavit, conſenſuqve ità comuni ſingula confirmata ſunt.

Eôdem vere Osloâ Tunsbergam profectus eſt, Dominicâ autem Sanctæ Trinitasis, cùm miniſtros ſuos epulis excepiſſet, repens intra aulam tumultus emiſſarios & domeſticos mercenarios (qvos Huskarla vocant) inter ſe commiſit, qvi magno Regis periculo tandem diremtus eſt, multis invicem vulneratis, qvinqve occiſis. Inde Bergas ivit, ubi ex Hæbudis ad eum devênerunt Gilla-Kriſtus (qvem Edit: Dan: Gilbertum perperam nominat) & Ottar Snækolli filius, compluresqve alii, multas ſecum de neceſſitate inſularum ſuarum literas afferentes. Advenerat & Comes Ion de Orcadibus, Regiq; tum reconciliatus eſt, lite, qvæ inter eos dudum fuerat, compoſitâ, datoqve in obſidem filio Ionis Haraldo, qvi apud Regem hâc æſtate detinebatur. Eâ qvoq; æſtate Comes Skulius in Halogiam ad nundinas Vogenſes profectus eſt, comitatus Sigurdo Ribbungo, Ivare Utvike proreta. Navem ad Kirkiuvogas appulerunt, qvam mane poſteri diei exporrectus Comes vacuam vectoribus à prora ad locum usqve ſentinæ animadvertit; cauſam qværenti reſponſum, Vogis eos congregatos plurimosqve ibi armatos conſpici. Exſiliens igitur veſtes tantùm interiores lineas indutus, gladium arripit, ingreſſumq; terram reliqvi omnes ſeqvuntur. Eò cùm exſcendiſſet, cognoſcit Bardum Fleckum & Thordum filium Eirici Preſtbagii (In presbyteros difficilis: aliud exemplar & Thordum Preſt habet: Edit: Dan: prorſus omittit) occidiſſe Arnium filium ſororis Pauli Vagaſkalmi, ſatellitem aulicum, hac de cauſâ, qvòd Arnius contubernalem ejus

Aud-

Audgrimum Agdanesium insontem interfecisset, præterea Ivarem Utvikem iis accessisse, & patrociniô causæ aulicæ in se susceptô multa minari. Advenerat & eâdem nocte Paulus Vagaskalmus, admodum ægrè cœdem propinqvi ferens. Causâ in foro judiciario postridie mane disceptatâ, Ivar satisfactionem pro cœde obtulit: cui Paulus respondit, *rectius eum navigationem suam ê Biarmia instituisse, si optimos quosque provincialium filios tutatus fuisset potius quàm perdidisset, nec ducem præbuisset se iis, qui aulicos Regis Comitisque suosque contubernales occiderent: haud verò se ejus satisfactionem admissurum.* Atq; hoc modô forum in præsens finiebatur.

CAP. XIV.

SIGURDI RIBBUNGI FUGA: IS DENUO TURBAS EXCITAT: OLAFUS MOKUS COLLECTIS VIRIBUS RIBBUNGOS LACESSIT, ET OCCIDITUR. HEINORUM IN REGEM FIDES. DE ASKELE JUDICE. HACON AD REGEM SVECIÆ PRO EXPULSIONE RIBBUNGORUM SCRIBIT: EIRICI SVECIÆ REGIS RESPONSUM. REX HACON EXPEDITIONEM IN VERMOS SUSCIPIT.

NEgotiis in Haliogia absolutis, Comes Nidarósiam redit. Occultis tum literis ex Vermia Sigurdus Ribbungus ab iis, qvi prius ei fuerant addicti, etiam ab eorum qvibusdam, qvi Regi Haconi jurejurando fidem suam obstrinxerant, evocatus monetur, ut potestate Comitis ocyùs se liberet. Præcipuus consiliariorum ejus Erlingus Romstafus, qvi prius ejus signifer fuerat. Festo Sancti Olafi summô mane â Clericis togas sacras binas accipit, qvas induti ille & Sigurdus in agros egressi, Steinbiorgas primo transmittunt, inde colle Gaularase ascensô, ibi aliqvantisper latent. Peractis sacris Comiti relatum est, effugisse Sigurdum. In omnes itaqve partes terra mariqve inqvisitores misit, Andream qvoqve Thorsteini filium, virum natione Islandum, Sæmundi illius Potentis de Odda fratris filium; strangulari statim jussit, qvod cùm Sigurdo prius militâsset, videretur fugæ ipsius haut inscius, qvam tamen prodere nollet. Intentabat qvoqve culpam Bardo clericorum uni, qvod togam illam sacram commodâsset. Verum â Gudmundo Episcopo Islandiæ, qvi tum aderat, ob supplicium Andræ, qvi Gudmundo semper vivus adhæseret, graviter & asperis verbis reprehensus est. Tandem ad Regem scribit Comes, aufugisse Sigurdum, qvi modestia sua & conversationis jucunditate speciem constantiæ ad eum usqve diem præbuerit, jam vero periculum haut leve esse, ne ad ingenium reversus turbas haud segnius qvàm antea moveat. Rex literis nunciisqve terra mariqve in Vikam missis, monet cives omnes, â Sigurdo sibi prudenter caveant. At Sigurdus interea Ribbungus, superatô monte, in Eystridalos descendit, ubi plurimi eorum, qvi antea ei militaverant, prout convenerat, ei in occursum venerunt. Ibi erectis vexillis, seditiosorum globus iterum contrahitur, mox in Vermiam iter susceptum, ubi multi se ei aggregabant, & inter primos hi tribuni, Thordus Austmannus, Eiricus Latius, ejus filius Oddus, qvem aliud exemplar Hallvardi filium facit, (*Editio Danica* silet,) Thorbiornus Ringus & Thorgeir Rigus. Duodecim erant, om-

omnes magnarum cohortium duces. His accesserunt Haraldus de Skotis, Alfus Styris filius ejusq; frater Giardar et Amundius de Folavellio, singuli catervis satis numerosis præfecti, qvos omnes Vermi magna alacritate exceperunt rebusq;, qvibus indigebant, suppeditatis, jungentes se iis, infesta in Norvegiam signa intulerunt. Primo verò in Raumarikiam infusi, Olafo Moki Regis Haconis propinqvo, in provincia, qvæ Skaun appellatur, villâ Leyring, ubi nuptiis interfuit, ex improviso superveniunt, circumsessaqve domo ab exitu convivas intercludebant. Magna tamen ibi Olafo cohors & validi milites, satellites qvippe Regis, aulici & emissarii, præter multos alios strenuos viros, suppetebant. Itaq; soli sibi oblatam vitæ conditionem â Ribbungis respuebat, ni omnibus eadem pateret; mox fide in id data illectum, cum jam exiret, comprehendunt tenentqve, donec cæteros omnes numero octoginta, & in his viginti satellites, occidissent; qvod facinus Sturla metricè, ut solebat, retulit. Minis deinde mortis Olafum ad jusjurandum adigunt, qvo, renitentem licèt, obligârunt, nunqvam ut vellet iis in posterum resistere. At is secum reputans, nec honestum nec tutum esse sacramentum tale, ut primùm è manibus eorum evasit, novas copias, easq; validas, comparat; associatisq; in dies pluribus Ribbungos aggressus, aliqvot eorum trucidat. Verùm cùm per universam Raumarikiam in singulis ferè domibus cognati propinqviq; eorum hospitarentur, facilè illi mansiones Olafi explorârunt, eumqve denuò ex improviso prope ædes, ex qvibus antea incolumis dimissus erat, opprimunt, plurimis militibus eorum, qvos comparaverat, occisis. Heidmarkiam tunc Regis nomine tuebantur Ivar de Skediuhofio & Fridericus Slaffius; qvo tempore Heini (sic Heidmarkiæ incolæ appellantur) magnum pariter in Regem fidei & virtutis documentum ediderunt; nam telo belli indice in omnes provinciæ trientes misso, ex singulis hominum centuriis viginti ad tutelam provinciæ conscripserunt, noctesqve ac dies in excubiis assidui, proditionis crimine notandum censuerunt, si qvis, ingruente necessitate, periculis se subduceret; nec contenti provinciam suam à Ribbungorum incursibus defendere, qvin ultrò etiam lacessentes, jamqve in Vermiam eos, jam in Raumarikiam persecuti, haud spernendis cladibus sæpe afficiebant.

Cœterùm Regem inter & Comitem ità convenerat, ut ejusdem anni hyeme Bergas uterq; adveniret, ad nuptias Regias cum Margareta Comitis filiâ ibidem celebrandas, Rexqve omnem ipse commeatum & necessaria, tam ad apparatum nuptiarum, qvàm ad solennia Servatoris natalia celebranda instrueret. Verùm eodem auctumnô in Vikam profectus Rex cùm ex insula Rotte solveret, propter Jadriam cum gravi tempestate conflictatus, sub occasum diei, integrâ qvidem nave, qvæ Sættaspillir (fœderum corruptor) appellabatur, in portum Seleyas pervenit, jactisq; anchoris, scaphâ in occursum navium remigat; primus post eum Hacon Kafvisk eluctatur, sed nave malè mulctatâ, undisq; jam perviâ, clypeis præterea omnibus, qvi proram exornabant, amissis. Huic Rex hærenti portum monstrabat, tantisperq; in ostio, donec naves recepisset omnes, exspectabat. Seqventi nocte cautiùs intra promontorium navigabat, ingressusq; Hornborusundam, ex mercatoriis navibus cognoscit, Ribbungos magnis copiis è Vermia effusos Olafum Mokem interfecisse; id verò admodum ægrè tulit, damnumqve haud leve reputavit, viro bono, ut erat certè Olafus, & propinqvo suo orbari. Et avunculus idem priùs dicitur; hic verò nepos ex nato filiæ Regis Haraldi Gillii, qvæ avo Olafi paterno Olio Uargo Raumari-

marikiæ ſatrapæ nupſerit, qvam ego inter Haraldi Gillii filios in ejus vitâ non invenio: niſi fortaſſis ea fuerit, qvæ Simoni Skalpo, vel Joni Simonis fratri, qvi Hallkelem Hukum parentem habuerunt, priùs nupta, iteratô matrimoniô Olio Uargo locata fuerit; in qvarto itaqve gradu lineæ inæqvalis hac, qvam deduximus, ſerie Rex & Olafus ſe invicem attigerunt, cùm tamen Olafus dicatur avunculus Regis fuiſſe. Qvod ſi verò Inga Regis Haconis mater conſangvinea Olafi Mokis fuiſſet, tertio gradu æqvali patrem ejus attingeret; qvod tamen pro certo affirmare neqveo, cùm haud ſit veriſimile, Scriptorem vitæ Regis, Sturlam Thordi filium, reticere hoc potuiſſe, ſi ex tam illuſtri genere prognata fuiſſet.

Rex Tunsbergam delatus, ab Arnbiorno Ionis filio & Simone Kyre aliisq; Satrapis Regiis & qvæſtoribus ex Vika accedentibus excipitur; qvibus exponit, decreviſſe ſe poſt peracta, qvæ habebat, negotia Bergas ad celebrandas nuptias proficiſci. Verùm ipſi majores jam à Ribbungis turbas exortas increſcere, majusq; periculum ab iis iminere, qvàm ut ſine eo propulſari poſſet, regerebant; negabant itaq; dimitti eum poſſe, nec ſe remisſuros, ſi diſcederet, ſed ſimul qvoqve abituros omnes, eumq; ſecuturos esſe. Itaqve re deliberatâ, Dagfinnus Bondius & Hacon Kafviſs ad Comitem miſſi, iminentem cauſaturi neceſſitatem; miſſæ & jam alterâ vice literæ ad Sveciæ Regem Eiricum Balbum, qvibus de injuria Vermorum hoſtes ſuos foventium graviter qveſtus, poſtulavit, ne hoſtes Norvegiæ in regno ſuo vires ſumere patiatur; id enim contractibus priorum Regum Norvegiæ Sveciæqve contineri, alter ut alterius hoſtes regno ſuo exigeret. Inde Kongahellam navigat, cujus acceſſu Ribbungi territi, omnes in Markas fugâ ſunt dilapſi. Et jam qvies per Vikam viciniamqve ſat fida erat, cùm judex provincialis Gothiæ Askell, Chriſtinæ, Comitis Haconis Galini viduæ, maritus ſecundus, Domini Knuti vitricus, eum acceſſit. Invitabat hâc occaſione Rex iterum propinqvum ſuum Knutum haud exiguis promiſſis, nempe ſe illum magnis honoribus & emolumentis ornaturũ, ſi apud ſeſe manere non detrectaret. Verùm judex privigni jure uſus conditiones ſuas propoſuit, qvas concedere integrum Regi non erat. Multa inter ſe de damnis, qvæ Vermi & Markarum incolæ Norvegis intulerunt, colloqventibus, Satrapæ intervenientes eandem retractabant qverelam, negantes ſe jam injurias Gothorum aut Vermorum pati ulterius poſſe. Judex verò, *eos ſuo imperio aut poteſtati ſubjectos quidem haud eſſe* dictitans; *videri id etiam præter voluntatem Sveciæ Regis fieri, nec in plebem culpam conjiciendam eſſe*. Itaqve petit ab Hacone, ut literas ſibi ad Regem ſuum tradat, qvibus expetat, ut præfectis ſuis ſub gravi pœnâ mandet Sveciæ Rex, turbam illam ſeditioſorum regno ſuo exigere. Rex *bis ad eum ſe ſcripſiſſe* reſpondit, *reſponſaque, quæ curæ rem fore promitterent, accepiſſe; verum cuncta eòdem recidiſſe, imò in deterius vertiſſe, vires enim rebellium, multo ſuorum damno, bonorumque virorum cædibus, in dies augeri.* Svaſit judex, ut tertiò Regem de eâdem re ſollicitaret, ſe dum legerentur literæ, præſentem ea, qvæ è re forent, reſponſurum eſſe. Scripſit itaqve Rex, ut ante initium novi anni Ribbungos regno ſuo expelleret, ſecus ſe injurias ſuas damnaq; in ipſum vindicaturum, promiſitqve judex ſe ante illud tempus certum ad Haconem nuncium hac de re miſſurum: ſic per biduum eum regali convivio exceptum amicè deinde dimiſit; ſeptimoqve die ante feſtum Jolenſe revertit Tunsbergam; qvo acciti qvæſtores & præfecti è Raumarikia & Hadalandiâ, aliisq; provinciis, magnâ freqventiâ ad eum veniunt. Feſtum magnis ſumptibus celebratum, hiqve inprimis conſiliarii qvotidia-

nis

colloqviis adhibiti, Eyſteinus judex provincialis & Simon de Veturvika, nam & qvotidie adventabant, qvi de illatis à Ribbungis, Vermis, & Markenſibus damnis qvererentur. Redditæ tempore feſti Regis Sveciæ literæ, ex qvibus cognitum, parum ei curæ rem Norvegicam eſſe, nec, qvæ poſtulabatur, emendationem ab eo expectandam. Publicè itaqve his lectis pronunciat Rex Hacon, ſe ſtatim poſt finitum feſtum, ipſum in hoſtes moturum; Arnbiornum Jonis filium per nuncios certiorem de expeditione ſua facit, utqve in nemus Eydenſe ad ſe veniat, mandat, Simonem autem Kyrem & Bardum Brimſteinem Hallvardumqve Brattum cum Vikenſibus omnibus ad Markas ſibi præſto eſſe jubet. Evocat tum Uplandarum qvæſtores omnes, actisq; in ſingulos dies conventibus, ut viros eqvo & arma expediant, edicit, Foldenſibusqve omnibus eqvos imperat. In primis Veſtfoldenſium alacritas & propenſus in Regem affectus celebratur, nam ducentos qvadraginta eqvos in Regis uſum non modo inſtruxerunt, ſed etiam gratis et ſine pretio omnes dederunt. Tribus poſt feſtum Natale Chriſti diebus Rex lembo Tunsbergâ egreſſus eſt, navium rectoribus Nicolao Pauli filio, Gunnbiorno Bondio, & Haraldo Stangarfilia. In arce præſidio reliqvit Olafum Ingæ filium, Eyſteinum Roii filium, & Aunundum Bryniolfi filium, cum ducentis qvadraginta ſtrenuis viris, ſed qvàm itineris celeritas exigeret, mole corporum gravioribus. Atqve hæc hyems anni regiminis ejus octava cenſetur.

CAP. XV.

EXPEDITIO IN VERMOS, ET EJUS EVENTUS.

POſt triduum Rex Hacon Haugsvikam pervenit. Ibi plures inſtructi in occurſum ejus deducebantur; qvibus in continentem vectus ad ſinum Skialdum properabat. Ad nemus Eikabergenſem (Exemplar aliud Ms. Eikabergs Skar/ ſev rupturam Eikabergenſem; male Editio Danica Rige Bergs Skar habet) præſtolabantur qvi per ſuperiora profecti erant, ut et civium Oslejenſium pars magna occurrebat. Ibi habita concione pacis ſecuritatisq; jura inter omnes, dum in expeditione eſſent, firma rataqve eſſe jubet, inde ſe non ultra biduum Osleiæ manſurum pronunciat, jubetqve interim, ut rationes ſuas ſinguli eam ad normam dirigant. Remanſit tum in urbe Epiſcopus Nicolaus, & jam certior factus Regem poſt feſtum in Vermiam moturum, presbytero cuidam Vermenſi, nomine Ioni, qvi tum forte in urbe erat, accito refert; *conſtituiſſe Regem poſt feſtum cum exercitu totâ Norvegiâ collecto Vermiam invadere, fæminas infantesqve igne cremare, persbyteros autem ſcalis alligatos virgis cædere.* Territus tam crudeli nuncio presbyter in tantum iter accelerabat, ut biduo poſtqvam Norvegiâ egreſſus eſſet, in Vermiam deveniret, totamqve ante adventum Regis famâ tam triſti repleret.

Rex præmiſſo Haraldo Stangarfilia ad Epiſcopum Nicolaum, hoſpitium in ædibus ejus, ipſius antiſtitis impenſis, per biduum poſtulat. Ille autem reſpondit, *vitulos & lupos ſimul vivere benè haud poſſe*; mox tamen eqvo obviam profectus honorificè Regem excepit. Verum Rex domum Haraldi qvæſtoris ſui ingreſſus, potu ciboqve, qvem Epiſcopus ſuppeditavit, uſus eſt. Tunc qvoqve Dagfinnus Bondius Bergis iter feſtinans ad Haugſvikam Regi occurrit, & Osleiam usqve comitatus, comitem ſe

qvo-

qvoqve in Vermiam offert; id verò abnuens Rex, pro multiplici ejus continuâqve benivolentia, qvam molestô etiam isto itinere ostendisset, gratias egit, multaqve cum eo locutus curam ei filii sui Sigurdi filiæqve Ceciliæ, qvos solos tunc liberos habuit, si reditu fatis prohiberetur, sedulò commendavit. Dagfinnus itaq; digressus â Rege, Bergas iterum profecturus, cum Nesias superâsset, ne pergeret, tectâ glacie præpeditus est, itaq; continentem petere, infessam tum multis Ribbungorum cohortibus, coactus est; verum â Tevtonibus, qvi multis navibus sinum Sandensem occupaverant, cognito ejus periculo, perhumanè èxcipitur, nave ejus in mediam suarum classem receptâ. Pari humanitate iidem erga Isacum de Bæis Sogniæ præfectum fuerant, qvi cum Rege festivo tempore convivatus, impetrata domum proficiscendi venia, cum in eandem glaciem incidisset, nec deflectendi â Ribbungis ulla in continente via superesset, ad Tevtones se convertens statim exceptus est, ibiqve subducta nave Tunsbergam salvus devenit. Dagfinnus verò, postqvam dissoluta glacies navigabile præbuisset mare, tum demum Bergas proficiscitur. Rex Osleiâ in Raumarikiam tendens, die Lunæ ad Gunnarem de Bergio, copiis circum in vicinia diversantibus; aliam noctem ad amnem apud Kolbeinum de Fyrio exegit. Ubi tum Media nocte eqvites excubitores advolantes nunciant imminere hostes. Rex igitur vestimentis celeriter arreptis, exit cum reliqvis cohortibus, qvas ad speculanda eminus, qvæ nunciarentur, disposuit. Lucentis lunæ beneficiô prospectus latè in campos patebat: nullo verò hostium apparente, reliqvos convocari noluit, misit tamen qvi circumqvaq; eqvis excurrerent, ad certiora, si pote, exploranda. Forte vero qvidam ex Hadalandia illàc profecti, excubitoribus observati, hostilis adventus metum incusserant, qvi postea vanus deprehensus.

Postero die Rex iter secundum flumen ortum versus dirigendo ad villam Nesiam, celebri templo nobilem, pervenit. Eò præfecti Heidmarkiæ Fridricus Slaffius & Ivar de Skediuhofe cum trecentis militibus optimè instructis advenerunt; seqventi die Regem ad flumen prosecuti in prædio Stormo pernoctabant, exercitu per vicina hinc inde rura sparso. Ibi cognitum, Vermos adventu Regis excitos ad defensionem magno numero concurrisse. Accersitis itaqve copiarum præfectis, Rex disponi excubias jubet. Clemente de Holmo cum octaginta eqvitibus extremus excubiarum locus commissus, qvi medio a statione Regia milliari aberat, aliæ qvadrante; propiores triginta militibus custodiebantur; proximæ in conspectu villæ, ubi Rex acqviescebat, septem (Editio Danica duodecim habet) custodibus constabant. Postridie Rex in parœia, qvæ Vigur appellatur, spatium duorum milliarium transmittit, nec tum longius est progressus, qvod speraret Vermorum aliqvos metu vastationis agrorum ad pacem petendam se accessurus. Eodem vespere Ribbungi aliqvot turmas Regias impetendo carpendòq; paucos ex iis occidebant. Rex jam certus irrumpendi in hostem, convocatis cohortium præfectis, qvo ordine Verimam ingrederentur, disposuit. Fama enim ferebat, indigenas omnes cum Ribbungis se conjuncturos; erant qvi dissvaderent Regi in alieni regni provincias irruptionem facere: validas per se incolarum vires, si ipse Rex Sveciæ accursu suo sublevaret, rem ad periculum spectare. Rex *nulla se temeritate ad hanc expeditionem duci* respondit; *nec Vermorum aut Ribbungorum, conjunctas licèt, vires metuere: quod si illis qvoq; Rex Sveciæ sese adjungat, futurum ut brevi aut pax inter eos fiat, aut Divinum inter se & eum arbitrium decernat. Se omnem Deo eventum committere, nec intermissurum res*

uas suorumque civium repetere, damna reparare, cædes atq; injurias vindicare; qvorum singula sibi à Svecis nullo suo suorumve merito illata essent.

Paratis jam omnibus hoc ordine iter processit; præmissum vexillum Regis cùm octoginta eqvitibus, satellitibus & dapiferis, armis egregiè instructis; singulos eqvos singuli comitabantur pedites; hos tamen speculatores singuli cum eqvis duobus præcedebant. Regii satellites ducenti qvadraginta numerô eqvitatùm proxime seqvebantur, tum sexcenti Uplandorum rhedarii. Proximi his Nicolaus Pauli filius & Haraldus Stangarfilia cum trecentis sexaginta eqvitibus (editio Danica trecentos saltem numerat;) inde rhedarii ex oris maritimis alii rhedas plus qvam nongentas qvadraginta agebant. Ultimùm agmen qvingentorum capitum duxerunt Lodinus Gunnii filius, Erlingus Liodhorn, Haraldus Veseti filius, Gunnolfus Hvitius, seu Albus, & Guttormus Erlingi filius. Ideò autem præmittendi erant eqvites, rhedarii verò proximè seqvi debebant, ut, si hostes incurrerent, eos eqvitatus exciperet, dum rhedarii armarentur, mutuisqve utriqve, ut proximi starent, operas in invadendo jungerent. Tria millia peditum eqvitesq; sexcentos in Vermiam ductos Editio Danica tradit; Exemplar Ms. supra duo millia recenset; duo millia & qvingentos delectos milites armisq; egregiè ornatos author noster habet, præter magnum eqvisonum numerum: majorem tamen rhedarii speciem præbebant; nam in magna exercitus parte singuli duos vel tres eqvos singulisqve eqvis eqvisones adjectos habebant. Jamqve iter duorum milliarium, qvod continuâ constratum erat glacie, prima pars exercitus prius emensa est, qvam postrema glaciem ingrederetur. Vespere dimissis copiarum præfectis singulis, Rex mandat in mediam noctem omnia parari, ciboq; milites refici: inde classico convocatos, ordine, qvem descripsimus, omnes procedere. Intensum tum cœli frigus flatus vehementior augebat.

Appetente die, Rex in medium nemus præmiserat, qvi in æstivis ad templum, qvod ibi stabat, magnos focos instruerent. Sub ipsum diei ortum ipse Rex illuc pervenit, vixqve modico calore membris refocillatis, plerisq; enim pedes aut manus faciemq; frigus adusserat, prius inde discessum, qvàm Sol ortu suo viam illustrâsset. Per integra tria milliaria (in Gullinskinna duodecim leguntur) nemus Eidense extenditur; in medio templum est, via plana facilisqve euntibus, præsertim cùm glacies incubat. Transmisso saltu exploratores, qvos præmiserat Rex, revertuntur, qvi nullas in Vermia copias adhuc collectas, vacua omnia, incolas in solitudines dilapsos, etiam Sigurdum Ribbungum cum suis copiis, incertum qvò, aufugisse referunt. Ad pagos itaq; qvi Moraster appellantur, maximè septentrionales regionis illius, proficiscitur, ubi paganos omnes, qvi domi remanserant, invenit, exspectatôqve in horam à meridie tertiam exercitu reliqvo, tribunos convocat, qvibus justâ oratione exponit, se pacatè regionem transire decrevisse, si modò in conditiones æqvas descendere pacemqve petere maluerint; non enim vastationem regionis ullam, si facti pœniteat, satisfactioqve pro illatis injuriis offeratur, ipsis exspectandam. Parumper intermoratus omnibus pepercit, alimenta tamen pro eqvis sumi jussit; hinc vespere ad pagum, qvi Eidir appellatur, profectus in villam Medalbæ, cujus dominus Oddus Eirici filius erat; ibiqve feriæ sextæ ante Septuagesimã noctem exegit: qvâ ipsâ vesperâ pluribus copiarum ducibus convivium præbuit; etenim magnam vini copiam ex Norvegia secum devexerat, qvod haud longius reservari, aut ferri, gelu corrumpente, poterat. Verùm accidit fortè eâdem nocte, ut plurimæ vini lagenæ in aream projicerent-

rentur, frigore, ut fit, congelatæ atqve diruptæ; qvas eqvisones sublatas statim confregerunt, partimqve glaciem eliqvârunt, ut erat concreta, avideqꝫ devorârunt; inde inebriatos furor incessit, armisqꝫ sumptis qvatuordecim vulnerati, multi etiam verberibus sine vulnere affecti sunt. Primô mane misit Rex, qvi eos diremtâ pugnâ conciliarent; nec qvæstorib⁹ permisit tumultuantes reos violatæ pacis & disciplinæ militaris agere, sed clementer culpam singulis condonavit.

Feriâ septimâ summô mane omnes copiarum duces Regem accedentes, regionem incendiô vastari magno ardore suo militumqve nomine postulabant. Differri id in diem pleniorem Rex jussit, sperans indigenas adventuros, deqve pace secum acturos. Sed fallente adhuc spe istâ, missi, qvi villas scrutarentur; cùmqve nullus domi inveniretur, ignes tectis injecti: id qvod *Sturla* duobus versibus, *Olafus Hvitaskald* uno, qvos adhuc legimus, memorant. Fortè autem ad stagnum qvoddam vetula perqvam annosa excurrens Regem Norvegorum sibi monstrari postulat; qvô impetrato, alacriter accedens, petit ut villæ filiæ suæ parceretur, qvod sola domi remanere ausa fuerit. Annuit Rex, emissariumqꝫ qvendam, nomine Jonem, cognomentô Umagium, cum tribus aliis reliqvit, tantisper donec omnis exercitus præterierit, ibi commorari jussis, suaqve mandata ferre, ne ulli jam in hoc loco damnum inferretur; ipsam verò mulierem ad familiam suam revocandam amandavit, renunciareqve cœteris jussit; nullam ibi villam eexurendam fuisse, si coloni se accedere pacemqve supplices petere voluissent. Relatum deinde, Vermos ad templum, qvod Nyakirkia (ɔ: *novum templum*) appellatur, concædibus factis aditu Norvegos prohibere. Eqvites igitur centum sagittariosqve eò Rex misit, qvi ad locum, ubi arbores excisæ erant, celeriter delati paucos ibi deprehenderunt: qvi mox fugâ omnes elapsi sunt. Securibus itaqve à militibus concædes disruptæ; dispositis interim custodibus, qvi ab incursu hostium, si impetere modò auderent, eos defenderent. Qvi Regem proximè præcedebant, facilè eqvîs strues has arborum transmiserunt, reliqvi supra eas, ubi rarissimæ erant, eqvos haud difficulter traduxerunt. Mox rumor ad posteriores pervenit, Regem ante objectas strages arborum cum Vermis confligere. Inde magno tumultu exorto, singuli ad eas properabant. Revocatus sono Rex, suos ab hostibus impeti ratus, subitò ad eos revertitur: & erat metuendum sanè, ne, priusqvam se invicem internoscerent, promiscuè manus consererent. Inde ad pagos, qvi Arvikæ appellantur, exercitus traductus. Primo vespere eò perventum, & jam vestes sibi Rex detraxerat, cùm signo tubæ indicaretur, Vermos intra silvam cum cæteris ejus copiis dimicare; celeriter itaqve exsurgens retrò cum cohortibus reliqvis ad suppetias iis ferendas profectus est. At mox obviam factis iis, de qvibus nunciatum erat, nihil hostile in se tentatum asserentibus; pæne periculum capitis subierunt rumoris illius authores. Inde ad castra itum. Hic ante diei ortum Vermorum sex ex pago, qvi Strand appellatur, qvorum præsidem qvidam Geir nomine se ferebat, Regem adeunt, arbitrioqve ejus se permittentes clementiam implorant. Rex hoc signo iis parcendum jussit, si oblongo nimirum conto velamen album appensum in tecto domûs pagi sui editissimæ erigerent. Id etenim signi qvibuscunqve in villis milites observarent, salvas intactasqve relinqvere tenebantur. Qvatuordecim pagus constabat villis: plures tamen eodem signo usi pariter periculum evaserunt. Totũ deinde exercitum Rex in penitiora Vermiæ duxit, incensis ubiqve in itinere villis, qvòd iis coloni excesissent; donec in vico, qvi Gladathros appella-

pellatur, ſubſtitit. Ad villam Knollr, aliis Kuollr dictam, perventum erat, cùm ruſtici ab incolis miſſi clementiam implorabant, imperata ſubmiſsè facturi. Qvia autem Ribbungi ulteriora non inceſſiſſent, eſſetqve locus iſte ultimus provinciarum earum terminus (*Editio Danica* pravè ob longiorem Ribbungorum â tractu illo abſentiam habet) annuit eorum precibus, acceptisqve obſidibus octo, ipſe cum iis, verſo itinere, regnum ſuum repetere ſtatuit: legiturqve tum in Stranda ad patremfamilias Gilſem, cujus villæ antea parcitum fuerat, divertiſſe. Sepulchrum ibi Sancti cujusdam, nomine Thorgeiris, Vermi monſtrant. Inde ſeqventi die iter proceſſit, incenſaq; ſingula in viis rura ſunt, unde nemo tum amplius gratiam Regis exſpectabat. Nocte proximâ Saurbæis prope montem Kiolum exactâ, ſeqventis diei mane ad pagum, qvi Holmadalus appellatur, exercitus progreditur; ibi ex anguſtiis clivorum ſilvarumq; exorti Vermi ſagittis eos impetebant, & mutuo utrinq; jactu aliqvantiſper res agebatur. Nordmanni itaq; ex eqvis delapſi eos intra ſilvas invaſerunt; verùm Vermi maturè fugientes, conditionem ſuam qvàm aliorum, qvi ſe non oppoſuerant, deteriorem fecerunt; eorum enim rura tam anxiè incenſa ſunt ſingula, ut ne una qvidem villa ampliùs ſupereſſet: & conſtabat qvoqve, Ribbungos hunc tractum inſidere, plurimosq; ruſticorum Sigurdi Ribbungi ſatellites eſſe. Neq; hoc *Sturla* verſu, qvem de iſta expeditione condidit, tacuit. Cum ad Holmadalum occidentalem proceſſiſſent, presbyteri & ruſtici acceſſerunt, orantes ut ſibi parceretur. Claſſico itaq; exercitus omnis in glaciem qvandam evocatùr; ibi Rex ſeveriſſimâ lege, capitis membrorumve pænâ indictâ milites ulteriore incendio prohibet. Sero veſpere ad presbyterum qvendam in occidentali Holmadalo divertit, humaniter ibi exceptus; qvamvis potûs nullum aliud genus qvàm ſerum lactis, ſuppeteret, neqve verò cereviſiam toto itineris hujus tempore guſtârunt; carnium tamen nullus erat defectus, qvòd pecora non abegiſſent coloni. Primâ ſeqventis diei luce Rex in ſilvam profectus ad meridiem regni ſui fines attigit: ſubſtitit verò in tractu, qvi Ansmörk dicitur, provinciæ Borgenſis. In villa Folkensberg, qvæ natalis ſibi olim fuerat, lautiſſimè exceptus noctem traduxit.

CAP. XVI.

ARNBIORNUS JONIS FILIUS RIBBUNGOS QVÆRIT: EORUM IN OSLEYAM IRRUPTIO. NAVIUM REGIARUM INCENDIUM. COPIÆ ITERUM ADVERSUS RIBBUNGOS MITTUNTUR. REX SPECULATORES EMITTIT: RIBBUNGORUM FUGA. REGIS REDITUS.

Arnbiornus Jonis filius cum qvadringentis militibus (qvingentos habet *Edit: Dan:*) Regi, ut priùs conſtitutum erat, ad nemus Eydenſe occurſurus, cùm inde verſus ortum deſcenderet, cognovit Ribbungos jam in Norvegiam tendere. Ad eos igitur perſeqvendos convertit animum, perq; viarum compendia rectâ Osleyam ducit. Verùm illi jam ſummô mane diei, qvo Arnbiornus illuc pervenit, inde diſceſſerant. Itaq; hic centum bene inſtructis militibus auctus, alios centum levioris armaturæ remiſit.

misit. Arnbiorni vitricus amicusqꝫ insignis erat Episcopus Nicolaus; qvi tunc eum apud se integrum diem detinuit, prætextu cōmunicandi cum ipso consilia, re autem vera, ut plurimis qvidem visum est, ut morâ ejus Ribbungis longiùs procedendi tempus lucraretur. Serò igitur Arnbiornus urbe excessit, neqꝫ longè admodum per noctem, militibus potu somnoqve tardioribus, progressus est. Interea verò Ribbungi iter qvàm maximè accelerant. Lidas cùm pervenissent, civis qvidam Tunsbergensis, Reidulfus nomine, cognomentô verò Gullkroppus, seu Aureum Corpus, hic fortè iis obvius, deqꝫ destinatis eorum certior factus, Tunsbergam properat, eòqve circa meridiem pertingens, hostes im̄inere nunciat. Tubâ igitur congregati cives, qvæ afferret, statim cognoscunt, sed justo securiores, qvod parum verbis ejus fidei haberent: attamen Olafus præsidesqꝫ urbis arcem ducentorum qvinqvaginta militum præsidiô firmârunt.

Vespere, qvi festum conversionis S: Pauli præcedit, Ribbungi in urbem irruperunt, vixqve Eysteinus Roji filius rupem conscenderat, cùm Gunnolfum dapiferum ejus Grimumqꝫ Hvitium, alios qvoqve regiarum partium, qvatuordecim numero, in diversis urbis locis occidissent. Satelles qvidam, nomine Ketill Staur, & emissarius Eylifus Dvergus, ê superioribus ædibus per integram noctem raro fortitudinis exemplo vim omnem hostilem sustinuerunt, donec diruto tecto hastis & gladiis confecti magnâ cum laude & admiratione occubuerê. Hâc ipsâ nocte Ribbungi, cum totam jam diripiendo urbem lustrâssent, ad aqvilonare rupis latus Regiam navem viginti scalmorum, aliamqꝫ, Sættaspillirem appellatam, incendunt, nec prius desistunt, qvàm sedecim in portu naves exussissent, occisis duobus, qvos ibi offenderant, mercatoribus. Primo mane urbe egressi in Foldam occidentem versus se convertunt, reditusqꝫ regios expeditionibus assignatos ubiqꝫ exigendo, rusticos & mercatores spoliant. Meridie tandem Arnbiornus urbem ingressus, ubi cognovisset, frustra jam se Ribbungos qværere, ad villam suam Valdisholmam totum, qvem secum habebat, exercitum reduxit. Simon Kyr & Hallvardus Brattius sexcentos milites, ut imperatum erat, in Markas duxerunt; audientes verò, Regem in Norvegiam revertisse, & ipsi domum redierunt. Cæterùm Rex à Folkbergâ Osleyam usqve profectus, sero vespere, cum Leirskogis diversaretur, qvæ Tunsbergæ gesta essent, cognovit.

Seqventi die Osleyam profectus convocatis tribunis militûm refert; *nunciatum sibi Ribbungos in Heidmarkiam moturos esse, ad congregatas ibi rusticorum turmas dissipandas, se igitur exercitu tripartitò diviso, Lodino Gunnii filio, Gunnbiornoque & Uplandis unam partem commissurum, ad Ribbungos in Raumarikia persequendos, si fortè inde in Heidmarkiam, aut longius in orientem processissent: quod si nec Hadalandiam pertransiissent, statim in occidentem ad silvam Alaskogum secundum Hadalandiam in occursum iis procedendum, se verò alteram partem in Hakadalum ducturum, indeque rectà in Hadalandiam, his copiarum ductoribus comitatum, Nicolao Pauli filio, Haraldo Stangarfiliâ, & Fridrico Slaffio. Erlingum verò Liodhornem, Clemetum de Holmo, & Haraldum Vesetii filium, cum aliis ex Foldia ad id delectis, Tunsbergam, nec ulterius, nî certiores de rebus Ribbungorum fiant, missurum.* Satrapæ in mediterraneas partes missi, cognoscunt Ribbungos eò non ascendisse; occidentem itaqꝫ versus ad Asaskogum deflectunt, impeditâ præ nive & arboribus non excisis viâ, noctemqꝫ sub dio agunt. Transmisso saltu qvæstores (Syslumenn) in Heidmarkiam properant, judices verò provinciales cum Gunnbiorno Regem seqvuntur. Hic in Hakadalum profectus,

ctus, per exploratores cognoſcit Ribbungos ex Veſtfoldia Hringarikiam petiiſſe, qvò verò inde divertiſſent, ignotum; itaqve copiarum ducibus, ut ante auroram itineri ſe accingerent, edicit. Omnibus jam paratis, ipſe ſumô mane in Updalum pervenit. Hinc in Hadalandiam delatus, ulteriùs eos non perrexiſſe accepit. Igitur converſo itinere per provinciam receſſit; nox ſeqvens in villa Brattagrofe exacta; miſſus inde Augmundus Almodi filius, & cum illo duodecim eqvites, ad viciniam explorandam, eqvis ad ſingulos optimæ notæ delectis. Dum cæna appararetur, cuſtos, qvi feneſtræ in tecti faſtigio aſſidebat, nunciat exploratores celeriter domum recurrere, hoſtium adventu territos. Ad hunc nuncium qvidam arma raptim capientes, januam de improviſo occludunt, id qvod exitum morabatur. Profundæ tum nives terras operiebant, adq; eas calcibus compingendas Rex in collem qvendam, ubi pugnæ locum deſtinavit, partem ſuorum miſit; dum interea cohortes, qvæ in vicinia ſtationes habuerunt, exſpectabat. Dum hæc aguntur, reverſus cum ſuis Augmundus retulit, obvios habuiſſe ſe Ribbungos, nec tamen numerum eorum ſatis diſtinxiſſe. Rex irâ concitatior exploratores ob præproperam fugam, priusqvam vires hoſtium cognoviſſent, objurgavit; alii ergò plures Augmundo ſpeculatores redditi; qvibus ille acceptis, ſub diſceſſum Regem his verbis affatus: *Faxit Deus, ut anteqvam revertar iterum, aut ego aliquem Ribbungorum, aut ipſe me, nôrit.*

Hôc tempore Ribbungi ê Veſtfoldia profecti, rectà Uplandas petebant; inqve Hringarikiam provecti in occurſum Betulopedum mutuâ utrinqve itinerum ignorantiâ tendebant, donec ab utraqve parte exploratores mutuò ſe conſpiciebant. Tum demum qvi â Ribbungis emiſſi erant, viſis Regiis, redeuntes ad ſuos nunciarunt, armatos ſibi viſos, numerum vero incertum eſſe. Erlingum ergò Romſtafum Sigurdus cum ſex aliis ad eos inqvirendos miſit. Is paræciam invectus, Betulopedum plurimam partem in Hadalandiam iter direxiſſe comperit, id qvod Sigurdo refert, qvi tum in villa Sottrango (vel ſecundum Gullinskinnam Suntrango) morabatur, additqve Regem in Hadalandia morari, ideo exploratores ipſius hac nocte tantâ confidentiâ proceſſiſſe. Sigurdus, excitis ê vicinia copiis, noctem in colle qvodam ſub cælo frigido exegit; qvinqve inde ſpeculatores, qvibus notisſimæ erant viarum ambages, & ipſe ſpeculatum miſit; hi in Augmundum ejusqve ſocios in villa Jafnakre (Jarnmakr habet *Gullinskinna*) inciderunt, cumq; his ante diei lucem congreſſi ad unum omnes ſunt cæſi. Rex cum omnibus copiis primo ſtatim mane egreſſus, Augmundum uno tantùm ſuorum comitatum obvium habuit, ſciſcitatusqve, ſi qvid de Ribbungis conſtaret, ſpeculatores eorum ad cæmiterium ſuis viſos accepit, facileqve ſe eos aſſecuturum, ſi iter acceleraret. Via ad aggerem cæmiterii ferebat, ubi ſtrata ſpeculatorum corpora jacebant, atq; his conſpectis, Augmundus ibi exploratores Ribbungorum Regem exſpectare dixit. Rex eo collaudato, in ſpem cum cæteris erigebatur, copiam pugnæ futuram, probè enim tum nôrant, ubi hanc hoſtes noctem exegiſſent. Verum Ribbungi nocte digreſſi ê ſtationibus ſuis ad lacum Tyrium ſeſe contulerant. Cognito verò eos exceſſiſſe, veſtigia eorum legenda Rex voluit, cumqve ad lacum perveniſſet, Ribbungi, eô facilè glaciei beneficio transmiſſo, ulteriorem ripam aſcenderunt, in orientem Valles verſus iter dirigentes. Et jam parvo intervallo ab inſeqventi exercitu Regio diſtabant, itaq; Rex curſum qvantum maximè potuit, intercidit. Verum impediti milites profunda nive viæqve anguſtiâ, (hac enim non niſi duo ſimul eqvis vehi poterant)

rant) non multum promovebant. Qvi in extremo Ribbungorum agmine erant, arma veſtesqve per glaciem paſſim abjecerunt; ſed qvod illis via in Dalos, ſev valles, nota eſſet, eò ſe convertebant, pedibus incedentes. Ad collem qvendam editiorem delati, unde omne Betulopedum agmen conſpici poterat, in devexo ejus ſubſiſtentes deliberabant, an in Thelamarkiam, an in Haddingiadalum, indeqve in Valdreſiam, concederent? placuit poſterius, qvod inde vel in Sogniam ad mare usqve, vel in Eyſtridalos fuga pateret; & jam totis viribus curſuqve citatiſſimo præſens effugere periculum nitebantur; cum Rex in ulteriori ripa ſuos ſiſteret, copiasqve ducentis tantum, præter famulos, eum ſeqventibus, luſtraret. Qvid Itaqve facto jam opus, conſultabat. Plures ab ulteriore perſecutione, laſſatis jam eqvis, dehortabantur; breviſſimâ igitur viâ Tunsbergam petit, ubi plurium ad eum concurſus factus. Diverſa ibi conſilia agitata. Etenim Uplandi ſvadebant, ut in Heidmarkiam profectus, collectas ibi vires ſua præſentia conſervaret, ſiqvidem Heini hactenus tanta virtute Ribbungis ſe oppoſuerint, ut nihil in eos hucusqve profecerint. Erant qvi hortabantur, ut in Vikam ſe reciperet, claſſemqve & neceſſaria expeditioni compararet, aqvilonares autem comites, ut Tunsbergam peteret, hortabantur, ſic enim exuſtas ibi a Ribbungis naves reparari poſſe; inde in aqvilonem reverſus claſſem inſtructam colligeret. Venerant fortè ſimul Tunsbergâ qvi nunciabant, literas a Comite Skulio ad eum miſſas eſſe: hoc itaqve conſilium tum temporis qvidem prævaluit.

CAP. XVII.

COMITIS AD REGEM LITERÆ. RIBBUNGORUM IN HEIDMARKIAM IRRUPTIO. REX BERGIS NUPTIARUM SOLENNIA CELEBRAT. EXCUBITORUM REGIS CUM RIBBUNGIS PRÆLIA. PONTIFICIS AD REGEM LITERÆ. COMITIS POSTULATUM. SIGURDUS RIBBUNGUS REGEM AD BELLUM PROVOCAT.

Cæterum literis jam memoratis Comes qveſtus eſt, Regem promiſſis non ſtatiſſe: cum nec feſtum ibi Jolenſe celebrâſſet, nec nuptiarum ſolennia, uti convenerat, feſto peracto obſolviſſet, cum tamen ipſe vel hac cauſa Nidaroſiâ profectus eſſet: attamen ſe adhuc ad proximum feſtum Paſchatis adventum ejus exſpectaturum. Qvod ſi ne tum qvidem compareret, deluſum ſe videri; proindeq; penes ſe etiam fidei, qvam dederat Regi, præſtandæ arbitrium fore. Omnes Regis amici ſvadebant, pacta cum Comite ut abſolveret; eàq; propter iter in Uplandas impediebatur. Glacies vero tanta univerſam tum vikam obſedit, qvanta alias nunqvam poſt hominum memoriam; nam ex altiſſimis montium jugis nusqvam interrupta, in qvantum proſpectus in Ocenum patuit, apparuit; multæ etiam naves tam vectoriæ, qvam majores, ei implicabantur; qvibus relictis vectores biduum interdum integrum vel ſeſqvidiem in itinere erant, prius qvam terram aſſeqverentur, nec in itinere patens usqvam mare ipſis eſt obſervatum: multæ qvoqve naves verno tempore deſiderabantur, nec, qvid iis accidiſſet, poſtea ſciri poterat. Rex interim presbyterum Gautium in provinci-

vinciam Vittaherat, ad colligenda tributa ſunmtibus itineris neceſſaria, miſit. Is per ſinum Foldicum eqvo vectus, poſt paucos dies cum eqvis rediit trecentis; ſeptimo poſt Dominicam, qvam Lætare appellant, die; firma adhuc glacie univerſam Vikam Foldenſemqve ſinum ſtringente.

Poſt hæc Rex naves, qvæ prorſus exuſtæ non erant, Sættaſpillerem, pluresqve alias, reparare aggreſſus eſt; majorem qvoq illam, Bovem dictam, qvam in ſtatione ad rupem ſeptentrionalem ſub Danorum clivo ſitam Betulopedes ab incendio defenderant: nempe ſtatio iſta adeo cōmoda eſt navibus, ut in ea locatæ facile ex arce defendi poſſint. Interea Sigurdus Ribbungus ſtatim atq; comperiſſet Regem Tunsbergenſem arcem inſediſſe, omnes copias ſuas in Heidmarkiam transtulit; nam poſtqvam Heidmarkenſes Regem cognoverant Ribbungos perſeqvendo in fugam conjeciſſe, nec qvo hi conceſſisſent adhuc conſtabat, etſi præſidiis provinciam haberent ſeptam; non tamen pari ac antea cautione & diligentiâ in omnem occaſionem parati erant. Fuiſſe inter eos dicuntur, qvi in cives infidi, in Regem vero malevoli, occultis nunciis ſtatum Heidmarkiæ civiumqve ſecuritatem Ribbungis prodiderint. Itaqve ê Raumarikia cum omnibus copiis proruentes vicum incolis admodum freqventem Skaunem, templisq; & prædiis latioribus abundantem, media nocte invadunt; excubitores ad hoſtium adventum campanam templi primarii, qvod Staungii eſt, pulſant. At Ribbungis medium jam vicum tenentibus congregari difficulter poterant; ſingulos enim, qvi ad ſuccurrendum civibus accurrebant, protinus interfecerunt, & prætoria qvidem duo Ottaſtadam & Hervin, duobus militibus Regiis, ſummâ apud cives authoritate, habitata, exurebant. Viſo hôc incendio, alii eò convertebantur, alii in Ribbungos invecti, qvotqvot aſſeqvi poterant, occiderunt; qvæſtores autem Regii, ad qvos maximus tum erat confluxus, ubicunq; plurimos Ribbungorum conſpiciebant, illuc concitarunt eqvos; atq; tum forte vexillarius qvidam, Ion Landhaftius dictus, vir impiger, tanto in eos ardore invectus eſt, ut prius occumberet, qvàm collecti in unum cives ipſi ſuccurrere poſſent; et ceciderunt qvidem cum eo plures alii, ad qvorum conſpectum territi ruſtici in fugam vertuntur. Diſtractos fugatosqve ſtrenuè perſeqvuntur Ribbungi, & deprehenſos non paucos trucidant. Qvæſtores longius in aqvilonarem provinciæ tractum excurrentes, ruſticos denuô telo ſolenni belli indice convocant. Verum accidit hic illud, qvod circumfertur, tritum, *fugientes haud facile eſſe ſiſtere*: bis tamen aut ter ſeſe olligebant, ſed viſa Ribbungorum multitudine reſiliente, metu ſuo hoſtes animabant.

Exinde Betulopedes ipſi qvoq; fugam circumſpiciebant. Tum verò Hallvardus Epiſcopus Ribbungos acceſſit, pacemq; ruſticis ſuâ interceſſione impetravit. Regii autem miniſtri reverſi per lacum, Thotniam primò, inde Tunsbergam petunt. Ivar de Skediuhofio & Thorgeir Epiſcopi affinis hanc Heidmarkenſium calamitatem Regi exponunt, qvâ is graviter cōmotum ſe oſtendit. Orabant qvidem nonnulli, ut malorum civium miſertus ad ſuperbiam Ribbungorum caſtigandam eò ſe protinus conferret; ſed prævaluit eorum ſententia, qvi Comitis prius poſtulatis ſatisfaciendum putabant. Ceterùm Ribbungi bona eorum omnia, qvi in Heidmarkia cæſi erant, tanqvam jure fiſci ſibi vindicabant, grandiqve pecuniâ ſuperſtites mulctabant: nec enim aliter obtineri pax poterat. Tantos verò ſpiritus hâc unâ victoriâ ſumebant, ut in Vikam infuſi, qvasdam cohortes ipſam verſus urbem, ubi tum Rex reſidebat, mitterent, qvæ jam vix duobus milliaribus (unum habet *Codex Flat:*) Tunsbergâ aberant, cùm cer-

certior de illis Rex factus, novem repentè cohortes, his qvinqve ducibus, Gunnbiorno, Haraldo Stangarfiliâ, Ivare de Skediuhofio, Guttormo Erlendi filio, & Isaco de Bæis, educi in illos jubet. In tractu Osleyensi circa villam Agnlausam acerrimè congressi sunt, magno Ribbungorum damno, qvi amisso ibi Nicolao Reidaris fratre, viro inter Ribbungos maximo, centumq; aliis, Tunsbergam exinde tam propè accedere non ausi sunt.

Feriâ qvintâ hebdomadæ Paschatos Anni MCCXXV. Rex naves per transversum promontorium extra Skeliasteinem, inde in Hunzsundam, firmâ adhuc ibi glacie, deduci jussit: etenim tum gelu, qvod mare portusq; exteriores coercuit, resolutum erat. Igitur finitâ hebdomadâ Paschatos Rex Bergas profectus qvinto die eo pervenit, â Comite, qvi ex pacto ibi remanserat, humaniter exceptus. Ad apparatas inde nuptias Regis cum Comitis filiâ Margareta, satrapæ præcipuiq; cives provinciales Gulathingenses, multi etiam ordinis Ecclesiastici, invitati. Festô SS. Trinitatis decorâ pompâ inchoatum nuptiale festum qvinq; dies duravit; viri omnes in palatio Jolensi mensis adhibiti; Regina in palatio æstivo cum matronarum virginumq; cætu accumbebat; Monachi seorsim in tricliniis, inter qvos qvinqve Abbates primas tenebant. Ante nuptias ipsas Rex in Valdresiam octoginta misit, ductoribus Alfo Standrecho, Gunnare Samo, Clemente Longo, eum in finem, ne tempore nuptiarum soluti metu Ribbungi damna inferrent. In Valdresia illi qvasdam cohortes Ribbungorum offendunt, qvas statim aggressi, multos ex iis, ducesq; eorum duos, qvorum alter Ulfus Skygner nominatur, interfecerunt. Inde Betulopedes in Gudbrandzdalos profecti, etiam ibi cum Ribbungis conflixerunt, plerumqve superiores: Gunnarem tamen Samum alterum ductorum suorum amiserunt. In multam æstatem Bergis Rex Comesq; morati sunt; tandem ille ex universo Gulensium territorio milite commeatuq; imperato, triginta qvinq; navibus in Vikam profectus est, Comes in Thrandiam: convenerat enim inter eos, ut terrestri hic itinere ad lacum Miorsem se Regi conjungeret: qvi verò prius eò pervenisset, navium faciendarum curam in se susciperet. Cùm Jadriam præternavigaret Rex, navem ex Anglia obviam habuit, qvâ vectus Jon Stal, qvi ad pervigilium Archiepiscopi S: Thomæ in Angliã profectus erat. Rex, *si quid de Archiepiscopo ei constaret*? qværit. *Eum in Anglia esse, & quidem in Norvegiam solvere jam paratum*, alter respondit. Qværit iterum, *quisnam Archiepiscopus factus sit*? *quem tu expetivisti*, respondit, *Dominus Petrus de Husastadis*. Rex valde gavisus hôc nunciô, Deo gratias egit; cùmqve vespere in portum pervenisset, literas Archiepiscopo obvias mittit, qvibus, præmissâ gratulatione, illum, qvemcunq; in portum appelleret, ad se invitat. Inde promontorio Lidandisnesiæ transmisso, occurrit ei Fridericus Slaffius, Ribbungos jam passim per provincias grassari referens. In sinus itaq; deflectens Rex, leviores naves in Maurnadalum (hodie Mandal) in illos mittit, atq; tum aliqvot eorum cœsi sunt. Aliqvoties deinde in via similes strages editæ.

Vikam autem ingresso Regi relatum est, Ribbungos Nesis in Skida mansiones habere, ubi tum vir qvidam, nomine Grimus Svangius, nuptias cum uxore celebravit; qvô cognitô, statim Rex lembo conscensô eo vectus est: Ribbungi verò per exploratores de adventu ejus certiores facti, eâdem nocte inde se subduxerunt. Primô mane Rex eò veniens, ubi excessisse illos noverat, egressus sinu ad Vikam deflectit, portumq; Grindholmasundam prævectus, cùm nulla jam eos capiendi spes esset, Osleyam cursum dirigit, vespereq; festi exaltationis Sanctæ crucis eò adveniens, se-

decim lembos promontorio Nesoddæ admovit. Ibi divisâ classe, duodecim naves sub Thrælabergo collocat, præfecto Ivare de Skediuhofio, qvi navibus de nocte relictis ad Elfumareingam pernoctant, diluculoq; urbem accedentes, occupatis pontibus, actutum urbem ingrediuntur. Territi eorum adventu Ribbungi per superiora viarum urbe exeunt; Ivare verò cum suis turmis ipsis occurrente, iterum urbem petunt; atqve tum ipse Rex ex improviso in ponte stetit; qvi cùm urbem intrâsset, Ribbungi parùm jam in armis momenti rati, in basilicas urbis se claudunt. In urbe circiter viginti cæsi sunt; qvi verò templis se ingesserant, omnes à Rege seqventi die vitâ donati: versu poetæ Sturlæ idem factum testante. Eodem vespere Rex ex urbe profectus Tunsbergam viâ compendiariâ cum suis contendit.

Cùm primùm Archiepiscopus in Norvegiam appulisset, literas Pontificis ad Regem misit, qvibus ei comendabatur. Scripsit & ipse Archiepiscopus alias, qvibus se in gratiam ejus insinuare voluit, suam vicissim amicitiam fidemqve sinceram pollicitus. At eôdem tempore literæ Comitis & Canonicorum Nidarosiensium Regi reddebantur, qvibus proditorem Petrum, qvi Archiepiscopi titulum ære S. Olafi mercatus esset, rediisse qverebantur; postulabantqve, ut Rex eum non aliter ac Sanctæ Ecclesiæ direptorem ac sacrilegum exciperet: qvas verò ille literas ad Archiepiscopum misit, suas simul adjungens, qveîs rogabat, ut ad se vel statim veniret, vel brevì affuturum in palatio Regio exspectaret: se enim ipsum ad Ecclesiam, si ità ei videretur, deducturum. Jam cùm Tunsbergam venisset, naves illæ magnæ, qvas reliqverat, conjugem Regiam & matrem ipsius vehentes, eò appulerunt, accesseruntqve simul Satrapæ qvæstoresqve ex Vika nonnulli. Itaqve qvàm citissimè Osleyam iter maturabat. Advenit tum illuc à Sigurdo Ribbungo missus presbyter Danus, literas afferens, qvibus ad certamen ad lacum Dröfnem dictam (hodie Dramen) Rex evocabatur. Cùm verò æstus tum maris, majorum navium impatiens, rei huic obstare videretur, subjecit presbyter: *Offert ergò Sigurdus, ut Osleyam vos transeatis, inde ad aqvilonarem Leiram, qvo ille quoque accessurus vobiscum certabit; sic enim pari viâ utrique contendendum.* Rege alacriter conditionem recipiente, mutatâ oratione presbyter: *æqvum*, inqvit, *suis videri, Regem ad Eidas proficisci, & Ribbungis occurrendo in campis Eidensibus manus conserere.* *Dispar omninò*, respondit Rex, *spatium, si nobis Betulopedibus Bergis mari profectis, jam terrestri itinere per octo milliaria ad eos excurrendum sit, cùm ipsi tria tantùm, eaque parva, milliaria per stagnum emetienda habeant. Si tamen Sigurdus ibi magis quàm in alio loco decertare nobiscum desideret, agedum, i properè, referque Ribbungis tuis, eos primâ quâvis occasione etiam ibi vexillum Regis Haconis visuros.* Qvibus ità actis, Rex cum suis Osleyam profectus est.

CAP. XVIII.

SKULII ET NICOLAI EPISCOPI IN REGEM LUBRICA FIDES. RIBBUNGI AD PUGNAM NON COMPARENT: LEGATOS AD REGEM FRUSTRA MITTUNT. REX EOS IN HADALANDIAM PERSEQVITUR. IVARIS NEFIS ET SOCIORUM PERICULUM. NICOLAI PERFIDIA ITERUM DETEGITUR. EJUS MORS ET ELOGIUM.

MEmor interea promiſſorum Comes Skulius, qvæ antea Regi fecerat, in mediterranea regni cum magnis copiis profectus eſt, ducibus Gregorio Jonis filio, Paulo Vagaſkalmo, filioqve ejus Nicolao, & Petro de Giskio. Clavorum interim ingentem copiam fabricandis navibus providerat, qvi eqvis clitellariis portabantur. Multos inſuper fabros conduxerat, cum qvibus omnibus qvàm celerrimè iter faciens, ad auſtralem Gudbrandzdalorum vallem perrexit: inde centum octoginta viros ſub ductu Kolbeini Ketturiggi præmiſit, qvi mediô die ad Hamarem pervenerunt. Ubi Sigurdus Ribbungus fortè tum balneô corpus abluens ægrè admodum, nec ſine aliqvot ſuorum cœde, ad naves evaſit. In ſtagnum porrò remigans inclamat hoſtes, qværitqve, *cujusnam auſpiciis eò venerint*? Ivare reſpondente, *Comitis Skulii*: ipſe ad inſulam, ubi copias habebat ſuas, navem applicat; miſſoq; ad Comitem Erlendô Romſtafô, aditum ſibi ad eum ſecurum reditumq; ſtipulatur. Comiter à Skulio exceptus Romſtafus, poſtulatis annuiſſe ipſum renunciat. Paucis itaq; comitatus Skulium Sigurdus adit: qvô poſt alicujus temporis colloqvium dimiſſô, Comes navem Epiſcopi Hamarenſis, omnesq; alias, qvarum tum copia ſuppetebat, intercipit; novas inſuper qvinqve, inſolitæ in Uplandis magnitudinis, exſtrui curat; magnâ tamen celeritate & compendio temporis, qvantum tanto vix operi ſufficeret. Nidaroſiâ profectus miſerat Monachum ordinis Griſei, ſeu Ciſtercienſis, cum literis ad Regem Haconem, qvem Monachus ipſo in ſinu Osleyenſi, cùm urbem peteret, obvium habet, nunciatqve Comitem in Uplandas ad naves apparandas profectum, operâq; effecturum ſuâ, ut ne ipſis, qvot uſus poſtularet, defuturæ ſint: nihilo minus petere, ut Rex qvoqve celeriter adveniens aliqvas ſecum adducat, ſi fortè & illas uſus reqvireret.

Inter hæc Epiſcopus Osleyenſis Nicolaus ſermones jacere, qvaſi conciliandæ Regem inter & Ribbungos paci ſtuderet; literæ qvoq; interceptæ, qvæ ſuſpectum malæ fidei apud Regem reddebant, cauſamq; Regi dabant expoſtulandi cum eo, qvòd fides ipſius promiſſis non reſponderet. Verùm Epiſcopus ſaltem, ut parceretur ſibi, petebat; nec aliud legitur tum iſtis qverelis repoſuiſſe. Inde Rex cum omnibus Satrapis, omniqve flore populi, in ſuperiora proficiſcitur, relicto ad navium cuſtodiam Hallvardo Brattio, cum aliqvot militum tribunis, qvi eas omnes ad Elgiarneſiam deduxerunt. In nave regiâ Regina Regisq; mater remanſerunt. Primam noctem Rex ad Gunnarsbergam, ſecundam apud judicem provincialem Amundium Rembam, lautè & pro dignitate utrobiq; exceptus, egit: poſtero die ad Eidas profectus, per exploratores cognoſcit, Ribbungos in campis Eydenſibus eum exſpectaturos. Id cùm notum ſuis feciſſet, mirâ cuncti alacritate accendebantur, nec ſegniter inde moventes, cùm ad templum veniſſent, omnes per crepidinem ad amnem feſtinabant, arbitrati ibi ſe hoſtes exſpectaturos. Sed deluſos ſe iterum videntes, ad villam redierunt.

Rex in ædibus presbyteri remanens, copias per circumjacentes villas diſtribuit, Comiti autem per ruſticos circa ſtagnum habitantes adventu ſuô indicat, ut naves in occurſum ſibi celeriter mitteret, petebat. Submiſſus paulò poſt â Comite Nicolaus Fartus, aliis Kartus, cum aliis qvibusdam, qvi dicerent, penes ſe duos eſſe Regis Sigurdi ſatellites, Erlingum nimirum Romſtafum & Alfum Styris filium, colloqvendi cum Rege copiam

 poſtu-

postulantes. Rex sibi cum illis negotium fore abnuebat; Nicolaus verò id consilium Comitis esse satis opportunum suggessit, ad moras Ribbungis injiciendas, dum naves regiæ absolverentur, qvod adhuc intra qvartiduum fieri non posset. Admissi itaqꝫ satellites isti, qvæ in mandatis habuerunt, exponebant, *Sigurdum pacem Regi Haconi offerre, divisionemque regni ab ipso postulare.* Ad qvæ Rex respondit, *pluris regnum avo suo Sverreri, multò majoribus laboribus hostiumque insidiis ac vexationibus exercito, quàm sibi ad hunc diem usque diem constitisse: nec unquam, quantumvis adhuc, receptâ Monarchiâ, factionibus sat multis impugnaretur, potuisse ad divisionem illius adduci; sed Dei solius gratiæ atque arbitrio causam eventumque omnem commisisse. Referrent itaque Domino suo Sigurdo, omnem se aliam regni divisionem respuere, præterquam quam ipse Deus solus sceptrorum arbiter faceret. Sed nec*, inqvit, *nobis adhuc pro certo habetur, an Sigurdus ille, quem vos Dominum agnoscitis, filius sit Erlingi Steinveggi: hunc verò Regis Magni filium non fuisse, compertum habemus; fraudibus enim & fallaciis tantam rem olim aggressus est, id quod non paucis eorum, qui jam nobis hic assident, cognitum, Arnbiorno nimirum Jonis filio, Gunnbiorno, & Simoni Kyri.* Pauca tum ad ea Arnbiornus; Simon autem his verbis respondisse legitur: *Nemini id æqvè ac mihi notum esse certò affirmare possum, quòd Erlingus iste, cui nos quondam servivimus, diversus ab illo sit, quem in Visinseya muro inclusum vidi: attamen quòd hic ipse mihi, dum apud alterum esset, non displicuerit.* Deinde verbis qvibusdam Simonem inter & Ribbungos ultrò citròqꝫ jactatis, postulabant hi, ut pace saltem in eam hyemem constitutâ, sibi interea Uplandæ permitterentur. Negante & hoc Rege, Heidmarkiam & Raumarikiã ad proximum vernum tempus postulârunt. Rex verò commotior: *quodsi*, inqvit, *pax vobis in vernum tempus concedatur, furum interea sceleratorumque factiones, ut solenne vobis est, contrahetis, ægriùs inde quàm nunc è latibulis expellendi.* Hoc responsô dimissi, ad navem suam se contulerunt; Rex verò Nicolao postulata eorum suaqve ad ea responsa referenda jussit, monendo, ut ea Comiti significaret, instaretqꝫ, ut naves, qvantum pote, approperarentur, eò qvòd ultra octo dies in campis Eydensibus haud liceret subsistere, nonô autem sibi omninò inde discedendum, qvi tum proximus post festum omnium Sanctorum foret. Misit ergò Comes Nicolaum Pauli filium ad Regem, qvi certiorem eum faceret, naves qvidem jam paratas haberi, sed non omni ex parte ità compactas aut ferruminatas, ut ne aqvas admitterent: simulqꝫ à Rege cohortes aliqvot postularet. Octo igitur missæ sunt, sub ductu Ivaris de Skediuhofio & Saxii Bladspiot, mandabatqꝫ Rex, ut aut ad se Comes ipse cum navibus adveniret, aut naves ad usum idoneas mitteret. Cùm reverteretur Nicolaus, Comes eas in mare immiserat; tantùm illæ vero aqvæ sorpserant, ut exhauriri iterum vix posset, nedum ut bello aut usui alicui aptæ essent. Et jam Ribbungi cum suis navibus in diversas insulas vel sinus dilapsi se abdiderant. Qvo cognitô, Comes Ringursakrum cum suis navigat. Ibi parte navium suarum exustâ, parte verò dissectâ, ipse cum omni exercitu Thrandiam repetit, nullô ampliùs ad Regem nunciô missô.

Cœterùm Rex Hacon interea, postqvam in campis Eydensibus, ut cum Comite antè pepigerat, aliqvantum remansisset, universas inde copias classem petiturus reducit. In Raumarikiam delato nunciatum est, Ribbungos Thotniam primò, indeqve Hadalandiam navibus pertransisse: jam verò naves suas in lacum Ringarikiæ Thyrium traducturos. Converso itaqve itinere, Rex in Hakadalum, moxqꝫ in Hadalandiam movet, & altero die

die in villa Hadalandiæ Gyſtis prandet. Maxima pars copiarum ad naves redierunt, pars qvòd neſcirent Regem aliò iter vertiſſe, pars verò perfidi ingenii vitiô ſeqvi eum detrectantes. In Hadalandia comperit, turmas qvasdam Ribbungorum per provinciam naves ducere; ergò ad ea certiùs exploranda Ivarem Nef cum turmis aliqvot præmittit, ipſe tardiùs aliqvantò ſubſecutus; verùm ubi in paræciam, qvæ Brandabu appellatur, perveniſſet, obvios qvosdam habuit, qvi retulerunt, Ivarem Nef à Ribbungis fugatum in ſilvam, Kiölvegum dictam, haud parvâ ſuorum clade compulſũ eſſe. Et paulò poſt Ivar reverſus rem ipſe expoſuit, nempe *ſe in ſilvam progreſſum in Ribbungos ſubitò incidiſſe, nec tamen numerum viresque eorum animadvertere potuiſſe; confertim illos, ſuos verò diſperſos equitâſſe, & ſecuros tam ſubiti concurſûs: compreſſis autem vix uſum armorum arborum anguſtiis ſeptis ſuppetiiſſe: plures igitur ſuorum in ſilvam ſe abſcondidiſſe, ſe cum parte aliquâ locum avertendi eqvum nactum evaſiſſe.* Igitur eô die in colle Rex cum ſuis conſedit, copiisq; luſtratis, trecentos & ſexaginta ex mille & octingentis ſupereſſe, qvi ſe ſeqverentur, cognovit. Procedente die ſocii Ivaris, qvi occiſi putabantur, redierunt; haud deficiente Regem ſpe, qvi illorum cauſâ ibi remanſerat. Relatum deinde, SigurdumRibbungum eò cum ſuis copiis moturum. Totam ergò Rex noctem ibi cum ſuis exegit. Circa occaſum diei Thorbiornus Gromus ſatelles regius cum ſociis qvibusdam acceſſit. Omnes hi á Ribbungis malè mulctati, pars veſtibus ſpoliati, pars vulneribus & plagis affecti.

Poſterò die primo diluculô Rex centum octoginta milites ſpeculatum emittit: qvi ad meridiem redeuntes, Sigurdum iterum in Hadalandiam deflexiſſe nunciant, inſulamq; cum totâ claſſe inſcenſurum. Fruſtrà itaqve eos ſibi navibus deſtituto inſeqvendos ratus, inq; Hadalandiam reverſus, eodem die apud præpoſitum de Gnone, aliis Grone, epulis exceptus eſt. Tunc temporis Epiſcopus Nicolaus ægrotans Regem per nuncios arceſſit: verùm Rex in eò itinere literas qvasdam acceperat, qvæ ſubleſtam Epiſcopi fidem nimis arguebant; id cùm ei Rex culpæ daret, crimen ultrò confeſſus (perperam *Editio Danica* confeſſum negat) veniam implorabat. Rex propter Deum libenter ſe ipſi ignoſcere affirmabat. Cùmq; obſervaret, finem jam vitæ ejus imminere, iter ſuum tantiſper diſtulit, donec exceſſiſſet, & exſeqvias funeris ejus proſecutus eſt: qvod factum author ut admodum ſapiens collaudat, Epiſcopô ſimul hôc præconiô nobilitatô, qvòd vir fuerit famâ celeberrimus, omniumq; in Norvegia Eccleſiaſticorum conſultisſimus, qvodq; ex ſplendidisſimis per Daniam Sveciamq; familiis genus ducens, etiam in patria nobili loco natus fuerit, & qvamvis Betulopedibus minùs faviſſet, faſſus tamen perhibetur Rex, vix alium eò tempore prudentiâ civili rerumq; gerendarum uſu ipſi comparandum extitiſſe. Hæc ut itâ ſe habuerint, iſta tamen omnia decora aſtutiâ, faſtu, & perfidiâ commaculavit; vir animô in tantum ſubdolo & fallaci, ut nullis delinimentis emendari poſſet, irati Numinis permiſſu in vindictam perjuræ patriæ ad majores adhuc motus & turbas excitandas, ſtatumq; regni convellendum, malo geniô agitatus; regiæ poteſtatis contemptor, vulpis ſimul & lupi perſonam gerens: qvæ tamen omnia vitia ignorantiâ ſeculi facilé obtegebat. Ei in officio Præſulatûs Ormus ſucceſiſſe legitur.

CAP. XIX.

SIGURDI RIBBUNGI MORS, ET FACTIONIS SUPERSTITIS DUCE KNUTO CUM BETULOPEDIBUS PRÆLIA.

REx Tunsbergam reverſus, Dagfinno Bondio & Gautio de Melio, aliisq́, qvi ex aqvilone eum ſeqvebantur, dimiſsis, ipſe in Gautelfam iter parabat, Reginâ cum matre in arce ſub Gunnbiorni præſidio relictis. Dum Kongahellæ moratur, Askell Gauthiæ judex cum conjuge ſuâ Chriſtina ad eum veniunt. Retulit autem judex, Regis, Sveonum, Gautorumq́ omnium animos expeditione illâ in Vermos valde offenſos eſſe. Rex *haud ignotum judici* reſpondit *eſſe, quoties à Rege Sveciæ petiviſſet, ut fures illos, qui ſæpius regnum ſuum expilarent, incolasque latrociniis infeſtarent, expelleret. Id verò ſibi ſatis liquere*, reſpondit judex; *Regem autem Sveciæ puerili ipſum ingenio, paucos fidos habere conſiliarios: cui ſi ſaniora conſilia ſuppetiiſſent, regnum certè dudum iſtâ ſentinâ exoneratum fuiſſe.* Interim judex regali conviviô exceptus, tunc temporis amicum ſe Regi exhibuit, cujus prolixam benevolentiam expertus eſt. Multi tum in aulâ Regis ex veteri Baglorum ſocietate degebant, Lodinus nempe Gunnii filius, Simon Kyr, & Hallvardus Brattius: qvibuscum Rex ſæpe jocando confabulabatur, & exprobrabat interdum, qvòd Erlingo Steinveggo olim addicti, eum ſibi Regem adoptâſſent, qvi filius Regis haud fuiſſet; id qvod & multi Regis exemplô iis objectabant. Hæc etiam tum per jocum jactata, cùm aliqvantiſper auſcultando judex notâſſet: *Permittesne*, inqvit Rex, *nobis Gautis Nordmannorum nos feſtivis ſermonibus immiſcere.* Omnibus aſſentientibus; *meâ*, inqvit, *non multum refert, quid jocantes Nordmanni dictitent, aut quid rerum in Norvegia agatur; quæ tamen ſcio, referre non niſi optimâ fide volo. Certè an is Erlingus, cui ſervierunt Bagli, Regis Magni filius fuerit, necne, ut omninò neſcio; ita hoc certiſſimè ſcio, Deoque teſte coram omnibus aſſevero, quod non is fuerit Erlingus, qui muro apud nos in Viſins-eya incluſus fuerat, hunc verò Regis Magni fuiſſe filium nobis certum eſt; itaque exiſtimo vos Baglos falsâ deceptos perſonâ fuiſſe, Erlingumque illum veſtrum prioris nomen cognomenque falsò aſſumpſiſſe, id quod te inprimis, Simon Kyr, minimè latere poteſt, cùm eidem tu quoque, cui ille, muro ſimul incluſus fueris. Pronunciato ergò jam, Simon*, reſpondit Rex, *coram Deo nobisque, quæ de hoc vera eſſe nôſti.* Tum ille: *Rem, ut ſe habuit, coram Deo liberè edicam: carceris quidem conſors fui; at non huic Erlingo, quem nos Ducem poſtea elegimus. Servivimus autem alteri ideò, quòd aliquem deſideraremus, Betulopedibus tum opponendum.* Horum Simonis dictorum Rex ſtatim teſtes citavit, ut appareret omnibus, qvantis fraudibus rem egiſſent, qvi & hunc Erlingum, & ejus poſtea filium, obtruſiſſent regno. Planum hinc, in examine Erlingi Saxómuri deluſum Regem Valdemarum fuiſſe, deluſam & plebem, artibus Nicolai Epiſcopi, qvi poteſtatem ſibi ferri ſacramentiqve probationi adhibiti venditabat; de qvo ſuprà ſuô locô actum eſt. Deinde judex à Rege beneficiis muneribusq́ ornatus diſceſsit. Obtulit Rex adhuc privigno ejus Knuto, ut apud ſe in Norvegia maneret, magnis honoribus cōmodisq́ afficiendus; idqve ſangvinis nexus patrisqve adoleſcentis rati-

ratione habitâ; ſed matre obſtante, irrita hæc fuit conditio. Inde Rex Tunsbergam pridie feſti Natalitiorum pervenit, feſtiq; dies omnes in arce Tunsbergenſi celebravit. Atqve hæc nona regni ipſius hyems numeratur.

Poſt peractas ferias anno MCCXXVI. Bergas profectus eſt, ad comparandas iterum copias, qvas Ribbungis in Vika & Uplandis incrementa ſumentibus opponeret, arce interim Gunnbiorno cum centum viginti militibus commiſſa. Viâ, qvæ ad orientem ſpectat, iter fecit, occluſis gelu & glacie omnibus regni portubus, ſeptem autem diebus Hvalis interim detinebatur; qvo tempore Gunnbiornus ad eum retulit, præſidium arci impoſitum obſeqvium detrectare diſcesſumq; inde meditari. Itaqve viâ ſuperiori Rex eò reverſus minis ac verbis ſeverioribus eos coercebat, ut in caſtro ſe continerent. Accidebat forte Tunsbergæ, cum malus Regiæ navis erigeretur, ut thecâ, cui inſerendus erat, congelatâ deturbaretur in proram, & ſtanti ibidem Regi grave periculum minitaretur, qvi tamen cingulo comprehenſus & in alterum latus raptus evaſit; nec ex aliis multis, qvi periculo erant proximi, ullus eſt læſus. Cum ad portum Eykundarſundam ventum eſſet, eum ingreſſuro Regi obſiſtebant nautæ, dictitantes, nec ventum ſibi nec diem, qvo minus Jadriam adhuc tranſmitterent, defecturum. Ille verò *monſtratum ſibi per qvietem* reſpondit *periculum*, *quod*, *anteqvam Bergas venirent*, *immineret*; ferente tamen vento ad Hvitingseyam hâc veſperâ delati ſunt. Mane ſeqventis diei vulturno vela vehementer intendente, qvatuor longis navibus ê portu ſolvit; ſed cum Frekeyarſundas prætervecti eſſent, ventus in tantum intendebatur, ut Regia navis velum non amplius ſuſtineret, qvad ad pedem anchoræ projectum totumqve diſruptum decidit ad inferiora navis, hæcqve interea in fluctus ſcopulis allidentes provehi cæpit. Et jam deſperatio ſalutis ad vota ſuſcipienda adegit, præſentem namqve mortem omnia intentabant; nec caruit res miraculo: nam qvoties immanisſimi fluctus à fronte imminerent, navis vehementisſimè agebatur, etiam cum eos prætervecta eſſet, qvum vero â latere minarentur, rectà proceſſit. Magno tandem periculo portum Aumur intrarunt, fractâ ſcaphâ, rupto velo, pluribusqve aliis damnis â tempeſtate acceptis. Rex inde Bergas navigans ſatrapas omnes ex tractu Gulenſi convocat, ſeq; Vikam mox repetiturum pronunciat; animadvertens autem commeatus militesqve tam citò expediri non poſſe, magnam ibi veris partem ſubſtitit.

Intera Sigurdus Ribbungus magna vi armatorum Uplandas tenebat, literisq; ad Comitem Skulium & Archiepiſcopum Petrum miſſis inſtitit, ut pacem ſe inter & Regem conciliarent, regni diviſionem urgentes. deinde cum univerſo exercitu Vikam ingreditur. Satrapæ, qvi ibi tum erant Regii, tutandæ adverſus tantam vim regioni impares, pleriqve ad Regem Bergas conceſſerunt, benignèq; excepti, octo inſtructi navibus, in Vikam remittuntur. Comes & Archiepiſcopus, Regem in Vika commorari exiſtimantes, literas per ſuperiora ad eum miſerunt, ut pacem cum Sigurdo Ribbungo iniret, graviter poſtulantes. Et qvidem Archiepiſcopus ſub pæna excomunicationis prohibuit Sigurdum laceſſi, donec indicto conventu de pace actum foret. Iſtæ literæ ſatrapis ad Agdas traditæ ſunt, perferentibus Canonicis duobus, Nidaroſienſi uno, altero Osleienſi. His qvidam Comitis nuncii adjuncti erant, qvos qvidem auditos ſatrapæ ad Regem miſerunt. Ipſi vero Vikam repetentes ad Jarlseyam provocati ſunt, at ſecundo qvantumvis vento Osleyam proficiſi noluerunt, ne vel fulmini Archiepiſcopi, vel iræ Comitis ſe objicerent; qvod ſi verò tunc itinere

con-

continuatô eò veniſſent, inſignem de Ribbungis, qvi tunc ibi ſecuri commorabantur, victoriam reportaſſent. Et qvamvis illi octo navium directores, qvos Rex eò miſerat, cæteris vel maximè recuſantibus, ſoli eos invadere parati eſſent, ſatraparum tamen authoritas eos cohibuit.

Rex acceptis, qvas memoravimus, literis valde offenſus reſpondit; *non tam properè diviſionem regni ſibi extorquendam fore.* Ad Comitem & Archiepiſcopum hac ferè forma reſcripſit: *Vos ad me literas dediſtis, nec ſine minis, ut pace cum Sigurdo Ribbungo factâ, ei patrimonio meo cederem. Iniqva autem nimis conditio nobis videtur, hæreditatem noſtram in eum transferri, qvem omni ad eam jure deſtitui probe perſvaſi ſumus. Vera autem vos ſuperiore autumno, cum Archiepiſcopus huc rediret, de eo perſcripſiſſe jam ipſi probatis: apparebat enim vos tum hoſtes juratos fuiſſe; ut jam hic locum habeat tritum illud, ſimilem ſimili gaudere, Nidingosque ſe invicem complecti. Hunc itaque titulum vos ſocii aſſumite, & fortiter modò, qvicqvid in animo eſt veſtro, implete. Arbiter inter nos Deus dividet, non Epiſcopi.* Fortè tum apud Regem erat Erlingus Liodhorn, Archiepiſcopo nonnihil ſangvine junctus, qvi his auditis, conſiliariis omnibus præſentibus, ità dixiſſe fertur: *Nihil mirum, ſi propinqvus meus Archiepiſcopus lubricæ aliquantum fidei exiſtat, id enim nobis omnibus, qui ex ſtemmate Standalenſi orti ſumus, commune eſt, nec multâ conſtantiâ fidem colimus.*

Adulto vere Rex expeditionem in Vikam adornat. Eodem tempore ex Nidaroſia aderant, qvi nunciârunt, Comitem gravi morbo decumbere, deſperariqve de ejus vita; convaluiſſe tamen poſtea legitur. Jamq; itineri Rex accinctus ad Alrekſtadas die Dominica eqvo pro more vehitur; cum virum de ſupremo montis cacumine magno curſu contendentem admirabundus conſpexit, cum Ribbungorum factionis unum agnoſceret. Hic tabulam ligneam literis inſcriptam Runicis â qvodam factionis ſuæ miſſam Regi attulit, qvâ ſignificabatur, Sigurdum Ribbungum jam vivis exceſſiſſe, utq; Rex ocyus provideret, ne fortè propinqvus ejus Knutus ducem ſe iis Sigurdi locô præberet, monebatur. Rex literis ad Knutum miſſis, ſplendidas ei conditiones, ut antea, offert. Ipſe acceleratô itinere, poſt feſtum Sanctorum de Selia in Vikam devenit. Sigurdus Ribbungus Osleiæ deceſſit: ejus mors ſtudioſè occultata, funusqve ſpecie ægroti in ſuperiora repentè delatum. Miſſi interea a Ribbungis in Gauthiam Haraldus de Lautine, Alfus Styris filius & Erlingus Romſtafus ad ſupremum judicem Askelem ejusqve uxorem Chriſtinam, qvi publica voce votisqve ducem filium eorum Knutum expeterent; omnia ei prona ex ſententia ceſſura, cum primo accesſiſſet, polliciti. His inducta mater filium Ribbungis ducem tradit; ſat multæ eum ſecutæ Gothorum, Vermorum, & Markenſium cohortes. Hic igitur in Raumarikiam deſcendens, Regiô ſe appellari nomine fecit. Mox ingens ad eum confluxus factus eſt. Satrapæ interim Vikenſes Betulopedesqve, qvi ibi erant, omnium ſecuri nullam deinceps novam factionem exorturam ſibi perſvadebant, his verò auditis, contrahunt copias, qvibus plebs omnis Vikenſis ſe aſſociavit, principem peregrinum averſata. Knutus autem Osleiam profectus Regem ſe ibi renunciari curat.

Præfuerunt tunc temporis præfecturæ Osleienſi Guttormus Erlendi filius & Clemetus de Holmo: qvi certis negotiis in parte occidentali Lidis occupati, ad hanc famam Betulopedes omnes, qvi in viciniâ erant, congregant. Cives qvoqve provinciales, habito conventu, ex provincia delegerunt qvos Osleiam in Ribbungos immitterent; hiſce qvidem ductoribus, Stein-

Steinraudo presbytero, Thorbiorno Slodio, & Eirico Ognarbackio (Ignarbackio ſecundum *Editionem Danicam* & *Gullinskinnam*) qvi vexillum cohortibus præferebat. Nec mora, Osleyam ità inſtructi Betulopedes contendunt. Qvod cùm animadverterent Ribbungi, urbe egreſſi obviam iis procedunt. Ad villam Akur, qvà occidentem ſpectat, in pratis concurſum; prima ibi inter Gothos Nordmannosq; pugna. Verùm ruſtici primô ſtatim impetu nec armatis occurrere auſi, territi gradum ſiſtebant; viſo hôc, Betulopedes deſcendentes ex eqvis impigrè invehuntur in Ribbungos; nec minore ab iis fortitudine excipiuntur. Etenim in exercitu eorum haud exiguus virorum fortium erat numerus; primoq; congreſſu Eiricum Ognarbackium, ruſticorum vexillarium, occiderunt: ſed Betulopedes iterum confertim in eos incurrentes aciem impulerunt. Mox effuſa Ribbungorum fuga cædesqve ingens maximæ partis exercitûs ſecuta eſt. Ibi omnes pænè Gotorum duces occiſi; ipſe Knutus magnâ trepidatione eqvum conſcendit, tribusqve aliis Ribbungis comitatus, dum pontem qvendam transvehitur, collapſo eqvo ægrè manus hoſtium evaſit; tandemqve in mediterranea pervenit: nam maximam Uplandarum partem Ribbungi tenuerunt, naviumqve omnium qvicqvid vel in lacu Miorſe vel cœteris aqvis natabat, ſibi vendicabant, provincias qvoqve omnes per Satrapas ſuos adminiſtrantes; nulli enim in Uplandis id temporis Betulopedes reliqvi erant. Atqve tum Rex Hacon in Vikam nave, qvæ Draco appellabatur, vectus eſt, cujus celeritate cœteras omnes præcurrebat. Æreyas ubi attigiſſet, anchoris jactis ſcaphâ villam petit, qværitqve à patrefamilias qvodam, qvid novi referat? *Et verò habeo*, reſpondit, *quæ tibi nunciem nova, tibi quidem grata, mihi verò nuncianti gratiſſima; natos ego habui duos Ribbungis militantes; uterque jam præliô cæſus eſt*: deinde omnia, ut geſta erant, exponit. Rex, claſſe ibi exſpectatâ, poſtqvam collecta hæc eſſet, inde Osleyam navigat; qvò Satrapas & qvæſtores totâ Vikâ excitos convocat, moxqve in ſuperiora tendens, ex urbe ſecum triginta qvinqve naves (triginta tantùm memorat *Editio Danica*) ducit. Per univerſam Osleyenſem provinciam cives in armis erant, ſedulamqve rerum ſuarum curam cæperunt gerere, ex qvo Knutus profligatus erat. Arnbiornus Jonis filius & Simon Kyr, Lodinusqve Gunnaris filius, tres naves (*Editioni Dan:* 13) in amnem deduxerunt. Interim biduum Rex in via exegit, donec ad Stafnsbiargas naves pervenirent; duorum milliarium erat iter, via per paludes & ſilvas impedita. Ibi Arnbiornus Jonis filius, Simon Kyr, & Lodinus Gunnaris filius, Regi occurrunt; per integri verò adhuc milliaris ſpatium ad amnem usqve (Sarpum hunc vocant, ſeu Raumelfam) naves eorum ducebantur. Multa in hoc itinere temerè geſta ab exercitu Regio leguntur; neqve poterat Rex nimiæ lenitatis culpam effugere, qvousq; inſontes non animadverteret: tandem igitur unum horum ſæviſſimum emiſſarium qvendam capite plecti jubet, moxqve injuriis abſtinetur. Poſtridie cùm ad Eydas ventum eſſet, lembos qvosdam leviores præmiſit, ſpeculatores ſeptem in loco paluſtri comprehenſos occiderunt. Veſpere Rex ad oſtium lacûs Miorſis cùm copiis omnibus proceſſit, nullo tum indiciô de hoſtibus certior factus. Ipſe occidentalia ſtagni litora præterveheretur, cùm naviculam qvandam Ribbungorum terræ adnavigantem conſpiceret, vectoribus eam in terram celeriter fugientibus eripuit. Convocatis deinde copiis, inter alia ipſius Knuti vitæ & corpori, etiam ſi ejus occidendi copia foret, parcendum ſeverè mandat; idq; in gratiam generis Regii, patrisqve ejus Comitis Haconis.

Alterô ſtatim mane apparuerunt Ribbungorum naves, acriter in Betulopedes concitatæ, inqve ſpeciem eminus certandi deſiderium oſtenderunt. Etenim magnitudine regias naves multùm ſuperabant; ſed viſo Rege, ad terram flexo itinere dirigebantur à vectoribus, qvi relictis omnibus in pagum, qvi Him, aliis Hun, appellatur, profugiebant. Rex navibus, cumqꝫ iis commeatu & ſpoliis multis, interceptis, ad Hamarem iter vertit, ubi multi Ribbungorum, qvi in pratis ad villam AKUR, ut antè diximus, pugnaverant, ſaucii decumbebant, qvibus omnibus parcendum jubet. Convocatis deinde ruſticis, facilè perſvadet, ut ſuis ſe adjungentes Ribbungos omni ex parte impetant. Deniqꝫ in Hadelandiam, qvò profugerat Knutus, mittit propinqvum ejus Gudleikum de Asko, cumqꝫ eo Stallarium qvendam ſuum, nomine Thorerem, pacem ei offerens, conditionesqve haud contemnendas, ſi in regiam venire poteſtatem vellet; qvod ubi animadverterunt, accuratè eum, ne qvò aufugere poſſet, obſervabant. Redeuntes itaqve ad Regem, qvi miſſi fuerant, qvæ comperta acceperant, retulerunt. Rebus ſic omnibus in Uplandis diſpoſitis, navibusqve in lacu Miorſe certorum hominum cuſtodiæ relictis, ipſe Rex iter Bergas parat, ad conventum cum Archiepiſcopo & Comite eò indictum; qvos ubi Bergas adveniſſe cognovit, præmittit vexillarium ſuum Thorſteinum Heimneſem, qvi eis adventum brevî exſpectandum nunciaret: is verò nuntius octo diebus hoc iter confeciſſe legitur. Auditô mandato regiô, Archiepiſcopus Comesqꝫ inter ſeſe conferunt. Placuit Comiti Regem futuris comitiis ad producendas literas, qvas haberet, infidelitatis ipſorum teſtes, adigere, convenitqꝫ ut Archiepiſcopus jam domum ſuam repeteret, Comes autem adventum ibi Regis opperiretur. Rex Osleyæ primùm Tunsbergæqꝫ ruſticos convocatos exercitui ſuo adverſus Ribbungos jungit: ipſe deniqꝫ in aqvilonem concedit, obviumqve habet Thorſteinum, tunc ante qvinqꝫ dies Bergis profectum; retulit autem hic, Archiepiſcopum primùm decreviſſe Bergis exſpectare Regem, ante illum cum Comite congreſſum: poſtea verò à propoſito receſiſſe; & jam multos ex partibus occidentalibus & regionibus transmarinis Bergas appuliſſe, adventum regium exſpectantes: proinde ut feſtinaret eò venire, hortatus eſt. Adventantem haut multò pòſt Regem Proceres regni, & inter hos præcipui, Comes SKULIUS, Comes Ion de Orcadibus, Simon Hæbudarum Epiſcopus, & Abbas inſulæ Sanctæ, exceperunt. Horum negotia in comitiis primùm expedita; de ſingulis tamen Comes SKULIUS conſulebatur. Eodem autumnô feſto Dionyſii Archiepiſcopus Petrus vivis exceſſit, inqve ejus locum Thorer Thrandenſis electus eſt. Ad hunc annum etiam Annales Epiſcoporum Simonis Hæbudarum, Arnii Bergenſis, & Askelis Stavangrienſis, inaugurationes referunt.

CAP. XX.

KNUTI VARIA PERICULA ET GEMINA FUGA: TRANSITUS AD REGEM, ET FACTIONIS RIBBUNGORUM FINIS.

POſt amiſſas in lacu Miorſe naves, Knutus fugâ in occidentales ſe valles receperat; percepto autem rumore de civium per Heidmarkiam & Hadalandiam concurſu, per Gudbrandzdalos & Eyſtridalos in Vermiam rediit. Ibi inſtauratis viribus iterum Norvegiam invadit; primoqve excurſu præfecturæ

Arnbi-

Arnbiorni Jonis provincias Skaunem & Hegginem populabundus vexat, plurimisqve rusticos damnis afficit, qvorum multi defensionem parantes cæsi. Arnbiornus igitur, literis ad Regem missis, qvo statu Vikensium res essent, exponit, utqve festinatô adventu suo eis succurrat, orat. Nec cunctanter, profectô domum Comite, Rex iter in Vikam dirigit; relictô in arce Tunsbergensi Erlingo Liodhorne ad instruendum convivium Jolense. Ipse Osleyam profectus, in Jarlseyis noctem unam mansit. Ibi præfecti Hadalandiæ Thorgeir Episcopi affinis & Fridricus Slaffius eum accedunt, triste nuncium portantes, nempe Ribbungos tractas per nemus Eydense naves lacui Miorsi imisisse, Guttormumqve Regis propinqvum, & Arnium de Hole, qvi in insula ad custodiam navium cum pluribus turmis relicti erant, improvisos oppressisse, Guttormumq; in domo qvâdam, Arnium in agro occisum esse: cohortes omnes deletas, navibus ab hostili manu occupatis; rusticos verò eis se dedisse, vitam à victoribus pactos, omnesqve adeò Uplandas Ribbungis in prædam cessisse.

Rex eodem die Osleyam navigat, ubi plus mille qvadringenti rustici congregati erant, qvesti, *se, ex quo cum Knuto in pratis Akrensibus decertaverant, turmatim semper vagatos in armis fuisse; jam verò Ribbungos minari, siqvidem ipsos opprimere nequeant, provinciam se vastaturos, domusqve eorum igne combusturos.* Rogabant itaq; ne Rex sibi præsidiô deesset suô, qvi, si Osleyæ hyemare vellet, commeatum omnem impensarumq; in milites, qvantum & ante & post festum Natalitiorum opus esset, liberaliter pollicebantur; id si non satis videretur, pecorum armentorumqve omnium dimidiam partem dare paratos esse; qvodsi nec aliqvid istis invitamentis proficerent, necessitati sibi parendum, ad Ribbuugos sic brevi omnibus defecturis. Rex gratiis pro fide insigni actis, tum responsum se eis daturum promisit, cùm consiliariorum exploràsset sententiam. Consulti hi dissvaserunt, *cùm rusticorum istorum fidei salus Regia haud esset committenda: id expertum Sverrerem, cùm Osleyæ residens ab ipsis contra fidem datam impeteretur.* Itaqve Rex respondit, se qvidem in arce Tunsbergensi hyemē exacturum; Satrapas tamen ad eorum præsidium relicturum esse. Hoc auditô, denuò deliberârunt rustici, placuitq; ex singulis paræciis præcipuos colonorum filios deligi, Regiq; fidei suæ obsides tradi; qvô relato Rex iterum suos consulit. Omnibus sine summo discrimine fidem iis haberi non posse testantibus, Rex *se hâc in re suum ipsius consilium secuturum, & apud eos remansurum esse, cùm vitam fortunasque suas fortunæ Regis sui conjungere statuissent,* asseveravit. Bergis igitur Tunsbergâq; commeatum advehi curat; usus hospitiô Haconis Gris: festum autem Natalitiorum in ædibus Episcopi (non, ut habet *Editio Danica*, Roaris, nec, ut *Petrus Claudius Undalinus*, Ottaris, vel Ottii, sed Ormi, ex testimoniô Annalium) celebravit. Atq; hic annus Chr. MCCXXVII, regni Haconis decimus habetur.

Remanserat Valdisholmæ Arnbiornus Jonis filius ad custodiam provinciæ, resq; hostium explorandas; Knutus verò in Gothia maximam partem hyemis exegit, relictis ad Miorsem aliqvot Ribbungorum cohortibus, qvæ naves per universas Uplandas colligebant. Eâdem hyeme Rex literis clandestinis Ribbungorum primarios & qvoscunq; alios ad defectionē sollicitat, propositâ impunitate, si se dederint. Primus hanc Erlingus Romstafus, vir fortis & probis moribus, conditionem accepit; Regemq; accedens, veniâ præteritorum impetratâ, in gratiam recipitur. Missus deinde cum turmis aliqvot Soleyas, ad inqvirendos Ribbungos, qvadraginta eorum occidit. Ob hoc facinus Rex probatæ eum fidei judicavit, dignumq;

 qvi

qvi non modò civitate, ſed & Satrapæ titulô honoraretur. In orientalem Vikam Simon Kyr cum trecentis ſexaginta eqvitibus ablegatur; qvi terreſtri itinere Beſiam usqꝫ progreſſus eſt; ubi multi qvidem Ribbungorum erant, ſed prævia famâ de adventu Regiorum moniti fugâ evaſerunt, unde mox Simon ad Regem rediit. Æſtate eâ, qvâ obiit Sigurdus Ribbungus, Gudolfus de Blackaſtadis, deſertâ factione, domum propriam diſcesſit; multa ille crudeliter, dum inter Ribbungos eſſet, in eâ provinciâ perpetrârat: inter alia ruſticum qvendam, nomine Otryggum, verberibus cæſum eqvô bono inſuper ſpoliavit. Duo ruſtico erant filii, Aſolfus & Gudleifus; hi comparato manipulo hominum, Gudolfum invadunt, cùm in templo lapideo prope ædes ſuas ſeſe teneret, ſcalisqve parieti admotis, per diffractum ſecuribus tectum in templum ſe demittentes eum occidunt; nec erat, qvi caſum ejus lugeret, injuriarum atqve facinorum nomine cunctis inviſi.

Autumno præcedente miſerat Comes Skulius Kolbeinum Ketturyggum & Grundium qvæſtorem ad Valdemarum Daniæ Regem: qvi in reditu ex Dania hyeme glacieqve impediti Marſtrandis (ſive Maſtrandis) diu detinebantur. Id non potuit latere Knutum, qvi tunc Liodhuſæ agitabat, ſtatimqꝫ levi lembo Ribbungos aliqvot emiſit; qvi improviſò legatos adorti, nemine iis ſuccurrente, qvamvis portus mercatoribus abundaret, fortiter pugnantem utrumqꝫ cum magnâ familiæ & comitum parte trucidârunt. Qvô cognitô, Rex Hacon glaciem omnem circa Slidholmam intra biduum exſcindi curat: multos deinde leviores lembos contendere Liodhuſam jubet; ductu Lodini Gunnii filii, Simonis Kyris, Gunnbiorni, Hallvardi Brattii, & Olafi Ingæ filii; ſed diſceſſerat tum Knutus cum maximâ copiarum parte; pauci tantùm relicti, præpoſitô Biorno Packio caſtellum ab aqvilonari urbis parte inſidebant; qvod obſidentes Betulopedes brevì in deditionem, promiſſâ omnibus incolumitate, redegerunt. Amplis ibi ſpoliis ditati caſtellum incenderunt; ruſticis qvoqve multum æris expreſſum, plus tamen iis, qvi Knuto adhæſerant. His geſtis, ad Regem revertuntur: de qvibus omnibus Sturlæ verſus adhuc ſuperſtes legitur.

Jamqꝫ Ribbungi in Uplandis freqventiores etiam lacum Miorſem tenuerunt, cùm Rex naves aliqvot Osleyæ in Raumelfam transfert, ductoribus Ivare de Skediuhofio & Saxio Bladſpiote. Naves autem, qvæ in lacu Miorſe erant, omnes erant â Ribbungis occupatæ; plurimi tamen eorum inde in orientales Markas obviam Knuto profecti erant. Rex igitur Osleyâ Eidsvöllum profectus, ruſticos convocat, eisqve ſibi denuò adjunctis, in Raumarikiam movens Raumelfam tranſit: audiverat enim Knutum naves ex ſinu Hellisfiordo ducentem in Markas, indeqve in Raumelfam, proceſſurum. Verùm cùm in vicum, Heggin dictum, ventum eſſet, aliter ſe rem habere cognovit. Osleyam igitur duabus â feſto Reſurrectionis hebdomadis reverſus eſt. Diſceſſu Regis Knutus ſecurior factus, naves ex ſinu Hellirsfiordo novo exemplô usqve Hamarem ducit; inde in Raumelfam infert, ubi Ivari nihil tale cogitanti ſupervenit, & exutum navibus ad Regem Osleyam remittit. Tum verò Rex triginta qvinqꝫ naves Osleyâ educi jubet, ſecutusqve mox ipſe per nuncios Arnbiorno & Satrapis reliqvis imperat, naves per Raumelfam trahendas curare. Regi illi ad lacum Eyavatn occurrunt. Pervenit de hoc rumor ad Haraldum de Lautyne (de Laufis habet *Gullinskinna*) multosqꝫ Ribbungorum alios, qvi congregati in vico Skaune tum erant; in qvos Rex haud multò pòſt aliqvot turbas militum im̃ittit. In ſilvâ qvâdam concurſum eſt, & qvinqvaginta

ginta è Ribbungis cæsi, cæteri in fugam acti. His ità gestis, Betulopedes ad Regem redierunt. Mox naves in flumen qvoddam Ketmam, aliis Kinniam dictum, indeqve rursus per milliaris spatium in Raumelsam, Rege imperante, deductæ. Ibi compertum, Ribbungos è Raumelsâ in oras orientales profectos esse. Igitur eos persecutus Rex, navibus trans isthmum, qvi Fundueid appellatur, tractis, ad villam, Falam dictam, pervenit, & animadvertens Ribbungos ad orientem Vigrinn, aliis Vingri, remansisse, navibus custodiæ Gunnbiorni & Saxii Bladspiotis cum mandato, ut ad id lacus stagni, qvod ipse legeret, naves semper ducerent, relictis, ipse cum maximâ parte copiarum ad perseqvendos hostes proficiscitur. Hæc nocte qvâdam, qvæ diem Dominicam præcessit, agebantur.

Primo diluculô ad templum, qvod in Vingri erat, delati; habitantē ibi patremfamilias, nomine Gunnarem, amicum Regis, adeunt. Hic Ribbungos refert e regione villæ hujus ad citeriorem ripam amnis consistere, interdum autem amnem solere ad captandos rumores trajicere. Rex in silva, qvæ supra villam erat, abscondere se suos jubet. Verùm ad Solis ortum statim animadverterunt Ribbungi, hostes intra saltum abditos, & ad naves, qvæ ad eam ripam alligatæ erant, ocyús se convertunt: nec segniùs Betulopedes accurrebant, veriti, ne suas qvoqve naves interciperent. Rex navibus egressus turmas aliqvot contra Amundium de Folavöllio emisit, qvæ improvisô impetu adorti, alios occiderunt, alios in aqvas compulerunt. Jamqve Betulopedes, qvi intra silvam latitabant, erumpentes, majorem verâ exercitûs speciem præbebant. Haraldus de Lautyn in ripâ amnis procurrens, qværit, *qvinam copias ducat?* Ei Haraldus Stangarfilia reposuit; *Et existimo quidem, cognate, nos invicem nosmet agnoscere. Etenim & Kyllungi* (sic fratres vel sorores, vel unâ matre vel uno patre editi, uno nomine appellant) *& quæstores Uplandenses sumus. Atqui rarum est*, respondit Haraldus, *vos tantas copias tamque instructas ducere. Ubi verò Rex Hacon? Hic est*, retulit Stangarfilia. Tum Haraldus de Lautyn; *quid tandem, quæso, illum ad tantam participandam miseriam impulit, ut Markas usque nos Ribbungos persequeretur? Factum id*, respondit Stangarfilia, *magis necessitate quàm joco, ad liberandam à sceleratâ istâ factione, quam vos ducitis, patriam.* Suos deinde utriq; ad properandum ocissimè impellunt, & ubi amnis angustior, mutuo telorum jactu se impetunt. Emicuit tunc divinus in Regem Haconem, ut semper aliàs, favor; nam qvi in navibus erant, cùm, ubi Rex jusserat, exscendissent, inciderunt in turmas Ribbungorum, qvas singulas occiderunt; & animadversô, omnem reliqvum exercitum Ribbungorum ad illud latus amnis consistere, amne trajectô, Regem mutuâ lætitiâ adierunt. Videntes autem Ribbungi naves suas à Rege intercep as, retrò in orientem proficiscuntur. Tanto tum æstu flumen ob fundum altis inæqvalibusq; saxis obsitum, comitabatur, etiam ex latere Ribbungorum, ut utriqve parti ex ripis suis naves funibus vel contis essent moliendæ; &, si fortè rumperetur funis, navis vectoresqve sum̃o implicarentur periculo; cùm verò in altissimum amnem devenissent, utrisqve qviescendum esset. Pransurum tum Regem jaculis Ribbungi conjectis impediunt. Ad naves igitur ducendas utriqve se convertunt Regii, instantqve operi, usqvedum ad villam Kirkiubœ, unde priùs excesserant Ribbungi, pervenerunt. Ibi Haraldus de Lautyn & Ribbungorum alii multis probrosis verbis Betulopedes incesserunt. Rex, vocato ad se ex cohorte Arnbiorni Jonis Olafo Sundram̃o nunciare Ribbungis jubet, *abstinerent modò contumeliis, exspectarentque, donec naves suæ advenirent: tunc non dictis solùm, sed factis se*

exercendi locum fore. His etiam Ribbungi acqvieverunt. Et jam qvatuordecim naves ad Regem deductæ sunt, qvas ille optimè rebus necessariis instruxit.

Interea suas Ribbungi naves secundum templum orientem versus ducunt; inde eas per insulam qvandam exiguam, in lacum, qvi Singrsiør appellatur, aliis Vigrsiør, qvi ad nemus usq; Eydense pertingit, trahentes. At Betulopedes, amne transmissô, medio ex flumine Ribbungos aciem ordinâsse, telorumq; nimbo suos impetere animadvertunt; existimabant autem illos se exspectaturos fuisse, copiamq; pugnæ facturos: verùm plerisqve periculosum videbatur propius eos adire; nam ripa, in qvâ stabant, altitudine in trium hastilium longitudinem assurgebat, adeò qvoq; lutosa, ut cùm alterum levâssent pedem, alter fixus luto inhæreret. Nihilominus audacter ripam petunt, qvam cùm assecuti essent, Ribbungi fugiunt; Betulopedes verò eos paulò superiùs constituros, nec prælium defugituros, rati, cùm jam ripam conscendissent, nusqvam eos conspiciunt. Rex igitur ad naves redit, Ribbungosq; ocissimè fugientes ocyùs remigando perseqvitur. Ipse Knutus per superiora secundum lacum profectus est, ad cujus finem cùm Ribbungi devenissent, è navibus exsiliunt. Insecutus Rex, qvibusdam eorum occisis, singulas naves intercepit, reversusqve sub ortũ diei eò, unde priùs egressus erat, pervenit, die Lunæ, qvi festum Ascensionis præcessit. Jussit tum Rex, ut omnes cibô se reficerent; nihil enim à die Saturni comederant. Ibi certâ relatione per exploratores, qvi emissi fuerant, compertum, Knutum rectà Markas petiisse. Rex itaqve in Heidmarkiam conversus, naves trans isthmum Fundensem in lacum Miors deduxit; ab Hallvardo deinde Episcopo Hamarensi festô Ascensionis conviviô exceptus. Jamq; Uplandis omnibus in potestatẽ redactis, navibus directores ordinavit; inde per Eidsvöllum profectus, Osleyam brevî rediit: sed duas tantùm ibi hebdomadas moratus, iter ad Gautelfam instituit; eò cùm ventum esset, literas à Knuto, matreqve ejus Christinâ & supremo judice, accepit, qvibus veniam præteritorum pacemqve desiderabant; & Knutus Regi se sistere promisit. Et hæc qvidem occultè agebantur, metu Ribbungorum, qvi mortem Knuto, si eos desereret, intendebant. Rex autem, *non modò veniam pacemque eum impetraturum, sed etiam honores, si ad se venerit, reportaturum esse*, rescripsit.

Mox relatione percepit, Ribbungos ad lacum Vænirem in statione esse; nuncios ergò ad Christinam clandestinos misit, sciscitatum, *an aliquid eorum, quæ promisisset Knutus, exspectandum esset?* Illa respondit, *se ipsam apud Regem propediem præsentem pro filio intercessuram.* Morabantur tunc Kongahellæ cum Rege Episcopus Ormus, multiqve Satraparum alii, qvos pacificationi fæderiq; adhibiturus erat. Ibi qvatuordecim dies exacti, singulisq; diebus nuncii â Christina missi sunt, qvi in omnes horas adventurum Knutum nunciabant. Volvebat autem animô im̃ane dictu insidiisqve plenum consilium, â qvo pater ipsius valde abhorruisset; nam dum spe deditionis Regem detineret, naves per Eydensem saltum transvexit, inaudito ad id tempus exemplo, militesqve regios improvisò ad fluvium Verma (ut author habet, è regione Eidsvölli) invasit; oppressissetqve tum universas Regis in Uplandis copiâs, nisi divinus favor Ribbungorum infidelitati prævaluisset. Sed præfecti regii, viri strenui, Ivar de Skediuhofio, Jon Ketlingus, Erlingus Romstafus, Thorgeir Episcopi minister (aliis affinis dicitur, sed *Codici Elat:* semper minister) Andreas Hvitius, in navibus excubârunt, rusticis in Eidsvollo turmatim collectis; simulq; ac primum

mùm famâ Ribbungorum consilia vulgante, rusticos illi excivissent, etiam promptissimus qvisqve ex vicis & pagis omnibus navali itinere accessit. Naves Ribbungorum majores qvàm Betulopedum erant; unam enim qvatuordecim scalmorum, cœterasq; duodenorum, advexerant. Pugna exorta est acerrima, Betulopedibus initiô gravis & fugæ proxima, nisi Ion Ketlingus, & Erlingus Romstafus unicâ nave advecti pugnam instaurâssent; versa inde in Ribbungos cœdes, mox terga dantes. Knutus præceps in áqvas cecidit, magnoqve periculô vitæ ægrè tandem evasit. E Ribbungis promptissimus qvisqve cœsus. Betulopedum qvidam graviter vulnerati; Ivari de Skediuhofio ex vulnere tum accepto claudicatio perpetua mansit: naves omnes Ribbungorum interceptæ. Inde rusticis animi in tantum creverunt, ut deinceps hostes invadere imperterriti, & qvâvis occasione cœdere non dubitârint: qvin & pluribus eos cladibus, qvàm qvæ literis proditæ sunt, illo ex tempore affecerunt.

Tandem verò Ribbungi, rebus suis in tantas angustias redactis, legatos ad Betulopedes, qvi in Uplandis erant, pacem petentes miserunt; nec illi postulata recusabant. Hinc obsides ultrò citròqve dati: qvos verò Betulopedes receperunt, eos statim ad Regem Clemeto de Holmo & Guttormo Erlendi filio deferendos tradiderunt. Hi Regem in portu Hornborasunda offendentes, redditis obsidibus, clementiæq; ac arbitrio Regis commendatis, benignè excipiuntur. Inde eodem die Rex Utvikam navigat, iterumqve ad Knutum nunciis missis, veniam securitatemqve omnibus sese dedentibus pollicetur. Hinc Osleyam repetit, ubi post pauci temporis moram missus ad eum Haraldus de Lautyn, á Knuto in fidem veniæ obsides poscebat. Itaqve Rex, aulicis statim convocatis, hunc in modum, audientibus omnibus, concionatus est. *Neminem, credo, latet, quantos labores, quanta pericula, qvanta denique damna in propulsandis Ribbungorum latrociniis sustinuerimus, quamvis majore eorum, Deo ità dispensante, damno, pluriumque cædibus, res actæ sint. Jam verò pacem illi orant, deditionemqve offerunt; quam si admiserimus, æqvum est, ut eâ fide bonorum Principum more ipsis provideamus, ut tuti in posterum securique & culparum omnium immunes inter nos vivere possint. Aut igitur talem, aut nullam iis fidem dabimus, secus ad internecionem usque nobis persequendis: sed fractis jam eorum viribus, mens nostra ad misericordiam magis inclinat. Attamen vestro, Betulopedes, arbitrio rem totam committere statui.* Ipsi, *malle se iis propinqvorum suorum cædes, jacturas rerum suarum & damna, atque adeò omnes, quæ in se commiserint, injurias condonare, quàm diutius eos persequi*, responderunt. Missi itaqve ad Knutum & Ribbungos Eysteinus Roii filius, Guttormus Erlendi filius, & Fridricus Slaffius, ad lacum Eyarvatn eum convenerunt, qvi statim cum præcipuâ parte exercitûs nobilissimisqve suorum legatos secutus Regem adiit: sicqve Rex omnes Uplandas in suam potestatem recepit. Qvôtqvot autem Ribbungorum de veniâ facinorum desperabant, in Markas secedentes, ducem sibi creârunt virum qvendam, nomine Magnum Bladstack, cui Regis statim nomen imposuerunt. Ad eum itaqve comprehendendum Rex Haraldum de Lautyn emittit, cujus adventum cùm suspectum haberet alter, percussores in eum subornando in itinere statim occidit. Missæ verò insuper â Rege in Vermiam literæ, cum mandatis, ut incolæ nefariam factionem illam finibus suis expellerent, aut sæviora prioribus incendia domibus suis exspectarent. Istis acceptis literis, incolæ junctis viribus Magnum comprehensum patibulo affigunt. Atqve hic finis factionis Ribbungorum fuit.

CAP. XXI.

HOMICIDIUM BERGIS PATRATUM. SKULIUS IN DANIAM PROFECTUS DIMIDIÆ HALLANDIÆ PRÆFICITUR. CELEBRIUM VIRORUM HIS TEMPORIBUS OBITUS.

Hôc modô pace publicâqve securitate partâ, Rex Osleiâ Bergas profecturus, Knuto naves duas, alteram qvidem viginti duorum scalmorum, donavit, omnibus necessariis instructissimas. Seleyas provecto multis magnisqve navibus Comes Skulius occurrit, in Daniam ad Regem Valdemarum iter instituens. Sed hôc conventu, mutato ad arbitrium Regis proposito, (ut ait *Editio Danica*) eum Bergas secutus est. Degebant hinc ambo Bergis in palatio regio cum magnâ satellitum turbâ, sincereq; inter eos omnia agi visa; mutuâ visitatione, mutuisqve se facetiis oblectantes. Multâ interea in urbe illa Satraparum freqventiâ comissatio erat; forteq; tum im̃odico potu insanus Ivar, cognomentô Grettir, filius Pauli Vagaskalmi, post vespertina sacra unum ex majoribus natu Betulopedibus Ericum Backium (Baggium minùs rectè vocat *Editio Danicâ*) familiaritatis cum interfectoribus Arnii Heriardali initæ insimulatum occidit. Id verò Vogis factum ex superiùs dictis constat. Hâc cæde patratâ, aulici omnes ad arma ruunt; qvod cùm animadverterent, Pater Ivaris Paulus ejusqve filius Nicolaus, qvamvis cœdem illam hominis insontis ægerrimè ferrent; turrim tamen ædis S. Nicolai ingrediuntur, se à vi aulicorum defensuri; qvibus templum effringere conantibus, Rex Comesq; Skulius (qvem tunc fortè conviviô Rex exceperat) accesserunt, magno Ivaris Nefis com̃odô; nam cùm esset sangvine junctus homicidæ, eum in hujus locum arripuerunt aulici, protinus in vindictam cædis occisuri. Verùm Rex, illo in potestatem suam vindicato, furentiq; turbæ erepto, violari templum prohibuit. Seqventis diei mane concione advocatâ, Nicolao ob fratris factum vim fieri, cædis qvippe nec authori, nec qvidem conscio, severè interdixit. Egressus itaq; templô ille Regis se arbitrio permittit: Ivarem autem Rex ipsum cædis authorem ad monasterium clanculum deferri curat, ubi per aliqvod tempus latuit, donec exul è patriâ discederet. Multum præter hæc turbarum ex nimiâ potandi licentiâ per eam æstatem incidit; inter Regem autem & Comitem constans intercedere amicitia visa est; veniamqve hic â Rege in Daniam ad Regem Valdemarum proficiscendi, promittens se proximo vere Nidarosiâ in Vikam terrestri itinere adfuturum, obtinuit. Inde iter in Thrandiam paratum. Magno tunc in honore apud Regem Knutus erat: ambiebat autem nuptias Ingiridis filiæ Comitis, Reginæqve sororis, qvæ etiam, annuente Rege, ei desponsata est. Ad illas igitur celebrandas unà cum Comite profectus est. Ante verò discessum eorum filius Haconi Regi Olafus natus legitur. Eodem annô Pontifex Romanus Honorius Tertius secundum vulgatum Pontificum numerum millesimus septuagesimus nonus, annô 1207. in sedem Papalem evectus, postqvam annos X. mensesqve VII. sedisset, moritur. Substituitur mox in ejus locum Gregorius Nonus Anagninus.

Seqventi hyeme, anni à nato Christo MCCXVIII. Rex Bergis commoratus circa tempus qvadragesimæ Vikam repetit; primòqve Tunsbergam

gam adit; post Pascha deinde anni MCCXXVIII. Osleyam, qvò etiam Comes Skulius & Knutus, Gregorius Ionis filius, Asolfus Comitis propinqvus, proceresq; plures cum Comite priùs profecti erant. Pauci ibi dies exacti, cùm Archiepiscopus Thorer in Petri defuncti locum jam recèns inauguratus Româ advenit: cui Rex ad Höfudeyam obviam Proceres qvosdam misit, & invitatum in diversorio regio hospitiô jussit excipi. Comes qvoq; ibi plerumqve cænabat, qvòd commeatu, qvô Rex abundaret, Comes egeret, utpote qui ex Thrandiâ, qvantum satis esset, advehi neqviret. Habebat autem hospitium Rex in domo, qvæ Digri Stytningr, seu *crassum diversorium*, appellabatur: hospitium verò Comitis Skarthœllin, seu *calx pomposa*, erat. Accidit tum, ut Rojus Askelis filius, satellitum Comitis unus, Olafum qvendam Hvitium, seu Album, satellitem regium, occideret; peractâqve cæde domum, ubi Rex Comesq; simul considebant, accedens, vociferatusq;, ut janua aperiretur, rogaret; qvâ jussu Regis apertâ, exposita cæde Regi se dedidit. *Hìc* Rex, *cum ad nos*, inqvit, *veneris*, *Roi*, *parcemus tibi*; *at admodum veremur*, *ne tantæ temeritatis pœnam insontes luant.* Paulò post tubâ regiâ urbem personante, Satrapæ & satellites diversorium satellitum Comitis circumdederunt. Turbæ antesignani erant Arnbiornus Jonis filius, Simon Kyr, Lodinus Gunnii filius, & Gunnbiörnus. His auditis, Comes, ut Rex aliqvid consilii ad tumultum sedandum imminensqve malum avertendum caperet, rogabat. Surgens itaq; Rex Comitem jussit reditum suum exspectare. Ipse manu Roi apprehensâ, in ædem Divi Hallvardi deductum jussit deinde curam sui diligenter habere. Inde ad portã ædium accedens, cùm properantem armata multitudo præpediret, supra humeros obstantium scandens ad satellites Comitis pervenit. Ejus adventu tumultus ex parte sedabatur: ad ædem itaq; Divi Hallvardi omnes convocat. E turba fortè tum vir qvidam, nomine Sigurdus, his de Rege impiis verbis usus est: *Præmium aliquod tumultûs hujus motuumque haberemus*, *si Regem primùm occideremus*: *nec id difficile factu*, *si quis tentaret*, *existimo.* Socii verò à tanto scelere abhorrentes his eum dictis avertunt: *An tu*, *scelus*, *nefariè Regem occidere*, *cùm in nostrum auxilium huc accurrerit*, *paras*? Exeuntem inde Regem omnes ad Fialas seqvebantur; ægrè ibi exortum tumultum compescuit, cùm satellites Comitis invadere Regii omnes decrevissent; misit insuper nuntios ad eum Archiepiscopus, orans, ut omnia ità componeret, ne aliis qvoq; periculum inde nasceretur. His se provisurum Rex respondit, induciisqve per noctem factis, in crastinum causam decidendam edixit; atq; itá ad Comitem rediit, qvî cum jocis facetiisqve sæpiùs tum temporis curas levabat.

Comes è Thrandiâ profectus, cùm nullas Bergis naves haberet, navibus mercatorum Hafniam petere constituerat. Rex autem naves ei mutuò dedit, commeatu duodecim societatum nauticarum instructas. Atq; ita progressus est, itineris sociis Domino Knuto, Asolfo propinqvo suo, & Gregorio Jonis filio, qvi cùm Kaupmannahafnam (ɔ: Hafniam) appulissent, Regem Valdemarum invisunt. Comes humaniter exceptus, multa sæpe cum Rege seorsim â cæteris collocutus est; postqve aliqvantum temporis magnis muneribus â Rege donatus: sub discessum qvoqve Hallandiæ partem dimidiam feudi nomine accepit. Redux in Norvegiam Tunsbergam cùm advenisset, Rex inde profectus erat. In Vika itaqve por autumnum diu moratus, sub ejus exitum in Thrandiam transiit, ibiqve hyemem exegit. Verùm Dominus Knutus & Gregorius Jonis filius Bergas iter dirigentes, Regem scilicet adituri, in scopulos ad extrema Hvarfsnesiæ inci-

derunt; ipſe ibi Gregorius cum aliqvot nautis periit; vir Satraparum omnium totâ Norvegiâ præcipuus, ex nobiliſſima familiâ Sunnmærenſi, qvæ Blindheimenſis appellatur, ortus; qvæ maximam partem cum illo exſtincta eſt. Dominus Knutus, multis amiſſis pretioſis cimeliis, ægrè tandem evaſit. Bergas devectus, humaniter â Rege excipitur. Hujus anni æſtate legatus Jonis Comitis Orcadenſis Bergas appulit, magna ad Regem Haconem munera deferens, qvem Rex viciſſim nave eximiâ cum univerſo apparatu, pluribus etiam aliis donis, remuneratus eſt; Bergisqve itaq; Rex duodecimam hanc regni ſui hyemem, à nato Salvatore MCCXXIX. exegit. Nec dici poteſt, qvàm jucunda tum pax & concordia Regem inter & Comitem inſignibus cives comodis & proventu auxerit. Ad hunc annum *Sturlungorum hiſtoria* Giſſurem Thorvaldi filium & Jonem Murtum, Snorrii Sturlæi filium, ex Islandia in Norvegiam profectos memorat; utrumq; dapiferum factum, illum Regis, hunc Comitis Skulii. Hac, qvâ memoravimus, hyeme Archiepiſcopus Thorer Epiſcopos omnes Norvegiæ in proximam æſtatem ad ſynodum Eccleſiaſticam Nidaroſiam convocat. Tunc qvoqve Eyſteinus, qvondam Norvegiæ Archiepiſcopus, inter Sanctos relatus eſt. Etiam hôc tempore multa ex Hæbudibus belli fama in Norvegiam deferebatur. Nempe eodem annô Alanus Gallovidianus (de qvo nonnulla leguntur apud *Buchananum Lib: VII. & VIII.*) Rollandi Scotiæ Comitis filius, vir ſtrenuus, reiqve nauticæ peritus, & aſſvetus expeditionibus, validâ claſſe numeroſoqve milite inſtructus, Hiberniam & Hæbudas infeſtare damnisqve afficere cæperat. Verùm Olafus Gudriodi filius, Manniæ Rex fiduciarius, inſigni in Haconem Regem fide, regnum ſuum armis ab inſultibus ejus maſculè vindicavit: ſed Hæbudarum Reges neqvaqvam pari fide Regem colebant; erant hi autem fratres, Duggal Skrogus (ſeu Skrokus) & Dungadus Sumarlidii filii. Cœterum tum temporis Uſpakus qvidam in Norvegia cum Betulopedibus diu verſatus, tandem Regum Hæbudarum frater, Regisq; Dugalis filius (*Chronicon Manniæ* Oamundi filium vocat) agnitus eſt. Concordat hoc cum *Chronico Manniæ*: qvod autem de eodem Membranæ duæ habent, omninò diſcrepat â *Chronico Manniæ*; meliús *Editio Danica* omittit; nimirum propinqvum eorum Sumarlidium tunc Regem Hæbudarum fuiſſe.

Ipſo hujus anni autumno Rex Hacon Bergis in Vikam profectus, aliqvantiſper Tunsbergæ comoratus, inde Osleyam ivit. Ibi tum Andream Skialdarband propinqvum ſuum offendit, qvi eâdem hyeme iter Hieroſolymam parabat, ingreſſusqve viam primò per Hallandiam, inde Sellandiam, hinc per locum, qvem Hvitſand *Cod. Flat:* Hvitſand *Gullinskinna* vocat, tranſiens, rectô palmariorum (peregrinantium) itinere ad mare tendebat. Ibi nave, cujus generis Dromundos appellant, exceptus eſt; nec qvicqvam poſtea de eo famâ compertum. Scripſit qvidem Rex ad Imperatorem Romanorum Fridericum Secundum, aliosqve in exteris amicos, ut, qvid tandem de homine factum eſſet, inqvirerent; neq; usqvam qvicqvam de eo reſcire potuit. Remanſerat domi uxor ejus Ingibiorg cum Petro, qvi eorum filius habitus eſt; verùm maritô non reverſo, ipſa Comitem Skulium patrem eſſe filii profeſſa eſt; id qvod nec Comes inficiatus, eum in domũ ſuam receptum tenerrimè dilexit. Seqventem hyemem, anni MCCXXX. regni verò ſui decimam tertiam, Rex Osleyæ tranſegit. Procedente hyeme Osleyæ comitia habuit, Uspakumqve Regem Hæbudarum declaratum novô Haconis nomine inſignivit, ſeqventi æſtate ſe eum in regnum inducturum, copiasqve ei & claſſem traditurum, pollicitus. Ipſo comitiorum

rum die ê Svecia Osleyam Magnus Broxius, Comitis Knuti filius, Birgeris autem Brosæ Comitis nepos, Regi qvoqve Haconi sangvine junctus, advenit. Uxor ei Sigridis, Knuti Sveciæ Regis filia, qvi filium qvoqve Knutum habuerunt. Magnô is honore à Rege exceptus est, postqve aliqvam in Norvegia moram prolixam Regis expertus benevolentiam dimissus est. Ipso festi resurrectionis die Thorer Archiepiscopus decessit. Error itaqve est in Calendario veteri, qvô mortes celebrium virorum annotantur, qvòd obitum ejus contra trium exemplarium consensum in octavum diem Augusti referat, nisi fortè alius ejusdem nominis Archiepiscopus intelligendus sit. Suffectus in ejus locum Sigurdus, cognomentô Tapsius, Endridii Peinæ, aliis Pennæ, filius; qvi hâc ipsâ æstate Romam ad pallium obtinendum profectus est.

CAP. XXII.
REGIS HÆBUDARUM USPAKI AD EXPEDITIONEM APPARATUS. PUGNA AD SKIDAM: NORDMANNORUM CUM SCOTIS PRÆLIUM. USPAKUS MORITUR. FESTUM RELIQVIARUM OMNIUM SANCTORUM A SIGURDO ARCHIEPISCOPO INSTITUITUR. SKULIUS MALÆ A REGE FIDEI ACCUSATUR.

VEre proximô Rex Bergas profectus expeditionem ibi in Hæbudas Uspaki Regis nomine apparabat, partem etiam ejus Comes Skulius instruxisse legitur; naves undecim (*Editio Danica* duodecim habet; novemqve Regem, tres Comitem suppeditâsse tradit (in universum datæ. Tribus Comitis navibus præfecti Sigurdus Sæpill, aliis Sæfill, Sigurdus Smidus, seu faber, & Paulus Balkinus. At regiæ classi ductores dati, primò ipse Uspakus, secundam navem duxit Thormodus Thingskorinus (aliud exemplar eum Thornskorinum appellat) tertiam Sorkvir, aliis Serkus, Svignakiuka, qvartam Aulver Illteit, seu *pura malitia*, qvintam Sveinungus Svartus, seu *niger*, sextam Paulus Gaas; reliqvis tribus qvinam præfuerint, non memoratur. His jam navigaturis supervenit Olafus Niger Manniæ Rex, pulsum se ab Alano referens: qvi, infestatâ jam armis Manniâ, minimè istâ contentus victoriâ, insuper se arma Norvegiæ illaturum minatus esset: qvippe cùm nec intercedens mare, Scotis haud magis qvàm Norvegis arduum, nec Norvegia Scotiâ magis importuosa prohibere conatus suos posset; qvi tamen ultra minas non processerunt. Post qvatuor dies Rex Olafus, Pauli Backini nave conscensâ, cum classe reliqvâ discessit; ad Orcades delatus, à Comite Jone magnâ nave, qvæ Bovis gerebat nomen, donatus est. Viginti navium classe inde solverunt; de qvo itinere cùm inaudivissent Balkius Juvenis, aliis Paulus Balkius Pauli filius, Ottar & Snækollus, austrum versus ad Skidam usqve navigantes, inciderunt in Thorkelem Thormodi filium, qvem adorti subitò cum duobus filiis occiderunt. Thormodus in vas, qvod prope navem fluitabat, se præcipitans, undis deinde ferebatur, tandemqꝫ in Scotiam ad Hafarsfot, aliis Hattarsfot, aqvilonem versus delatus, præsens periculum evasit. Inde Balkius & Ottar ad Regem Uspakum se convertunt; & postqvam classem cum universis copiis in portum Ilarsund, aliis Slarsund, reduxissent, à Regibus Duggale,

Dungado, eorumq; propinqvo principe Sumarlidio, ad epulas, qvas vinis generosis illi instruxerant, invitantur. Verùm Norvegis comitas eorum & fides suspecta fuit, nec ipsis ab Hæbudensibus major fides habita. Igitur & Reges insulanorum se præsidiô muniverunt. Verùm cum ibi essent, qvodam die Norvegi Dugale in Uspaki fratris navem transgresso, Norvegi subitò exorti Sumarlidium occiderunt, Dungado absq; magnâ clade suorum capto. Huic qvidem tumultui Uspakus non interfuit; mox autem adveniens fratrem Dungadum recepit, Dugalemq; fratris filium furentiû iræ subtraxit. Inde in insulis copiæ navesq; circiter octoginta contractæ, qvibus Satiria (aliis Cantiria: promontorium nempe illud, qvod à Scotia in occidentem extensum, & mari penè circumfluo cinctum, olim â Magno Nudipede Scotis ereptum fuit,) petita, aliud exemplar Botam nominat. Ibi tum arx fuit Regis Scotorum, Comitis cujusdam è Stivardorum familia custodiæ mandata, qvam aggressi statim oppugnârunt. Verùm Scotis se fortiter defendentibus, picemq; & plumbum liqvefactum in Nordmannos & Hæbudenses dejicientibus, factâ hi properè testudine, muros molliori saxô structos à fundamentis frangere cæperunt; tumq; adolescens qvidam, cui nomen erat Skagius Skitradus, Comitem supra murum stantem sagittâ trajecit. Perfosso tandem intra triduum muro arx expugnata, & magna vis prædæ accepta. Inter alia eqves qvidam Scotus, trecentis marcis argenti signati sese redemisse legitur. Trecenti in oppugnatione Nordmannorum (& in his Svenus Niger) atqve Hæbudensium perierunt. Gravis inde tempestas exorta; tres (aliis qvatuor) Nordmannorum naves cum vectoribus absumpsit. Cognitum deinde, Alanum Comitem in australi promontorii parte cum centum qvinqvaginta (aliis ducentarum) navium classe excubare, eos primâ occasione aggressurum; itaqve ad aqvilonare Cantiriæ latus deflectebant: ubi cùm aliqvantisper stativa habuissent, Uspakus, magno omnium suorum luctu est mortuus. Olafus igitur Imperator totius exercitûs constitutus, transmissis Mercatorum insulis; diu ibi hyberna habuit: inde ad Manniam regressus in armatas turmas incidit, qvibus Dux Thorkell qvidam Nialis filius præerat. Verùm indigenis adversus Olafum pugnare detrectantibus, subitò illæ dissipantur; ipseq; dux Thorkell à Norvegis captus in vinculis & compedibus per aliqvod tempus detinetur, donec tandem à Sigurdo Sepile & Sigurdo Smido (qvem exemplar aliud Sigmundum appellat, absqve cognomine addito,) non sine multorum offensâ dimissus est. Inde mox tributo provinciæ toti impositô, tres numi Anglici ex singulis vaccis, præter alimenta, qvæ universo exercitui Mannenses totâ hyeme præbere tenebantur, exacti. Appetente vere, è Mannia Norvegi iterum, Rege ibi Olafo relicto, discesserunt. Dein in aqvilonem cursum instituentes, ad Cantiriam exscensionem faciunt: qvibus Scoti occurrentes, manus cum ipsis conferunt. Levibus primùm velitationibus res acta, multorum tamen ab utrâqve parte jacturâ; etiam cùm reversi ad naves suas Nordmanni essent, cognoverunt, qvicqvid lixarum in terram exiisset, â Scotis occisum, lebetesq; omnes interceptos. Itaqve cladem vindicaturi Cantiriam crebris irruptionibus vastârunt. Inde in aqvilonares insulas conversi, in Liodhusa Thormodum Thorkelis filium adorti, occisis aliqvot, ipsum extra insulas fugârunt, uxorem prædæ locô cum universa supellectile secum avehentes. Tandem, revisis Orcadibus, in Norvegiam reditum. Ingens hâc expeditione gloria apud suos, Regis etiam gratia, reversis parta. Paulus Balkinus in Hæbudis relictus, paulò pòst à Gudriodo, aliis Gudreko, Svarto, seu Nigro, Rögnvaldi Regis filio

filio, cæsus eſt; ſenſimqve inde pars reliqva Norvegorum domum ſecuriùs repetebat.

Hac hyeme, anni MCCXXXI. qvæ regni Haconis decima qvarta eſt, Bergis Rex commorabatur. Eodem autumno Sigurdus Archiepiſcopus domum pallio impetratô rediit; qvem *Breviarium Nidaroſienſe* feſtivitatem Reliqviarum omnium Sanctorum in baſilica reqvieſcentium cum duplici feſto inſtituiſſe his verbis tradit. *Hodie, dilectiſſimi, feſtivitatem Reliquiarum omnium Sanctorum in hac ſancta baſilica reqvieſcentium ſub una ſolennitatis leticia celebramus, qvam venerabilis pater Siguardus octavus, hujus Eccleſiæ Archiepiſcopus, ſinodaliter conſtituit, ut tertio Idus Octobris cum duplici feſto celebriter teneatur, quorum patrociniis terra letatur, quorum triumphis eccleſia ſancta coronatur, quorum confeſſio, quanto in paſſione ferocior, tanto ditior in honore, contumelias, crucem & mortem non timuerunt, ſed exemplo capitis Domini Ieſu non reſiſtere, ſed perferre optaverunt.* Inſtitutam hanc prius feſti celebritatem docet *Du Freſne* in voce *Feſtum. Feſtum*, inqvit, *Reliquiarum, ſeu Commemoratio Sanctorum, qvorum reliquiæ ſunt in illa Eccleſia, in qua celebratur. Statuta antiqua Ord: Cartuſienſis 1 part: cap: 28. Sect. 7 Feſtum Reliquiarum ſolenniter celebramus; Converſi tamen & mercenarii debent laborare, ſed non circa domum ſuperiorem. In hoc feſto dicuntur capitula plurimorum Martyrum. Reſponſoria vero & Antiphonæ ſicut in feſto omnium Sanctorum. Et Sect. 12. In Octavis feſti Reliquiarum Eccleſiæ ſuperioris fiat feſtum Reliquiarum Eccleſiæ inferioris; non tamen ceſſatur ab operibus.*

In Orcadibus ex præfectis navum Uſpaki Aulvèr Illteitt/ aulicus Regis, vir durus, crudeli & iniqvo ingenio, ad Haneſum qvæſtorem Regium fratresqve ejus Kolbeinum & Andream tranſiit: ejùs exemplùm alius qvidam ſecutus eſt, vir ſummæ nobilitatis, Snækollus Gunnii filius, matre natus Ragnhilde, filia Eirici Slagbrelleris, ex Ingigerde Divo Rognvaldo Kalii cognatâ, irritatus injuria qvadam â Comite Jone illatâ, qvippe qvi agrum Comitis Rognvâldi ad Snækollum jure ſuceſſionis hæreditariæ petinentem, per vim detinuit, multisqve precibus ſollicitatus reſtituere noluit, qvibus inſuper exacerbatus, qvæſierat, *annon Orcades etiam ſibi exemplo avunculi eripere moliretur?* Cum alter reſponderet, *ſcire ſe qvidem optimè partem, inſularum ab eo non impetraturum, cum patrimonio etiam jure ſibi debito defraudaretur.* Creſcente ſic in dies ira & indignatione Comitis, ſaluti ſuæ deſperans ad præſidium Haneſi confugit, qvod is validum circa ſe habuit. Proximo autumno Comes Ion ac Haneſus ſimul in Kataneſiam trajecerunt, diſtinctis diverſoriis cum ſuo qvisqve ſatellitio in oppido Thorſa uſi. Forte veſpere qvodam, cum Haneſus cum ſuis in diverſorio ſedens potaret, qvidam ad eum ingreſſus monuit, ſibi ſuis qve caveret: eadem enim nocte Comitem Ionem, qvod ſuſpectam eorum haberet fidem, eos invadere omnesqve occidere deſtinâſſe. Haneſo cum fratribus & Snækollo occupandum facinus viſum eſt: cumqve eſſent ebrii, conſilium id cunctis probabatur, confeſtimqve diverſorium Comitis adorti, ferro flammaqve oppugnabant. Comes in cellam deſcendens ſubterraneam, inter vaſa ſe ibi abſcondit; hunc Snækollus, Sumarlidius Rolfi filius, Aulver Illteitt/ Thorkell & Rafnus deprehenſum novem vulneribus confoſſum manibus ſuis trucidarunt, pluribus etiam occiſis. Inde Haneſus in Orcades rediens, vetuſtam in Vigure arcem, qvam Kolbeinus Hruga exſtruxerat, occupavit, magna armentorum vi eò ad alimentorum uſum tranſvecta; qvod vix peragi potuit, cum jam excitati ad vindictam propinqvi & neceſſarii Comitis arcem cæpiſſent obſidere. Cum autem traheretur obſidio,

Hanefi propinqvi, Kolbeinus Kennadalus multiqve alii inducias hiemales ſecuritatemqve pacti ſunt, eâ lege, ut proxima æſtate pars utraqve in Norvegiam profecta judicio Regis Haconis ſeſe ſubmitterent.

Proximo vere, anno ſcil: MCCXXXII. Hanefus cum ſociis unâ nave, aliâ verò amici propinqviqve Comitis, omnesqve adeo Orcadum Optimates, Norvegiam petunt. Bergis eo tempore Rex Hacon, anno regni ſui decimo qvinto, hyemavit: vere autem negotiorum ergo in Vikam profectus, nondum inde, cum Hanefus Bergas appuliſſet, reverſus erat. Is cum ſociis domum Pauli hoſpitium delegit. Paulo poſt eorum adventum Comes Skulius Nidaroſiâ eo devenit, ad qvem rarum admodum Hanefus acceſſum obtinuit. Nec longo poſt tempore Rex cum Domino Knuto Bergas adventabat; itaqve exiguo interjecto tempore tubâ aulicis omnibus convocatis, Hanefus cum facinoris ſociis coram judicio ſiſtitur, Sigvaldio Skialgio Comitis affine cum Orcadenſibus his ultionem jure exigente. Mox ſententiâ dictâ Hanefus cum fratribus & Snækollo Sumarlidio Andreaqꝫ, Rolfi Ketlingi filiis, in arce Bergenſi per dapiferos cuſtodiæ mandarentur. Aulver autem Jllteitt/ Thorkell & Rafnus, cum duobus aliis, in inſulam Tauluholmam (aliis Totaholmam) deducti capite plexi ſunt. Accidit forte tum, ut qvidam interfectorum ex numero emiſſariorum Regis, nomine Biörnus, cum ad ſupplicium ducendus templum Divæ virginis præteriret, ubi ſacra celebrabantur, ex manibus eorum elaberetur, hæc affatus: *Rectius eqvidem ſacris interero, qvàm vos ſeqvar*. Id qvod ei qvoq; delicti gratiam fecit. Thorkelem autem Nigrum cum Sigvaldius in Svartabudis deprehenſum per plateas circa Comitis Skulii hoſpitium ad ſupplicium traheret, Comes; *ne eum occideret, ſi graviter non deliquiſſet*, oravit. *Imò*, reſpondit Sigvaldius, *eo hic gravius deliqvit, qvod exanime jam Comitis corpus confodere non deſtiterit*: qvo audito, pœnas promeritas non evaſit. Deinde Sigvaldius cum univerſo comitatu optimatum Orcadenſium, nave conſcenſa domum navigabat. Ipſa autem in reditu navis interiit, nec, ubi locorum hoc factum ſit, cognoſci potuit; tantamqve tum Orcadenſes jacturam fecerunt, ut poſt longam annorum ſeriem vix eam reparâſſe perhibeantur. Proximo autumno Comes Skulius in Thrandiam profectus eſt, Hanefo, Kolbeino, & Snækollo comitibus aſſumtis. Inde Hanefus in Halogiam cum Paulo Vagaskalmo diſcedens, in Dyniarneſia apud eum hyemem exegit; proximo vere ad Regem reverſus, impetrata domum remeandi poteſtate, in itinere in Hereya inſula, qvo forte repulſus fuerat, mortuus eſt; frater autem Kolbeinus in Thrandia vitam finiit. Snækollus diu in aula Comitis Skulii, poſtea apud Regem Haconem vixit. Autumno ejuſdem anni, qvo Rex & Comes Bergis in ſuam qvisq; partem regni diſceſſerant, natus eſt Regi ipſo Martini feſto filius, cui paternum Haconis nomen inditum; inde Rex ſedem aulæ ſuæ per totam ſeqventem hyemem Bergas delegit, qvæ æræ Chriſtianæ MCCXXXIII. regni ejus decima ſexta erat.

Multa tunc ſemina diſſidiorum Regem inter & Comitem emerſerunt: cauſam haud pauci in ſatrapas conjecerunt, Comitem apud Regem calumniando: & compertum eſt, multas hac hyeme Comitem naves ædificaſſe, qvam rem admodum Regiis ſuſpectam, tanqvam ſignum perfidiæ, molitionumqve novarum in Regem, inimici interpretati ſunt. Mors etiam filiæ ejus Ingiridis, Domini Knuti uxoris, vinculum mutuæ inter illos qvoq; amicitiæ prorſus abrupit. Dimidiam Knutus Rogiam, ſev Ryafylkiam, (Ryafylkiam tenuiſſe tradit Exemplar Ms) dimidiam qvoqve Sogniam jure clientalari in hunc uſq; diem tenuerat, fevda infra cupiditatem ipſius, animo-

moqve majora indies ſpirante, longe arctiora; qveſtus itaqve coram Rege eſt de diviſione illa, qvæ Comitem inter & Regem Bergis facta erat, Comitem alteram verius qvam tertiam regni partem accepiſſe dictitans.

Eâ ipſâ hyeme Archiepiſcopus Sigurdus omnes Epiſcopos regni ad ſynodum Eccleſiaſticam ſeqventi æſtate Bergis habendam convocat. Tempore autem verno Rex in Vikam profectus Comitem Bergas primâ qvoqꝫ æſtate ad cauſam dicendam citat, Satrapasqꝫ omnes & qvæſtores Vikenſes eò ſecum adduxit, copiis magnis conſcriptis, qvibuscum Bergas profectus eſt, ſatrapis Arnabiorno Ionis filio, Simone Kyre Lodino Gunnii filio & Gunnbiorno, aliisqꝫ inſuper ex ſocietate Gulenſi, haud ſegniter inſecutis. Qvàmprimum Bergas advenerat, ſatrapas omnes cum cohortibus militum pluribus evocabat; totum tum portum Bergenſem, qvi Regis dicitur, claſſis Regia ſtationesqꝫ omnes portuum intra urbem naves longæ repleverunt, ità ut plurium capaces non eſſent. Cæterum Comes Skulius in Thrandia magnam æſtatis partem manſit; ubi navem præ cæteris magnitudine inſignem ædificando, qvam Langafriadag, ſeu diem Veneris longam (ita feriam paſſionis Domini appellaverunt) nuncupabat, moram juſto longiorem traxit. Serò igitur iter adornabat, prolixô qvidem apparatu, triginta navibus, ut *Editio Dan:* (plusqvam vicenis reliqva Exemplaria habent,) ſatrapis hiſce, Alfo affine ſuo, Aſolfo propinqvo, Paulo Vagaskalmo, filioqve ejus Nicolao, Bardo Brattio, Eylifo de Völlo, multis qvoqve qvæſtoribus comitatus. Procedente autumno tandem Bergas attigit: anteqvam verò appelleret in portum, præmiſerat ad Regem Paulum Vagaskalmum. Hic in urbem delatus â ſatrapis graviter reprehenſus eſt, qvòd Comiti addictior Regi ſeſe opponeret, poſtulabantqve omnes, ut deſerto Comite Regem ſeqveretur: qvibus tum ille reſpondit, *nihil indigni ſe in Regem commiſiſſe, etiam ſi Comitem citatum â Rege ſeqveretur: plurimos etiam ſatrapas in aqvilonari regni tractu eô ingenio videri, ut Comitis partes deſtituere maximopere abhorreant.* Accedens deinde Regem comiter excipitur, dimiſſusqve ad Comitem, qvalis in urbe apparatus eſſet, claſſisqve portus omnes replentis habitum ſtatumqve retulit; interceptas ità ſtationes omnes, nec ſpatium Comitis navibus relictũ. Comes propius urbem accedens claſſem ità ordinâſſe fertur, ut ipſe prætoria nave claſſem præcederet, ordine ſecundo binæ ſeqverentur, tertio ternæ, qvarto qvaternæ, qvinto qvinæ; atqꝫ ità ſex ſexto, ultimò verò ſeptenæ irent, in juſtam qvaſi cunei ſpeciem: id qvod effuſis ad ſpectandum civibus jucundum ſpectaculum præbuit. Hinc ad Nordneſiam extra locum Innkifium dictum ad Hakallaſtrandam claſſem appulit, ſtatione in tantum incommodâ, ut jacturam navium aliqvot, anteqvam tota inducta claſſis eſſet, fecerit, teſte ſuperſtite verſu Olafi Hvitaskaldi.

CAP. XXIII.

SKULIUS COMES REGI RECONCILIATUR. HAMARENSIS EPISCOPUS OB CONTROVERSIAM CUM REGE AD PAPAM PROFICISCITUR.

Sic

Sic itaqve haud multò post in sacrario ædis Christo sacræ Rex Comesq; conveniunt, Rexq; magna huic crimina intentando graviter in eum invehitur. Mox judiciô in cæmiterio constitutô, sella Regi apponitur, sedentibus circùm Satrapis, cœterisqve, qvi à consiliis Regi erant; ponè sellam regiam Gunnar Regis propinqvus stabat. Aderat & Dominus Knutus cum Archiepiscopo & cæteris regni Episcopis. Tandem accessit cum universo suorum comitatu Comes Skulius; cui cùm nulla in consessu regio sedes relicta esset, alia statim sella â suis apposita est. Dagfinnus deinde Bondius exsurgens, Regem solenni officiô prosecutus est, orationemq; disertam habet, qvam adhortatione ad mutuam inter Regem & Comitem pace claudit. Hinc exsurgens è sede suâ Rex ipse multa in Comitem concionatus, crimina, qvorum insimulabatur, objicit. Eadem & Satrapæ omnes ordine, unus post alium perorantes, acriter ipsi intentabant. Qveis auditis singulis, deniq; Comes responsionem paravit, stansqve erectus orationem his verbis exorsus est. *Unum ego scio carmen; aqvila insedit rupi. Aliud novi carmen; aqvila rupi insedit. Tertium adhuc carmen teneo, omnia ut primùm sonant, aquila insedit rupi. Etenim hoc more res hodie hic peragitur. Singuli in me unum, sed suo qvisque modô, insurgunt, in exaggerandis verò criminibus insigniter concordes omnes definiunt.* Pluribus deinde verbis prolixè perorando cuncta â se crimina disertissimè removit; hinc digressione qvadam orationis factâ, ad serviendum omninò cedendumqve Regi sese obligatum professus est; malam verò se gratiam habere Satrapis prò calumnia & dissidiorum fomentis, qvæ inter eum & Regem sparsissent. Cùmqve jam finem dictis imposuisset, Gunnar Regis propinqvus infit. *Tum demum verum Regi obsequium deferre nobis videberis, si depositâ togâ ad genua ejus procumbens, arbitrio & clementiæ regiæ causam omnem permittas.* Ad ea Comes; *Et noveram*, inqvit, *Gunnar, officium Principibus exhibere, cùm tu domi adhuc defixus aliud egisti.* Exsurgens deinde Rex, forôqve excedens, templum ingressus est, mandans, ut qvotqvot inservire sibi vellent, seqverentur. Secuta igitur eum plebs omnis. Comes verò, qviqve cum eo ex aqvilone venerant, remanserunt, inde ad naves regressuri. Exinde Archiepiscopus Antistitesqve singuli, authoritate interpositâ, litem in hunc modum composuerunt, ut Regi satisfieret, sponsione ex parte Comitis adhibitâ; eòqve rem deduxerunt, ut magna deinceps mutuæ bevevolentiæ species inter eos appareret, seqve invicem ante discessum epulis ac conviviis exciperent. Qvi verò exactiùs utriusqve ingenium noverunt, nunqvam sinceram amicitiam inter eos restitutam fuisse tradunt.

Eodem autumnô Comes Skulius Thrandiam repetit; Rex autem festum natale Domini Bergis commoratus exegit. Annus hic erat imperii ejus decimus septimus, â Christo verò MCCXXXIV. qvo tempore hiberno nata est ipsi filia Christina. Instante qvadragesimâ, Rex Sogniam ingressus inde in superiora profectus est. Qvædam tum inter ipsum & Paulum Episcopum Hamarensem controversia intervenit de insula in lacu Miorse sita, qvæ Sancta insula appellatur, qvam Rex suo jure repetebat; Episcopus autem se redditurum denegabat. Hanc Ingius, qvem Bagli Regem appellârant, Ecclesiæ Hamarensi donaverat. Betulopedes autem Regem eum fuisse inficiati, privatum ex Dania hominem, nomine Thorgilsem, probroso cognomentô Thufuskitum appellatum, ostendebant; qvem nullo ju-

re patrimonium Regum Norvegiæ donare alicui potuiſſe Rex contendit. Inde Tunsbergàm profectus, ver ibi totum exegit. Verùm Epiſcopus Paulus ad Archiepiſcopum & Comitem Skulium poſtulata Regis perſcripſit; placuit tum utriqꝫ, ut Epiſcopus ipſe Pontificem Romanum adiret: itaqve iter ingreſſus, in Gothiam primò, deinde Daniam, profectus eſt, hinc per Saxoniam, cœterasqve Germaniæ partes tandem Romam defertur. Tunsbergæ Rèx hôc vere murum circa rupem reparari ſedulò curavit, etiam nave ibi magnâ, qvam Olafsſudam appellavit, exſtructâ. Finitô vere, poſt aliqvam moram Bergas repetivit, qvò & Comes acceſſit; jamqve jucundè admodum convixerunt, ut ſemper, cùm ſimul eſſent, conſveverant: ſed iteratô calumniarum interventu haud rarò ad periculum ſpectabat. Notant Annales, pridie feſti prioris S. Olafi crucem Sanctam Nidaroſiâ devectam, ſed nihil præterea addunt. Annotant qvoqve ad hunc annum obitum Olafi Sveonum Archipræſulis & Nicolai Epiſcopi Heidabæenſis. Mater tunc Regis Inga in aula filii degebat, magno pro dignitate honore ab omnibus culta, ipſaqꝫ jam graviter decumbens ingraveſcente morbo ante Dominicam Adventûs extincta eſt. Comes Skulius hac ipſâ hyeme in Thrandiam denuò diſceſſit, Rex in Vikam, Osleyæqve hyemem regni ſui decimam octavam exegit.

CAP. XXIV.

DIGRESSIO HISTORICA DE GESTIS IN ISLANDIA; ET STURLÆ SIGVATI FILII IN NORVEGIAM, INDEQVE ROMAM PROFECTIONE.

Eôdem autumnô, qvò Skulius Comes ad cauſam, ut nuper memoravimus, dicendam profectus, in ſtationem ad Hakallaſtrandam appulerat, Sturla Sigvati filius, vir inter Islandos primarius, domô profectus, itidem ad ſubeundum judicium Bergas advenerat. Cauſa erat, qvòd Epiſcopum Gudmundum, vi Tumii, fratris Gudmundi, ſede Epiſcopali remotum, inqꝫ inſulam Grimseyam fugâ delatum, perſecutus fuiſſet, multâqve ſuorum cœde captum, in Norvegiàm (haud dubiè in exilium) miſiſſet; itaqve ab Archiepiſcopo Sigurdo cum patre Sigvato in jus vocatus, ad cauſam utriusqꝫ dicendam profectus eſt, Bergisqꝫ ab Alfo de Thoruberga Comitis Skulii affine eò tum qvoqve advecto ſummâ humanitate excipitur: Et ſvadebat magnoperè Alfus, ut adventum Comitis è Thrandiâ exſpectaret; pollicitus qvoqꝫ, *ſe in gratiam ejus ipſi conciliaturum, nec dubitare ſe, qvin Comes maximis eum honoribus, tantum nimirum patriæ ſuæ decus, affecturus ſit. Eſſe enim Comitem in Islandos animô mirum qvantum propenſo, maximè tamen in familiam, ex quâ ortus hic eſſet, Sturlungorum.* Verùm Sturla Regem adire ipſum maluit; ideoqꝫ, donec Rex accederet, præſtolatus, totum illud tempus permanſit Bergis, dum diſſidia inter illum & Comitem componerentur. Tandem ſub initium hyemis in Daniam profectus, ad Regem Valdemarum ſe confert; perhumaniter ibi qvoqve ſuſceptus, diſcedensqve à Rege Daniæ eqvô pretioſo & muneribus aliis honoratus in Germaniam peregrinationem ſuſcipit. In itinere illo in Paulum Epiſcopum Hamarenſem incidit; cui ſtatim itineris ſocium Romam ten-

denti se dedit, eoqve intercessore fido atqve industrio ad Pontificem usus, criminum omnium comissorumqꝫ patris absolutionem, ut vocant, impetravit: qvam tamen haud gratis, nec absqve pœna Ecclesiasticâ, obtinuit; nudus enim ad omnia urbis Romanæ templa ductus, & ad præcipua virgis cæsus in freqventis turbæ conspectu, ingratum plerisqve spectaculum pectora tundentibus, mulieribus qvoqve lacrymis miserationem viri tam fortiter crudeles ferentis plagas testantibus, præbuit. Deniqve absolutô negotiô, Episcopum in Norvegiam secutus est; ubi firmatâ inter eos datis redditisqve muneribus amicitiâ, dimissus tandem, ad Regem iterum Haconem Tunsbergam se contulit. Hìc conviviô exceptus multos cum Rege secretos sermones habuit. Displicuerunt Regi tumultus illi injuriæqꝫ, cædes & rapinæ, de qvibus multa ex Islandia retulit. Tunc enim in mutuum universa gens exitium armata in factiones complures coierat; id qvod *Sturlungorum historia* copiosè exponit. Qvæsivit itaqꝫ Rex, *an magnæ adeò difficultatis negotium foret, totam gentem sub unius potestatem redigere? id qvod ad pacem communemque salutem quàm maximè conduceret.* Ad ea Sturla varia primùm præfatus respondit, *rem quidem expeditu facilem viro strenuo & prudenti fore.* Qværenti ulteriùs Regi, *ducem-ne se tantæ rei gerendæ præbere vellet? se quidem id auspiciis consiliisque Regis, modò digna tantis laboribus præmia proponerentur, experturum* respondit. Ità verò, ut diximus, *Cod: Flat:* rem narrat, nec MS. dissentit. Etenim & *ipsa historia Sturlungorum* manifestè tradit, convenisse inter Regem ipsumqꝫ, ut Islandiam illi subjiceret, ipse verò eam tanqvam in vicem Regis postea regeret. *Editio Danica* imperium in Islandos ipsum non affectâsse Regem memorat; sed svasisse Sturlæ, ut hic sibi patriam suam subjicere conaretur, utqve legibus eam & æqvitate deinceps componeret, injuriisqve, vi ac cædibus severè cohibitis, sumam sibi potestatem stabiliret; ad eam verò per cædes hominum & sangvinem ipsum grassari noluit, sed artibus & consiliis haud sangvinariis irrependum, per deditiones nimirũ procerum aut exilia, qvod *Sturlungorum historia* etiam pluribus confirmat. Sæpiùs deinde per eandem hyemem Osleyæ inter se super his ipsis conferebant.

Seqvente æstate Anni MCCXXXV. Sturla in Islandiam reversus, Grundæ cum patre suo per hyemem degit; qvia verò, dum ipse in exteris esset, patruelis ejus Urækia, Snorrii Sturlæi filius, provincias ejus subditosqve plurimis damnis affecerat, Sigvatus & Sturla magnâ vi hominum in Snorrium Sturlæum movent, postulantes, ut pro injuriis filii ipsis satisfieret. Nolebat autem Snorrius infestas adversus fratres suos copias colligere; comunisqve eorum frater Thordus dissidentes inter se conciliare, sed frustra, operam dabat. Secessit itaqve Snorrius è prædio Reykiaholte, qvod Sturla cum bonis cæteris statim occupavit; inde in sinus occidentales profectus Urækiam specie magis qvàm revera in gratiam recepit, qvæ tamen non diu duravit; etenim comprehensum & oculis alteroqꝫ testiculo orbatum ità ad suos dimisit. Verùm ille medios inter cruciatus Divæ virginis Diviqꝫ Thorlaci auxiliô invocato restitutis in integrum, qvibus privatus erat, partibus, ut qvidem traditur, ex consilio postea Magni Episcopi Skalholtensis in exteras terras profectus Romam ivit. In eodem itinere Valdemarum Daniæ Regem salutabat, qvem carmine qvoqve legitur celebrâsse, ab eo vicissim in itineris usum eqvô pretiosô donatus. Inde Sturla Thorleifum de Gardis adortus, in villa provinciæ Borgarfiordensis cum illo congressus superior evasit. Thorleifus annô posteriore (vel, ut *Sturlungorum vita*, cui Annales consentiunt, habet, tricesimo septimo) qvàm

Uræ-

Urækia patriâ excessit, inqve Norvegiam cum cæteris, Snorrio nimirum Sturlæo, Sturlæ patruo, fratre qvoqve Sturlæ Thordo, cognomentô Kakalio, & Olafo cognomentô Hvitaskald, Thordi filio, se contulit. Qvibus ità remotis, Sturla vim omnem irarumq; aculeos in Giffurem Thorvaldi filium, & amitinum suum Kolbeinum, Juvenem dictum, convertit. Kolbeino pater Arnor, ex sorore autem Arnoris Halldorâ Sturla genitus erat. A Gudmundo Opulento & Snorrio Curione, qvi temporibus Olafi Tryggvini & Olafi Sancti in Islandia primas tenuerant, natalium originem Sturla accersebat, generatione ab isto octavâ, ab illo septimâ, distans, â qvo pari gradu Kolbeinus demissus est. Giffur autem & Sturla in gradu tertio lineæ inæqvalis se invicem attingebant, & Giffur qvidem ab Isleifo, primo totius Islandiæ Episcopo, sextus fuit; octavus autem à Giffure Albo, qvi Religionem Christianam in patriam suam primus auspiciis, secundum Deum optimum maximum, Regis Olafi Tryggvini, intulit; at à Magno Nudipede Norvegiæ Rege qvintus numeratur, ex filia ejus Thora genus ducens: qvippe qvæ Presbytero Lopto Sæmundi Multiscii filio nupsit; pari itaqve Regem Haconem gradu & ex utrâqve parte æqvali cognatione attigit.

CAP. XXV.

DISSIDIA INTER REGEM ET COMITEM SKULIUM POST VARIAS QVERELAS AC DELIBERATIONES TANDEM SOPITA.

HYems agebatur, cujus superiùs meminimus, regni Haconis decima octava; qvâ dum Rex Osleyæ residet, novæ iterum emerserunt causæ dissidiorum, calumniatorum inprimis artibus, qvi animũ Regis in Comitem exacerbare in dies gestiebant. Itaq; adhuc Comitem Bergas in seqventẽ æstatem, ad diluenda, qvæ ipsi imputarentur, crimina, evocavit. Comes re deliberata cum suis, an ê re ipsis videretur citationi parere? graviter de Satraparum regiorum in proximo conventu injuriis qveritur; *difficilem tunc Regem ipsorumque incitamentis irritatum fuisse: difficiliorem jam, rebus, quæ postea inciderint, causam exasperantibus, futurum; itaque periculosum videri, potestati se Regis permittere. Venisse tunc ex oriente Regem secutos Arnbiornum Jonis filium & Gregorium Domini Andreæ filium solique Regi fidem jurejurando, quod præstare satellites soleant, obstrinxisse, cùm qvi in priore conventu Regem sequebantur, in sua quoque antea jurâssent verba. Idem qvoqve jam Bryniolfum Jonis Stalis filium, multosque alios apud Regem fecisse. Jam verò se iis longè minorem habere fidem, quàm qui illam utrique obligâssent; magnas Gregorio Bryniolfoque vires esse.* Plures ejusmodi alias rationes adduxit, qvæ â profectione absterrerent, consiliariorum tamen & amicorum pleriqve eam svaserunt. Itaqve sibi persvaderi passus Comes, Satrapas omnes in comitatum ascişcit; morâ tamen longiore impeditus, viginti tantùm navibus in Sunn-Mæriam evectus, in portu Steinavogo diutius per autumnum detinebatur. Verùm Rex ex Vika Satrapis omnibus magnâqve classiariorum militumqve multitudine stipatus, navi ipse Olafssuda, unius & triginta scalmorum longâ, sane perqvam egregiâ, & numerosâ classe

Bergas vectus, ex singulis Gulathingensis societatis paræciis ingentem numerum navium militumqꝫ Bergas evocat. Interim in Thrandiam Clemetum de Holmo mittit, jubetqve in publicis Frostensium comitiis annunciari, nî Comes hâc hyeme Bergas veniat, se in Thrandiam ipsum moturum. Neqꝫ diu rem distulit; etenim decursu autumni Bergas qvadraginta magnarum navium classe navigat, his ferè Satrapis comitatus, Arnbiorno Jonis filio, Lodino Gunnii filio, Simone Kyre, Hallvardo Brattio, Eirico Stilko, Ivare Nef, Gauto de Melo, Nicolao Pauli filio, & Petro de Giskio, pluribusqve aliis magnæ nobilitatis viris, magnoqꝫ copiarum numerô secum adductô.

Interea Comes adversis detentus ventis in portu Steinavogo remanet, qvò ad eum Paulus Vagaskalmus ex Halogiâ venit; ab hoc certior factus Regem contracto exercitu iter in Thrandiam instituisse, iterum deliberat, *redirene in Thrandiam an Regem adire præstet*? Paulo tutissimum visum, *Regi obviam ire: præsentiâ enim convictuque mutuô veteres denuò suspiciones elui, novas in ipsa herba exstingvi, nec odii materiam ità facilè succrescere*; alii autem in Thrandiam ad amicos civesqꝫ suos redire tutius rati, ibiqꝫ Regem, si ita videretur, exspectare, idq; Comes consilium secutus est; redux igitur statim Nidarosiam factus eqvos civibus imperat, in mediterranea iter instructurus. At verò consilio huic Vagaskalmus pluresq; alii sese opposuerunt, adventum Regis exspectandum Nidarosiæ judicantes. Missus itaqve Vagaskalmus obviam Regi inqve Mæras profectus, ad Solskelem classem Regiam offendit, cumqve ad colloqvium non admitteretur, velis Regiæ navis sublatis, ipse simul in Thrandiam navigavit. Leirangris accessu impetrato clementer â Rege auditus, responsum accipit, bono exitu omnia componi posse, modo ad mutuum iterum convenirent Rex Comesqve colloqvium. Hac nocte, qva Leirangris in portu classis Regia stetit, Comes Medalhusis pernoctavit, ingentibus copiis montem transmissurus; at ubi jam ad pontem fluvii Orknæ pervenisset, â plurimis amicis, suis amanuensibus, satellitibusqꝫ superioris & inferioris ordinis, & dapiferis deseritur; similem aliorum in silva Updalensi perfidiam expertus. Erant autem hi præcipui, Aundottus Skakalokus & Ælu- aliis Elfi-Biarnus, & Reidar Dyn, aliis Dynus, multiqve alii, qvi in hunc diem athletæ Comitis & pugiles habiti erant. Extant duo in illos versus probrosi jacti. Cum Nidarosiam ventum esset, Rex, Comitis discessu cognito, ex consilio amicorum Paulum Vagaskalmum & Ivârem Nef ad eum revocandum emittit, amicam compositionem pollicitus, si rediret, ut ita simul in Thrandia hybernare possent. Hac re Comes ad amicos, ut consveverat, delatâ, plurimos reditus auctores habet: erant tamen qvi dicerent, inconstanani esse, tam subitò consilia mutare. Respondens ad hæc Comes; *agnosco quidem*, inqvit, *reditum ex consilio plurium potiorem: attamen obsequar iis, qui profectionem malunt*; montem itaqve ascendens iter festinat; Qvæstores autem Regii, in Uplandis de abitu Comitis certiores facti, naves omnes, qvas in stagno Miorse habebat, interceperunt. Undecim cum iis erant tribuni militum regii, facinoris hujus auctores, qvorum hi præcipui Gregorius Domini Andreæ filius, Havardus de Sundbuio, Aslakus Smiorstackus (Sundstackus Editioni Daniæ) Ion Ketlingus, Dagus de Grofa, Oddus Eirici filius, & Saxius Bladspiot, singuli magnis cohortibus instructi. Comes in Heidmarkiam profectus in emporio Hamarensi cum universo comitatu aliqvantisper substitit. Redeunte vero Paulo Vagaskalmo & Ivare Nef, iterqve Comitis nunciantibus, Rex Archiepiscopum & amicos, qvi ade-

aderant, consulit; ad bellum enim spectare videbatur, qvòd Comes transito cum exercitu monte in provincias, qvæ Regis solius erant, se infunderet. Rogat igitur Archiepiscopus, ut Rex viam paci saltem per hyemẽ ineundæ inveniret. Itaqve ex consilio Archiepiscopi & amicorum, Biornum Abbatem de Holmo & Ivarem de Skediuhofio cum comitatu insigni mittit. Qvi pro induciis belli, paceqve per hyemem retinenda, donec utriusqve amici intercederent, tertiam interea partem singularum in Uplandis & Vika provinciarum Comiti offerrent. Abbas in Heidmarkiam devectus, per nuncium satrapas omnes de mandatis Regiis certiores facit, postulans simul, ne ipsi prius bellum inferrent, qvàm certi omninò essent, an oblatas Comes conditiones repudiaret. Verum cum jam Hamarem venisset Abbas, Comes dapiferum suum Nicolaum de Nior (aliis de Miors) in Heidmarkiam ad reditus omnes Regios intercipiendos miserat, qvâ re per exploratores cognitâ, satrapæ Regii statim ad occurrendum Nicolao sese accingunt, cæptumq; tum esset bellum, nisi intra biduum Abbas Hamarem advenisset: qvi ad Comitem cum suis deductus conditiones â Rege oblatas proposuit. His qvidem, optimô admissô consilio, in pacem Comes, donec conciliatores ultro citroqve mitterentur, consensit. Abbas itaqve ad Regem rediit, comitum ejus aliis in Vikam ad procuranda negotia Regis profectis. Jamqve Comes singulis provinciarum trientibus per Uplandas & Vikam præfectos imponens, Borgensem qvidem satrapiã Arnio Rufo & Finno Knott comisit. Inde Osleiam Comes, mox Tunsbergam profectus, Regios ibi nuncios, qvi comitati Abbatem fuerant, offendit.

Cæterum Cum Rex Abbatem Biornum ad Comitem misisset, simul Arnbiorno Jonis filio, omnibusqve Satrapis Vikensibus in mandatis dedit, provincias, si qvid in eas Comes hostile moliretur, defendere, supremaq; Arnbiörno potestate comissa, reliqvos, ut fortem ei fidamqve operã præstarent, hortatus est. Hi vento secundo usi, brevì in Vikam pervenerunt, jamq; cum Grindholmasundam intrassent, Tunsbergæ Cómes morabatur. Qvi haud segniter capto consilio, eosdem, qvos nuper memoravimus, Abbatis Biorni socios, qvi Tunsbergæ adhuc erant, ad satrapas misit, qvi Tunsbergam eos ad se evocaret; hi verò responderunt, soli Eirico Stilko literas a Rege ad eum traditas, soliq; ei, ut Comitem accederet, in mandatis datum. Compertoq; Comitem nihil nisi pacatè agere, ex Grindholmasunda in suam qvisqve provinciam abeuntes discesserunt; solo Eirico Stilko literas ei Regias reddente. Arnbiornus, cum Valdisholmam rediisset, qvæstoribus, qvos Comes nuper parti ditionum Regiarum imposuerat, edicit, provinciâ Bergensi sibi jam commissâ excedere; neqve enim se illam hominum ulli cessurum, ni ipsum id Regem mandare auribus suis perciperet. Eunt itaqve hi, mandataq; Regis Arnbiorniq; ad Comitem perferunt; thesaurumq; simul, qvem Rex in templo S: Laurentii abscondiderat, ablatum ad Regem reportarunt; id qvod feliciter ipsi, Comite insciô, perfecerunt. Festi Natalitiorum vespere Nidarosiam reduces facti, Regi, qvæ cognoverunt, nunciant; addito, *multos ad bellum Comitem incitare, ne possessionibus suis & hæreditatibus privari se ulterius pateretur: adeòq; incertum esse, qvamdiu pax duratura esset.*

Post Natalitiorum festum Comes ad Gautelfam profectus, diu Kongahellæ moratus est; plurimisq; accedentibus satellitum suorum numerum auxit; inter cæteros verò tum accesserunt Alfus de Leifastadis, qvi turmam unam attulit, Thorgils Stydra (aliis Slidra) Vesetius autem Juvenis

ejusqve frater Algautius prius se Comiti adjunxerant; satellitum dignitate & ipsi ornati. Hos, qvi tum in aulam ejus inscripti sunt, Betulopedes Varbelgos appellârunt. Alfus prius Arnbiorni Ionis domesticus fuerat. Et hi qvidem acriter Comitem concitarunt, hortantes ne permitteret Regem Haconem regnum fraternum hæreditate ad se delatum diutius usurpare: qvorum ille turbulentis consiliis plus qvàm par erat, ut postea apparuit, tribuebat. Rex interea Nidarosiæ festum Natalitiorum hyeme regni sui undevicesimâ celebravit. Cæterum instabat adhuc Archiepiscopus Sigurdus, ut Rex iterum per nuncios pacem per hyemem postularet, id ni fieret, motus in Vika propediem omninò metuendos affirmabat. Itaqve rursus missi Biornus Abbas & Vilmundus Philtus, qvi pacem offerrent; Munano etiam Episcopi filio per ipsos mandatum, referret qvæstoribus, ut omnes se Arnbiorno jungerent, donec de exitu legationis constaret. Abbas Kongahellam tempore qvadragesimæ ingressus Comitem adit, qvæq; à Rege in mandatis habet, exponit. Multi tam Regis qvàm Comitis amici pacem svadebant; ad qvam animus etiam Comitis tum qvidem inclinare cæpit, cum tamen ante adventum Abbatis tantùm non bellum motum esset.

Exacta qvadragesimâ, Comes Kongahellâ profectus Arnbiornum ad conventum in Villa Eyneberg (aliis Heidbiörg) dicta evocat; qvi assumptis Munano Episcopi filio, Eirico Stilko multisqve satrapis Uplandensibus, comitatu trecentorum sexaginta hominum, armis vestibusq; optimè instructo, anteqvam accessisset, Comes in forum prodiit. Advenit deinde Comes, extraqve cæmiterium cum suis consedit, trecentis septuaginta militibus, haud tamen pari ac Regii armatura instructis, stipatus: ipse generoso eqvo insidens pileum album gerebat. Monuerat Arnbiornus suos, ne ullus suum cum Comite colloqvium interpellaret. Post aliqvantum moræ Comes Arnbiornum his verbis affatur: *Qvare tu, Arnbiorne, præfectos meos, qvi Borgensis satrapiæ partem, à Rege mihi hac hyeme permissam, administrabant, exegisti? Id verò*, respondit Arnbiornus, *feci ego, certus præfecturam fidei meæ à Rege commissam nemini sine expresso ejus mandato tradere.* Ad ea Comes; *meo qvidem antea benificio mediam tu ipse Borgensem præfecturam accepisti, & gratum te nobis futurum tunc promisisti: qvomodo hoc præstiteris ipse es conscius. Et verum hoc*, respondit Arnbiornus. Tum Comes: *Atqvi Hacon tunc non minus qvam nunc Rex erat, licèt jam adultior, nec jam mandata ipsius de commissis mihi præfecturis minus, qvàm tunc habent ponderis; & qvamvis tu, Arnbiorne, omnes Norvegiæ satrapas antecellis, nimium tamen tibi arrogas, si ea detinere, qvæ Rex mihi tradi jussit, paraveris. Mihi certe constitutum*, inqvit Arnbiornus, *nemini satraparum id juris cedere, ut eripiat mihi, id qvod Rex fidei meæ commisit, nec ulli, præterqvam Regi, cervicem flectere, sed nec pileo huic albo, qui hic in foro conspicuus est, caput submittere.* Interfatur Abbas Biornus, seq; Regis afferre literas pronunciat, ex mandato ejus in solius Comitis Arnbiorniqve præsentia recitandas. In templum igitur eos vocabat; qvò ingressis, mandata Regia exponit, eaq; tam ad Arnbiornum qvàm ad præfectos alios pertinentia: *ut paci quidem inter Regem & Comitem resarciendæ summâ ope studerent, Regem qvoque tertiam provinciarum omnium, tam in Vika qvàm in Uplandis, partem, Comiti in impensas per hyemem eam permisisse, bona se fide testari* asseverat. His auditis, Arnbiornus mitius agere cæpit, nec ultra tergiversatus provincias Comiti cessit. Comes deinde in Vikam septentrionalem profectus est; Biornus autem Abbas pacis nuncius ad Regem rediit. Inde convenit, ut proxima æstate Ber-

gis

gis uterqve adessent, inqve pignus interea mutuæ securitatis ac fidei obsides darentur, donec ipsi dicto locô coiissent. Comes in Vika ad festum usqve Margaretæ mansit, multosqve interea in aulam satellitumqꝫ suorum numerum adscripsit; adauctis qvoqꝫ haud parùm copiis, classem instruxit, cui augendæ naves per Vikam passim possessoribus rapuit. Dum verò in foro Borgensi Arnbiorni qvoqve navem in itineris usum capturus esset, id prævidens Arnbiornus terebrari eam staminaqve rescindi curat. Igitur propulsa in mare, aqvâ statim repleta tanqvam inutilis subducta est. Obsides à Rege missi, Sigurdus ejus filius & Ingimundus Pùs; præmiserat autem à parte suâ Comes Asolfum propinqvum suum & pöetam Jatgeirem. Inde Bergas profectus, portum Regium occupat; cui tamen negotio amici statim intercedebant. Comes negabat se urbem ex pacto ingressurum, nisi Rex partem illam regni, qvam jam ipse teneret, post fata sua ad filium suum Petrum, successionis jure transferri promitteret. Id vero Rex prorsus pernegavit *ullam Comitis sobolem Norvegiæ futuram hæredem præter eam, qvam filia ejus Margareta enixa esset.* Amicorum deinde, maximè vero Archiepiscopi, operâ ad conventum res rediit, Comiteqve urbem ingresso, intercessione Archiepiscopi factâ, aliorumqve optimatum, lis omnis protinus sopita & exstincta est; placuitqve, ut Rex Comesqve eâdem usuri mensâ hospitioqve reliqvam Bergis hyemem transigerent, impensis ad hoc ex parte Comiti concessâ desumtis. Amicè tunc qvidem denuò & placidè convixerunt, ut aliàs qvidem semper, qvoties unà essent, consveverant: non enim calumniis locus, cum exiguâ operâ refellerentur, erat. Hac æstate Urækia Snorrii Sturlæi filius ex Islandia in Norvegiã venit, ingentium turbarum, qvas excitasset Sturla patruelis ejus, famam afferens. Rex mandata sua excessisse Sturlam, asperius rem gerendo qvàm existimâsset, aut inter eos convenerat, sentiebat. Hæc vigesima regni Haconis hyems erat, Æræ Salutis MCCXXXVII. qvâ Bergis Rex Comesqve simul residebant. Ad hunc ipsum annum *Arildus Hvitfeldius* Danos inter atqve Norvegos bellum ad Skanöram gestum, refert, cujus se nullam investigare potuisse causam perhibet, nisi fortè auxilium â Waldimaro II. Comiti Skulio clam missum fuerit, id qvod ex superiore cap: XXI. dictis colligere haud absurdum foret. Conjicit alioqvin *Hvitfeldius*, Norvegos insigne illud emporium, qvippe qvod ex piscatu temporis illius qvæstuoso in magnas opes excreverat, invasisse, direptioniqve destinasse. Tertiam qvoqve opinionem addit, dissidium inter piscatores & mercatores, qvod in freqventi convictu facile suboritur. De his *Pontanus* ad eundem annum ita scribit: *Meminêre, inqvit, Annales domestici belli cujusdam hoc tempore inter Danos & Norvagos, circa Scanensem insulam (Skanør illi vocant) exarsisse. Sed de eo cum adeo parcè & jejunè loqvantur, ut nec causas, nec progressum, nec exitum memorent, obiter admonuisse hoc loco sufficiat.* Consentit *Meursius* his verbis. *Per hoc tempus etiam apud Scanoram cum Norvagis dimicatum prælio navali traditur, sed qvæ causa belli fuerit, quomodo aut qvamdiu gestum, qvando item terminatum, in incerto est.* Hâc æstate in Thrandiam ex Islandia venerunt Snorrius Sturlæus ejusqve fratris Sigvati filius, Sturlæ frater Thordus Kakalius, alterqve ejusdem Snorrii fratris Thordi filius, Olafus Hvitaskiald dictus, & Thorleifus de Gardis. Snorrius qvidem hospitio filii Comitis & Petri est usus; verùm Annales epigraphi & chartacei Regem Haconem, Comitem Skulium, & Archiepiscopum Sigurdum Satrapas ad se Islandiæ evocâsse memorant.

CAP:

CAP. XXVI.

CALUMNIARUM INTER REGEM ET COMITEM ORIGINES DETECTÆ. REX IN COMITIIS EYRENSIBUS SKULIUM DUCIS TITULO ORNAT. INTER IMPERATOREM ROMANUM ET REGEM HACONEM MUTUÆ LEGATIONES. BERGENSIUM CUM HOLLANDIS CONFLICTUS. LIS INTER DUCEM PROPINQVUMQVE EJUS ASOLFUM DE PRÆDIO AUSTRATT MOVETUR. SKULIUS TRIBUTA IMPERAT, ET REGIS NOMEN ASSUMIT.

TEmpore qvadrageſimæ Rex & Comes iter in Thrandiã inſtituunt. Veſperâ, qvæ Dominicam Charitatis præcedebat, Rex Stadas prætervectus, repugnante ventô, in Angriam deflexit; die verò Dominicâ Comes ê Sildâ navigans, ventô adeò ſecundô uſus eſt, ut Sundulfſtadas haud ægrè perlatus, feſtum Paſchatis in Reinio perageret. Rex tardiore itinere uſus, ipſo feſti tempore Nidaroſiam appulit: qvô peractô, uterqve, Rex & Comes, convenerunt, ſimulq; in urbe vernô tempore cōmorati ſunt. Eò qvoqve tum Paulus Epiſcopus Hamarenſis ad componendam, qvam cum Rege habebat, litem evocatus eſt; qvi cùm adveniſſet, pluribus cauſa hæc conventibus diſceptata tardiùs proceſſit, Epiſcopo ſemper, qvoties Comes præſens negotio eſſet, contumaciùs rem gerente. Tandem res ità componitur, ut inſulam Rex poſſeſſionibus aliis, ſedi Epiſcopali cōmodis, & ab Antiſtite probatis, redimeret.

Eodem vere, dum Nidaroſiæ adhuc eſſent, caſu qvodam apparuit, qvàm propè eſſent, qvantâqve rem gererent audaciâ, qvi diſcordiæ ſemina inter Regem & Comitem jacerent; id autem hoc modô evenit. Fuerat in aula Regis Gunnar, propinqvorum ipſius unus. Lis ei cum emiſſariis Comitis intervenit, ſeqve hi gravi affectos injuriâ qverebantur. Paulò pòſt in promontorium ſe confert, ad præfecturam â Rege ſibi cōmiſſam profecturus: eâdem verò nocte, qvâ urbe egreſſus eſt, relatum eſt Regi, miſſos à Comite percuſſores, qvi Gunnarem in itinere trucidârint. Protinus igitur lectô exſurgens Rex, tubâ omnes convocat; armîsqve ſumtis in aream, vexillô erectô, procedit. In altero Comes conclavi qvieſcebat: qvi ad tumultum excitatus, in pergulas procedens, filiam Reginam proſpicit, qværensq; ab ea, qvorſùm hæc tendant? rem omnem, uti relata erat, percipit. Parens bonô eſſe animô jubet; nihil enim inde periculi metuendum. Aſſumtis deinde veſtibus, cum Sigurdo Regis filio ê cubiculo exit. Tum demum cognitum eſt, hæc, uti alia, calumniantium malitiâ ſparſa eſſe. Eodem vere Rex freqventia in Eyris comitia regni indixit; ubi ſocerum ſuum honoribus donisq; magnificis auxit, Comitisqve in Ducis titulum permutavit, nulli priùs in Norvegia uſurpatum, niſi Guttormo Regis Haraldi Pulchricomi avunculo; in hoc autem officii tantùm, utpote Ducis militum, non dignitatis nomen fuit. Extat de his verſus Olafi Hvitaſkaldi. Et jam amicitia de novo redintegrari viſa eſt. De origine Ducum itá habet *Rodericus O Flaberty Ogygiæ ſuæ domeſt: pag: 28. Ducum,* inqvit, *Marchionum, Comitum, Baronum, & alios titulos hujuſmodi in imperio Romano, primùm temporalibus præfectuum & magiſtratuum officiis ad vitam tantùm annexos fuiſſe Hiſtoricis notum eſt; & deinceps in aqvilonaribus genti-*

gentibus, qveis accisum imperium, sibi cum domitus ditionibus usurpatos, & in posteros hæreditario jure transmissos. Albuinus Longobardorum primus in Italia Annô Domini 568. Rex Gisulphum nepotem suum Foro-Juliensem Ducem instituit. Nec vetustior illius conditionis creatio alibi reperiri potest.

Hoc tempore Romani imperii sceptra Fridericus Secundus tenuit, annô 1210. ad Imperatoriam Majestatem evectus: qvadraginta is annos imperavit, Princeps magnificus & gloriosus, qvem, ut par erat, multi inclyti Reges Principesqve certatim coluerunt. Is qvidem longè ante hæc tempora, qvæ jam teximus, ad Regem Haconem Comitemq; Skulium legationem miserat, cujus princeps Vilhelmus qvidam magnifica à Cæsare dona ad eos attulit. Ipsi verò à suâ parte, qvæ rara Imperatori magniqve in exteris pretii viderentur, remiserunt. Mutuæ exinde legationes inter Fridericum & Regem Haconem cæptæ. Primus â Rege missus est Gudleikus de Askio; is in Sicilia ab Imperatore benignè excipitur: alter Nicolaus Pauli filius, diu in aula Friderici versatus, magnis ab eo donis honoribusqve auctus est; nec ullus Nordmannorum pari apud Imperatorem gratiâ fuit. Paulò pòst hæc tempora missus â Rege Roius propinqvus Regis; à Comite verò Bardus, frater Isaaci de Bæis, qvi Rojo legato regio visus est parùm sapienter aut sincerè controversias Regis & Comitis exposuisse. Exinde legationibus Regis ad Imperatorem plurimùm adhibitus est Henricus qvidam, Norvegus natione, sed ex Germanis oriundus, qvi multa sæpiùs negotia splendidaq; ad Cæsarem munera nomine Regis attulit. Magna hinc inter Imperatorem & Regem amicitia diu exstitit.

Vere ejusdem anni, cùm simul in Thrandia Rex atq; Dux Skulius residerent, Heidmarkiæ præfecti à parte Comitis erant Bardus Isaaci frater & Hacon Dufa: ità enim regnum inter eos tunc erat divisum, ut tertiam Dux provinciarum omnium partem teneret. Bardus autem, conscio facinoris & adjutore Hacone Dufa, uxorem Thordi Friderici Slaffii filii, qvi intimum semper locum gratiæ apud Regem tenuerat, vi compressit. Id in Thrandiam relatum, Regem, ut par erat, Ducemqve itidem haud parum comovit; nec pauciore Dux in publicum sermone qvàm Rex se offensum testatus est. Inseqvente verò æstate Rex iter cum Duce Bergas apparat; Jonem autem Præpositi filium Rex per mediterranea in Vikam cum aliqvanto comitatu præmisit, qvi in Heidmarkiam provectus incidit in lacu Miorse in Bardum Isaaci fratrem, tunc fortè in nave sua excubantem, qvô protinus cum sociis omnibus occisô, rectà in Vikam pergit. Haud multò pòst eâdem æstate Thordus Friderici filius Haconem Dufã ob nefariam Bardo in violanda uxore suâ operam navatam Tunsbergæ occidit, vindex ità existimationis suæ & uxoris pudicitiæ factus. Ad hujus famam Comes qvidem offensam dissimulabat; nemo tamen dubitabat, qvin magnum eorum cædibus dolorem concepisset. Ante adventum Principum tradit *Editio Dan*: cives Bergenses, cum Hollandis pugnâ exortâ, multos eorum occidisse, qvòd naves Hollandi suas pontibus urbis, locô civibus incomodo, læsis qvibusdam eorum navibus, alligâssent; id Rex dissidium postqvam ipse advenit, authoritate suâ composuit. Eo qvoqve annô Annales Haconem Regem ad expeditionem sacram cruce designatum memorant. Sub finem æstatis Rex & Dux Skulius Bergis in Vikam profecti, hyberna Osleyæ instruunt, festum ibi simul Natalitiorum celebraturi; qvô elapso, discretis sejuncti diversoriis suis qvisq; sumtibus alebantur; cænarum tamen impensæ comunes erant. Atq; hæc regni Haconis hyems vicesima prima numeratur.

Optima tunc Regem inter & Ducem concordia exſtitit: placuit itaq; ut æſtate proximâ Bergis iterum convenirent: qvippe aſſiduo convictu diſſidiorum materias tolli, eludiq; calumniatorum artes, intellexerunt. Verùm ante Paſchatis tempus Nidaroſiam Comes venit; ubi reliqvam veris partem primamq; æſtatis degebat. Intervenit tum inter eum & Aſolfum propinqvum ejus haud levis de jure in prædium Auſtratt controverſia; id enim Sigridis Abbatiſſa, ſoror Ducis Skulii, qvodam donationis nuptialis jure poſſederat, ab Jone de Auſtratt poſteriore ſuo marito (priori enim Thorgrimo de Lianeſia nupſerat) acceptum. Aſolfus autem hæreditatis paternæ jure, uxori ſuæ Ragneidi, Jonis de Auſtratt filiæ, vindicabat. Duæ hoc membranæ, qvas ad manus habeo, itá, ut dixi, memorant, cùm *Edit: Danica* ex prava, ut credo, interpretatione prædium Auſtratt cænobio cum Abbatiſſa donatum dicat. Ipſam verò donâſſe vel inde colligitur, qvòd *eadem Editio*, *Codex* qvoq; *Flat*: mox ſubjiciant, multis qvidem judiciis cauſam diſceptatam haud potuiſſe componi, licèt Aſolfus poſſeſſiones alias cænobio Reinio ſe in ejus locum ceſſurum polliceretur. Cæterùm in eo ſtatus qvæſtionis verſabatur, an alienare à juſtis allodialibusqve (ut in jure loqvuntur) hæredibus prædium principale & allodiale extra cauſam neceſſitatis poſſet? Negabat hoc Aſulfus; ideoqve hæreditario jure uxori id ſuæ vindicabat: donatione tamen propter nuptias aliter fieri poſſe Abbatiſſa affirmabat, eodemqve jure iterum ſe cænobio illud donâſſe, ut jam inde alienari in poſterum facilè haud poſſet. Skulius, ut ſuum patrisqve Ingii, qvi ſororem elocaverat, contractumq; nuptiarum videtur præſcripſiſſe, honorem tueretur, ſororisqve ſimul exiſtimationi conſuleret, cujus acta reſcindi non paſſus eſt, cauſam cænobii Reinii ſuſcepit, proq; ſum̄is honoribus conſeqvendis regiâq; affinitate nullam nimiam donationem eſſe videtur regesſiſſe; conceſſiſſe verò etiam Aſolfus, ſed ad jus retractûs refugiens, æqvale cænobio, cujus magis cauſæ favebatur, pretium obtuliſſe; necqve id Ducem abnuiſſe apparet. Verùm poſtea ad eam conditionem vi ſecum, non jure, actum interpretatus Aſolfus, amicitiam cum Duce, qvantumvis propinqvo, reſcindit, Bergasqve ad Regem longâ nave cum miniſtris domeſticisq; ſervis navigat, in ejus clientelam tranſiit.

Appetente vere, Rex ſedem ſuam Tunsbergam transfert. Nat⁹ tunc ei filius Magnus, die Apoſtolis Philippo & Jacobo ſacro, poſtea feſto Sanctæ crucis baptiſmo initiatus. Æſtate denuò Rex Bergas, autumnô Dux venit, ſpeciemq; uterqve amicitiæ, non admodum tamen qvæſitam, præbuit. Seneſcente autumnô, iter hic domum parat; qvod tamen in feſtum usq; Michaëlis differtur. Aſolfi Styrki, aliis Stryki, frater Roaldus ob facinora multa turbasq; iram Regis meritus, exauctoratusq; Bergis in ſacris ſemper ſe ædibus occultavit; alter qvoqve Sigurdus Kerra cædis in Halogia patratæ, plurimarumq; turbarum reus in æde Servatoris ſe incluſit; nec exire metu Regis ejusqve ſatellitum auſus, ad Ducem, priusqvam ex urbe ſolveret, per fores templi egredientem accurrit, celeriterq; in navem eum ſeqvitur; qvò etiam tunc Roaldus ſe priùs receperat. Uterq; autem tùm Ducem in Thrandiam, ſemperqve poſtea comitabatur. Cùm in Thrandiam reverſus Dux eſſet, ſatellites ejus graviter de injuriis & pravitate ſatraparum Regis, Duci qvotidie obtrectantium, conqveſti ſunt; præcipue tamen id criminis Gautio Jonis filio imputatum. Fortè tum qvodam die à Snorrio Sturlæo Dux per jocum qværens: *Dicitùne*, inqvit, *Odinum illum priſcos Reges in vicinos concitare ſolitum, alio nomine Gautum appellatum?* Affirmanti injungit, ut nodo id rhytmico exprimat, ſimulqve, qvantum

junior

junior hic Gautus antiqvum referat, id qvod Snorrius carmine extemporali, qvod etiamnum conservat historia, exsecutus est. Multa tunc à satellitibus Ducis maximè in amicos Regis jacta, nova haud obscurè consilia, nec satis in Regem æqva, agitari ab illis prodiderunt. Hanc hyemem, anni videlicet MCCXXXIX, regni sui vicesimam secundam, Rex Bergis degebat, eòqve ad se ut seqvente æstate adveniret, a Skulio postulabat; ne verò freqvens adeò iter nimio rusticis esset oneri, rogat, ut lembis levioribus uteretur, item, ne veniam Islandis daret patriam repetendi, priusqvam mandatis regiis de negotiis illuc perferendis instructi essent. Etenim Rex superiore autumnô, ex relatione Thordi Kakalii, qvi tum Bergis apud eum erat, cognoverat Kolbeinum Ungium, seu Juvenem, & Gissurem Thorvaldi filium, cum Sturlungis in provincia Skagafiordo conflixisse, patremqꝫ Sturlungorum Sigvatum cum qvatuor filiis cæsos esse, in his Sturlam qvoqve cecidisse, dum totam sibi Islandiam vel Regi Haconi subjicere moliretur. Rex in Vikam delatus Tunsbergæ diutiùs morabatur, ubi eum multi tam ex Vika, qvàm Uplandis adeunt, in dies, qvæ in australibus gererentur partibus, nunciantes; inter alia verò accepit, Ducem Islandis, qvi in Thrandia erant, reditûs in patriam copiam, Snorrio nimirum, Urækiæ & Thorleifo, fecisse; Gudleikiqve de Skartastadis navem ex ipsius Ducis consilio in itineris usum assumtam. Qvô cognitô, alias Rex statim literas scribi jussit, qvibus reditum iis totâ æstate interdixit. Sed parati tum erant, cum Regis ad eos literæ perferrentur; qvibus visis Snorrius: *Ibo tamen, jam in procinctu stans atque paratus*, dixit: ivitqve vel invito Rege, â Duce mox ante discessum ad convivium invitatus, multaqve cum eo Dux remotis arbitris locutus fertur, Comitis etiam eum titulô ornâsse: id qvod Arnfinus Thiofi fil: ut et *Styrmer Polyhistor* literis prodiderunt; nemo tamen Islandorum istud ei dignitatis nomen tribuit; nec ipse sibi arrogâsse hoc usqvam legitur. Dimissi ità à Duce in patriam Islandi, insuper habitô interdictô Regis redeunt.

Interim, dum Tunsbergæ Rex morabatur, Abbas Biörnus eò missus à Duce advenit, qværentiqve Regi, *num adventus Ducis Bergas exspectandus foret? venturum videri* respondit, mansitqve diutiùs Abbas, donec literæ, qvas referret, perscriberentur. Paratô ad discedendum Abbate, Asolfus de Austratt nave cum ministris suis supervenit, refertqve, â Duce majores omnes naves, diem etiam Veneris longam, Holmbussam & Strandarbollium, ê stationibus jam eductas: gravem insuper militum delectum ubiqve haberi; constanti ubiqꝫ famâ spargi, Ducem Bergas petiturum, nec alienæ se fidei, qvocunqve tandem exitu, ampliùs permissurum. Tum verò denuò Abbas, donec literæ aliæ conficerentur, detinetur. Arnbiorno etiam Jonis filio aliisqve Satrapis Rex statim per nuntios, qvid in Thrandia Dux agat, indicat; tum indictô delectu militum convocatisqꝫ Satrapis & qvæstoribus expeditionem instruit. Interea Dux è Thrandia viginti navibus, plerisqve magnis, & in his Soteria, seu die Veneris longâ, viginti sex scalmorum, militibus perqvam instructis, Bergas petit, Floruvogisqꝫ stationem classis capit. Ibi relatum ipsi, Regem cum exercitu classeqꝫ qvadraginta navium propediem affuturum. Consulti itaqꝫ amici, exspectandus-ne Regis aditus, an verò declinandus potius, versô itinere, esset? Metus qvoqve haud parùm gestorum conscientiâ pungebat animum. Tandē verò, mutatô in fugam consiliô, relictis Bergis, vela in Thrandiam dabat. Exigui temporis interjectu Rex Bergas delatus Ducem domum regressum cognoscit; duos tamen ejus nuncios, Abbatem Biörnum & poëtam Jatgeirem,

rem, Archiepiſcopum qvoqve Sigurdum ibi deprehendit, qvorum hic qvidem rem in periculo verſari, niſi obviam maturè eatur, refert: ſe itaq; authoritate Apoſtolicâ pacem utriqve imperare, etiam tum acceptâ â Rege poteſtate, certos homines cum literis ad Ducem mittit, qvibus, ne pacem turbet, donec Regem conveniſſet, rogabat; ipſe deinde circa autumnum in Sunnmæras, ditionis ſuæ provinciam, proficiſcitur. Rex poſt aliqvam moram Satrapas & qvæſtores, tam ſeptentrionales, qvàm qvi ab oriente venerant, â ſe dimittit. Hi itaqve in provincias ſuas ſeptentrionem verſus diſcedunt, Sigurdus Petri Archiepiſcopi filius, Aſolfus de Auſtratte, Petrus de Giskio, Abbas Thorer, Augmundus Krækidans, Arnius Blackus, de qvibus deinceps plura.

Dux, integris tribus hebdomadis in itinere conſumptis, Nidaroſiam tandem rediit; mox naves majores omnes ſubducit: cùm ecce exſpectatione citiùs ingens undiqve ex provinciis, etiam Vikâ, ut mandaverat, multitudo ad eum confluit. Huic verò alendæ cùm commeatus deeſſet, Thrandis tributa, qvanta in maximam impendi expeditionem ſolent, imperat; at graviora hæc civibus onera, qvàm qvibus pares tum eſſent, viſa ſunt. Scripſerat præterea Rex ad Thrandiæ interioris incolas, ne plus militum Duci commeatusqve penderent, qvàm ab iis, qvi ſuæ ditionis eſſent, exigeret; hinc cùm Satrapæ Ducis fruſtra eosdem de tributis injunctis compellâſſent, ipſe in interiorem Thrandiã claſſe vectus, tribunos complures magnis ſuccinctos turmis per ſuperiora mittit; Alfum nimirũ de Leifaſtadis, Veſetium Parvum, ejusqve fratrem Arngautium; ipſe claſſem ad pontem Vogsbru ligat. Hôc terrore compulſi cives, facti jam Duci ſupplices, alii marcham auri, alii dimidiam, etiam duas alii, pendebant: qvidam re totâ familiari mulctabantur.

His peractis, urbem repetit, ulteriùs rem cum Satrapis & conſiliariis ſuis deliberaturus; horum autem nomina memorantur, Alfus de Thorersberga, Ivar de Sandbuio, Bardus Brattius, Bardus Uargus, Olafus de Vigdeilde, Erlingus Liodhorn, Veſetius Parvus, ejusqve pater Clemetus, Guttormus deniqve de Sudurheimis. Sæpéqve cum his conſilia, qvæ brevi qvidem poſtea eruperunt, nimirum de regio ſibi indendô, titulo agitabat. Interdum ſeorſim ſingulos conſulit, qvò accuratiùs mentem cujuscunqve exploraret; ſed diverſis illi ſententiîs animum ejus impellebant; alii ad prava & pernicioſa inſtigantes, ſpoliatum eum patrimoniô ſuo Regiâqꝫ majeſtate, qvæ ab Ingii fratris morte non minùs qvàm reliqva hæreditas ad ipſum pertineret, dictitabant; contrarii his rurſus alii in diverſa ierunt. Crebrò etiam Canonici conſulebantur: erantqꝫ ex his, qvi jure ei Regium nomen competere, prolatis qvoqꝫ in eam ſententiam libris, nullum inter regnum poſſeſſionesqꝫ cœteras atqve allodia diſcrimen, qvando de hæreditate agitur, facientibus, monſtrabant. Semper igitur apud ſe aliqvos Canonicorum habuit; hinc non obſcura ſuſpicio, aliqvid eum brevì innovaturum, nec præſenti ſorte, qvamvìs ampliſſimâ, contentum; majora adhuc inqvieto complecti animô. Nempe pernicioſa conſulentibus aures libenter præbuit; eorum itaqve ſvaſu, & inſtinctu ambitionis propriæ, ad comitia Eyrenſia nobiliſſimos qvosqve provincialium ex univerſa Thrandiâ convocat.

Dominica â feſto Omnium Sanctorum proxima, qvæ hoc anno in feſtum Divi Leonhardi incidit (hanc notam Litera Dominicalis B. anni 1239. index, confirmat) cum jam ſignô campanæ populus omnis ad templum con-

conveniſſet, ſacrîs celebrari cæptis, Magiſter Bergus magno comitatu ingreſſus templum, Canonicos in chorum accerſit. Sacra interim intermisſa, dum colloqverentur. Mox provinciales omnes, urbani, mercatores, plebsqve adeo univerſa, iſto ſignô in forum Eyrenſe evocatur. Eyſteinus Surius Canonicus ab Archiepiſcopo Bergis abſente ad res omnes difficiliores conſtitutus erat. Jamqve Dux ab omnibus Canonicis, ut efferri in comitia ſcrinium Sti Olafi permittant, poſtulat. Ad hoc omnes qvaſi obſtupefacti conticuerunt, facilè qvidem animadvertentes, qvorſum hæc tenderent. Rogante pòſt paulò Duce, cur reſponſa tamdiu differrent? illi reſponderunt, rem plenam diſcriminis poſtulari; opus igitur eſſe, ut invicem ſuper hoc conſulant. Hinc itaqve in aliam chori partem recedentes, haud qvidem ſententiîs convenerunt: qvibus autem verbis diſſeruerint, haud conſtat. Interea cantum continuari in templo jubent. Rurſus qværente Duce, *cur tam tarde reſpondeant*? Eyſteinus Surius *in tam gravi cauſa Archiepiſcopi authoritatem exſpectandam*, ait. Aderant tamen alii, qvi in gratiam Ducis efferri mox ſcrinium voluerunt. Affatus ergo Eyſteinum Dux; *Cur verò tu*, inqvit, *conatibus noſtris ſemper atq; honoribus, etiam contra voluntatem aliorum fratrum, te opponis*? Inde ad altare converſis fratribus, Dux templo egreſſus in palatium Regium ſe confert. Petrus autem filius ejus & Arnfinnus Thiofi filius cum multis aliis remanebant, accedentesqve altare, ſcrinium auferre moliebantur; qvo viſo, Eyſteinus ad ſummum altare aſcendens; *Sciant*, inqvit, *omnes, nos qvidem excommunicatos hic dirisque ſacris devotos pronunciare, qvi invitis nobis ſcrinium exportaverint*. Ad ea Petrus; *Macte*, inqvit, *inſigni iſtâ confidentia eſto: hac enim formula tanqvam ad mulſum bibendum nos invitas*. Adhortatusq; ſuos exſeqvi factum jubet. Tollere itaqve aggreſſi, cum dimovere tam citò non poſſent, Petrus ſupra altare exſiliens, impactis in ſcrinium genubus, loco illud movet; reliqvi deinde ſtatim pro more exornatum exportant; hinc crucem, in qva lignum Domini, ſecurimqve & haſtam Sti: Olafi ſimili modô efferunt. Duces facti erant Petrus Ducis filius & Arnfinnus Thiofi filius: cæteris plerisq; metus haud parvus incuſſus eſt. Dum per plateas ad palatium Regium deferrentur, Dux cum ſatellitibus omnibus armatis obviam proceſſit. Inde in Eyras progreditur. Primus Amundius Remba prodiens Ducem ſatellitesqve gratulabundus longa oratione excipit: haud admodum tamen vera concionari tum viſus eſt. Inde Erlingus Liodhorn pluribus ad imitationem ejus peroravit. Argumentum orationis præcipuum, recenſio generis Ducis â Divo Olafo, & qvod is ſecundo adeoq; juſto hæreditatis ordine fratri ſuo Ingio ſuccederet, cum Hacon non niſi undecimô illum attingeret. Reliqvæ his ſimiles rationes erant, paucis eqvidem, præterqvam Duci ejusq; aſſeclis, probatæ. Exſurgens deinde Dux ipſe, *qvàm ingratus erga ſe fuiſſet Hacon, qvæ præmia benevolentiæ ſuæ tuliſſet, qvod regnum ſubditorumqve omnium obſequium & per tot annos permiſerit, diſſerebat, ignominia & contumeliâ ſe affectum, jam inſuper parte tertiâ ſibi conceſſa ſpoliandum*; qveſtus & plura alia, qvæ haud digna memoratu Annales judicant. Cumq; is finem feciſſet, Ivar ſupremus judex ſurrexit, genusqve Ducis referens, ſolum ipſum ad hæreditatem regni Norvegici natum aſſeruit: moxqve Regem pronuncians, regnum ſubditosqve cum ſubjectis provinciis omnibus ei adjudicabat; concluſâ demum oratione formulâ neqvaqvam ſibi ſalutari aut conveniente: namqve hoc ideò ſe feciſſe, qvod optimè ſic placeret, profeſſus eſt.

eſt. ExindeSkulius, jam Rex coram concione ſalutatus, aliqvot præmiſſis verbis ſcrinium acceſſit, imponensqve manum jurat *ſe leges juraqve Sti: Olafi erga ſubditos ſuos, ut bonum Regem deceret, ſervaturum.* Tum ſatrapas appellat ſuos, qvi ubi ſacramentum dixiſſent: dapiferi deinde & ſatellites jurant; poſtremo ruſtici ex provinciis omnibus (*Editio Danica* non plebem, ſed ſatrapas illius nomine, juraſſe refert.) Hac qvidem actione, ait author, licet pauca narrentur, multa tamen memoratu digna inciderunt.

Finitis comitiis, Skulius ipſe ſcrinium in templum ſeqvebatur, nulla tamen proceſſione â Clericis, nec campanarum qvidem ſonitu, exceptus; duo tantum Canonicorum e regione templi S: Olafi ſcrinio obviam euntes, Skulium ducebant; minus tamen offenſi, qvam ſperares, Canonici videbantur. His peractis, ſuas qvisqve domos repetit. Cæterum Skulius amicos ſuos hoc die convivio adhibuit. Extant adhuc duo Olafi Hvitaskaldi, duo qvoqꝫ Sturlæ, qvi rem totâm deſcribunt, verſus. Cæterum pauci Regis Haconis ſatellites comitiorum tempore in urbe erant; his verò peractis, pauciores, inter eos qvidam, nomine Grimus Keikanus, re jam totâ finitâ, celeriter eqvo conſcenſo in Gaulardalum, ubi domicilium habebat ſuum, ſe confert. Ibi contubernali ſuo, qvi receperat, ut qvam primum novos aliqvos motus comperiſſet, protinus ipſe nuncius ad Regem iret, ut haud ſegniter exſeqvatur, mandat. Eo verò jam tergiverſante, ipſe proficiſcitur, perqꝫ Surnadalum brevì ad Thingvallas defertur. Ibi Aſolfum de Auſtratte offendit, ipſiqꝫ narratis ſingulis, qvæ evenerant, petit ut aut ſocium ſe itineris præbeat, aut ſaluti ſuæ aliâ qvavis ratione conſulat; hinc ad Arnium Blackium, tum ad Petrum de Giskio, delatus, rem totam omnes, ut acta in foro erat, edocet.

CAP. XXVII.

SKULII IMMANIS CRUDELITAS, REGIORUM CÆDES, ET PERCUSSORES IN IPSUM REGEM IMMISSI.

Höc modô comitiis celebratis, Skulius toties expetiti Regii tituli tandem compos ſatrapas omnes ſuos convocat, qvidqꝫ jam primo aggrediendum videatur, coſulit. Alii qvidem ut ſtatim absqve ulla mora nuncios famamqve omnem prævertendo, qvod excubiis terrâ mariqve via omnis intercepta eſſet, Bergas cum omnibus viribus proficiſceretur, Regemqve ex improviſo opprimeret; alii verò, ut in ſuperiora exercitum omnem duceret, ibiqve, dum ſævisſima duraret hyems, ſeſe teneret, auctores erant; qvidam ut Nidaroſiæ ſubſiſteret, omniaqve qvam diligentiſſimè in vernum appararent tempus, ſvadebant: qvibus placuit, ut diviſas copias qvaqvaverſum ablegaret, qvæ ſingulos Regis ſatellites, ſatrapas & milites, atqve adeo cujuscunqve ordinis miniſtros Haconi ſacramento devinctos occiderent. Id qvod ille cæteris omnibus conſiliis prætulit, qvod ad delendum eos penitus animô admodum propenſo eſſet. Miſſi ergo in Halogiam hi militum tribuni, Paulus Fotus, Sigurdus Partinus (Algautum qvoqve *Gullinskinna* & *Edit: Dan:* habent) in Uplandas Ivar de Sundbuio, Alfus de Leifaſtadis, Veſetius Parvus, Gudnius Geigus, Sigurdus Tolii filius, Sigurdus

Hyt,

Hyt, Ulfus Fasius, & Eiricus Gullvogus, aliis Gullveggus, cum militibus sexcentibus. Ad ipsum verò Regem Haconem interficiendum Olafus de Vigdeilld & Guttormus de Sudrheimis ibant; eorumq; ductu emissarii, & qvi â candelis erant, parsqve hos maxima & promptissima totius exercitus seqvebatur; de qvibus postremo loco dicendum. Cæterum miserat Rex eodem autumno ad Skulium satellites duos ex iis, qvi sibi Duciqve communes erant, qviqve sæpius illos intercedere cum literis erant soliti, Ivarem nempe Kiornem, & Gunnarem Mirimannum, qvi tum redditis Duci à Rege literis, per aliqvod tempus in urbe morabantur, donec literas ab illo responsumqve recepissent. Hôc autem impetratô, accincti jam itineri conviviô â Duce excepti sunt, dimissiqve centum ulnis panni Norvegici in vestes viatorias donantur; procedentes inde ad villam Regiam Folsknar, omnium securi ibi aliqvantisper permanent. Verùm qvo die Dux Regium nomen assumsit, Gautum Varbelgum, & Sigurdum Saltsad, cum tabellariis suis lembo impositos, ad prædium Folsknar misit; qvi Gunnarẽ intra triclinium cum pluribus aliis trucidârunt. Ivar autem Kiorn tunc in superioribus ædibus constitutus, & lineis tantùm vestibus tectus, per fenestram evasit, templum vicinum ingressurus: qvod ubi clausum reperisset, per appositas scalas conscendit, tristemqve ibidem noctem exegit. Interea hostes excubiîs undiq; templum cingunt; tandemq; primâ luce eum frigore penè confectum in culmine tecti conspicati, admotis scalis, misericordiam neqvicqvam implorantem, hastâ transfigunt; ità ut mortuum in terram corpus decideret, cruore intestinorumqve parte supra templum hærentibus, idqve tertiâ æstate, ex qvo illud ipsum Rex Hacon consecraverat, factum observatur. Inde in austrum Lioxnam profecti duos ibi cõmunes itidem Regis Ducisqve satellites, Lioxna-Sveina, seu *Lioxnæos juvenes*, appellatos, improvisos in triclinio qvodam adoriuntur; ipsi verò initiô fortiter resistebant. Varbelgi itaq; tecto ædium conscensô, stipitibus eos per fenestram obruerunt; ipsi verò aliqvot primò hostium vulneratîs, unoqve occisô, magnâ cum laude occumbebant; spoliatâ deinde villâ, atq; ità anxiè direpta, ut ne cibus qvidem, nec potus aut vestes superessent, ad naves redierunt. Inde ad urbem redeuntes, Skulio, qvæ exsecuti erant, exponunt. Per speculatores interea Skulio adfertur nuncius, Thorerem de Borrio, Vegardi Veradali infesti qvondam hostis fratrem, missum â Rege in itinere esse, cui maximè Dux infensus, Sunnmæriæ præfectis, Sigurdo Fetili, aliis Fertili, & Eysteino de Auris, præcipuam ejus decidendi causam, ubicunq; in illum inciderent, mandavit. Hi Nidarosiâ profecti, deq; itinere illius, cùm Fladkas advenissent, certiores facti, diversas obsederunt vias; Eysteinus qvidem ad latus australe, Sigurdus autem Fetill ad Raudabiargas deflexit: hàc Thorir prævectus rectà domum, urbem præteriturus, tendebat; at visô ibi Sigurdo, certus, conditiones nullas precesve admitti, deq; vitâ desperans, arma, fasciculô involuta, segniùs qvam præsens postularet periculum, expediebat. Itaq; cum satellite alio, cui Hedinis nomen, obtruncatur; nautæ verò flagellis verberibusqve cæsi; navis vecturaqve omnis capta, cumq; ea Thorbergus Thoreris filius in urbẽ deductus, ægrè tandem à Duce multorum deprecatione vitâ donatur, inter satellites postea Skulii receptus. Horum omnium hactenus Archiepiscopus Sigurdus nihil ignarus, cùm in Leyrangriam appulisset, tandem, re totâ cognitâ, causam Skulii ut desperatam detestatus est, literîsqve ad Regem missis, urbem petiit. Interim qvi in Halogiam missi erant, divisa inter se itinera tenuerunt. Per superiora grassatus Paulus Fotus, Sigurdus Parinus inferi

riora adiit: hos autem dicuntur occidisse, primò virum qvendam, nomine Jonem, alterum qvoq; Jonem Nigrum dictum, in Biarkeya. Inde Torgas profecti lembum rapuisse, Ingialdô qvodam sagittâ vulnerato: Brunneyis qvoqve alterum intercepisse lembum. His Tiolgarheimum petunt, domumq; Jonis Silkii exspoliant, cui uxor statim in Vogas, ubi tunc erat, nuncium cladis mittit; qvâ is cognita, Hereyas protinus ad Guttormum de Biarkeya, regium australis Halogiæ præfectum, se confert, eiqve narratis omnibus. qvæ acceperat, vix fidem invenit. Itaqve ambo fugam ingressi ad villam Sandnesiam navem dirigunt; hic cùm jam in cænaculū qvoddam recepti essent, speculator Varbelgorum advenit. Hunc ergò suspicati esse, securi aversâ feriunt, qvi tamen accepto verbere cædem evasit; ipsi templum ingressi noctem permanere ibi statuunt. Sub occasum autem diei Varbelgi templum undiqve circumsistunt, minati se illud, ni egrederentur, incensuros. Guttormus periculo suo qvàm templi exire se malle affirmans, securus jubetur esse, pace eâ, qva S. Olafus sacrîs ædibus caverat, fruiturus. Exeuntem Paulus Fotus prehendit, foresqve templi egressum statim occidi curat. Jon verò Silkius per fores chori elapsus haut procul in subjecto agro trucidatur. Villa omnis direpta, inter cætera navis trium & decem scalmorum, qvam Guttormus possidebat, ablata. Salftriam inde devecti, Pauli filios, satellites & hos Regios, Olafum Dalkum & Jonem Sylgiam, interimunt, domumqve exspoliant. Similia in Erneyis perpetrârunt, Asbiorno de Medalbuio dapifero Regis interfectô. Etiam transitâ Salftriâ, Einari presbyteri, satellitis regii, ædes aggressi, qvicqvid in iis invenerant, abstulerunt; ipsum verò, qvòd aliò tum abiisset, non porant comprehendere. In Leifnesia qvoq;, cùm eò venissent, prædii dominos Bolii filios appellatos, qvòd in Scropardalum, aliis Scrovardalum, illo die profecti essent, fors periculô exemit. Eodem vespere tribuni cohortium Ivar Petri, Eiricus Hvitius & Thordus eò accedentes (*Gullinskinna* saltem Ivarem Petri & Eiricum Hvitium nominat;) simul ut venerant, occisi sunt; vulneratus etiam mercator qvidam, nomine Jon Smedra. Fotus autem & Sigurdus, supellectile & bonîs omnibus, qvæ ad manus erant, præter jumenta & pecudes, lino, vestibus, argentô signato, mundiq; muliebris magnâ vi, lembo impositis, posterô die ad Hamareyam profecti sunt, Haconem Rufum occisuri. Verùm certiores facti, famam jam belli ad eum pervenisse, Leirnesiam repetunt, noctemqve ibidem peragunt.

Cœterùm Hacon interea septem lembos magnumqve hominum numerum, misso per viciniam telô belli signô, comparavit. Postqvam verò relatum erat, hostes Leirnesiam exspoliâsse, primô mane eò unico lembô armîs onustô tendebat, hortatus suos, ut masculè latrones persеqverentur. Qvô audito, Paulus Fotus; *Maturemus*, inqvit, *fugam: adsunt enim Alftveriæ incolæ, cædem Guttormi ulturi.* Aderat tum Algautius cum nave tredecim scalmorum, ad aliud promontorii latus excubans, ubi & Bollii filiorum lembus stabat. Eò Paulus per transversum procurrens promontorium, hortatur, ut anchoralia incidant: omnes enim socios suos cæsos esse. Algautius itaqve, Paulo in lembum suum recepto, Leirnesiam repetivit. Discesserat tunc Hacon. Tum igitur Bollii filii per internuncios de pace cum iis agunt; convenitqve, ut horum alter Ivar Nidarosiam eos seqveretur, qvò sub ipsas Natalitiorum ferias perventum est. Skulius tunc magnoperè se offensum cœdibus Guttormi & Jonis Silkii, ad sacram ædem perpetratis, simulabat; authores itaq; compedibus ferreis vinctos maximâ prædæ rerumqve in itinere direptarum parte mulctavit. Ivar Bollii filius

præ-

Præter rei familiaris, qvod acceperat, damnum, duodecim marcas (auri addit *Gullinskinna*: ſed ſine dubio perperam) ſolvere Duci coactus eſt; atqve ità cum fratribus ſuis mortis periculum effugit. Alfus de Leifaſtadis cum ſociis, ſexcentis numero, in Uplandas miſſus, ſuperatô monte, Olafũ Frillæ, aliis Fridæ, filium cum filio ſuo, alterum qvoq;, nomine Ivarem, occiderunt. Plurimi tunc Regiorum alii, metu inſtantis periculi, in ſilvis ſe templisq; hinc inde abdiderunt. Illi autem cùm in valles orientem verſus deſcendiſſent, Sigurdus Tolii filius ab iis in Eyſtridalos diſceſſit, occiditq; filios Leifi; tribuni verò alii Osleyam iverunt, ubi Bardus Bratti⁹ ſatrapa Skulii cum præſidio relictus erat; regiarum verò partium pauci, qvos cùm ipſi indicâſſent omnes interficiendos eſſe, hic facturum ſe ſimulans, clam ſtatim omnibus maturè, ut ſibi caverent, ſignificavit. Plurimi igitur templa ingreſſi ſunt. Varbelgi tamen de nocte ex improviſo urbem intrantes, Sigurdum Parinum (aliis Paktum) Grimum Magnium, Aſolfum, & ſex alios interemerunt; pauliſper deinde in urbe morati. Veſetius in orientalem Vikam profectus, ideò neminem occidiſſe fertur, qvòd multitudinem civium, ne fortè collecta ſeſe opprimeret, vereretur. Adjunxerat Skulius Veſetio presbyterum qvendam Islandum, qvem ad Dominum Knutum unà cum ſigillo vexilloqve patris ejus miſit, oblata ipſi Comitis dignitate, de qvo antea inter eos actum perhibetur. Verùm is, nuncio abire juſſo, oblatum ab illo, qvi injuſtè id juris uſurpabat, frivolũ titulum reſpuebat. De his â Knuto certior factus Simon Kyr adverſus Veſetium Vikam peragrantem, adjunctô ſibi Veſetio de Hellio, ſeptuaginta viros collegit, Solbiargasqve profectus, militum ejus viginti ſex occidit. Veſetius ipſe orientem verſus in Marchas evaſit, ibiq; tamdiu, donec Skulius per hyemem in orientem proficiſceretur, exſpectavit.

Cæterùm Olafus de Vigdeilde & Guttormus de Sudurheimis in Regem ipſum im̃iſſi tardiùs rem gerebant; itaqve in itinere præviâ famâ proditi nusqvam in homines, fugâ ubiqve ſibi conſulentes, inciderunt: armenta autem & pecudes paſſim diripuerunt. Cùmq; repugnante ventô rectà pergere haud poſſent, ſparſi per ſinus, ubi aliqvot miniſtrorum Regis habitare noverant, domos eorum exſpoliârunt. Ità primò Dromuneſiam advecti, qvam Arnius Lædrungus & Endridius incolebant, boves omnes & vaccas capras ovesqve mactârunt, totumqve promontorium peragrantes in Sundas iter flexerunt. Arnii ibi Blackii domus direpta, Augmundi qvoqve Rodungi, & Andreæ de Siomalungis. Inde in Raumsdalum moventes, miniſtrorum Regiorum pecudes & armenta occidunt; hominem tamen nullum, qvòd ſinguli fugâ, ut diximus, im̃inens periculum declinâſſent. Et jam ad Regem ipſum revertamur.

CAP. XXVIII.

CONFLICTUS CUM VARBELGIS. SKULII IN REGEM INSIDIÆ. REGIS CONTRA HOSTES APPARATUS. GESTA IN GUDBRANDSDALIS ET THRANDIA.

Cum Rex Hacon & Archiepiſcopus Sigurdus Bergas eodem autumno conveniſſent, (de qvo ſuperiùs cap: XXVI. diximus) aderant & ibi legati Ducis, Abbas Biornus, Jatgeir pöeta, & Sonius Sikus. Placuit tum ut Archiepiſcopus inducias per hyemem inter Regem Ducemqve ſanciret, id qvod etiam feciſſe eum, adjecta pænâ excommunicationis, ſi qvis pacem violaret, ſupra indicavimus. Scripſerat qvoqve cum Abbate Rex literas ad Ducem, ut inducias, qvas pactus communi nomine Archiepiſcopus erat, coleret, vel, ſi id minus placeret, maturè ſe de eo certiorem faceret. Dimiſerat qvoqve Rex omnes ſuos ſatrapas, admonens tamen, ut ſibi accuratè caverent, donec, qvid Dux moliretur, conſtaret. Horum qvibus in aqvilonem diſcedendum erat, via maritima ad ſuos qvisqve provincias ibant, ſed omnium ſecuri, non prius qvicqvam de motibus iſtarum partium cognoſcentes, qvàm Varbelgi in auſtrùm profecti eſſent; omnis ſic ipſis redeundi poteſtas præcluderetur. Augmundus Krækidans Orkadalo præfectus erat, ſed in Surnadalum deflectens lembum ſuum ſubmerſit. Arnius Blackus præfectus Raumsdalo deſtinatus ad Regem revertit. Sigurdus Epiſcopi filius Varbelgis in Lingversfloa occurrit, ægreq; ad Regem evaſit. Qvi vero miniſtri Regis onerarias ducebant naves, ubicunqve occurrerant, occiſi. Petrus Pauli filius Borgundas devectus erat. Ibi cognito, Varbelgos tribus lembis ad latus auſtrale, alios item ad aqvilonem excubare; dimisſis licèt plurimis nautarum ſociorumq;, magnam tamen navem viginti ſcalmorum, ut et lembum, retinuit, hisqve ſummâ celeritate in auſtrum profectus, cum Hereyas perveniſſet, tres cognovit Varbelgorum lembos ea in ſtatione eſse. Prævectus itaqve portum, tubas inflare jubet; qvô ſigno territi Varbelgi, remotis ſubitò tentoriis aufugerunt. Hoc autem ipſius factum haud eodem modo omnes interpretati ſunt. Erant enim, qvi ſignum Varbelgis dediſſe Petrum ut ſibi caverent, nec Ducem offendere voluiſſe, opinabantur; inq; hujus rei remunerationem etiam prædium ejus Giskium Varbelgos intactum reliqviſſe. Interim hoc certum, Petrum deinde, ut et Aſolfum, Arnium Blackum, & Sigurdum Epiſcopi filium, cum Stadas ſuperâſſent, haud magna celeritate, ut tamen fugientes ſolent, iter feciſſe.

At verò Rex Bergis interea cum exigua manu hominum reſedit, incertus adhuc, ibine potius ſibi, an in oriente, hyemandum eſſet, exſpectabat enim qvotidie literas & reſponſum â Duce; qvæ cum tam diu differrentur, injecta eſt ei ſuſpicio, inducias pacemqve Duci jam cordi non eſſe. Convocatis itaqve Conſiliariis, qvid in re dubia ſvaderent? exqvirit. Illi autem, ut qvam optimè ſibi excubiis caveret, uno ore reſpondent. Unum igtur lembum in ſinum Sognicum mittit, alterum, Vætam dictum, velociſſimum qvidem illum, ad Foldhellam ante urbem ſtatuit; his ſatellites ſuos, eosq; qvi â candelis erant, imponit; qvi ſingulis diebus in urbem redeuntes, noctu ſpeculatum egreſſi ſunt. Nocte verò qvadam, dum excubias agerent, vident ex aqvilone advenientem navem octo ſcalmorum, remis celeriter agitatam: qui ſpeculatoriam rati, obviam ſtatim procedebant. Erat autem Grimus Keikanus, qvi res magni momenti ad Regem ſe deferre nuntiabat. Mox navi Regio ponti applicata. Extrema noctis vigiliâ cubile Regis accedunt, qvem ſomno ſtatim excitant. Is ſubito indutis veſtibus, cænaculum ingreditur. Ibi Grimus poſt brevem ſalutationem, inter-

terrogatus qvid afferret; *magna*, inqvit, *& fidem omnem ſuperantia. Socer enim tuus Dux Skulius Regem ſe renunciari curavit, omnesque pacis conditiones repudiavit.* Non aliud ad hoc Rex, qvàm *ut tam benè ei hoc cederet, qvàm juſtè accepiſſet*, reſpondit. Dein Grimus ſermonem continuando, *miſit præterea*, inqvit, *qvoqvoverſus in auſtrum, ſeptentrionem, perq; mediterranea copias ad occidendos miniſtros tuos, qvocunqve eos loco deprênderent: in te qvoq; ipſum lembos, ducibus, ſatrapis & ſatellitibus. Itaqve celeriter provide, cito enim aderunt, nec qvicqvam de fide relationis dubita, nam cum is in foro Eyrenſi eſſet, ego per collem Gaulenſem obeqvitabam, hinc me in ſilva Gaulardalenſia abdidi, donec certius ſingula exploráſſem; novem autem dies iter abſolvi.* Inde Rex, an *ſatrapæ & qvæſtores ſui, qvos in aqvilonem miſerat, ſalvi eſſent?* rogat. Is verò *ſingulos conveniſſe ſe, præter Thorerem, deq; ejus ſalute valde ſe deſperare* ait: *reliquos omnes ſalvos fuiſſe, & modo poſtea caviſſent ſibi, periculum effugituros.*

Pauci tum aderant alii, cum hæc Regi referrentur. Rex, poſtqvam aliqvantiſper ſilentium tenuiſſet, hæc eſt affatus: *Laus Deo ſit, qvod tandẽ cognoverim, qvid mihi cum hoc hominum genere agendum ſit: jam enim demum, qvod diu occultè agitatum eſt, erupit.* Prima ſtatim luce Rex ſacra acceſſit, iisqve celebratis, iterum conſiliarios advocat. Ibi Grimus præſens ſingula, qvæ retulerat, denuo exponit, Itaqve haud ſegniter, telo belli indice in auſtrum aqvilonemqve emiſſo, Bergas cives omnes evocantur. Vocati & ſatrapæ Gautius Ionis filius, Gunnar Regis propinqvus, Nicolaus Pauli filius, Bryniolfus Ionis filius, & Iſacus de Bæis. Eodemqve die in cæmiterio ædis Servatoris forum celebratum. Ibi cuncta Rex, qvæ acceperat, publicabat, hortatus præſenti ut animo eſſent, bonum ſe enim eventum rei præſagire. Seqventi die luſtratus exercitus, armaqve inſpecta, mandatumqve, ut cives urbani in ſingulis diverſoriorum cænaculis armati qvieſcerent, ſatellites autem Rex in Regio palatio ordinabat; *ità ſeſe ſecundum Deum proviſurum, ne hoſtes eos opprimerent*, dictans. Eductæ deinde naves majores, Olafſuda, Fitiabrandus, Gullbringa, Riggiabrandus; Hugro autem dum protruderetur, inferiore ſtructurâ fractâ iterum ſubducta eſt: reliqvæ omnes in ſtationes miſſæ, longo ante urbem ordine extendebantur. Singulis deinde diebus ſatrapæ Regis qvæſtoresqve adventantes, magnas copias attulerunt. Etiam Vorſi jam uno die ſeptem naves egregiè inſtructas adduxerê.

Petrus, Aſolfus, & Sigurdus Epiſcopi filius accedentes, cognoſcunt Skulium provincias omnes ad aqvilonem â Stadis usqve ſuis præfectis tradidiſſe. Rex igitur priores duos, Petrum nempe de Giskio, Aſolfum de Auſtratt & Gunnarem propinqvum ſuum, cum viginti qvinq; navibus in ſeptentrionem adverſus Varbelgos mittit, cum mandatis, *ut quocunq; tutum eis videretur, procederent; â ſacrarum autem ædium & fæminarum violatione, exemplô ſibi â majoribus traditô, diligenter abſtinerent.* Profecti Borgundiam in Varbelgorum qvæſtores incidunt, Olafum nempe Kabeinum, Snækollum & Andream Skelem; cæſi ibi ê Varbelgis qvidam, reliqvi in templum fugientes, vitâ, dum ad Regem adducerentur, donantur. Legitur ex his Snækollus verſum hujus ſenſus tum protuliſſe. *Etiam ſi in æternum vixero, nunquam tamen ſatrapiam Sunnmærenſem affectabo; inde enim hoſtes ſemel Bergas me ex mandato Regis transvexerunt.*

Hinc ulteriùs provecti Regii, nullos Varbelgorum deprehendunt interjectus â Thrandia provincias inſidere. Skulius autem ipſe magno cum exercitu Nidaroſiæ erat, majoreq; vi munitus, qvàm ut ipſis aggredi tu-

tum esset; cùm itaqve nihil esset, qvod porrò hac vice agerent, cum universo commeatu, â Satrapis provinciarum collecto, captivisqve omnibus Bergas ad Regem redeunt, qvi qvidem nihil mali inferendum jussit. Klemetus deinde de Holmo in Agdas ad Varbelgos, qvi ibi erant, interficiendos missus, Olafum Thoræ filium ex veterum Baglorum numero occidit. Bardus de Hestby RYAFYLKIÆ præfecturam gessit, â SKULIO sibi traditam. Is ut primùm comperit, Skulium Regem appellatum, protinus ad Regem Haconem profectus se ejus potestati tradidit: cui igitur non solum Rex pepercit, sed honoribus etiam eum postea auxit.

Rex qvotidie cum suis consultans, variis sententiis distrahebatur; qvi enim ex aqvilone advenerant, svaserunt ut protinus omnem exercitum eo duceret: etenim hos moræ impatientes ira rerumqve suarum jactura faciebat. Qvi autem tractum â Stadis austrum versus incolebant, maluerunt Regem Bergis, dum maxima vis hyemis incubaret, cum exercitu hyemare. Interim Nicolaus Pauli filius, Satrapis omnibus ætate qvidem junior, sapientiâ tamen & promptitudine facilè prior habitus, in morbum incidit, deinde mortuus biduô ante festum Natale Domini, moxqꝫ templo corpus ejus pro more illatum. Seqventi die navis Hugro reparata, qvam ante festum deduci in portum Rex voluit. Dum itaqve sacra peraguntur, navis apparatur; inde ad signum tubæ populus ad eam confluit; unâ igitur oratione REX & pro nave Deo supplicavit, & pacis jura religiosamqꝫ festi securitatem promulgavit; tum propulsa e litore navis nihil damni habuit. Hinc funus Nicolai prosecutus, ipse ad sepulchrum inter alios cantabat, cæteris qvoqꝫ proseqventibus gratias ipse egit. Interea malus erigitur, qvô rudentibus fixô, navis tota instruitur. Aulico posthæc conventu habito, Rex totum satellitum ordinem epulis excipit, pluribus illo die negotiis expeditis. Augmundus Krækidans Bergas ante festum advectus, in nonum usqve diem cum Rege fuit, missus postea cum satellitibus & emissariis centum in Sogniam, inde in montes proficiscitur, nullos Varbelgorum in Dalis deprehendit. Munanus Episcopi filius præfecturam Heidmarkiæ superiorem tenebat, sed metu Varbelgorum in Valdriam tunc concesserat, ibiqve festum celebravit. Hoc sibi adjunctô Augmundus Osleiam profectus est: qvò cum venisset, malè apud qvosdam Regiorum audivit, objectantes ipsi, *ideo Oslejam concessisse, quod Uplandas metu Varbelgorum defendere nesciret*. Augmundus verò, *nimis exiguas sibi vires esse, qvàm quibus Skuliô, si adventaret, resisteret*, respondit. Nec diu ibi moratus, cum Munano denuò in Uplandas profectus, in Dalis aliqvantisper, qvoad ipsis visum, subsistebat.

Cæterum miserat Episcopus Arnius hoc ipso autumno, omnibus ad huc pacatis, presbyterum qvendam cum literis ad Archiepiscopum Nidariosiensem, qvas Dux interceperat, iterumqve, cum domum iter pararet, literas ei ab Archiepiscopo redditas abstulit: nihil tamen in illis, præter rationes aliqvas, qvæ Præsuli intercedebant cum Bergensibus, continebatur; has verò substituit Dux, qvæ ad Regem perlatæ, dolum & fraudes Ducis in eum atqve ministros ejus satis prodiderunt. Interim convivium festi Natalitiorum Bergis â Rege institutũ longe majores hinc sumtus pro multitudine hominum, qvàm soleret, reqvisivit; nam ex Vika census atqꝫ tributa nondum advecta erant. Octavo igitur festi die, anni imperii ejus vicesimi tertii, qvi annum MCCXL. inchoavit, omnia pretiosiora vasa, qvæ mensæ adhibentur, argentiqꝫ escarii nomine vulgò veniunt, pocula lancesqve argenteas confringi curabat, indeqve aulicis stipendia statim sol-

vi. Noni diei veſperâ, cum ſerenô cælô Rex fortè exiiſſet, aſtrum ipſi mirandum atq; terribile, qvod magnitudine cæteras ſtellas ſuperans, in haſtilis formam deſinebat, apparuit. Rex Magiſtrum wilhelmum vocat, qvi viſo portento hæc legitur dixiſſe. *Deus nobis propitius eſto; ſtella hæc Cometa appellatur, mortesque Principum aut bella portendere ſolet.* Etiam hac hyeme in pluribus aliis regionibus cometa hic viſus; ejusq; *Matthæus Pariſienſis* ad eundem hunc meminit annum.

Procedente feſto, ſatrapas male habuit, qvòd tamdiu expeditiò in aqvilonem differretur; nihil autem Rex hôc tum movebatur. Multa igitur in illum probroſè jacta, interq; alia dicterium Varbelgorum, qvi illum Haconem Somnum, ſev Somnolentum, appellabant, qvod re ipſa confirmare eum dictabant. Verum ille his inſuper habitis, tandem appetente feſto Purificationis Bergis cum ſexaginta navibus, omnibus magnis optimeq; inſtructis ſolvit; comitabantur hi ſatrapæ, Gautus Jonis filius, Bardus Pauli filius, Aſolfus Ducis propinqvus, Gunnar Regis Propinqvus & Iſacus de Bæis. Priùs autem qvàm ex urbe excederet, Reginam filiumqve Magnum in caſtellum transtulit, præſidioqve illud ſexaginta (qvadraginta habent reliqva Exemplaria) aulicorum, plurium qvoqve aliorum, firmatum, Gudleiko de Askio commendavit. Cæterum eadem hyeme Rex literas ad Dominum Knutum & Arnbiornum dederat, qvibus Arnbiorno mandatum erat, Knutum Comitis dignitate tituloqve ornare, utqve ambo ſimul Vikam Uplandasqve adverſus Varbelgos tuerentur.

Rex ubi jam Bergas reliqviſſet, ſatrapas Sunnmæriæ & Aurisdalo â Duce impoſitos cognoſcit; cum ergo ad Keiluſtraumum, ſev æſtum Keilenſem, devectus eſſet, hos in ſeptentrionen præfectos præmiſit, Gunnarem propinqvum ſuum, Aſolfum, Sigurdum Epiſcopi filium & Arnium Blackum: qvi maturatô itinere cum Raumsdalenſe oſtium transmiſisſent, ſignificatur ipſis, Finnum Snotrum Veeyæ cum copiis aliqvot ſubſtitiſſe: eam enim nuper provinciam â Skulio acceperat; igitur eô deflectendum rati, ipſum ſecurum omnino cum parte ſuorum cædunt. Ità autem hac hyeme omnes vias per miniſtros ſuos Skulius obfirmârat, ut ne minima qvidem rerum in aqvilone geſtarum fama ad Regem perveniret; jam verò, qvò longiùs in ſeptentrionem penetrabant, eò magis rumor adventu Regis increbruit, Skulium non exſpectatò per mediterranea ducturum exercitum eſſe. Sæviente nivoſa tempeſtate, Rex Knarrarſſcid prævectus Sandulfſtadas pervenit. Tum primum famæ hujus veritatem cognovit; miſſi itaqve Aſolfus & Gunnar cum duodecim navibus Nidaroſiam, qvi ferente vento uſi, recta eadem nocte urbem petunt. Bergthorus autem Tannius, miniſtrorum Skulii unus, levi eos lembo præceſſit, nunciusqve in urbem factus adventûs eorum, mulos, ut in ſacras ſe ædes reciperent, impulit. Gunnar Iluvikam, Aſolfus cum parte copiarum fluvium intrant, ibiqve exſcendunt, extemplòqve Varbelgorum qvidam occiſi, qvidam etiam vulnerati. Verúm Dux ipſe Skulius feriâ proxima ante Dominicam Septuageſimam ex urbe profectus primam noctẽ Medalhuſis agitavit: inde in kadalum vectus, univerſæ Thrandiæ claſſiqve Klemetum Faudur, ſev Patrem, & Guttormum de Ludrheimis (Studrheim habet Gullinskinna, Giodhorn *Editio Dan:*) præfecit; his ducentorum qvadraginta virorum præſidio relicto, ipſe ſexcentorum militum ſelectâ manu, armisq; & eqvis optimè inſtructus, montem transgreditur; qvò, ut ante memoratum, Alfus de Leifſtadis præmiſſus erat. In Gudbrandzdalis tunc morabantur Munanus & Augmundus Krækidans; qvi adventu Ducis cognito, in Heidmar-

 kiam

kiam deflectunt, Ringſtadisqve Alfum de Leifſtadis offendunt; qvi re ſubitâ adeo eſt perterritus, ut protinus templo ſe cum omnibus ſuis includeret; qvod Munanus & Augmundus violare nolentes, magnam diei partem obſidebant; qvia verò Skulius in ſingulas horas immineret, Osleiam euntes, Regios, qvi ibi erant, ſatellites, de propero Ducis adventu monuerunt: hi vero Comiti Knuto & Arnbiorno aliisqve ſatrapis idem maturè indicant; qvô factum, ut copias undiqve, qvas Skulio opponerent, brevi collectas haberent.

Interea Rex Hacon in Thrandiam navigans, Holmo claſſe applicatâ, cognoſcit multos ibi Varbelgorum eſſe; præfectos tamen eorum Klementum & Guttormum ad famam adventus ſui templa ingreſſos ibi ſe continere: ideoq; haud ſtatim in terram exſcendere Rex voluit, parci enim ſibi poſtulabant illi per nuncios, ſed ſine reſponſo dimiſſos. Tandem verò, habito cum ſuis conſilio, urbem Rex ingreditur, Archiepiſcopo Canonicisqve ſumma cum reverentia obviam ipſi procedentibus; obſervabat tamen Rex ſimulatos ſibi â qvibusdam honores fieri. Sæpius tum qvidem Archiepiſcopus ad Regem de ſtatu regni miſerando imminentibusqve ex tanta diſcordia malis conqveſtus eſt; qvidam etiam ſvaſerunt, amici nimirum Ducis, pacem ut faceret, eâ lege, ut dimidiam regni partem Regisqve titulum Duci concederet. His verò Rex ſe hoc ſtatu minimè conſenſurum reſpondit. Cæterum ante diſceſſum ſuum, Dux templo ad monaſterium Helgiſetri uxorem ſuam Ragnhildem, Dominamqve Ragnfridem, cum univerſa familia incluſerant; proq; iis Archiepiſcopus apud Regem interceſſit, qvi non illis ſolum, ſed & aliis omnibus, qvi templo Holmenſi ſe continerent, pacem ſe donare dixit: qvorum alii ſtatim exeuntes ſponte ſe Regi adjunxerunt, ad villas alii ſuas redierunt.

Itidem cum Nidaroſiâ Dux exiret, villas eorum, qvotqvot ſuas partes ſeqverentur, cuſtodibus mandavit; hi igitur jam Regem adeuntes petebant ne diripi abſentium ædes permitteret. Is intactas futuras promiſit usq; in finem hyemis, ſi fortè interea poſſeſſores veniam delictorum peterent. Archiepiſcopus Sigurdus Abbati Biorno de Holmo majorem in modum infenſus erat, ab eo tempore qvo Regium Dux titulum invaſit, tum propter alia crimina, tum præcipuè qvòd conſilia cum illo in re tam indigna communicare haud veritus eſſet, itaqve eum excommunicationis fulmine percuſſit; qvô offenſus Abbas ad Pontificem Romanum provocavit; moxq; clandeſtina cum Duce conſilia conferens, mutuatusqve ab eo pecunias, tradito in hypotecham monaſterio Holmo, epiſtolas Ducis, ad Principes exteros perferendas, in Daniam nimirum, Germaniam vicinasq; regiones, ipſam qvoqve Romam repetit. Abbas Nidaroſiâ ante feſtum Natalitiorum profectus montem tranſiit, ſecuréqve procedens, diſſimulabat ullum ſibi majoris momenti negotium commiſſum. Urbem Hamarem cum veniſſet, acceſſit ad eum Munanus Epiſcopi filius, exceptusqve humaniter, Abbati, cujus fortè exploratum habebat itineris ſcopum, omnia, qvæ ſecum ferret, abſtulit, tum per qvatuor ſuorum hominum, qvatuor item Satellites Regios, ipſum resqve omnes penes ipſum inventas in Sogniam primò, inde Bergas, deportari, Reginæqve tradi curavit, in caſtello ibi in adventum Regis ſervandum. Miſerat qvoq; Dux Jatgeirem poëtam cum literis in Jamtiam, inde in Helſingiam, aliis qvoqve in Sveciam deferendis. Ad eas intercipiendas Gunnarem propinqvum ſuum Rex ablegavit, qvi moleſto itinere eum cum duodecim aliis perſecutus, in Jamtia præfectum Skulii Thorerem Risbitum occidit. Inde in Helſingiam profectus,

Jat-

Jatgeiri literas omnes, donaqve pretiosa â Skulio ad amicos missa ademit. Regiqve Nidarosiam attulit, maximam ab omnibus rei bene gestæ laudem, Jatgeire licèt ipsô manus ejus elapsô, promeritus.

CAP. XXIX.

LEGATIONES AD REGEM ET COMITEM MISSÆ. ITERATA CUM VARBELGIS PRÆLIA, ET SKURLII IN REGEM FRAUDES DETECTÆ.

Eôdem tempore juvenes qvidam, Nidarosiam trans montem advecti, retulerunt Regi, Comitem Knutum Satrapasqve Regios Osleyæ magnas copias ad tria millia contraxisse, magnâ spe victoriæ, vel minori cum exercitu reportandæ; Ducem verò in Heidmarkia etiamnum, cùm eam præterirent, remansisse: magnâqve hôc nunciô prosperorum successuum spe omnes impleverunt. In Heidmarkiam ad Ducem Vesetius Parvus ex orientalibus Markis, qvò pulsus erat, rediit. Ipse verò Dux secundâ qvadragesimæ hebdomadâ Eidsvöllum profectus legitur, Alfumqve de Leifstadis speculatum præmisisse, qvi in speculatores Comitis Knuti incidens, unô suorum captô, recessit. Captivus hic ad Comitem Knutum deductus, statim ab adversario suo qvodam gravioris criminis accusatus, reusqve peractus, capite plectebatur.

Duci posthæc, dum Eidsvollo egrederetur, obviam presbyter qvidam Danus cum paucis aliis est factus, missum se â Comite Knuto professus cum his mandatis ad Ducem perferendis; nimirum, *postulare Comitem, ut Dux instructâ secum acie in campis, qui Leiruvölli appellantur, congrediatur, utque aperto Marte, sine dolo & fraude, eò usque omnia agantur; nivem autem utraque pars calcando viam commodam sibi sternat.* Dux, Comiti ut referat, jubet, *accipere sese conditionem, nec usquam prius ulli infestum fore.* Posterô die idem Presbyter ad Ducem rediit, postulare jam Comitem referens, *ut cohortes cum paribus utrinque vexillis parique statu inter se committerentur: suum quidem vexillum Duci ipsi adversum fore: emissariorum suorum vexillum nigrum esse, tis emissarios Ducis opponendos; candelarum ministris flavum vexillum præferri, adversus hos ejusdem ordinis viros in certamen posci.* Postulabat præterea presbyter, ut legatos unà secum ad Comitem mittat, qvi hæc ex ore ipsius meliùs acciperet; statimqve vir qvidam, nomine Karius Unimanus, missus est. Jamqve haud multum per silvam utriqve processerant, cum ecce vexillis Comitis occurrunt. Tum Pastor; *Celeriùs itaque*, ait, *signa promota sunt, quàm Comes mihi prædixerat:* remisitqve Karium ad Ducem, ut renunciaret adesse Comitem: id qvod & haud segniter is fecit. Et jam exercitus Ducis ex silva procedens in glaciem ad amnem descendit. Promontorium editum Leirnesia appellatum, qvod utrasqꝫ copias intercessit. Primi ex Ducis præfectis Bardus Vargus Satrapa, alterqve Bardus de Gudrekstadis, Thorsteini Kugadii filius, eqvitabant; promontorium prætervectis Arnbiornus Posius cum sua turma occurrit; ad suos igitur rediturus Bardus Vargus, eqvo, dum flecteretur, collapso, excussus à Posio capitur. Bardus de Gudrekstadis magno suo periculo

culo evaſit; adactam enim magnâ vi inter ſcapulas haſtam firmiſſima loricâ eluſit, nullo ſic inde vulnere acceptò. Interim Dux ab amne in promontorium deflectens, aciem ordinavit. Arnbiornus aliâ viâ regreſſus loco adverſo conſtitit. Inde ab utrâqve parte ſagittîs per veſperam res geritur; unusq; inter miniſtros Ducis, Jon Pharis, aliis Paris, dictus, lethali vulnere ſauciatur. Poſtqvam utriqve qvieverant, Bardus ille Vargus captivus affini ſuo Eirico Stilko veſtibus ſe indigere qveſtus, ut in glaciem deduceretur, poſtulat; ibi ſe tabulâ runicis literîs ſcriptâ ſociis ſuis ſignificaturum, qvibus indigeret. Traditis ergò ipſi, qvi in glaciem deducerent, Bardus velociſſimè ſeſe ab iis proripuit. Agnoſcentes eum ſocii ab ulteriore ripâ, obviam ei proceſſerunt. Hôc modô Bardus celeri curſu Comites fruſtratus ſalvus ad ſuos evaſit.

Skulius, cùm tres noctes in Leirneſia manſiſſet, commeatûs defectu amplius ibi ſubſiſtere neqvibat; mane igitur poſterioris diei feriâ ſextâ, ſecundæ qvadrageſimæ hebdomadæ, qvæ in ſeptimum Idus Martii, ſeu nonum ejusdem menſis diem, incidit (is verò calculus in Annum MCCXL. examuſſim convenit,) ad prædium Lacam ſe convertit; ſecuti Betulopedes. Ibi Varbelgi extra ædes in crepidine nivem pedibus ſubigebant. Vallis infra crepidinem ex oppoſito collis latere erat. Videntes ergò Betulopedes jam ſe peti, aciem ſupra crepidinem inſtruunt, propiusq; ad Lacam moventes, infra Varbelgos in oppoſita devexitate ordinant, haud pauco interim copiarum ſuarum numerô in inſidiis locato, qvibus præerant Lodinus Gunnii filius, Hacon Griis, & Ion Præpoſiti filius: iis verò, qvi à candelis erant, Thorir Knappus vexillarius præfectus. Hi cum aliis pluribus turmarum ducibus à tergo exercitûs Skulii, intercedente villâ, collocati ſunt. Dux verò haud ſegnius adverſus eos ordinat Alfum de Thorsberga, Augmundum de Vigdeilde, Alfum de Leifſtadis, Veſetium Parvum, ejusqve fratrem Algautium; fitqve vehemens utrorumq; congreſſus, ſed Betulopedibus difficilior, multâ ipſos nive impediente, Varbelgisqve fortiter reſiſtentibus. Facilè tum conjecerunt Comes & Arnbiornus, locatas à tergo cohortes ad manus veniſſe: igitur ſigna ſtatim ab infima valle per devexa arduaqve proferebant. Qvô viſo, Skulius ſuos inhibebat, ne nimis præcipites ruerent, permitterentqve potius iis aliqvantum aſcendere, qvò facilius deinde ê præcipitio, impetu in eos facto, deturbarentur. Verùm milites parum Ducis monita animadvertentes, in ſubjectos protinus irruunt: qvi mox pedem referentes unicum tantùm ſuorum amiſerunt. Qvi verò à tergo erant, diſpari aliqvantiſper fortunâ decertabant. Primos inter Hacon Gris ſe oſtendebat; verum ſtatim in Betulopedes clades verſa: fugâ deinde magnoperè augebatur; ipſe inter primos Hacon Gris cæſus, Jon qvoq; Præpoſiti filius & Guttormus Heggus cum multis aliis magni nominis viris ceciderunt. Lodinus Gunnii filius in angulum templi ſe cum ſuis recipiebat. Cœſorum ſigna à Varbelgis capta, adq; Ducem perlata. Interim Comes & Arnbiornus facilè cladem ſuorum cum tamdiu abeſſent, intelligebant: miſerunt ergò Eyliſum Kyrem de pace cum Duce acturum: qvi cum rediiſſet, clypeos tantum reperit, impactos acervô nivis, ipſorum, qvi unà cum eo miſſi ad Ducem fuerant. Comes autem & Arnbiornus cum reſiduis copiîs Tunsbergam, pars Osleyam, fugerunt, pars in Hofudeyæ ſeſe monaſterium abdiderunt. Ex Varbelgis Kolbeinus Alfi frater de Thornsberga cœſus eſt cum paucis aliis. De his extat verſus Olafi Hvitaskaldis, alterqve Sturlæ Thordi filius. Dux Lodino Gunnii filio, & qvi eum ſecuti ſunt, pepercit. Inde Osleyam profectus Regem

ſe

ſe ibi renunciari curat. Etiam iis parcitum, qvi in monaſterium Höfudeyæ refugerant, Paulo nimirum Gaaſi, Giardari Styris filio, pluribusq; aliis turmarum ductoribus; unde haud pauci Betulopedes ad Ducem tranſibant.

At verò horum ignarus omnium Nidaroſiæ Rex Hacon comorabatur. Conſveverant autem ſatellites ejus ad monaſterium Helgiſetur ſæpius egredi ad Ragnhildem, uxorem Ducis, filiamq; & alios Ducis miniſtros, qvi ibi remanſerant. Qvodam vero die cum pro more eò acceſſiſſent, animadverterunt omnes ſibi, ſpecie qvadam ludibrii, arridere; nec qvicqvam tamen cauſæ aut novi ab ipſis referri. Reverſi igitur ad Regem, ajunt haud grata qvædam iis nova allata. Eodem die Emiſſarius ex orientali parte ad Regem venit, ex qvo ſtatim Rex, qvicqvamne audiviſſet novi? qvæſivit. Eô autem tacente, Rex, qvalecunqve eſſet, pandere ſine mora juſſit: *qvodcunq; enim eveniſſet, Deum auctorem eſſe: ſe verò ab alio cogniturum, licet ipſe hoc jam reticeat.* Itaq; alter exorſus; *Breviter exponam*, inqvit, *omnia. Comes Knutus aliiqve ſatrapæ Vikenſes in Raumarikiæ prædio Laca nuper eum Duce congreſſi. ſuperiores receſſere; poſtridie autem redintegrata pugna in fugam verſi multos egregios viros amiſerunt*: ſingulaq;, ut geſta erant, qvippe qvi prælio interfuerat ipſe, retulit. Rex cladem ſuorum ægerrimè qvidem tulit. Regii verò hinc ſemper ab amicis Ducis, qvoties ipſis occurrebant, irriſi, famâ cladis in tantum aucta, ut qvi ex orientali parte ad amicos Ducis venerant, univerſos ſatellites Regis, qvi in Vika erant, ad unum occiſum nunciarint: nec jam amplius Comitem ibi ſubſiſtere poſſe: id qvod etiam Olafus Hvitaskald verſu expreſſit. Hi rumores Regios admodum angebant. Rex deinde ſuis imperat, ut ſumma celeritate expeditioni ſe accingerent. Dum verò hæc apparantur, qvodam die in æde S: Nicolai (Michaelis habet *Gullinskinna*) Archiepiſcopus Sigurdus & Lambius monaſterii Helgiſetri Prior his eum aggrediuntur verbis, & qvidem prior Archiepiſcopus: *Audivi*, inqvit, *ingenti te clade, cædib9 tuorum in Vika affectum eſſe: qvæ ſi adhuc forte iterabitur, periculoſus metuendus eſt exitus. Mature igitur de pace agendum cenſeo, quæ eo quidem difficilius impetrabitur, quo magis res Ducis fortuna adjuvat; itaque in tui publicæqve ſalutis gratiam non refugio montem tranſire, meqve, ſi gratum tibi id fuerit, te inter & Ducem arbitrum interponere.* Tum Rex: *Deus*, inquit, *tibi, Domine, hanc tantam benevolentiam rependat; quâ declaras ſatis, quam res meæ tibi curæ cordique ſint, dum laborem nullum ad reducendam pacem refugias. Verum etſi nos cladem aliquam ſatellitum noſtrorum militumqve jacturâ acceperimus, famâ tamen illam in majus auctam, qvàm reverâ eſt, omnino exiſtimo; quiqvid tamen ſit, illas ego adhuc maximas terræ hujus ſecundum Deum Sanctum Olafum vires ſtatuo, qvæ circa nos ſunt: non itaqve tam properè ad pacis conditiones cum Duce deſcendendum cenſeo, prius qvam ipſi nos invicem experti fuerimus, collatiſque ſignis manus conſeruerimus; qvod ſi tum contingat res noſtras, Deo ita Sanctoqve Olafo diſponentibus, inferiores fore; via tamen nondum, ut ſpero, ad pacem præcluſa erit; imò hanc nunquam admittere priùs certum eſt, qvam nos invicem in campis ſocer & gener videbimus, experturi, noſtrane an ſubditorum fortuna prævaleat.*

Exinde qvotidie Varbelgi ad Regem tranſeuntes, & in his Jon de Sudurheimis, propinquus ipſius, Thorfinnus de Gyrfio, multique alii pacem impetrabant. Perqviſitæ tum naves Comitis, inq; uſum regium ſumtæ, qvæ comodiores viſæ: reliqvæ majores, qvæ in navalibus ſtabant, aut exuſtæ, aut diſſectæ. Omnibus paratis, ad comitia Eyrenſia, antea indicta, cives ad

 tubæ

tubæ ſignum conveniunt, elatumq́ ſcrinium S. Olafi cum cruce ſacra, in qva lignum Domini, ſeu particula crucis Dominicæ, erat. Id verò factum Dominicâ Paſſionis legitur, filioq́ Regis Haconi Regium nomen inditum, voce primarii viri Einaris, cognomentô Smiorbaki, qvi poſtea Archiepiſcopus factus eſt. Etiam huic actui Archiepiſcopus Sigurdus omnisq́ totius regni flos aderat. Hacon itaqve junior ex more veteri tacto ſcrinio jusjurandum Regium præſtitit. Omnes deinde Satrapæ aularumqve rectores, poſtremò cives provinciales, octo ex ſingulis Thrandiæ præfecturis, in obſeqvium ejus jurabant. His peractîs, Rex brevi oratione in Thrandos invectus, expoſtulabat cum iis, *quòd præter opinionem ſuam & merita, ſanctiſſimo jure obſeqvii violatô, arma ſumſiſſent; licèt verò haud omnis ipſorum culpa eſſet, damnum tamen vel in ſe, vel in illos, redundaturum.* Eôdem die Archiepiſcopus conviviô â Rege exceptus eſt, qvi & Regem poſtridie invitavit; mutuisq́ ſe invicem muneribus proſecuti ſunt.

Seqventi die Martis ad Holmã Rex movit; inde leni ſpirante aurâ, ad Hegraneſiam ante diluculum feriæ tertiæ poſt Dominicam Palmarum, pervenit. Tum qvieti ſe dedit, inqve multam lucem ſomnô recreatus eſt. Tandem reliqvâ claſſe accedente, omnes ad concionem vocati: cognoverat enim Rex, prælii ad Lacam famâ fractos qvorundam animos eſſe, exortumq́ in exercitu murmur; itâ ut qvidam metu rerum impendentium, maximè verò miles nuper conſcriptus, miſſionem peterent. Eos itaq́ hôc modô Rex alloqvitur. *Ad aures pervenit noſtras murmur quorundam, quos neſcio quod hybernarum moleſtiarum tædium metusque malorum imminentium inceſſere, poſtquam cladem noſtrorum aliquam cognoverunt. At verò, milites, optimè vobis conſtat ipſis, non tantos labores illos eſſe, quos hucusque ſuſtinuiſtis, ut non multò majores plurimi pro ſalute Regis ſui ſuſceperint, præſertim, cùm nemo veſtrûm vulnus adhuc poſſit oſtendere, nec arma ſibi oppoſita usquam viderit. Sanè priſcis illis temporibus tenuis hic labor fuiſſet habitus, qui hucusque incidit; nec veteres illi Betulopedes in tam levi periculo, quod hucusque vos experti eſtis, unquam Regem ſuum deſeruiſſent. Rogo itaque vos, ut forti præſentique animo ſitis; id enim dignum vobis atque decorum erit. Cæterùm & hoc vobis dicam, quod futurum auguror, intra menſis unius ſpatium metum iſtum in regno & aula noſtra ceſſaturum.* Hæc dicenti ſenior qvidam de Agdis ruſticus reſpondit; *Tribus cum avo tuo Sverrere præliis olim interfui, & obſervatum tunc omnibus eſt, cùm talia ille prædixiſſet, neminem periculum metuiſſe. Pereat is, quicunque Regem ſuum vel majore in diſcrimine, quàm quod in præſens imminet, deſtituit.*

Hîs dictis, Rex omnes iter properare jubet; ipſe Bergas advectus, magno omnium gaudiô applauſuqve, ſumnoqve ab Eccleſiaſticis honore, qvi proceſſione fit, ſuſcipitur. Tunc literæ, qvas Abbas Biörnus ad exteros perferendas à Duce acceperat, examinatæ; ſcriptæ autem erant ad Pontificem Romanum, Imperatorem, aliosq́ Principes, qvos ad cauſam ſuam promovendam aliqvid conferre poſſe exiſtimabat. Tot autem tantisqve mendaciîs ac nugîs ſcatebant, ut mirum eſſet, tales â Principe calumnias ac fallacias ſcribi potuiſſe. Multæ qvoqve inter illas erant, qvibus Abbas capitalis criminis convictus eſt; pepercit tamen ei Rex, poſtqvam omnes redditas cognovit, cunctaq́ ille, qvæ in mandatis habuerat, revelâſſet; eumqve ſecum poſtea in orientem duxit. Cœterùm cùm jam Bergas appuliſſet, adeunt eum Satrapæ & Conſiliarii, ſvadentqve, *ut dimiſſis, qvas ex aquilone advexerat, copiis, novum ex univerſo Gulenſi territorio militem conſcribat, eâ frequentiâ, ut nullus ampliùs à Duce metus foret, inque tem-*

pus.

pus vernum expeditionem differat. Id verò Rex *minùs probari sibi* respondit, *quòd incertus esset, an majora auxilia ex districtu Gulensi comparare posset, quàm ad manus jam haberet; carè enim nimis illa auxilia emi, si eos deserat, qui se sequi vellent, vitæque periculum pro salute suâ subire non detrectarent; multa enim sibi à Vikensibus, si tempestivè ad eos veniat, polliceri. Sed & vires suas morâ debilitari potius, quàm augeri; se itaque iter summâ festinatione ingressurum, iis copiis, illâ classe, quæ sequi velit, etiam tribus tantùm navibus, vel certè unicâ, si plurium copia non detur, iturum ad subsidium suorum in Vika, ne prorsus ii ab hostibus deleantur. De his verò, qui hanc expeditionem refugerent, ut denegati obseqvii pœnas aliquando sumere possit, Deum se oraturum.* Deinde Haconis filii Regium titulum Bergis renovari voluit: id qvod alacriter ab omnibus præstitum. Habita sunt in cæmiterio templi Salvatoris comitia die viridium, Regiumq; adolescenti nomen confirmatum. Is pro receptâ regni consvetudine in leges jurabat; dabant & jurejurandô fidem Satrapæ, deinde cives provinciales totius Gulensis territorii, tum qvoqve illi, qvi ex Orcadibus & Hialtlandia aderant (Islandos *Editio Dan*: perperam addit, gentem hoc qvidem adhuc tempore sui juris: bina verò Exemplaria MS. nullam horum mentionem faciunt.) Jubet deinde Rex, ut ipsâ Soteriæ feriâ classem portu educant, omnemq;, qvicunqve remanserit, proditionis futurum reum pronuncient. Eodem die Floruvogas petiit, ibiqve peractâ nocte, posteri diei mane ad sacra in urbem regressus est. Hinc in portum Græningensem devectus, decem tantùm navibus, Paschatis ibi festum celebravit. In duobus tentoriis conciones sacræ magnâ freqventiâ habebantur, multa Sacerdotibus de pœnitentia & absolutione peccatorum disserentibus. Inde duobus instratis mensis Rex epulas suis magnificè, pro loci & temporis conditione, præbuit. Ventus tunc ab austro vehementior flabat; id pœnam à Deo imissam vulgus interpretabatur, qvòd Rex festum tam celebre Bergîs celebrare neglexisset, tristiore Rege, &, qvòd id sibi crimini daretur, indignante. Peractis sacrîs hilarem denuò se ostendit, hortatus, ut bonô omnes essent animô: *Deum enim itineri eorum & proposito, quocunque tandem modô, successus prosperos daturum.*

CAP. XXX.

PRÆLIUM CUM VARBELGIS, EJUSQVE APPARATUS, ORDO, ET EXITUS.

Interea Dux Osleyæ multiplicatis crebrâ transitione copiis auctus, sub Dominicâ Palmarum Valdisholmum movet; navesqve aliqvot per exteriora Sarpsburgum mittit, ductoribus Vilhelmo de Torgis & Thorere Miobeino. Qvô cognito, Arnbiornus Jonis filius navibus sinum Foldensem trajicit, provectusqve ad fluvium Borgensem incidit in Varbelgos, qvos navibus statim exutos in terram fugat, aliqvot eorum occisis. Haud multò pòst Arnbiornus ætate gravis, laboribusqve per omne vitæ tempus, novis qvotidie incidentibus, fessus, in morbum incidit, nec diu decumbens supremum diem clausit, magno omnium luctu, qvi excessu ejus grave acceptum damnum reputabant: communi enim consensu omnium nullus istâ tempestate Satraparum totius Norvegiæ ei conferri poterat.

 Verùm

Verùm Dux intra exiguum tempus Valdisholmô deditione captô, reportatâq; inde ingenti ſpoliorum vi, ante feriam glorioſæ Reſurrectionis Osleyam rediit; nec amplius exinde ei reſiſti poſſe creditum. Filius autem Petrus, cum magno copiarum numero, in Heidmarkia feſti tempore permanſit.

Rex deinde Paſcha in portu Græningenſi, uti dictum, celebrabat, cùm ex oriente Gudleikus Eidungus (*Gullinskinnæ* Edlungus) lembo ad eum devectus obitum Arnbiorni nunciavit: reliqvos autem Vikenſes Satrapas videri in contrarias facilè partes, nî maturè Rex adveniret, transgreſſuros. Secundâ feriâ Rex cum famulo uno in terram primâ luce exſcendit: ſiqvidem adverſo, qvamvis leni, Vulturno flante, dubitabat alios, ſi fortè ventus intenderetur, excitare; qvòd multi urbem repetere præoptarent. Attamen mox expergefactos veſtiri juſſit, inqve ſinum Hardſæ remis tendere. Ipſe lembo ſolus, aſſumtis remigibus, in auſtrũ Sandtaudram (Sandkaudram *Codex Flat:* vocat, *Gullinskinna* Sandcantrum) tendit, ſacris ibi interfuturus; qvæ dum peragebantur, miſit qvi proſpicerent claſſem: relatum, omnem velis expanſis navigare; finitisqve ſacris, optimus naves ventus provehebat. Rex, qvantâ poterat feſtinatione, inſeqvitur; nec priusqvam Sultbiarnarſundam ingrederetur, aſſecutus eſt. Adeò enim ventus increbruit, ut contractis omnes velis navigare coacti, in portum Hvitingseyæ circa veſperam devenirent: de qvo Sturlæ adhuc verſus legitur. Poſterô die poſt peracta ſacra, transmiſsâ Jadriâ, cùm propter ſinum Hvinenſem navigarent, gubernaculum navis regiæ fractum, parsqve inferior tota ferè amiſſa eſt; parte tamen reliqvâ remisq; , pontium qvoqve, dum promontorium Lidandisneſiæ præterirent, adminiculô dirigebatur ad Skerdardalſundam usqve; qvò ſalva, neqvaqvam ſine miraculi opinione in tantæ molis nave, perducta eſt.

Feriâ qvarta ad inſulas Eſiuneſiæ navigabant, ubi maxima copiarum pars convenit. Inde Vikam ingreſſi, cum Grænmaras deveniſſent, unde ab auſtro inſula Aur ſpectari poteſt, Vulturno cum tempeſtate gravi exortô, qvam atra conſecuta eſt caligo, in portum compulſi ſunt illi, qvi obliqvis velis ulterius neqvibant tendere. Rex autem longe devio à cæteris curſu appulit in portum Satuneſiam appellatum, noctem ibidem acturus. Percepit hìc Valbergos omnes Osleyæ eſſe, paratos Tunsbergam adverſus Regias copias, qvæ ſubſtiterant ibi, movere: Comitem autem Knutum ad Jarlſeyam ſtare cum aliis pluribus, in aqvilonem ad Regem profecturum; alios deniqve ad tutandum relictos eſſe. Rex itaqve Endridium Beſſii filium cum uno comite Tunsbergam miſit, qvi ſecretò indicaret ſuis, in Vikam ſe appuliſſe. Interim, qvi in regia erant nave, diu in ſeram noctem perpotaverant, ſeqventisq; diei mane ſomno liberius indulgebant. Itaq; ipſe primâ luce ſurgens, omnes expergefecit. Segnius verò primò juſſa excipientes ita eſt allocutus: *Haud dubiè celerius hodie Varbelgi ê ſtratis ſurgent, ſocios veſtros Tunsbergæ aggreſſuri.* Ad hanc ſtatim vocem excitati omnes & celeritate ſe invicem inſtigantes, negabant ſe id noctibus permiſſuros: eademqve alacritate ê portu remigantes, cum inſulam Aurem præteriſſent, ſecundum nacti ventum, naves, qvas præteriſſe ſe jam dudum exiſtimabant, ſeqventes conſpiciunt. Ergo Iſvaſundas (Varſundas *Editioni Danicæ*, *Gullinskinnæ* Smaſundas) intrant, univerſamqve ibi claſſem expectant. Vovebat tunc Rex omneſq; cum eo Betulopedes, perpetuum ſe veſpere hujus, qvæ pervigilium S. Olafi præcedit, feriæ jejunium omni cibo vacuum, (Vatnfaſta) culturos, ſeqvente verò jejunaturos, aut appenſis qvindecim nummis jeju-

jejunia redimenda. Votum hoc primo qvidem anno â plerisqve religiosè servatum: postea ardor iste admodum tepescebat. Inde Grindholmasundam navigatum; hic obviam Regi venerunt Gunnbiornus Bondius, Munanus Episcopi filius, & Ivar de Skediuhofio, nunciantesq; Comitem Knutum cum universo exercitu in Iarlseya collecto consistere, petebant, ut eò classem dirigeret. quibus è vestigio ita Rex respondebat: *Cùm itaque Deus tam secundum nobis ventum largitus sit, eo qvoqve jam frui placet: eqvidem victoriam nobis polliceri videtur. Seqvantur, qvi velint, qvo verò suô commodo eum negligant, qui uti jam nolunt, vix satis capio.* Hocq; idem superstes Olafi Hvitaskaldis versus testatur.

Rex sinum ingressus, cum oppositæ insulæ Jarlseyæ adnavigaret, tubas inflare jussit; qvo audito Betulopedes, qvotqvot in insula erant, remotis tentoriis, confestimq; eductis portu navibus, Regem seqvuntur. Ipse lembum Tunsbergam mittit, per cujus vectores urbanorum alios arcis præsidio designat, alios ad se evocat. Bediusundas inde invectus adventum Comitis expectabat; hicq; simul naves intra sinum qvàm compendiosissimè dirigunt, versu id Sturlæ memorante. Vergente die, ventus posuit, magis autem adhuc, cum ad Sigvaldii saxa ventum esset. Inde se tenebris intendentibus, remis ad Nesoddam advecti, ab aliis percipiunt, Ducem cum Varbelgis urbe excessisse; ab aliis vero, eum ibidem adhuc manere. Ingressus Rex, copiis in cohortes divisis, singulis singulas, qvas aggrederentur, partes assignavit, hoc ordine: Gunnbiorno Bondio & Petro Pauli filio, cum qvibusdam præfectis aliis â Stadis aqvilonem versus, circa occidentale Höfudeyæ latus naves ad septentrionalem Giliandæ partem, inqve orientem Frisiæ pontem versus, ducere mandat, ibiqve Varbelgos excipere, si fortè phalanx eò aliqva accesserit. Comiti Knuto & Vikensibus, Simoni Kyri & Eirico Stilko pontes assignantur, ut adversarios inde lacessant. Ipse cum potissima exercitus parte stationem ad Eikabergam, ab austro verò Thrælabergæ oppositam, sibi deposcebat; inde in australem urbis partem incursurus. Vetabat autem naves ab Höfudeyâ solvere ante claram lucem, nec prius qvàm se rupe descendentem urbem petere conspicerent: tum demum singulis ordine præscripto procedendum, ita tamen, ut omnium primò pontes occuparentur. Præmiserat interim speculatores in Höfudeyam, ut certiora sibi de Varbelgis referrent: illis verò præter spem tardantibus, ipse scaphâ Höfudeyam petit. Cum in medio sinu esset, caligo adeo densa incubuit, ut vix ê prora in puppim prospicere navigantes possent. Incertis itaqve, ubi Rex esset, omnibus, ingens in exercitu metus exortus est. Interea speculatores redierant, nusqvam Rege in itinere animadverso. Hinc ordo qvoq;, qvem in impetenda urbe constituerat, violabatur; nam qui ad Giliandam copias exponere jussi erant, mandata neglexerunt. Post aliqvam tamen moram Rex exspectatò reversus est.

In hanc expeditionem junior Rex Hacon patrem secutus erat; qvippe qvem lembo miræ velocitatis, Skufinhettæ, vel Kufinhettæ dicto, pater imposuerat, relictis cum eo optimis viris, Confessionario nimirum Wilhelmo, Ingimundo Kolbeini filio, Andrea Kepte, Andreâ Musa: duosq; alios lembos ei adjunxerat, cum mandatis, *ut quàm occultissimè Hofudeyam occidentem versus accederent, ibiqve se abscondentes in promontorio speculatores occultarent, sedulò eventum rei observaturos; quod si verò sibi victoriam eripi cernerent, idqve certò haberent exploratum, exirent statim sinu, nec Vikensium fidem experturi, haud prius desisterent, qvàm Bergas pervenissent: Dei verò providentiæ cetera committenda.* Multis deinde filium Regiis & saluber-

luberrimis monitis ſub diſceſſum inſtruxit. Hinc levioribus navigiis ab auſtrali inſulæ parte ad ſtationem Eikabergam, uti antea ordinaverat, provectus, ſeqvente Comite Knuto, terram conſcendit. Prius vero qvam urbem in conſpectu haberet, more Sverreris avi alacritatem ſuorum aptâ oratione accendit; qvæ his verbis perſcripta adhuc legitur: *Jam dudum ſtatus rerum inter me & Skulium ſat multis, ut credo, innotuit; varius qvidem ille, interdum ſatis bonus, interdum haud optimus, forſitan nec ſolius alterius culpâ in pejorem mutatus, juxta tritum illud, litigantibus duobus raro tota penes unum culpa reſidet. Jam vero ille præter alia, qvæ nos interceſſerunt, omnia, Regium nomen ſibi imponi fecit, amicitiâ tamen paceqve antea nobis haud qvaqvam renunciata, exemplo planè in Norvegia inaudito. Miſit deinde in omnes regni partes milites ſuos, in aqvilonem, in auſtrum & mediterranea, qvi communes ubique utriuſqve noſtrûm miniſtros trucidarent, eos nempe, qvi acceptis pro ſalute noſtra defendenda gladijs, jure jurando fidem obſtrinxerant, qvam ei pariter ac mihi ſervare decreverant. Hoc verò ille facinore horribili ac deteſtando in homines inſontes, nihil ab eo mali expectantes, uſus eſt, quibus nullum, ne ad aras quidem perfugium profuit. His infandis ſceleribus adjecit immane in hoc caput conceptum odium, qvod in totam domum noſtram nefariis auſibus profundere haut eſt veritus, immiſſis quatuordecim lembis ad nos ipſos filiosque noſtros ferro vel igne, ni propitius Deus dirum avertiſſet ſcelus, necandos. Tantos autem his perpetratis progreſſus fecit, maxime poſt prælium Lakenſe, ut exemplo prorſus careat, tantis aliqvem injuriis & indignitatibus tam ſecundâ fortuna uſum. Et certè magnum iſto prælio damnum cædibus hominum noſtrorum accepimus; multi ibi egregii viri cæſi ſunt, irreparabili amicorum propinqvorumque jacturâ. A vobis itaque peto omnibus & ſingulis, qui hic jam in unum conveniſtis, ut fidos vos mihi & ſtrenuos oſtendatis, revocando in memoriam vobis amicorum veſtrorum propinqvorumque cædes, rerum fortunarumque jacturam, injuriam quoque mihi tam atrocem illatam; hæc ſingula ulciſcenda jam hodie cogitate, & quam ſtrenuè vobis libertas veſtra, patria, uxores, liberi, aræ focique, noſtra deniqve veſtraque omnia defendenda ſint, conſiderate. Nec eſt quod militem Skulii, delectum qvantumvis & ſtrenuum, metuatis: penes nos regni totius robur eſt, huc nobilitatis flos omnis confluxit: adeo ut ijs ſuccumbere, qui ſervire nobis, utpote longè potioribus, ſunt nati, haud ſine ſummo dedecore poſſimus. Eqvidem præſagit jamdudum animus meus plenam de hoſtibus victoriam, ſtatuſque hujus in melius mutationem.* His hortamentis ſubjecit fabulam Sverreri qvondam uſitatam. *Interogabat*, inqvit, *ruſticus filium ſuum, qvalem ſe in bello geſturus eſſet, ſi ſciret ſibi occumbendum eſſe? Quid, reſpondit ille. niſi ut inde alacrior factus promptiſſimè pugnarem, quô ſic mortem gloriâ cumularem. Quid verò, ſubjecit pater, ſi evaſurum te ſcires? & tum quidem, reſpondit alter, ipſa fortitudinem neceſſitas ſvaderet. Horum jam alteruter*, Rex ait, *eventus belli exſpectandus eſt: tertius enim non datur.* Hinc milites, qvomodo primo concurſu arma ſtringant, docet; qvibuſqve ſe invicem ſignis in prælio noſcant, ne errore ſuborto ipſi inter ſe manus conſerant, datqve teſſeram Betulopedibus Sanctiqve Olafi militibus familiarem, his verbis: *Procedite, viri Chriſtiani, vos Crucis Chriſti, vos ſancti Olafi milites.*

Cum Rex in collem, unde urbs conſpici poterat, progreſſus eſſet, illuceſcere dies cæpit, nec ullus in urbe motus hominum apparebat, id qvod ſtatim ſuſpicionem fecit Regi, nunciô adventus ſui monitos Varbelgos exceſſiſſe. Mox viſæ naves ab Hofudeya celeriter in pontes provectæ; inde perſonans campana bellica ſuſpicionem refellebat; tumqve ingens in urbe diſcurrentium tumultus audiebatur. Varbelgi enim per hoſpitia ſparſi, audito

dito campanæ ſono, huc illuc incerti ferebantur, pleriq; tamen ad palatium Regium, ubi Dux qvievit, tendebant; qvi cognito tumultu, exſurgens veſtes raptim induit, indeq; ſubitò per plateas ad ædem Sancti Hallvardi properat. Cumqve nondum conſtaret de copiaram hoſtiliurn duce, Comitem plerıq; Knutum eum eſſe cum ſatrapis Regiis, conjectàbant. Igitur ſtatim in Maurtuſtockas (Galieberge habet *Editio Danica*) Dux conceſſit, qvò exercitu omni ſecutô, ibi aciem inſtruere placuit. Arnius Rufa primus Ducis vexillarius, contumelioſum hoc fore dictitabat, ſi Comiti Knuto permitteretur veſtes ipſorum intra urbem eqvosqve diripere. Diviſis igitur copiis, Olafus de Vigdeilde cum cohortibus aliqvot in plateam occidentalem mittitur. Ipſe Dux cum ſuis ad ædem S: Hallvardi ſe confert, inde Hallvardum Stutem (aliis Stodem) Epiſcopi Ormi propinqvum, cum aliis multis ad pontem Geitenſem exſcindendum, ne per eum tranſitus pateret hoſtibus, mittit. Rex interim in montis crepidine ſupra urbem conſtitit, donec Varbelgos ad Mörtuſtockas ſe colligentes animadvertit. Tum vero properè in illos movet. Thorſteinus de Heimneſia, vir prudentiâ & manſvetudine inſignis, veteranus jam, ſpectatæq; erga Regem fidei, vexillum Regium præferebat: qvem tum Rex, ne nimiô properaret curſu, admonuit; gravem ſecus militem, cujus pars fortè minus valeret pedibus, ante cæptam pugnam fatigari. Adhæc prata atqve viæ adeo moleſtum euntibus iter præbebant, ut genu tenus aut ſupra ſingulis ferè paſſibus haurirentur atqve ſubſiderent; nam qvamvis ſeptima hæc Paſchatit eſſet feria, gelu tamen glacieqve omnia ſoluta erant. Cæterum qvod Auctor hic dicit, in ipſam Paſchatis feriam primam hoc anno primum æſtatis diem incidiſſe, errore haud caret: qvippe cùm veteres ſemper primum æſtatis initium â die Jovis auſpicabantur; illo qvidem, qvi tertius â feſto AnnunciationisMariæ numeratur, niſi hoc ipſum in diem Jovis incidiſſet; ſic enim inter tres Jovis dies, qvorum ultimus æſtatem inchoaret, feſtum numerandum haud eſſet, ſed iterum â proximo incipi, tumq; in qvartæ hebdomadis diem Jovis prima æſtatis dies caderet. Eſt autem annus, cujus jam geſta ſcribimus, Cycli Lunaris Sextus, cujus dies dominicalis literâ G. ſignatur. Paſchatis autem feria in 15. Aprilis incidit; ſicq; æſtatis initium in præcedentem duodecimum, qvi eſt tertius poſt feſtum Annunciationis Jovis dies. Habuerunt & aliam majores de æſtatis initio Regulam, allatâ faciliorem: *Dies Jovis, qui feſtum Magni Orcadum Comitis* (id eſt. decimum ſextum Aprilis) *proximè præcedit, ſemper æſtatem orditur.* Ergo ipſo Viridium die æſtas hoc anno initium ſumpſit. Hæc autem, qvæ jam deſcribimus, XXI. Aprilis geſta ſunt.

Jam verò in devexitate conſtitutis Regiis occurrebant ex primoribus, qvi nunciabant, reſciſſum eſſe pontem. Svaſit ergò Thorſteinus, ut ſecundum campos ad pontem, qvi Ryabergæ adjacet, contenderet; id verò Regi minus ê re viſum eſt: itaqve ad eundem pontem pergunt, in qvo deſtruendo tunc occupati adhuc erant Varbelgi, tabulasqve aliqvot ab ea parte, qvæ propior urbi erat, avulſerant; ſed adventu Betulopedum receſſerunt; cum tamen vel decem illorum tranſitu hos valuiſſent omnes prohibere; cum ſupra duo (*Editio Danica* qvinqve) diſcreta ligna, ſev trabes, qvæ tabulis ſubjiciebantur, incedendum eſſet. Rex undecim, (qvadraginta habet *Editio Danica*, *Gullınskinna* qvinqvaginta) qvi ſignum præcederent, ordinavit. Secutus hos vexillarius Thorſteinus, nec niſi haſtâ fultus mucrone alteri trabi impacto, dum per aliam procederet, tranſire poterat. Superato, hoc modò ponte, inter plateam Eyrenſem & ædem Sancti

Sancti Nicolai constiterunt, nec tamen plures Regem, cum transierat, secuti sunt, qvàm plateæ latitudo caperet (hos nonaginta MS. facit.) Thorsteinus iterum eos, ut gradum accelerarent, hortabatur, ne, qvi e navibus exscendebant, priores Varbelgos aggrederentur. Rex autem nimiam secum paucitatem relictam qvestus, exspectandum putabat, donec suos collegisset, qvi etiam dicto citius affluebant. Cum adversum domum Guttormi Erlendi filii devenissent, hic ex ædibus suis perones togamqꝫ gestans obviam Regi processit, hisqꝫ eum salutavit verbis. *Deus te protegat, ô Rex! ut parvâ nimis manu in tanto qvidem periculo stipatus es: etenim supra vos Varbelgi instructa acie exspectant, protinùs vos excepturi. O si ego nunc istis essem viribus, quibus olim, cum te in Vermiam seqverer, valebam!* Rex ad hæc; *gratias*, inqvit, *ago, satis enim de tua, Guttorme, benevolentia persvasus sum. Tu modo domum tuam ingredere. Ad me quidem numerus brevi major adveniet.* Parum processerant, cum filius Regis Sigurdus accessit, qvi post discessum patris diurnis nocturnisqꝫ itineribus Tunsbergam contenderat. Gratus tum admodum adventus ejus Regi fuit, simulqve junctis cohortibus per plateam procedebant.

Apud Asbiorni Kopri domum Ducalis exercitus pars maxima, sub vexillo, qvod Arnius Rufa portabat, in procinctu erat. Priusqvam acies concurrerent, Rex tibicinem tubas inflare jussit. Bis inflabat ille pressiore sono, increpatus idcirco à Rege his verbis: *multo acutius tuba hæc tua in pontibus Bergensibus personabat, cum lucro forsan aliqvo jam flares.* Mox multo excitatiorem sonum edidit: ordinatisqve, qvi vexillum seqverentur, ipse Rex omnes præcessit. Extat Sturlæ poetæ de hoc testimonium, duobus versibus comprehensum. Prætereuntes cæmiterium Varbelgorum qvi intra hoc stabant, aliqvi eos sine intermissione impetebant, teste Olafi Hvitaskaldis versu. Producto deinde vexillo Regio, Varbelgi confestim, qvotqvot extra cæmiterium erant, fugiebant; visâ autem suorum fugâ, qvi intra stabant, imbrem lapidum omni ex parte in ipsos acerrimè conjecerunt: maximam enim partem copiarum Arnius Rufa & Vilhelmus de Torgis Ducis satrapa inde secum eduxerant. Verum haud multò pôst aliis ab orientali cæmiterii parte in superiora fugâ abreptis, Arnium Rufam intra murum denuò se recipientem Betulopedum plurimi perseqvebantur; in primis Ivar Dyrius, sev Pretiosus, Thorleifus Bosius; (addit *Editio Danica* Ivarem de Holmo) qvos, cum in cæmiterio ingens adhuc lapidum acervus haberetur, Varbelgi freqventi jactu telorumqꝫ grandine incessentes, tandem expulerunt: ità rem totam laudato sæpius Sturla commemorante. Alfus autem de Leifstadis, animadverso, fugam suis jam omnem intercludi, per portam cæmiterii erumpens dignam viro pugnam edidit, tandemqꝫ inseqventibus plurimis, cum ad fluvium pervenisset, in ipsa ejus ripâ cæsus occubuit: hoc autem uno omnes ore prædicant, vix alium visum, qvi se fortius adversus multos defenderet. Rex deinde in eos, qvi ab orientali cæmiterii parte fugerunt, conversus, eodem momento ex Varbelgis Eysteinum Sundrammum cum pluribus aliis interfecit. Unus Betulopedum cæsus est, aliqvot vulneratis Regiorum. Hinc ê navibus recèns egressi Olafo de Vigdeilde in platea, qvam â duce tutandam acceperat, occurrunt: fitqve acris pugna; nam & Varbelgi, qvi castellum Episcopi insederunt, lapides & saxa in eos devolvebant; gemino itaqve periculo implicabantur Regii, Varbelgos simul in platea oppugnando, seqꝫ ab ictibus castellanorum defendendo. Ad ultimum Varbelgi in fugam intra cæmiterium conjecti sunt: Olafus autem de Vigdeil-

deilde; cum sua cohorte circa aqvilonare cæmiterii latus in superiora fugit, statimqꝫ hoc visô Thiofi filius, Ducis Stallarius, ad Monialium cænobium profugiens, templo se cum sua turma abscondit. Inde Rex in superiora ab orientali cæmiterii latere vexillum promovit; qvò multi antea Varbelgorum, interq; eos Grimus de Sando, pluribus stipatus, aufugerant, qvorum pars supra cæmiterii aggerem, alii supra domos (vel, ut qvidam habent, officinas fabriles) consistebant, lapides inde, qvorum magnam collegerant copiam, telaqve sine intermissione in eos congerentes. Lethali hic vulnere alteri genu inflictô Biarnius, cognomentô Hestus, seu Eqvus, filius fratris Karlii Svangii & Sigurdi Skialgii, magnæ exspectationis juvenis, cecidit: multis qvoq; Betulopedum vulneratis, pauciores erant, qvi integris membris evaserunt.

E regione ædium Canonicorum, in angustiis supernè aggeribus coarctatis, adventantem Regem ipse Dux cum comitatu sat magno eqvo insidens excepit; constiteruntqve parumper, anteqvam alter adoriretur. Betulopedes qvidem inferiùs in loco humidiore, Varbelgi in platea & ponte, ubi sicca omnia, se continebant. Portam cæmiterii, qvæ Betulopedibus à tergo erat, Varbelgi jam iterum sese colligentes replebant, nec supra viginti militum præsidium circa Regem relictum erat, majore tum qvidem in periculo constitutum, qvòd & loco comodiore & numerô longè superaretur; àcqꝫ tergo hostium vis ingens imineret, itâ ut facilè cum suis potuisset ad internecionem deleri, nisi Divina eum clementia, ut aliàs semper, ità illo præsertim tempore, tutata esset, qvæ animum hostibus & audaciam, donec plures Regiorum accessissent, iminuit. Parte itaqve copiarum in eos, qvi à tergo erant, imissâ, prælato ipse signô in Ducem movit. Acerrimus ad cæmiterii portam conflictus oritur, Varbelgis extra aggerem tela lapidesqve egerentibus, ingerentibus verò Betulopedib⁹, donec Varbelgi grandinem missilium non ultrà sustinentes in templũ confugerunt, foresqꝫ occluserunt; id qvod superstite adhuc versu Olafus Hvitaskald cecinit. Dux pugnam ex eqvo conspicatus, suos, ut hostes invaderent, hortabatur; astitit illi Sonius Silkius, admonensqve de periculo: *Hic*, inqvit, *Domine, Regis vexillum cernimus, ipsumque Regem sequentem. Non ideò*, respondit Dux, *nos segniùs progredi æqvum est*; subditisqve eqvo calcaribus provectus, à Sonio eqvum inhibente retrahitur. Jaculis tum aliqvot eum Betulopedes impetebant, qvæ qvamvis propè inciderent, haud tamen ipsum feriebant. Haud segniter deinde cum universo comitatu fugere cæpit. Hoc etiam Sturla & Olafus Hvitaskald peculiari qvisqꝫ versu perhibent. Eôdem momentô Rex freqventi suorum accessione auctus, Thorsteinum cum maximâ copiarum vi ad perseqvendum Ducem misit; negabat enim, se à porta cæmiterii discessurum, priusqvam provideret, ne periculum suis eô locô à Varbelgis, si tergum adhuc fortè adorirentur, esset. Verùm Dux rectà ad superiora tendens, qvamvis jugi suorum accursu invalesceret: attamen non bellum ulteriùs, sed fugam, meditari vis⁹ est. Jamqve Gunnar Regis propinqvus cum suis turmis advenit; ordinavit itaqꝫ Rex, qvi portam cæmiterii oppugnarent; nec mora, scandunt tecta Varbelgi, indeqꝫ ex arcubus tela in eos, qvi supra aggerem stabant, ingerunt; adeò ut deturbatis his, frustra ex tectis aliqvid Betulopedes molirentur.

Dum hæc aguntur, Gautus Jonis filius Regis vexillô se aggregat, cui igitur Asolfus Strikus à Thorsteino de Heimnesia missus est, qvi de nimiâ circa vexillum illud paucitate majoreqꝫ inde periculo admoneret; Ducem verò

verò jam denuò freqventi Varbelgorum confluxu increſcere. Huic ergò in auxilium Gautus cum cohorte ſuâ pluribusq; aliis accurrebat; dum Rex ipſe interea in oppugnanda portâ detinebatur. Inter hæc Dux Skulius aliò qvidem converſus ad Maurtuſtockas ſubſtitit: ſecutus eum Thorſteinus de Heimneſia unum alterumqve inter eundum occidit, in his Algautium Veſetii fratrem, ipſo Veſetio vulneratô. Penè eâdem horâ in ſuperiora viarum Gautus Jonis filius & Olafus de Vigdeilde, poſtqvam ab occidentali plateâ fugerat, pervenerunt; nec Olafo tum alia ſpes ſalutis ſupererat, qvàm ut templum S. Hallvardi cum ſuis ingrederetur, qvorum tamen extra cæmiterium aliqvi ſtatim ſunt cæſi. Interrogat itaq; Olafum Gautus, an parci ſibi velit? affirmantem, ſe id grato animô accepturum, jubet in templo remanere, nec tamen tantam in hac gratiâ fiduciam ponere, ut tutum ſibi exitum polliceatur. Interea Skulius in Maurtuſtockis conſiſtens cum Thorſteino congredi conſtituit; ſed viſo Gauto copiarumqve Thorſteini incremento, fugam in ſuperiora cum comitatu omni ociùs adornabat. Fugerunt cum eo Satrapæ, Bardus Vargus, Bardus Bratti9, Erlingus Liodhornus, & Veſetius Parvus. Hîs comitatus in prædium Hof ad nomophilacem Amundium Rembã profectus prandium ibi ſumere decrevit.

Dum verò hæc Ducem inter & Thorſteinum geruntur, adeò freqvens ê navibus turba accurrebat, ut aucti numero Betulopedes univerſijam cæmiterium circumſiſterent, nullâ obſeſſis ampliùs viâ elabendi relictâ; ſed & illi tam firmo ſeſe munimentô undiqve vallârunt, ut invadi eos poſſe nullo jam prorſus modô appareret. Rex, diſpoſitis qvi oppugnationi inſiſterent, ipſe Canonicorum ædes ingreſſus, inde prædicatorum ædificia inſpexit, obſervtâqve ſepe ligneâ, qvæ nullo lapidum interjectu, ædem S. Olafi Canonicorum domibus jungebat, protinus hanc reſtibus ê roſmarinorum pellibus, rudentibusqve majoribus injectis, univerſam deturbari juſſit, ſtatimq; ea magno fragore concuſſa cecidit, ingenti à Betulopedibus clamore ſublatô. Ad eum caſum territi Varbelgi, præcipitesq; ê portis ſingulis fugientes, ingreſſum Betulopedibus conceſſerunt, qvi confeſtim magnam eorum ſtragem ediderunt. Ibi maxima armatorum vis vel concidit, vel vulnerata eſt, geminô Sturlæ verſu rem ità geſtam commemorante. Vilhelmus de Torgis ad auſtralem portam ſtabat; eum Ivar Dyrius inclamans, rogat, an vita donari velit? is autem reſpondens, *neſcio*, inqvit, *adhuc*, *penes quem noſtrûm vitæ alteri donandæ poteſtas ſit*; graviq; lapidis grandioris ictu genam ei ferit. Tum Ivar, recollectô ab ictu animô: *cùm deteriora*, inqvit, *eligas*, *etiam ſtatim accipies*; moxqve Vilhelmum interficit, haud multùm jam, qvòd truncatus eſſet manu, vitæ retinendæ avidum. Multi ibi Betulopedes inter Varbelgos amicos ſuos ſociosq; haut paucos agnoverunt, qvorum paucis tamen eſt parcitum. Erant etiam inter Varbelgos qvidam, qvi oblatam vitæ conditionem reſpuebant. Inde ad auſtrales fores properabant Varbelgi, adeò confertim, ut porta eos egredi tentantes haud caperet; ibi tantâ cœde oppreſſi ſunt, ut cumulus cadaverum ad tria qvatuorve corpora in altitudinem (qvinq; vel ſex habet *Gullinskinna*) factus ſit; inſignisqve adeò iſtô die victoria parta, Sturlâ eandem carmine extollente. Eodem tempore Comes Knutus cum iis, qvi ad occidentalem partem templi ſtationem habuerant, ingreſſus eſt. Ex caſtello autem Epiſcopi pontis inſtar ſtructura ad templum protendebatur, qvam cùm reſtibus Betulopedes demolirentur, caſu ejus qvidam in templũ aufugituri oppreſſi ſunt; in his Hacon, cognomentô Ludr, Ducis ſatelles, multiqve alii, qvi hâc omnes ruinâ interierunt.

Cœte-

Cœterùm animadvertens Rex reliqvias Varbelgorum omnes in templum confluxiſſe, cunctis qvidem, Arnioq; inſuper Rufæ, qvi eò nondum pervenerat, pepercit. Mox ê cæmiterio progreſſus, in nigrum ſe eqvum conjicit; plurimis itidem eqvos, ut cum eo irent, conſcendentibus. Evectus urbe Rex gladiô propriô accinctus, cruentum alium Varbelgis ereptum manu præferebat, trecentosq́ ſexaginta ſecum eduxit. Dimidium milliare proceſſerat, nullo in via eqvô hoſtium viſo: homines autem, qvotqvot inventi, vitâ donati ſunt. Deinde Rex ſubſtitit, ità affatus ſuos: *ſi hâc ſocer meus viâ proceſſit. providiſſe omninò puto, ne equorum nobis copia fieret, cùm noſtri autem jam laſſi brevì defecturi ſint; ipſe verò eò ſugâ jamdudum proceſſit, quò aſſequi eum ne famâ quidem poſſimus. Cœterùm magnoperè ego vereor, ne aliqua à noſtratibus iis, qui in templum confugerunt, injuria inferatur, maximè à quibus læſi ſunt, ſiquidem ego ſacris ædibus vim fieri omninò nolim. Redeamus igitur in urbem, nec patiemur, victoriam à milite noſtram contaminari: reliqua me inter Ducemque decidenda ſupremo rerum arbitro committamus.*

Interea Varbelgi, qvi in templo erant, qvicqvid magnæ molis intra ædem invenerunt, foribus aggerebant, irruptionem Betulopedum prohibituri: hi verò ſimiliter extra januam ligneos acervos, ne qva eruptionis copia incluſis fieret, ſtruebant. Reverſus Rex omnium primò Epiſcopũ adit, abſolutionemq́ ſibi ſuisq́ impetrat: deinde Epiſcopus, menſâ inſtructâ, Regem cum militibus excipit. Magnum tunc clementiæ mitisqve animi ſpecimen Rex oſtendit. Ut enim in prælio acer & in hoſtibus delendis vehemens antea fuerat; ità in parcendo iisdem poſt victoriam mirificè benignum ſe exhibuit; Arnium enim Rufam, qvi tum particeps cõmunis menſæ Thorſteino de Heimneſia aſſidebat, clementer allocutus eſt, haud minoribus erga eum benevolentiæ ſignis editis, qvàm ſi miniſtrorum ſuorum unus exſtitiſſet. Eodem die numerus occiſorum initur. Septuaginta ante fores templi S. Hallvardi inventi; præter trecentos ſexaginta alios, qvi diverſis in locis occubuerant. Inter hos nobiles ex Thrandia viri, Bardus de Gudrekſtadis, Thorſteini Kugadi filius, Petrus ſororis Ivaris filius, Vilhelmus de Torgis, Grimus de Sando, multiqve, qvorum nomina ignorantur, alii. Die Dominicâ Rex concione in cæmiterium ædis Servatoris advocata, omnes, qvi templo incluſi erant, vitâ donatos promulgavit: hinc ingreſſi templum Regii ſuum qvisqve amicum inde eduxit: qvi ſtatim dedentes ſe Regi, cohortibus, prout jubebat ipſe, immiſcebantur. Præda deinde omnis, more gentis, inter Principem militesq́ diviſa eſt. Rex Osleiæ aliqvantiſper moratus, poſt ſextum â prælio diem, lembos numerô XV. in Thrandiam ad ſtatum rerum cognoſcendum mittit: his claſſi copiisqve præfectis, Aſolfo de Auſtratte, Ivare Petri filio, Arnio Blacko, Klemeto de Holmo, Olafo Kidlingamulio, Bardo Groæ filio. Ipſe in Vika peragendis, qvæ ſupererant, rebus diſtinebatur.

Circa idem tempus Gregorium Domini Andreæ filium, Philippi Baglorum Regis ex fratre nepotem, ſatrapiæ Sarpsburgenſi, qvam Arnbiörnus tenuerat, præfecit, maximoqve honore, utpote virum ſapientem, nobilitate generis ſummâ, inſigniqve rerum uſu clarum, affecit; priùs qvidem is Raumarikiæ præfectus fuerat, ſed bienniô ante motus hos deſerta magis qvàm reſignata provinciâ, inſcio Rege, cum ſuis ad Valdimarum Daniæ Regem conceſſerat; ibiqve in magna exiſtimatione vixerat. Rex Hacon factum hoc tanti qvidem viri tam temerarium admiratus eſt; qvod absq́ ſuo conſenſu nec dimiſſus regnô exceſſiſſet. Sub initium ſtatim

turbarum â Skulio excitatarum, mittebat tempore hyemis in Daniã ad eum Biarnium Moysis filium, inq; Norvegiã, dignis propositis præmiis, revocabat. Reversus itaq; Gregorius, qvam primum Vikam ingressus est, cohortes comparavit, seq; Betulopedibus adjungens, prælio Lakensi, & postea Osleyensi, interfuit; hisq; insignem gratiam Regis promeruit. Adultô vere, Rex Vikâ solvit, festumq; Ascensionis Domini in Salbiarnarsunda celebravit. Hebdomade, qvæ Pentecosten præcessit, Bergas rediit; ibiqve æstatem exegit.

CAP. XXXI.

DUCIS SKULII SOLITUDO, FUGA, ET CÆDES, A NOSTRATIBUS ET PONTANO DESCRIPTA.

DUx interea Skulius à Judice provinciali Amundio Eidsvöllum profectus, Miolgas (Moldam *Editioni Danicæ*) eodem vespere pervenit. Die Dominicâ in Heidmarkiam devectus, Insulam Sanctam adiit, ubi tum filium Petrum offendit, ibiqve paulùm moratus ad continentem rediit. Cùm Ullinshof esset ventum, viros suos, qvibus admodum centum viginti comitatus erat, in consilium advocat. Vesetius Parvus & Thorgils Slidra svaserunt, ut per Eystridalos Vermiam, inde Markas (patriam suam) peteret: eò intra duarum hebdomadarum tempus tantas ad eum copias confluxuras, qvantas Osleyæ habuerat. Erlingus autem Liodhornus & Bardus Brattius, pluresq; alii, qvi ex aqvilone eum secuti erant, negabant è re suâ esse, per montes silvasq; & solitudines, exulum more, vagari; tutius multò esse, Thrandiam amicosqve, unde classis comparari posset, repetere; etenim navalibus præliis rem gerere, Nordmannorum esse. Perplacuit tandem hoc; Thorgils autem & Vesetius cum manipulis suis in patriã suam discesserunt. Comes in Gudbrandzdalos cum nonaginta illis, qvi reliqvi jam ipsi erant, suorum conversus, cùm Ringabuum (Jringabru habet *Editio Dan:*) devenisset, cognovit Augmundum Krækidanzem, Oddum Eirici filium, & Eiricum Toppum, pontem, per qvem iter faciendum erat, obsidere. Igitur in parvam, non procul à ponte, villam secessit; socii autem classicum statim canendo ad pontem accesserunt. Mox ad sonum istum eqvum Dux convertit. At Betulopedes, plures eos rati, qvàm erant, propiore non exspectatô adventu, pontem deseruerunt. Vexillum Soni? Sikus Duci præferebat. Transierunt cum ipso hi Varbelgorum proceres, Guttormus Jonadalus, Havardus Dyndill, Eysteinus Orrius, Hacon Bardi filius, Hallkell de Rygine, Havardus Kollus, pluresqve cum eis alii.

Superatô ponte bellum ab utraq; parte exortum est, duoqve satellitum Regiorum cæsi; Ivar Hialmhaus & Biornus de Hofe. Dux albo tum vectus eqvo, cui Foto erat nomen, loricâ firmissimâ thoraceqve pari tectus, telis Betulopedum, qui in collem sese contulerant, supraqve viginti (triginta habet *Editio Danica*) erant, in id ordinati, undiq; impetebatur, ut tandem clypeus ejus telis confertim injectis, totus consitus videretur, verùm loricæ robore pleraque frustratus parum hinc vulneris accepit, nisi qvod aculeo pedem talo tenus transfixus sit. Qvatuor telis (septem habet *Editio Danica*) singulis amento tenus immersis, eqvus interim vulneratus est.

Tan-

Tandem per pontem regressi Betulopedes cesserant: Asvardo Harmo, Varbelgorum uni, Ivarem Hialmhausem vestibus spoliaturo, Arnius Longus Petri Ducis filii vexillarius supervenit, minoreqve qvàm erat plaga affectum Ivarem existimans, ad necem vulneraturus, valido ictu alteram Asvardo manum tantum non præscidit; qvem deinde secum Steigam usqve devexerunt. Inde in Trandiam, qvà ferebat via, profecti sunt: tradito alio Duci eqvo, qvem Gautzstasum nominabant. Verum ê monte Dux præmiserat Sigurdum Hitem & Brusium, cum aliqvanto comitatu, qui in Undalo satellitem Regium Haldorem occiderunt. At Betulopedes postqvam ad mortem usqve Ducem insecuti erant, Asvardum in Steiga relictum occiderunt. Dux in Uplandarum villa Vango agitatâ nocte, inde Nidarosiam profectus, deprehendit, animos statim Thrandorum multum â se alienatos esse, In causa erant amicorum, qvos in pugnâ Oslejensi amiserant, cædes; deprehensa itidem fraus Ducis aulicorumqve ejus, ut qvi in foro Eyrensi falsis eos persvasionibus priore autumno deceperant; qvas evidentioribus Rex rationibus refutaverat; tum etiam maxima de successibus Ducis adversus Regem desperatio: cujus fortunæ implicari amplius noluerunt; commorabatur tamen aliqvantum Dux Nidarosiæ, inqve latiore triclinio (non, ut habet *Editio Danica*, triclinio fratrum) qvotidie cibum sumebat: ut plurimum tamen intra ædes suas se continens raro cæterorum congressu utebatur, neqve tum ejus multi consvetudinem admodum expetebant. Per integrum triduum in crucis diversorio morabatur, sermonis per hos dies præter morem parcissimus. Amici qvidem tunc eum reprehenderunt, qvod imprudenter nimis agere, sibi haud meliùs cavendo, videretur. Is autem regessit iis; *haut ita subitò Betulopedes ex Vika in Thrandiam perventuros: verum haut sine ratione illius breviori tempore longius iter Haconem Regem præter spem hoc ipso vere emensum esse* (dum Bergis Osleiam profectus erat) *idem verò adhuc fieri posse* monuerunt; inde in sinum navis speculatoria, paucis rei consciis, missa est; qvæ adventum Regiorum, qvàm primum de hoc aliqvid cognovisset, nunciaret.

Die Lunæ, qvæ festum Ascensionis præcessit, Asolfus cum reliqvis navium ductoribus cunctis qvidem improvisus Nidarosiam pervenit. Clemetus de Holmo duas naves ad Backam direxit, cætera classis omnis urbi admota. Ad campanæ bellicæ sonitum expergefactus Dux, subitoq; exiliens vestes armaqve cum omnibus, qui in aula tum aderant, sumpsit, missisqve in uerbem famulis, milites civesqve in palatium evocavit; hîs, si adventarent, Betulopedes excepturus; verum nuncii irrito prorsus negotio redierunt; iterum igitur cives sollicitari poscit, pari eventu referentibus, nuncios omnes jam templa petere. Roganti ergo, *qvid consilii restaret, cum nullus in amne Nida pons amplius daretur?* responsum, *celocem ad arcem Regiam stare, qvâ transmitti amnis posset; inde silvam receptui futuram, si forte minus ê re videretur, in ædem se Servatoris recipere.* Hoc probatô consiliô, Petrum filium aliosqve, qvi in superiore aulæ erant parte, arcessi jubet. Accesserunt tum militum qvidam Petri, Ducemq; secuti sunt; Petrus verò in templum Christi refugit, qvod gravior ad incedendum esset, eumqve secutus Bardus Brattius. Dux ipse ad Skellingahellam provectus jubet suos ad collem Erlendshaugum ire, indeqve occasionem aliqvam eos, qvos Backam prodeuntes cernerent, plagâ mulctandi prospicere. Verum surdis hæc omnia auribus mandata excepta sunt, nec aliud consilium tutius visum hoc tempore, qvàm superato colle silvarum latebras petere, qvod ipsum Dux tandem coactus est seqvi. Petrus autem filius, postqvam haud diu

diu in æde Servatoris sese continuerat, ad Prædicatorum templum se recipit, ab his qvidem humaniter statim exceptus, securitatem ipsi promittentibus. Mox tamen mutavit consilium; nec salutem Presbyteris ausus credere, ad ædes Episcopi se contulit, tribus famulis comitatus. Hic scapham nactus amnem trajicit adqꝫ superius Helgisetrum pervectus, domum qvandam, in qva panem pinsentes mulieres erant, ingreditur, viliqꝫ sumtâ veste aliqvantisper delituit. Verum cum Betulopedes in urbem pervenissent, plurimi Varbelgorum, qvi aderant adhuc in urbe, ad templa confugerunt. Bardus qvoqve Vargus in ædem Servatoris se abdidit. Nec diu occultæ latebræ Petri fuerunt. Igitur trajectô amne, in superius Helgisetrum itur, mittiturqꝫ in pistrinum vir qvidam, nomine Ion Kör (qvem *Gullinskinna* Ionem Knauttem vocat) hic reversus cæteris eum prodit, qvi eductum continuò occidunt. Vir fuit Petrus staturæ amplæ, facieqꝫ crassiore, maternum genus referens: qvem ut artibus bonis egregiè instructum, rerum sacrarum peritum & religiosum, omnes prædicant. Varbelgi autem haud parem majoribus in re bellica fortitudinem ipsi tribuunt. Mortui funus sepulturæ statim mandatum est. Inde Betulopedes urbem repetunt, missis per provinciæ partes omnes, qvi de Duce ejusqꝫ ministris inqvirerent. Sed & Skulius intra silvã latitans, ad Helgisetrũ totamqꝫ circa viciniam exploratoribus missis, silvam à Betulopedibus undiq; circumsessam, omnesq; sibi elabendi vias obstructas, cognoscit. Mox comites, hactenus fidi, dilabi, iiqꝫ, qvi exploratum missi erant, rari jam vel nulli redire: Ipse qvoqꝫ Erlendus Liodhornus cænobium Totrã ingressus cucullum assumsit. Duas noctes in silva delituerat Skulius; feriâ autem, festum Ascensionis præcedente, cùm Canonici pro more cruces gestarent, togîs sacris ex monasterio ad eum elatis indutus, cum ministris suis fratrum coronæ im̃ixtus, monasterium intravit, inqꝫ turrim cum suis ascendens, appositô cibô potuqꝫ recreatus est. Stratô deinde lectô, vigiliis admodum defatigatus somno se daturus erat. At neq; hìc latuit Betulopedes, qvi certâ relatione perceperant, sacris togis indutos aliqvot è silva in monasterium receptos. Confestim igitur omnes arma capiunt, amnemq; transeunt: qvod videntes Archiepiscopus multiq; alii ordinis Ecclesiastici viri, civium qvoqve & mercatorum peregrinorum ingens numerus, monasterium adeunt. Hoc ut primùm Betulopedes impugnare aggressi sunt, milites Ducis tela, qvantâ poterant freqventiâ, in ipsos mittunt; sed Archiepiscopus severè prohibuit, vim monasterio fieri: cui Betulopedes responderunt, necessitatem istam vim in præsens reqvirere; etiam invitô Præsule. Obtulit ergò pecuniam ipsis, ut securè liceret Duci Regem adire; hi autem recusabant sumere, nisi sedem Sancti Olafi in fidẽ promissi oppignoraret; alii verò furore adeò concitati erant, ut nullo Archiepiscopi respectu, ne verbis qvidem ejus auditis, monasterio faces subjicerent, nonnullis conceptũ ignem exstingvere frustrà aggressis; prævaluit nempe incendium, jam totam penè involvens turrim, qvod ubi Dux animadvertit, suos, ut exeant, hortatur; ipse foras egressus parmamqꝫ faciei prætendens ità irruentes affatus est: *nolite me in faciem ferire; id enim in Principes indecorum.* Protinus itaqve Dux omnesqꝫ, qvi cum eo exierant, trucidantur. Erant autem hi, Sonius Sikus, Eysteinus Orrius, Aslakus Dyndill, Hallkell de Rygine, Havardus Kollus, Brusius, & Arnius, cognomentô Matiarl (*Editioni Danicæ* Narjarl) Magister autem Bergus (qvem Confessionarium Ducis *Editio Dan*: appellat) è gravi, qvod accepit, vulnere postea sanatus legitur. De his qvidem omnibus & miserabili Ducis exitu duo Sturlæ Poëtæ versus leguntur.

Cœlo

Cæso Duce, ad exſtingvendum ignem omnes accurrebant, ſed fruſtra, nimisq; jam ſerò, ità ut univerſum monaſterium conſumptum igne ſit. Corpus Ducis clypeo impoſitum, inqve urbem relatum, decorô apparatu funebri inſtruitur, inqve æde S. Nicolai deponitur. Seqventi die Aſolfus cum cœteris Archiepiſcopum adit, abſolutionemq; facti poſtulat, qvam tamen impræſentiarum impetrare haud potuit. Permiſſum ſaltem iis cum aliis converſari, donec conſtaret, qvænam Regis eſſet de tanto facinore ſententia. Deinde Dux magnifico funere elatus, ad auſtrale ædis Chriſti latus in pariete infra ſepulchrum, qvod fratri ſuo Regi Ingio affabrè ſtruxerat, ſitus eſt, proſeqventibus funus Archiepiſcopo cum Canonicis omnibus, magnôqve Eccleſiaſticorum numero, Optimatibus item, civibusqve urbis ſingulis; etiam, ut habet *Codex Flat*: Betulopedibus. Dies, qvô obiit, in IX. Kalendas Junii, ſeu XXIII. Maji, incidit, cùm unum ſupra qvinqvaginta (*Gullinskinna* tres habet) annos vixiſſet. Magno is ſuorum ſatellitumq; & aulicorum omnium luctu concidit; neq; id mirum: multis enim virtutibus abundabat, comis utpote & blandus, tantâq; liberalitate, ut nihil ferè amicis denegaret, multos honoribus augeret, locupletiſſima aliis matrimonia procuraret; aliis verò aliter prodeſſet. Atq; hæc tanta ac talia magnum illi ſtudium hominum benevolentiamqve conciliârunt. Hæredium ſuum Reinium (qvod *Editio Danica* agrum propinqvorum ejus perperam vocat) in cœnobium Monialium commutavit, magnisqvè dotatum opibus templô lapideô exornavit, multaqve alia magnifica reliqvit opera; qvæ non omnia ab authoribus literîs conſignata ſunt. Vir fuit ſtaturâ procerâ & gracili, capillô fulvô, ſed decorô; facie erectâ & candidâ, oculis miram ſpirantibus gratiam, urbanis & cultis moribus, ſermone diſertô, & in publicis ſemper congreſſibus comtô & eleganti: plurimis inſuper naturæ bonis, qvæ in bono reqviruntur Principe, inſtructus. Qvodſi ultimis temporibus in perverſa adeò non incidiſſet conſilia, nemo ſanè in Norvegia eorum, qvi ex longâ Regum ſerie orti non fuerint, præferri ipſi potuiſſet. Nullum Dux, qvod certò conſtaret, reliqvit filium (unum qvidem tradit *Editio Danica*, ſed pravè.) Sperandum tamen, (ait Author) Norvegiam adhuc ſobole ejus diutiùs exornari. Neqve iſta fefellit authorem ſpes; omnes enim ab eo poſteri Reges originem traxisſe cenſendi ſunt.

His peractîs, Betulopedes Nidaroſiâ diſceſſerunt; ſingulisqve domos ſuas, vel in aqvilonē, vel in auſtrum, repetendi poteſtas data. Miſſus autem ad Regem ab Aſolfo aliisqve cum literis vir qvidam, nomine Stephanus, Thomæ affinis appellatus. Hic Bergas delatus, qvàm primum ſe ab Aſolfo miſſum retuliſſet, ſtatim intrò accerſitur; introductusqve Regi in eodem triclinio eodemqve loco ſedenti, ubi priùs Grimi Keikani de motis à Duce turbis nuncium acceperat, ſiſtitur. Rex, acceptis perlectisqve literîs; *magna*, inqvit, *nova hæc epiſtola, & alia qvidem haud optima; nam monaſterium Helgiſetur incendiô periit: alia mortem ſoceri mei Ducis Skulii, denunciant.* Inde concione advocatâ, Rex ipſe omnibus aulicis, qvæ geſta acceperat, exponit. Magna afferri omnibus viſum; qvibus tamen, maximè omnium Regina, ut par erat, afficiebatur.

Pontanus hæc, qvæ noſtri ſcriptores copioſè, *Joannis Martini Slangrupenſis Chronicon* ſecutus, compendiô perſeqvitur his verbis. *Apud Norvegos deinde anno 1240 Sculo Norvegiæ Dux unà cum filio ſuo Petro ab Haqvino Rege è medio ſublatus eſt, qvod memorat in chronologica ſua hiſtoriola rerum Danicarum*

rum Rex Eiricus, qvem aliàs laudâsse memini: sed ea cum ita nudè ab eo referantur, ut nec de causa nec de occasione constare possit, rem paulo altius, idque â Chronico Norvegiæ vernaculo, repetere constitui, præsertim cum nec Crantius, nec qvisqvam alius; silentibus Chronologis, si qvi Latinè editi, eorum, ut oportet, meminerint. Crantius enim qvod obiter injicit, Haqvinum in propria pignora, filium nimirum suum, sive mentis phrenesi, qua subinde Reges laborare vult, sive culpa adolescentis, sævisse. Id perperam acceptum hinc constabit. Nam, ut supra meminimus, Svero defuncto Haqvinus successit, et ei deinde præpropere fatis erepto posthumus filiolus ex Inga natus, cui Haqvino etiam nomen fuit. Sed is dum adolescit, Guttormus Sivardi, & eum proximè secutus Ingo, Regijs insignibus ornati Norvegiæ rebus præfuerunt. Ingone autem, cum decimum tertium annum Haqvinus attigisset, extincto, omnium suffragijs idem Haqvinus ad sceptrum revocatus est. Solus, de qvo dicere cæpimus, Sculo Ingonis frater obniti non nihil visus fuit: utpote qvi sibi deberi imperium post fratrem existimaret. Itaqve ut eo pacatiore Haqvinus uteretur, accepto ab ipso fidei Sacramento, Jarli, qvæ Comitis est dignitas, titulo eum ornavit, ac tertiam simul regni Norvegici partem concessit, qvamvis nec sic clandestinis in Regem machinationibus abstinere Sculo potuit. Itaqve indictis comitiis, Haqvinus omnium procerum & præsidum vota exqvisivit, petitqve diserte sententiam suam super se & Sculone explicarent, utri nimirum jure regnum competeret? qui cum â parte Haqvini omnes pronunciassent; denuo inter Regem & turbam pactio inita, dataqve in matrimonium Regi, ut firmior hoc pacto fides esset, Sculonis filia Margareta, ex qva decimo qvinto imperii sui anno Haqvinum sibi cognominem suscepit, atqve inde decimo septimo Christina progenita. Post hæc cum regni proceres & Archiepiscopus denuo machinari aliqvid adversus Regem & regnum Sculonem comperissent, conventus factus, in qvo inter Regem & Sculonem ita statutum, ut Sculoni Ducis insignia & titulus tribueretur, quod existimarent eo majori erga Regem studio ac fide futurum. At ille antiqvum obtinens, non tantum proscriptos ab Haqvino in suam diæcesin ac fidem suscepit, sed terra qvoqve ac mari vires & copias coegit, tandemqve Regio titulo per totam Norvegiam usus proceres & præfectos Haqvini, ubicunqve dabatur, trucidari permisit; & ipsum qvoqve Regem intercepisset, nisi â suis admonitus Rex insidias feliciter evitasset. Qvæ cum inter cætera Reginæ Margaretæ Haqvinus aperuisset, illa tristata ac verbis meliora ominata tandem in lachrymas soluta est. Sed Rex animo eam esse bono jubens, negabat in eam redundatura patris commerita, ac simul habito cum suis consilio, cæpit Sculonem bello prosequi: sed ille ex adverso magna cum manu Ansloam digressus, ibi se Regem renunciari propalam curavit. Interim Nidarosiam ipsius territorium Haqvinus cum Birkibeinis (ita miles ejus appellabatur) occuparat, atqve ibi postqvam votis omnium filium suum primogenitum Haqvinum, tum Juniorem dictum, Regem post se designari permisisset, facto procinctu Bergam, ac mox auctis copiis Ansloam, concessit, ubi cum Ducem, licet animosè se defendentem, toto cum exercitu profligasse, ac mox profligatũ denuo Nidarosiam, vel, ut vulgo appellamus, Thrundheymum, redeuntem quindecim cum levibus navigiis esset prosecutus, & ipse Dux ab indigenis, utpote cujus causa toto chara sibi capita Ansloæ amisissent, minus amicè reciperetur, in proximum cænobium confugit. Inde cum igne injecto egredi conaretur, à milite occisus est, cùm antea filium iisdem latebris protractum eadem militum manus trucidâsset. Ab eo exinde tempore diu apud Norvegos tranquillitas fuit.

Dissensus ab aliis Scriptoribus in his apparet, qvòd Comitis titulum ab Hacone SKULIUM accepisse dicat; cùm frater ejus Ingius circa finem vi-

tæ suæ eum isto honore ornaverit; nec Ducis titulum ex publico consilio, sed privatâ Regis authoritate, &, uti colligi potest, in compositionem injuriæ cujusdam, ipsi per errorem â Rege illatæ, adeptus videtur. Qvæ de consolatione Reginæ Chronicon, qvod secutus *Pontanus* est (neqve enim aliud illo tempore extabat) tradit, licèt ab aliis omissa, fidem tamen merentur. Protractum verò Comitem ex iisdem latebris, ac filium ejus Petrum, nusqvam apud Scriptores nostros invenio.

CAP. XXXII.

VALDEMARO SECUNDO FILIUS EIRICUS SUCCEDIT. REX HACON IN OCCURSUM EIRICI SVECIÆ REGIS PROFICISCITUR. ALEXANDRI SCOTIÆ REGIS ET PONTIFICIS AD HACONEM LEGATIONES. HACON DE CORONATIONE SUA CUM PONTIFICE ROMANO AGIT. LEGATI ROMA REDEUNT. APPARATUS IN NORVEGIA PROPTER ADVENTUM CARDINALIS FACTUS.

REx Hacon secundum harum rerum processum æstati Bergis peractæ hyemem superaddidit; qvæ imperii ejus vicesima qvarta erat. Sub initium veris, anni MCCXLI., ipso qvadragesimæ tempore magna in Dania mutatio facta legitur, morte Valdemari Secundi, filii Valdemari Primi, Knuti nepotis, omnium sui temporis Regum septentrionis celeberrimi, qvi cum annos XXXIX. regnando implêsset, decessit, uti nostri qvidem scriptores Danicis consentientes tradunt, die Martii XXVIII. Errant autem tam *Codex Flat*: qvàm *Editio Danica*, qvorum ille filium Eiricum, qvi Parenti successit, duos; hæc qvinqve annos simul cum patre imperium tenuisse tradit. Rectius enim Annales Islandici pergamenei, satis qvidem vetusti, *Hvitfeldio* adstipulantur: qvi Eiricum qvidem anno 1232. auctoritate patris ex more istorum seculorum, aliis qvoqve Regibus familiari, Regem constitutum tradunt. Octo igitur aut novem annos hunc cum patre simul regnasse oportet. Annum autem obitus Regis Valdemari planè etiam ex nostrorum calculo *Pontanus in fine Lib: VI. Rerum Danicarum* solidis, uti videre est, rationibus monstravit.

Rex Hacon ejusdem anni æstate in vikam profectus, Jonem, cognomento Tinskafinum, in Trandiam misit, qvi Sigurdum Hitem, ex numero Varbelgorum unum, qvod veniam â Rege non expetivisset, trucidavit. Eandem ob causam etiam Gautius Jonis filius Arnfinnum Thiofi de medio sustulit. Ante annum Biarnius Moysis filius Jatgeirem pöetam, cui Gunnar Regis propinqvus literas â Skulio in Sveciam datas in Helsingia eripuerat, jam inde ex Svecia in Daniam delatum, Hafniæ occidit. Sarpsburgi Rex obvium habuit Gregorium, filium Domini Andreæ, Philippi Baglorum Regis ex fratre nepotem, jam filiæ Regis Ceciliæ nuptias ambientem, qvas nec ægrè Rex approbavit. Inde Kongahellam movit, cum Rege Sveciæ Eirico in colloqvium congressurus; etenim adhuc Sveci expeditione Vermensi admodum se offensos ostendebant. Morabatur tum illo tempore in Gautia Rex Eiricus: sed recusatô colloqvio Haconis Regis, misit ad eum Dominum Byrgerem, qvi sororem Eirici Ingibiorgem in matrimonio habebat.

Eodem tempore Kongahellam legatus Imperatoris Friderici Secundi, nomine Matthias, advenit. Is munera Haconi magna pretiosaqve varii generis, & in his qvinqꝫ Æthiopes, attulisse legitur. Hac ipsâ æstate redux Rex Bergas factus, in adultum usqve autumnum ibidem permansit. Hic annus, non verò qvi eum secutus est, (ut perperam tradit *Editio Danica*) Pontifici Romano Gregorio fatalis fuit. Successit huic Inibaldus de Flisco, Innocentius Qvartus vocatus, Ligur, Genuâ oriundus, quem annos undecim, menses qvinqve, diesqve qvatuordecim sedisse Annales tradunt. Interjectùs qvidem erat Celestinus Qvartus Mediolanensis; sed cùm septem tantùm dies sederit, hic illius mentio omissa est (non tamen statim Innocentius Qvartus successit, sed annô demum seculi hujus qvadragesimo tertio sedem Episcopalem conscendit.

Rex Hacon in Thrandia hyemem seqventem agitavit, imperii sui vicesimam qvintam. Vere proximô, Anni nempe MCCXLII. Gregorius montana transgressus in Thrandiã ad nuptias cum Regis filiâ celebrandas devenit, qvibus dignâ Regio genere pompâ peractis, Rex Bergas reversus ibi æstatem exegit. Seqvente autumnô Uraekia Snorrii Sturlæi filius im Islandia ab hostibus circumventus & captus, judicioqve deinde, vel potius tyrannide, Gissuris & Kolbeini Juvenis labefactatus, Regem Haconem, qvo qvidem invitô anteà ê Norvegia recesserat, iterum adire cogitur. Supplici hoc modô adventanti facilè Rex prioris delicti gratiam fecit; testatus tamen, *magis eum mortem violatô Regis de profectione mandatô, qvàm parentem Snorrium, meruisse*; *nec ullum ei, si prius se adiisset, vitæ periculum metuendum fuisse.* Mansit deinde in haud mediocri apud Regem gratiâ, per integram hanc ut et seqventem hyemem, qvæ â Christo nato MCCXLIII. imperii verò Haconis vicesima sexta fuit. Æstas qvoqꝫ inseqvens Bergis exacta; hyeme autem proximâ Rex in Vikâ residere decrevit. Verùm negotiis plurimis, etiam legatis Regum insularum occidentalium audiendis, occupatus, longiùs in autumnum moratur; ingressus igitur iter adversis ventis propter Jadriam excipitur. Itaqve Stafangriam coactus est petere; substititqve ibidem, donec diuturnior tempestas spem omnem ulterioris itineris præcideret. Tum verò Bergas in hybernа reditum, numeraturqꝫ hæc hyems imperii Haconis septima supra vicesimam, Æræ autem Christianæ MCCXLIV.

Hacone Norvegiæ sceptra gerente, regnabat in Scotia Alexander Secundus, Vilhelmi filius, Princeps magnificus, gloriæqve percupidus. Misit is tum ad Regem Haconem legatos Episcopos duos, postulans, ut imperium Hæbudarum regno Scotorum restitueretur: qvippe qvod vi olim & injuriâ Regi Scotorum Melcolmo â Magno Nudipede extortum esset. Ad ea Rex Hacon respondit, *satis quidem constare sibi, olim inter Magnum Melcolmumque de partibus Scotiæ, deque minoribus his adjacentibus insulis, in Norvegorum possessionem transitis, convenisse. Istô verò tempore ipsas Hæbudas nequaquam fuisse in potestate Scotorum Regis, sed Magnum eas Gudriodo Regi bellô ereptum ivisse, terràs se suas hæreditarias repetere professum.* Qvô accepto responso, saltem earum redemptionem postulare Regem suum respondent, idqve certô argenti signati pretiô, cujus æstimationem liberâ Haconi Regi permitti. Rex verò, *nondum tantâ se argenti indigentiâ laborare*, respondit, *ut ejus causâ terras Hæbudarum distrahere in animum induceret.* Hôc responso accepto, tum qvidem domum hi repetunt. Et verò Rex Scotiæ sæpiùs de his postea instabat per legatos, at eôdem semper responso dimissos. Hac æstate *Codex Flat:* (*Editio* verò *Danica* præcedente factum

factum ait,) Giſſurem ex Islandiâ ad Regem delatum, Thordum vero Kakalium, impetrata diſcedendi veniâ, patriam repetiſſe refert, proximoqve pòſt triennio ſæpius, dum in occidentali inſulæ ejusdem qvadrante remanſerit, cum Kolbeino Juvene vehementer confliхiſſe.

Æſtate ejusdem anni Biornus Abbas Româ in Norvegiam rediit; qvod autem non tantùm conſcius ſibi fraudum ingentium inſidiarumqꝫ inRegem, ſed earum qvoqve convictus eſſet, ut alibi memoratum, mirificâ Regis clementia impunitatem adeptus, jam redux in Norvegiam per nuncium pacem implorabat, lætum enim ſe acceptumqve nuncium aſportare; Rex facile votis ipſius annuens, accedenti ſtatim ſui poteſtatem fecit. Ille verò ſalutationem Romani Pontificis peramicam, literasqve & benedictionem attulit, ſingula tantam qvidem gratiam præferentia, ut in Norvegia literæ tanta humanitate â Sede Apoſtolica ſcriptæ eum usqꝫ in diem nunqvam fuerint. Abbas Biornus (aliis Ritabiornus, â multis epiſtolis, qvas circumferendo varias regiones peragrabat, dictus) æſtate apud Regem tranſactâ, autumnô Thrandiam, monaſteriumqve ſuum Holmam, repetiturus, in itinere ad inſulam Seliam pervenit, ibiqve morbo implicitus exſpiravit. Cujus qvidem elogium infra nobis cap: XXXVII. verbis *Matth. Pariſienſis* exponendum. Rex interim in Vikam profectus eſt, eodemqve autumno Epiſcopus Ormus Osleyæ obiit: cujus qvidem in locum alter, nomine Thorkell, ſufficitur. Hanc hyemem Rex in Vika, regni qvidem ſui octavam ſupra vigeſimam, annô verò Chriſti MCCXLV. agebat. Hic verò expendendo ſecum peramicas illas â Pontifice Rom. literas, conſilium cepit, Archiepiſcopum Sigurdum cæterosqꝫ Epiſcopos convocandi. Poſtulavit igitur ab his, ut literas ſuo nomine ad Papam darent pro coronatione ſuâ, qvam magnopere deſideraret, ritu Regibus ubiqꝫ receptô, impetrandâ. Cõmuniter reſpondebant illi, *ſi quidem privilegia Clericorum augere, ſeque ipſum eodem ſacramentô obligare, quô olim Magnus Erlingi filius, cùm coronam is ſuſciperet, haud recuſaturus eſſet, morem ſe ei geſturos, daturosque ſtatim eâ de re ad Pontificem Romanum literas.* Ad ea veró Rex his ipſis reſpondiſſe verbis legitur. *Privilegia certè majores noſtri Reges tam magnifica & ampla vobis, ô Præſules, indulſerunt, ut haud par ſit â nobis ea ulteriùs augeri. Sed nec vos ea in uſum interpretari veſtrum qvâcunque occaſione, ſæpè etiam præter donantium ipſorum mentem, neglexiſtis. Quod ſi ſacramentum apud vos exemplô Magni Erlingi filii dixerimus, certè tantùm aberit, exiſtimationem noſtram augeri, ut etiam maximè imminuatur. Non enim penſi habuit ille, quantiquanti conſtaret regnum nullo ſibi jure debitum; nos verò emere illud omninò recuſamus, quippe quod juſto ſucceſſionis ordine à patre majoribusque accepimus. Sciatis itaque, nos eâ adhuc libertate coronam Regiam ſine ullis ejusmodi iniquis conditionibus conſecuturos, ut ità quidem dignè more aliorum Regum gerere eam poſſimus: aut certè prorſus nunc eâ carebimus, quoad Deo viſum fuerit iſto aliquando decore caput noſtrum redimire.* Haud multò pòſt Rex legatis Romam miſſis â Pontifice expetebat, ut Cardinalium aliqvem ad officium iſtud peragendum mittere dignaretur. Proximam verò hyemem, anni MCCXLVI; poſt conventum cum Epiſcopis habitum, Bergîs degebat, regni ſui nonam ſupra vigeſimam: qvi annus Domino Gregorio Andreæ, genero Regis, fatalis extitit.

Affectâ hyeme, legati Regis Româ reverſi, nunciabant adventurum ex Cardinalium numero qvendam, ad caput Regium diademate cingendũ. Qvô Rex Archiepiſcopo indicatô, ut ad ſolennem celeberrimumqve hunc actum Epiſcopos, Abbates, Clerumqve univerſum undiqꝫ convocaret, poſtula-

ſtulabat; ipſe verò Satrapas pariter omnes, judices, provinciarum qvæſtores, aulicos, provincialium qvoq; urbanorumqve præcipuos, jubet in ſequentem æſtatem magnificentiſſimè inſtructos Bergas convenire, apparatumqve ubiq; & ornatum qvàm ſplendidiſſimum imperat. Ad hæc primô ſtatim vere naves in Angliam cœterasq; regiones miſit, ad comparanda, qvæ maximè in Norvegia deſiderarentur, ut ſic omnia Cardinali ſatis dignâ pompâ excipiendo in promtu eſſent. Nidaroſiâ profectum Regem Comes Knutus cum præcipuâ nobilitate ſecutus eſt, cùm anni regni ſui hyemem trigeſimam, Chriſtiani nominis MCCXLVII. in Thrandia exegiſſet. Cœterùm jurisdictioni Comitis Knuti reditibusqve (ut obiter id hôc locô dicamus) qvatuor intra Thrandiam provinciæ, Naumudalus præterea mediaqve Sognia, inſerviebant. Anteqvam verò de coronatione Regis dicamus, brevis aliqva narratio nobis de ſtatu imperii Romani iis temporibus, Pontificumqve cum Imperatoribus diſſidiis, præmittenda.

CAP. XXXIII.

DE STATU IMPERII ROMANI HIS TEMPORIBUS, PONTIFICUMQUE CUM IMPERATORIBUS DISSIDIIS, ET PROFECTIONE CARDINALIS IN ANGLIAM; PLERAQVE A MATTHÆO PARISIENSI DESUMTA.

Eqvidem hoc conſtat omnibus, jam inde â tempore Gregorii Septimi P. R. qvi Majeſtatis Imperatoriæ jura invaſit, diu Imperatores inter & Pontifices controverſias, ſæpius per intervalla repetitas, magnis ſeditionibus cædibusque agitatas eſſe. Hoc autem ſeculo Honorius Papa Imperatorem Fridericum Secundum excommunicaverat, abſolutumqve denuo Gregorius Nonus, qvòd expeditionem in terram Sanctam Deceſſori Papæ promiſſam omiſiſſet, anathemate percuſſit. Tandem etiam Innocentius Qvartus anno ſeculi hujus XLV. aliis XLVI. ſacris omninò interdixit, eiqve imperium abrogavit, in Concilio generali, Lugduni habitô die XVI. Julii; mandat præterea ut Principes Germaniæ præcipui in inſulam qvandam Rheni abducantur, ibi eousq; ſoli reliqvendi, remotis navigiis omnibus & commeatu, donec de Imperatore eligendo conſentirent. Verùm Imperator univerſis ſe Imperii Statibus excuſando monebat, ne novâ electione imperium turbare aggrederentur. Epiſcopus verò Moguntinus & Colonienſis eligunt Imperatorem Henricum, Landgravium Thuringiæ, qvi tamen & ætatem ſuam & vires, ut Friderico longe inferiores, excuſavit. Nihilominus auctoritate Papæ ut imperium & tutelam Eccleſiæ ſuſcipiat, compellitur; ſimul ad hoc 25000. marcarum argenti ſubſidiô donatus; qvibus perſvaderi ſe paſſus Henricus Imperator eligitur, indicitqve conventum ad diem XXV. Julii anni MCCXLVI. Conradus filius Imperatoris conventum hunc impediturus cum exercitu approperat: atqve ita die qvinto Auguſti res ad manus venit. Sed a Comitibus ille ſuis, qvibus Papa ſpem fecerat Ducatus Sveviæ accipiendi, vincitur fugaturqve: ſicq; Henrcus Francofurti Imperator publicè declaratur. Eodem anno Innocentius Imperatori Friderico ſicarios im̃ittit, qvi deprehenſi ſuppliciô ſunt affecti. Rem totam Imperator in Epiſtolis ad Regem Angliæ apud Matth. Pariſienſem narrat.

Cæterum erant adhuc Friderico in Germania, maximè verò in Svevia, qvi fidi permanebant: adversus qvos copias ducens Henricus Reuthingenses primum aggreditur; hi verò gratâ ergà Fridericum beneficiorum memoriâ, qvi urbem eorum murô circumdederat, perstiterant in fide, hostemqve fortiter repulerunt. Henricus muros aliqvoties conatus oppugnare magnam multitudinem perdidit militum, idcirco solutâ obsidione Ulmam petit; qvæ etiam constanti fide propter jus jurandum illud, qvod Friderico præstiterat, maluit qvodvis subire periculum, qvàm contra fidem Imperatori adhuc vivo datam facere. Dum verò Ulmam circumsidet, sagittâ ab oppidanis graviter vulneratus est Henricus, die secundum Calvisium 7 Decembr. anni 47. qvod vulnus rara statim & lethalia symptomata, paucosq; post dies mors ipsa, est insecuta. Ità qvidem *Henr. Mutius*; *Parisiensis* verò aliter refert. Sed cum hæc nihil ad nostra faciant, perinde erit, qvacunq; demũ morte vitam clauserit. Id vero qvàm graviter tulerit Pontifex, verbis *Parisiensis* exprimam ideo, qvòd inde appareat, unde rarus ille in Norvegos curiæ Pontificalis favor & dulces illæ literæ profectæ scriptæq; sint. *Victor igitur* (*Parisiensem* transcribo) *Conradus, plenarie ulcisci volens injuriam & jacturam, qvam nuper victus in Alemania fugiens toleraverat, omnes captivos, qvos gladius non devoraverat, præcipue Landegravii consangvineos, affines & amicos, vel suspendit probrosè, vel graviter redimendos tenebrosis ergastulis compedibus & manicis jussit mancipari. Hoc autem cum audisset Dominus Papa, tactus dolore cordis intrinsecus, quatuor Cardinales legatos solennes per qvatuor Christianitatis partes, plenitudine potestatis eis concessæ transmittit armatos, ut ipsum Fridericum & ejus filium Conradum talia ausum & attentantem scandalizarent, & omnes Christianos in ipsum invadendum & persequendum, &, si possent, conterendum, diligentissimè & efficacissimè in omnem peccatorum suorum remissionem animarent: Thesaurum insuper modis omnibus, quibus Romana curia scire consvevit, astuta avaritia & avara astutia argumentosè studerent undecunqve extorqvere, ad ipsum exosum Fridericum expugnandum. Unum igitur legatum in Alemanniam, alium in Italiam, alium in Hispaniam, alium in Norvegiam destinavit, præter qvosdam legatos sophisticos cum magna potestate, qvos in Angliam subdole sine insignibus, ne videretur manifestè privilegium Domini Regis infringere, duxit transmittendos, utpote fratres minores & Prædicatores, qvos, ut credimus, invitos jam suos fecit Dominus Papa, ordinis eorum læsione & scandalo teloniarios & bedellos. Legatus autem ille, qui â Pontifice in Norvegiam est transmissus, Episcopus erat Sabinensis, Regem Norvegiæ Haconem in Regem inuncturus & solenniter coronaturus, & ut in ejus Regno, nec non & Svessia, legationis officium in supra dicti Friderici nocumentum, non sine causa & spe lucri, diligenter exerceret.* Tradit deinde, filium Imperatoris Hensium Regem Sardiniæ in amicos consangvineosq; & affines Pontificis jussu patris sæviisse, unumqve inter propinqvos omnes unicè dilectum captum patibulo suffixisse; qvô qvidem exacerbatus Papa Imperatorem filiumq; die Parasceves adeò horribili excoĩunicaverit verborum formulâ, ut audientibus videntibusq; omnibus horrorem incusserit. Qvô cognito, Cæsarem valde indignatum dixisse: *Sic fecerunt Judæi, qui Christum crucifixum & mortuum in cruce lanceâ vulnerârunt.* Ad Cardinalem deinde, multis interjectis, redit, cujus adventum in Angliam his verbîs describit.

Applicuit similiter in Angliam Episcopus Sabinensis, Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, iterum in partes boreales legatus, videlicet Norvegiam, Daniam & Sveciam, & Regem Norvegiæ Haconem in Regem inuncturus & coronaturus,

 qui

qui tamen in Angliam ingressurus, primo difficultatem de licentia â Rege invenit: qvia semper solent legati, qvales & omnes nuncii Papales, regna, qvæ ingrediuntur, depauperare, vel aliqvô modo perturbare, donec jurasset in anima sua, qvod ob nullum Regis vel Regni vel Ecclesiæ detrimentum in Angliam veniret, nisi tantummodo transitum facere per ipsam terram de portu Doure ad portum Lennæ, ad regna ulteriora statim tempore oportuno & obtento vento prospero migraturus. Sed postqvam licentiam benignè dicto modo obtinuisset, intrepidus intravit, & Domino Rege salutato, & muneribus gratuitis acceptis, ab eodem ad Lennam iter maturavit, & ibidem per tres fere menses commoratus, non potuit Romanis innatam cupiditatem cohibere; quin ad Episcopos & Priores nuntios furtivos aduberes mitteret, postulando procurationes & munera pretiosa, in domibus Munerii Episcopi Noruvicensis, quod Geyrtudæ dicitur, commorando, itâ quòd qvestus sui ad quatuor millia marcarum ascendere dicebatur. Verùm tamen, ut sub specie sanctitatis omnia palliaret, crebrò sermonem faciebat populo. Et cùm navem ascensurus fuisset, qvam opulentissimè communiverat, multô frumentô, & doliis quamplurimis vinô plenis prælecto, & aliis victualibus, jussit cuidam fratri de ordine Prædicatorum in ipsa missam celebrare; quod & factum est, non sine multorum, qvi hoc non providerant, admiratione. Habebat namque in ipsa navi, sicut de arca Noæ legitur, diverticula & tristegas, cameras & conclavia, quæ specialiter propter ipsum artificialiter fuerant composita. Et sic ventô flante prospero, dataque Angliæ & suis Anglis prodigis benedictione, pelago septentrionali sese dives factus commisit.

His qvidem verbîs profectionem Cardinalis moramq; in Anglia *Parisiensis* describit, nomine proprio omisso. Nobis constat, ei vocabulum Vilhelmi fuisse. Addunt nostri Scriptores, Anglos Cardinalem valde dehortasse â profectione in Norvegiam, ad populum moribus crudis & inhumanis, ubi, unde honestè alerentur, vix suppeteret: interjectum præterea mare insolens admodum, violentiaq; ventorum concitari subinde solitum, navigantibus periculosum existere. Hæc illi tum invidiâ odioqve Norvegorum sparsere. Is vero regessit: prius se in Norvegia fuisse, multisqve gentem jamdudum sibi commendatam esse, utpote cultus Numinis religionisqve Christianiæ valde tenacem, sapientissimòq; Regi subjectam. Visum qvoqve sibi eorum Archiepiscopum, virum excultis moribus, tantæqve dignitati idoneum. Etiam Episcopos doctrinæ morumqve laude conspicuos esse; sibi autem duo inprimis negotia ad eos demandata, bonis qvidem & cordatis omnibus acceptissima, informationem nimirum veri Dei cultûs, & coronandi Regis eorum ministerium, secundum legum Divinarum regulas, Pontificisqve præscripta, eâ, qvâ dignum esset, curâ, obeunda; qvod reliqvum esset, alimentorum indigentiam neqvaqvam sibi in Norvegia metuendam esse.

CAP. XXXIV.

REGIS CORONATIO EJUSQ; POMPA DESCRIBUNTUR.

Profectus ex Anglia Cardinalis in Norvegiam pervigilio Botolfi, anno, qvô diximus, MCCXLVII. ad insulam, qvæ huic nostræ Cormti, ubi hæc scribo, præjacet, nomine Siram, appulit. Præmisisis deinde qvi adventum suum Regi nunciarent, statim ipse subsecuturus, flexo in vesperam die, stationem Bergensem in-

ingressus est. Rex ei obviam statim, qvi egredientem navi exciperent, & qvæ usui forent, subministrarent, misit. Is verò, modò Regi placeret, in nave per noctem commoraturum dixit. Alterô verò die, finitis jam sacris matutinis, Rex navem viginti qvinqve scalmorum, capitibus inauratis fulgentem, qvam draconem appellabant, ingressus, ad Cardinalem exivit; longa deinde navium serie subsecutâ. Tum navem ejus (Anglica erat) cum satrapis & satellitum aulicorum rectoribus conscendens, mutuâ hilatate excipit hospitem, & excipitur; egressiq; in pontem Episcopi, Clerus & Cænobiales, summo cum honore. Exinde Rex ad conventum in templi Servatoris cæmiterio celebrandum omnes evocat.

Postqvam convenissent, Cardinalis verba in hunc modum habuisse legitur: *Nolo vos ignorare, Norvegi, me qvidem Divina suffultum gratia â Pontifice summo huc missum, ad nomen Domini Jesu Christi annunciandum, Regemq; vestrum diademate ornandum. His verò peragendis non presbyteri qvidam aut Ecclesiastici ordinis alius sine magna potestate delectus est, sed Cardinalis officiôqve Episcopus, summâ cum authoritate & potestate ligandi solvendique omnia, pari nempe, ac si ipse præsens esset Pontifex: id enim ad honorem Regis, cui quam maxime consultum vult, optimum visum.* Inde longa ad populum oratione habita, postqvam solenni benedictione finem fecisset, omnes dimisit. Sæpius deinde colloqvia Regem inter & Cardinalem habita; neq; huic tum aliud constitutum, qvàm summis Regem honoribus afficere videbatur, donec Archiepiscopus, qvi postremus demum Episcoporum accessit, intervenisset. Ante qvidem hoc tempus crebros cum Episcopis sermones coluerat; tum verò primum Rex animum ejus propositumqve mutatum animadvertit. Cum enim qvodam die in templo Servatoris colloqverentur, Cardinalis talibus Regem dictis aggressus est: *Qvandoqvidem tu majores qvidem honores qvam antecessores tui â Sancta Ecclesia expetis, speramus nos qvoq; vicissim, te ipsius privilegia, â majoribus tuis concessa, non confirmaturum modò, sed etiam aucturum, sacramentam etiam illud, qvod primus coronatorum in hoc regno Magnus Erlingi filius dixit, ultrò te præstiturum.* Tum Rex: *Animadverto*, inqvit, *Domine, te hæc ex aliorum mente concepta, illorum magis quam tuis verbis effari. Nos equidem privilegia, qvæ in aliis liberis regnis usu obtinent, ubi Regia jura haut minus qvam Ecclesiastica vigent, nostræ haut unquam Ecclesiæ denegabimus; si verò qvis Regum majora concesserit, qvæ haud penes ipsum fuit ultra imperii sui terminum prorogare; nos non ideo protinus nostra posterorumq; nostrorum jura coarctabimus. Verbô dicam: si coronam conditionibus venditatis, nobis potius constitutum est nullam gerere: nec iniquis eam pactis mercabimur, ità ut non sit, quod nos ultra ad hæcce sollicites.* Tandem ad ea Cardinalis: *Ne, qvæso, Rex, hæc in offensam tuam dicta interpreteris. Nobis equidem certum est, tuæ præcipuè gloriæ honoribusqve semper studere.* Accersitis deinde Archiepiscopo, Episcopis & Canonicis, Cardinalis exponit *se postulata eorum Regi proposuisse, ejusqve se responsô acquiescere; siqvidem causæ justitiâ superior sit. Scire itaque eos velle, se non amplius de his Regem compellaturum, ejusve patientiæ molestum futurum, nec se ab iis deinceps de his qvicqvam audire velle; sibi constitutum, coronam capiti ejus, digno tanto Majestatis honore, sine ullis pactorum ambagibus aut stipulationum interventu, imponere.*

Cæterum plurima, qvæ emendationem indigebant, Rex civium nomine Cardinali exposuit, qvorum is multa qvoq; prudenter correxit; templum etiam, qvod in palatio Regio ædificatum Rex Apostolis omnibus dedicaverat, festô Divo Svithuno sacro consecravit, plenaq; remittendorum pecca-

peccatorum poteſtate in perpetuum donavit. Viſum hac occaſione Cardinali inungendo Regi feſtum aliqvod Apoſtolorum eligi; prætulit autem Rex feſtum S: Olafi, tum qvod ex eo genus duceret, tum ut memoria ejus ſuo qvoqve honore ornaretur. Omnia exinde, qvæ tanta exigebat pompa, magna induſtria apparata; qvibus tamen impedimento haud parvo erant pluviæ nymbiqve illo anno freqventes, ut nec ea, qvæ extra domus ſubdio paranda erant, commodè poſſent inſtrui. Viſum itaqve aliis, ut convivium in palatiis ligneis, qvæ duo intra aulam extabant, fieret. Sed Rex ad litus (ut undir Knorum lingvâ patriâ) domum magnitudinis eximiæ, qvæ in longitudinem nonaginta ulnas, in latitudinem ſexaginta patebat, extruxerat, navibus ſubducendis deſtinatam. Eò cum Rex & Cardinalis qvodam die deambulando perveniſſent, qveſtus eſt Rex, *amplioribus ſe ædibus deſtitui. Quod ſi hanc domum placeret in convivii uſum adhiberi, magnæ ſatis hominum frequentiæ capacem videri.* Cardinale inſtitutum laudante, domus univerſa periſtromatibus ſingulisqve, qvæ ad magnificentiam tantam reqvirebantur, înſtruitur.

Feſto Sancti Olafi, qvod in qvartas Calendas Auguſti, ſev XXIX. Iulii, qvotannis recurrens incidit, ſolennia iſthæc peraguntur, præſentibus, præter ipſum Cardinalem, Archiepiſcopo Sigurdo, Arnio Epiſcopo Bergenſi, Askele Stafangrienſi, Thorkele Osleienſi, Paulo Hamarenſi, & Henrico Holenſi ex Islandia. Secularibus verò, Rege Hacone juniore, Comite Knuto; principe juventutis Magno Regis filio, cum Sigurdo fratre germano: ex ordine ſatraparum, Gauto Jonis filiio, Lodino Gunnii filio, Petro Pauli filio, Gunnare Regis propinqvo, Munano Epiſcopi filio, Finno Gauti filio, Bryniolfo Jonis filio, Jone Drotning, ſev Regina, Sigurdi Epiſcopi filio. Decem Abbates, præter Archidiaconos, Præpoſitos, plurimosqve ex ſingulis Epiſcopatibus Canonicos, Eccleſiaſticorum implebant numerum. Aderant & judices provinciales plures: Stallarii qvoqve Regii & qvæſtores, ſatellitum aulicorum rectores, aulici omnes, lectiqve ex ſingulis provinciis patresfamilias præcipui; qvibus ingens præterea peregrinorum acceſſit turba. Cum verò continuus imber noctes diesqve incumberet, pannis viridibus & rubris ſupernè & â lateribus tota illa via inter portam palatii & templum, tentoriorum in formam tecta, inceſſum ſubeuntibus commodiorem tutumq; ab aqvis præſtitit.

Proxima ante feſtum Sancti Olafi dies in diem Dominicum (certum ſeculi iſtius anni qvadrageſimi ſeptimi indicem) incidit. Seqventi autem die, qvi feſtus erat, poſt peracta in urbis baſilicâ matutina ſacra, buccinæ ſono omnes in cæmiterium ædis Chriſti convocantur. Octoginta ſatellites cataphracti ad viam ab impedimentis ingreſſuqve confluentis populi liberandam præmiſſi; hos duo vexillarii ſigna ferentes ſeqvebantur; proximi poſt eos qvæſtores & dapiferi ornatu veſtium conſpicui ibant; mox ſatrapæ coruſcantibus gladiis qvatuor inſignes ſubſecuti menſam portabant, cui veſtes Regis, pompæ inaugurationis adhibendæ, impoſitæ. Ponè eos Sigurdus Regis filius & Munanus Epiſcopi filius ſceptra duo argentea geſtabant. Aurea hujus apicem crux, illius vero aqvila aurea decorabat. Rex Hacon Junior coronam Regiam, Comesqve Knutus gladium Regi Haconi Seniori, qvi inter Archiepiſcopum duosqve alios Epiſcopos, ipſum deducentes, ibat, præferebant. Ad portam Regiæ Epiſcopi, Abbates, reliqvusqve Clerus, obviam Regi proceſſionis, ut vocant, honore exeuntes ſacrum carmen, reſponſorium appellatum: *Ecce mitto Angelum meum*, ad fores usqve templi præcinebant. Ibi Cardinalis cum duobus Epiſco-

piſcopis, qvicq; cum his erat, Clero alium cantum exorſi, deducebant ad altare Regem. Inde ſacra cœpta, Regisqve conſecratio ſolenni coronationis ritu moreq; in talibus recepto peracta. Qva finitâ, Archiepiſcopus cæteriq; Epiſcopi, ut priùs, cantantes Regem ad Regiam deducunt. Ubi ille depoſitis veſtibus, qvas in templo induerat, ſolam totò die coronam in capite geſtari viſus eſt.

His peractis, Rex triclinium ad ædem Chriſti minorem, in qvo convivium erat inſtructum, comitantibus convivis ſingulis, adibat. Ad fores Cardinalis obvius unà cum Rege ædes convivales intravit, cum univerſo convivarum cœtu. Domus omnis pannis colore tinctis, culcitris, tapetis byſſinis ſericisq;, aurô interſtinctis aulæis; velata undiqve inſtrata, ſplendorem regali magnificentiâ dignum oſtentabat. Sedes hoc ordine diſpoſitæ notantur. Regem in ſolio ſedentem Cardinalis â dextro latere excipiebat; proximus ei Archiepiſcopus, huic Epiſcopus Bergenſis cœteriq; ordine collocabantur. Siniſtrum Regis latus Regina claudebat, cui mater Ragnhildis â latere cum Chriſtina Comitis Haconis Galini vidua ſedebat, hisq; proxima Regis filia Cecilia. Deinde Rangeidis, poſtea Abbatiſſa, inde fæminæ nobiles, ad latus menſæ longo ordine diſcumbebant. Ad dextrum baſilicæ latus, qvod ad mare ſpectat, peculiari menſæ Abbates, Priores, Præpoſiti, Canoniciq; accumbebant. Mediâ in aula ſolium Regio oppoſitum Regem juniorem Haconem excepit: aſſidebat Comes Knutus, Sigurdus inde Regis filius, Satrapæq; â latere, ſuo qvisqve ætatis ac dignitatis ordine ſeqvebantur. *Editio Danica* peculiarem menſam Satrapis aſſignatam, dapiferis qvoq; & miniſtris aulicis aliam, aliisq; deinde juxtà cujusqve conditionem aut dignitatem, tribuit. Author noſter ad auſtralem parietem aulicos Regis menſæ peculiari, & eâdem, qvâ domus, longitudine aſſediſſe refert. His oppoſiti emiſſarii, pari menſæ longitudine ſcamna ab utroqve latere replebant. Decem & tres erant menſæ juxta longitudinē domûs extenſæ, convivis omnes repletæ. Multa qvoq; circa domum tentoria, multitudini, qvam ampliſſima haud caperet domus, excipiendæ erecta. Prima dapium fercula hi Satrapæ inferebant, Munanus Epiſcopi filius, Brynjolfus Jonis filius, Gunnar Regis propinqvus, & Sigurdus Epiſcopi filius. Poculum verò primum Regi Haconi filius Rex exhibuit, Cardinali Comes Knutus, Reginæ Sigurdus Epiſcopi filius, Munanus Archiepiſcopo, inde ſuas qvisqve ſedes repetentes, porrigebant.

Poſt prandium Cardinalis, indicto ſilentiô, longâ oratione de Articulis Chriſtianæ religionis diſſeruit; his deinde verbis convivas publicè affatus. *Equidem Deum veneror, cujus auſpicatiſſimo auxilio mandata Sacræ Romanæ Eccleſiæ, beatiſſimique Patris noſtri Pontificis, & Cardinalium, hodie exſecutus ſum: jam enim Rex veſter tanto quidem decore & gloriâ coronam gerit, quantâ eam nemini Norvegorum Regum antea obtigiſſe exiſtimo. Iterum gratias Divinæ clementiæ ago, quòd eam mihi mentem indiderit, ne eorum conſiliis aures præberem, qui ab itinere iſto Norvagico retrahere me conati, feris quàm hominibus ſimiliorem populum hunc dictitabant; quem tamen ego ſvavitate morum, cultioreque vitæ genere, haud parùm commendabilem ſum expertus. Conſpicua hìc quoque peregrinorum undique adventantium frequentia, etiam navium numerus major, quàm unquam mihi uno in portu eſt viſus, genti veſtræ decus conciliant. Et verò inſuper illi alimentorum defectu, potiusque, præter ſerum lactis aut aquam, indigentiâ, nos, quantum penes ipſos, abſterrituri erant: quorum quidem vanitatem abundantia rerum omnium affatim hìc monſtrat, Deoque ut gratias agamus, vobiſcum nos monet, cujus jam*

tutelæ Reges, Reginam, Episcopos, & Clerum, populumque adeò universum, commendo, invocatô precibus Supremo Numine, ratam hanc nobis ut faciat gratiam, iterque hoc nostrum, actaque omnia, summo quidem vobis honori, communique bonorum omnium lætitiæ, fore clementissimè velit. His atqve pluribus, egregiè qvidem dictis, ex convivio cum comitatu omni suo excessit. Extant duo versus, alter Sturlæ, alter Olafi Hvitaskaldis, qvibus similiter hæc omnia describuntur. At Rex Hacon post Cardinalis discessum remansit in cænaculo, donec, remotis mensis, poculum in Divæ Virginis memoriã bibi solitum circumlatum esset. Inde convivas allocutus, gratias eis pro benigno in se affectu obseqvioq; egit. Triduum integrum continuis in eâdem domo conviviis extractum est; id qvod totum tribus insignibus metris author noster Sturla celebravit. Qvinqve deinde dies in palatio arcis regiæ mari obverso convivabantur, ibiqve denuò Cardinalis, Episcopi omnes & Satrapæ, judices qvoqve, & universa regni nobilitas, epulis pari splendore excepti sunt.

CAP. XXXV.

ACTUM DE NEGOTIIS REGNI ET ECCLESIÆ REDITIBUS. CARDINALIS AD QVERIMONIAS CIVIUM RESPONSA ET CONSTITUTIONES. DE ISLANDIA CONSILIUM, ET TANDEM ABITUS. MATTHÆI PARISIENSIS DE HIS ET PROPOSITO REGIS HACONIS TERRAM SANCTAM ADEUNDI RELATIO.

Post peracta, qvæ nuper narravimus, de negotiis regni publicis, Ecclesiarumqve bonis, Clerum inter & Cardinalem consilia agitata; postulabantqve illi, ut Cardinalis eò Regem adduceret, ut partem redituum, qvi in expeditiones nauticas destinati erant, in sacrarum Ecclesiarum usum transferret. Ad hæc Cardinalis: *Qvid si*, inqvit, *& vos quoque partem canonum vestrorum cæterorumque redituum similiter erogaretis?* Qvô negato, rogabant denuò, ut Rex ipsis sumtus ex suo aliqvos, unde liberaliùs sustentarentur, decerneret. Cardinalis verò *reditus regios imminui quidē non posse* respondit, *nî promitterent vicissim illi, partem redituum suorum Regi, urgente necessitate, exhibere*; qvô responso dimissi, ea qvidem postulata iterare non sustinuerunt. Cœterùm qverebantur graviter provinciales, qvòd Episcopi Ecclesiarum decimas in usum suum verterent. Id verò Cardinalis severè prohibebat, dato hôc ipsis responso, pari àc Episcopos libertate decimas illas dispensandi Ecclesiarum rectores gaudere. Etiam Pastores Ecclesiarum conqvesti, sumtus ab Episcopis in commeatus exigi, etiamsi parœcias eorum visitare sæpiùs intermitterent. Cardinalis illud Divinis humanisqve legibus repugnare respondit, vetuitqve omninò sumtus, nî visitatio ab ipsis fieret, reddi. Qverebantur qvoq; cives, mulctas sibi irrogari, si fortè diebus sacris, vel rebus necessariis conservandis, vel capiendis piscibus, qvandocunqve necessitas ad hoc, vel dextra qvædam occasio, invitaret, distinerentur. Ordinabat igitur, ut fænum frumentumqve fænilibus horreisqve inferre, halices piscesqve, nisi festis decumanis, impunè capere liceret; qvænam autem ista festa essent, Alexander Pontifex, Inno-

Innocentii hujus (ut credo) ſucceſſor, qvantumq́ inde, præter decimas, pauperibus erogandum eſſet, exactè definivit: cujus conſtitutio juri canonico Norvegico, Tit: *de diebus feſtis*, inſerta eſt. Etiam candentis ferri examen idem hic Cardinalis abrogavit; dictitans, *non convenire, Deum ad ferendum de humanis cauſis teſtimonium provocare, atque adeò eum tentare.* Multa alia eum ſalutaria conſtituiſſe Author meminit, qvæ ſponte hìc â ſe omiſſa fatetur.

His temporibus ab exceſſu patris Valdemari filius Eiricus Danicum regnum tenebat. Inter eum fratremqve Abelem perpetua diſſidia, infeſtaqve Danis cum Lubecenſibus bella erant. Hinc periculoſa per Daniam mercatoribus navigatio, cōmerciaqve infida. In portu Græningenſi aliqvot Norvegorum naves â Danis direptæ, cœteræq́ alibi latrociniis Danorum Lubecenſiumqve paſſim infeſtatæ. Hac autem æſtate Rex Hacon jure pignorationis, qvod repreſſalia vocant, uſus, naves omnes Danorum, Vandalorum, Germanorumqve in Norvegiã delatas detinuit. Hinc, qvi jacturam rerum ſuarum fecerant, Cardinalem adibant, interceſſionem ejus apud Regem implorantes, qvò ablata ſibi reſtituerentur: id qvod Cardinalis haud gravatè eſt exſecutus, precibusq́; id ſuis ut tribueret, Regem rogabat: *innocentes enim videri mercatores illos, nec illatarum Norvegis injuriarum participes.* Rex *ſe quidem hoc, quod peteretur, in gratiam ejus facturum* reſpondit; *non tamen ſemper impunè perpetratis à Danis cœdes direptionesque ſuorum laturum.* Moxqve ablata jubet mercatoribus cuncta reſtitui.

Hac eâdem æſtate Henricus Karlis, ſeu Caroli, filius, diæceſeos Islandiæ Holenſis Epiſcopus creatur. Placuit tunc etiam Regi Giſſurem & Thordum Kakalium coram præſente Cardinale audiri: â qvibus expoſitis, qvæ interceſſerant, omnibus, Cardinalis, Thordi totq́ propinqvorum cædibus motus, facilè ad partes ejus inclinabat. Multum & Epiſcopi Henrici, Thordo qvidem eô tempore amiciſſimi, preces ad res ejus promovendas apud Cardinalem Regemqve valuerunt; adeò ut in convivio, poſtqvam conſecratus Rex eſſet, ſuffragiô Cardinalis Thordus totius Islandiæ præfectus conſtitueretur: legatusqve ſimul â Rege, unà cum Epiſcopo Henrico, redigendæ ſub imperium Haconis inſulæ univerſæ, tributorumq́, qvantùm conveniret, in ſe recipiendorũ, decerneretur. Iniqvum enim Cardinalis cenſebat, Islandiã, ut cæteras orbis regiones, imperia regum non agnoſcere; (cùm conſtet tamen, plures etiam illo tempore Respublicas ſui juris fuiſſe, nullo obſeqvii nexu Regibus obſtrictas) magìs, ut credo, in gratiã Regis, cujus munerib⁹ inhiabat, qvàm qvia magnopere his moveretur. Juvabant cauſam Regis inteſtina gentis iſtius bella ſeditionesq́, & effrænis horum comes licentia, qvæ Divina humanaqve jura pervertens, æqvi & iniqvi diſcrimen omne ſuſtulit; itaqve opus omninò eſſe dictabat, ad pacem tranqvillitatemqve reducendam, terram unius imperio ſubjici. Miſſus qvoq́ in Grönlandiã cum eodem negotio Epiſcopus Olafus. Cœterùm detentus in Norvegia Giſſur eſt, invitusq́ ſatrapiæ cuidam Thrandiæ præfectus, cum eo etiam Thorgils Skardius, Bödvaris Kakalii patruelis filius (frater hic erat Sturlæ, authoris hiſtoriæ hujus) apud Regem honoris cauſâ relictus eſt; reverâ autem uterq́ fidei actorumqve Thordi pignus obſesqve detentus.

Autumnali tempore Epiſcopus Henricus & Thordus in Islandiã pervenerunt. Statim Thordus provinciam Borgarfiordenſem territoriumq́,

qvod patruus ejus Snorrius Sturlæus possederat, cum cœteris bonis ejus in suam potestatem recepit, Thorleifo qvoqve de Gardis provinciam ademit, qvod contra mandatum Regis è Norvegia excesserat; cujus tamen majorem partem ei, novo fidei sacramentô obligato, reddidit. Ità verò qvadrante totô occidentali ad obseqvium redactô, in aqvilonares provincias profectus est. Verùm anteqvam advenisset, hostes ejus Episcopum Henricum prensantes, Thordo variis calumniis traducto, tandem qvoqve in partes suas pertraxerant. Hìc ergò amicitiæ eorum finis, hoc secutæ inimicitiæ principium fuit; qvæ qvidem negotiis deinde comuni operâ promovendis graviter obstitit, ut postea suo locô patebit. Duos inde annos Episcopus in Islandia mansit, anteqvam ad Regem Haconem rediit. Ubi cum suis, versâ in Gissurem amicitiâ, persvasit Regi, meliùs rem processuram, si huic secum conjunctim ea cura comitteretur.

Diximus supra, nos partem eorum saltem, qvæ â Cardinale in hoc regno acta sunt, exposuisse; alia tamen multa eum salutaria in publicum constituisse: qvæ sibi omissa author scribit. Inter alia constitutionibus regni sigillum præfixisse, pænâ in ipsis singulis excomunicationis iraqꝫ Dei violatoribus denunciatâ, ait. Incidi in unam qvandam, inter frivola alia repertam, idiomate veteri Norvegico scriptam, qvam hunc in modum interpretatus sum. *Vilhelmus Dei gratia Episcopus Sabinensis, Pontificis Romani legatus, universis Dei amicis, has literas lecturis vel audituris, salutem in nomine Domini nostri Iesu Christi mittit. Cum in Norvegia legationem Pontificis Romani in prædicando Dei verbo, Regeque gentis coronando, obiremus, Archiepiscopum, Episcopos omnes, aliosqve sacræ Ecclesiæ rectores, Clericosq; potiores, Barones omnes regni, qui convenire poterant, convocavimus. Multas tum publicè orationes habuimus; multa cum Rege & prædictis omnibus colloqvia, de rebus ad sacram Ecclesiam regnumqve pertinentibus; consideratisqve omnibus, qvæ inspicienda erant, deprehendimus sacram Ecclesiam Norvagiensem plena pace libertateque frui, immunitatibusque omnibus, qvæ ei jure doctrinæ competit, nec â Regibus ulla ex parte premi. Comperimus etiam sacram Ecclesiam omnia, quæ antiquis competebant, sive de novo accesserant, liberè & sine ullo impedimento adhuc detinere, præter tres capellas, qvas Episcopus Stafangriensis Reginæ Norvegiæ ejusque filiis, non autem nepotibus, ad dies vitæ eorum transcripsit, hac conditione, ut post excessum filiorum ejus ad Ecclesiam Stafangriensem redirent, quæ eas liberè, antequam Regina consecuta esset, possidebant. Electiones quoque Episcoporum, omniumque aliorum Ecclesiæ præsidum, liberas deprehendimus, ita ut nemo Laicorum iis se immisceret; soli enim Clerici secundum constitutiones sacræ Ecclesiæ præsidem eligebant. Publicè etiam prædicari fecimus, Regemque & Coronam monuimus, Archiepiscopum quoque & omnes Episcopos, omnes Ecclesiarum Antistites, Barones omnes, plebemque regni, ut si qvis litem Archiepiscopo intenderit, actionem apud Papam vel legatum ejus instituendam; qui Episcopum lite conveniret, ei judicio Archiepiscopi standum; presbyterum, qui in jus vocaret, judicem competentem Episcopum habiturum: Laicis causam Ecclesiasticam judicio Episcopi submittendam, pariter etiam secularem, tam presbyteris quam Laicis, judicio Regis committendam, sive judici ab eo ad lites dirimendas juraque dicenda constituti; qvi verò contempto judice judicium refugit, aliorumque possessiones contra leges juraque detinet contumaciter, sciat se diras Divinas humanasque sibi accersivisse. Diris quoque devovimus omnes, qui Regi suo se opponentes seditiones excitare moliuntur. Excommunicamus præterea omnes, qui Moniales violenter stuprare pertentant. Has excommunicationes cæterasqve, qvæ in Norvegia*

gia proclamavimus, ſolvendi poteſtatem tradimus Epiſcopis; qvorum in Diæceſi ſunt iis, quos anatemate pulſavimus, ita ut liceat eos abſolvere, ſi vera emendatione Deo hominibusque ſatisfaciant. Datum Bergis, XVII. Calendas Septembris, anno Pontificatus Domini Innocentii Papæ Qvarti, quinto.

Peractis ità ex voto omnibus, ſummâ Cardinalis benevolentiâ à Rege dimittitur. Navis ſcalmorum vîgenti, lembi duo, oneraria navis una, itineri ejus deſtinatæ. Gunnar Regis propinqvus navis præfectus ei deducendo lectus. Ingentia Cardinali munera, omnibusqve, qvi cum eo venerant, data; etiam â Rege Archiepiſcopus magnifice donatus eſt, omnesqve Epiſcopi & Satrapæ, nec non nobiliſſimus qvisqve regni, qvi coronationi interfuerat, non ſine magnis muneribus dimiſſi. Teſtatur id Sturla qvatuor verſibus, artificioſè qvidem ſcriptis: qvibus addi meretur teſtimonium Matthæi Pariſienſis ad hunc annum.

Anno quoque ſub eodem, ait, *quarto Calendas Auguſti, qui eſt dies Sanctiſſimi Regis & Martyris Olafi, celeberrimi Sancti apud Noruuegenſium regiones & inſulas, coronatus eſt Rex Hacon, & in Regem inunctus ſolenniter apud Bergas ab Epiſcopo Sabinenſi, Legato tunc in partibus illis exiſtente. Pro cujus honoris & beneficii exhibitione Papæ Dominus Rex quindecim millia marcarum eſterlingorum numeravit. Legatus vero, exceptis donativis inpreciabilibus, quingentas extorſit marcas ab Eccleſia regni illius.*

Rex Cardinalem Floruvogas usqve cum comitatu omni deduxit, magnisqve mutui amoris indiciis ab eo ſeparabatur. Segniùs verò iter faciens Cardinalis Stafangriæ aliqvantiſper moratus eſt. Tunsbergam inde, hincqve Osleiam pervenit: deinde Kongahellam provectus univerſalem provincialium conventum indixit, qvo multi etiam ê Gothia obviam proceſſerunt. Memoratur autem, ſemper eum in orationibus ſuis gratias Deo egiſſe, qvòd Norvegiam ſibi adire contigiſſet, &, ut reor, non ſine cauſa, cum diſtentas auro argentoqve crumenas inde exportaverit. Inde in Sveciam profectus Concilium ibi Scheningenſe habuit, qvô Sacerdotes & Presbyteros ab uxorum commercio revocavit, effecitqve, ut pænas violatoribus, conſtitutas, graves qvidem & ſeveras, ultra depoſcerent, teſte *Johanne Magno*. Tandem ad Pontificem Romam reverſus ſeqvente anno mortem obiviſſe Annalibus noſtris traditur.

Ad hunc ipſum annum *Matthæus Pariſienſis* hæc qvidem ignota ſcriptoribus noſtris ſubnectit: qvæ idcirco adſcribere haut pigebit. *Verumtamen idem Rex cruce ſignatus a Domino Papa impetravit recipere tertiam partem proventuum a viris Eccleſiaſticis regni ſui, ad ſuæ viatica peregrinationis. Quod cum Dominus Rex Francorum fama referente cognoviſſet, amicabilibus verbis ſcripſit eidem Regi Haconi, quatenus charitatis obtentu & Eccleſiæ Sanctæ promotione ac honore Sanctæ Crucis, qua ſignabatur, cum ipſo in terram Sanctam venire non deferret; committeretur namque eidem Regi Haconi, quia in mari potens eſt & peritus, totius navigii ſui Dominium, regimen & poteſtas; exercitus quoque Francorum ejusdem nutui pro magna parte extunc inclinaretur. Hoc autem mandatum, cujus epiſtolam ipſe, qui hæc ſcripſit, detulit, poſtquam ad notitiam ejusdem Domini Regis Noruuegiæ perveniſſet, inſpecto tenore, reſpondit ei, qui epiſtolam porrexit, nam confidebat in eo anima ejus: Grates refero copioſas piiſſimo Dno. Regi Francorum, qui meum deſiderat in peregrinatione ſodalitium; ſed novi in parte naturam Francorum, & ſicut dicit poeta, & ego dico.*

Omnisque poteſtas impatiens conſortis erit.
Omnisque ſuperbus impatiens conſortis erit.

Gens mea impetuosa est & indiscreta, impatiensque omnium injuriarum, sed & molestiæ: si ergo inter tales & superbos contentio oriretur, uterque nostrum irrestaurabile damnum incurreret; idcirco quilibet nostrum per se eat, & quod Dominus disposuerit, faciat. Verumtamen scripsi eidem Domino Regi, ut quoddam mihi privilegium benignè concederet, per literas suas patentes, ut videlicet mihi liceret per terminos regni sui peregrinando naviganti, si forte ego vel aliquis meorum infirmaretur, vel victualibus vel aliis indigerem, in terra sua pacifice applicare, & mihi in necessariis providere, Et qui cum eo loquebatur, videlicet scriptor præsentis libelli, has literas patentes eidem porrexit. Ludovicus Dei gratia Francorum Rex, universis amicis & fidelibus suis Ballivis, Majoribus & Præpositis, ad quos præsentes literæ pervenirent, Salutem. Cùm charissimus noster, illustrissimus Hacon Rex Noruuegiæ, in subsidium Terræ Sanctæ transfretare proponat, sicut nobis per suas literas intimavit; vobis mandamus, quatenus si eundem Regem vel ipsius navigium per mare contiguum litoribus terræ nostræ transire contingat, vel in terram nostram, vel in fevda nostra alicubi applicare, ipsum & suos benignè & honorificè recipiatis, promittentes eosdem in terra nostra victualia emere, & sibi per forum legitimum de sibi necessariis providere. Actum apud Sanctum Germanum in Laia, anno Domini millesimo ducentesimo qvadragesimo octavo. Cum autem hæc legisset Dominus Rex Noruuegiæ (est enim vir disertus & modestus, atque benè literatus) gavisus est gaudio magno nimis, & grates retulit talium bajulo literarum, & donis respexit regalibus uberrimis.

CAP. XXXVI.

SVECI DE INCENDIO VERMENSI CUM REGE EXPOSTULANT. HARALDO MANNIÆ REGI CECILIA REGIS FILIA DESPONSATUR. INCENDIUM BERGENSE. FULMINE URBS ET NAVES QVÆDAM TACTÆ. ION DUNGADI FILIUS REX CREATUR. HARALDUS MANNIÆ REX CUM UXORE ET COMITIBUS IN MARI PERIT. REGIS HACONIS IN SVECIAM LEGATIO.

Pröximò post coronationem Regiam autumno, Haraldus Manniæ Rex, filius Olafi, Gudriodi nepos, ex insulis Hæbudarum profectus, in Norvegiam venit, Oslejamqve cum Rege adiens hyemem ibi anni MCCXLVIII. transegit, qvæ regni Regis Haconis trigesima prima erat. Circa hæc tempora in Svecia régnavit Eiricus Eirici filius, Sancti Eirici abnepos, Rikizæ Valdimari Primi Daniæ Regis ex filia nepos, filiusq; sororis Valdimari Secundi, ab hæsitantia lingvæ Balbus sev Blæsus appellatus. Potissima ejus regni administratio penes Comitem Ulfum Fasium erat. Hic Comitis Karlis, sev Caroli, Surdi frater, qvi erat Comitis Byrgeris Brosæ filius, Haconi Norvegicæq; genti amicissimus, magnopere expostulationem illam cum Norvegis de incendio Vermensi disſvadebat: cujus ultionem alii Sveciæ proceres vehementiùs urgebant. Proximas â Comite regiminis partes tenuit Dominus Birgir, filius Magni Minniskioldi, ex sorore Regis Ingibiorge natus, Folkii verò Crassi ex Ingiride Sancti Knuti Daniæ Regia filia pronepos. Hic ex Folkungis ortus longam Principum seri-

ſeriem demiſit ad poſteros, qvam his temporibus *Loccenius Lib: II. Hiſtoriæ Sved:* deſiviſſe exiſtimat. Ego vero & Sereniſſimum Regem noſtrum, & Veciæ Regem, multosq; alios Principes ab eodem deſcendere facilè poſſum demonſtrare. Hac ipſâ hyeme â proceribus Veciæ miſſus Ivar Thorſteini filius de Dalo, Osleiæ Regem accedit, ſatisfactionem pro illatis Vermenſibus damnîs poſtulans. Rex, *nullâ ſe libidine ad incendendam Vermiam ductum, nec eo unqvam fine Eidenſe nemus tranſire voluiſſe, niſi Vermi ſe ad hoc ipſi provocaſſent, execrandas factiones in cædes ſuorum & latrocinia armatas ſuſtentando, alendo, inſtruendoq; magno ſubditorum ſuorum exitio: verum ſiquidem Sveci damna in tantum ſua extollant, optimum ſibi videri, ut Rex Sveciæ ſecum ad colloqvium deſcendat: futurum ſic, ut vel invicem paciſcantur, vel ferendam aliter â Deo ſententiam exſpectent: ſe quidem proxima æſtate ad limites regnorum eo fine, ſi ita ei placeat, profecturum.* His ab Ivare ad ſuos relatis, reſponſum Haconi placere conventum, remiſerunt.

Etiam hâc hyeme Haraldus Manniæ Rex Ceciliam Regis filiam, qvæ antea Gregorio Andreæ nupta fuerat, uxorem petiit, annuitqve Rex Pater; nuptiis tamen in proximâ æſtatem, qvas Bergis celebrari voluit, dilatis; at primò ſtatim vere Bergas accedens, nominavit eos, qvos ad conventum cum Svecis ſecum proficiſci voluit. Eodem tempore Jon Dungadi filius (*Chronico Manniæ* Johannes Dugaldi) & Dugall ex occidente advenientes, ambo ſimul ſeptentrionalem Hæbudarum partem cum regio titulo expetebant. Qvatuordecim diebus ante pervigilium Johannis Baptiſtæ, ignis in mediâ urbe, domo, qvæ Straumr vocatur, ſuſcitatus, cum campana ſignum daret, in incendium ingens exarſit, leviori tum caſu conceptum, qvòd longâ cœli ſerenitate pluviæqve defectu materia exaruiſſet. Rex tum protinus ad ædem Apoſtoli Petri cum paucis accurrens opem laturus erat; etſi verò haud ſegnius cives aulicíqve approperarent, vires tamen ignis majores cæperat, qvàm ut extingvi hoc locô poſſet. Ad templum igitur Virginis liberandum procurritur, ſed & ibi præter cœtera columnæ flam̃is involutæ auxilium non admittebant. Et jam ſæviens in tecta urbis ſacrarumqve ædium ignis, etiam ventô in caſtrum ſpargitur. Huic igitur Rex magnâ cum catervâ advolans, omni operâ ſubvenire conabatur; at hìc multi intra ædes ſuffocati exurebantur. Inde urbem repetens Rex in flam̃am tecta depaſcentem incidit, haud abſq; magno vitæ periculo; cui ſe intrepidè, ut ſemper, qvoties neceſſitas poſceret, cum prudentia tamen, objecit. Ad pontem Sandbru defendendum vulgus tunc confluxerat; Rexqve ſcapham arripiens, ad lembos Gothicos, qvi in ſtatione erant, remigat: ibi acceptos â civibus lebetes majores & cacabos undis repleri, crebròq; inde aqvam in flam̃as juſſit ingeri, ità ut tandem Dei miſericordiâ, Regisqve providi dexteritate, funebris urbis rogus ſopitus ſit. Paucis pòſt diebus magno nubium fragore fulgureqve, emiſſum cœlo fulmen, tectum ſuperiorum ædium, in qvibus erat Dominus Magnus Regis filius, in aliqvot orgyarum ſpatium revulſit; ulteriùs haud penetrans, eodemqve hinc impetu in ſinum delatum, malum navis cujusdam, qvæ ante urbem ſtabat, in minutiſſimas partes diſcidit; pars mali in civem urbis unum, qvi ad inania qvædam (Glys habetur) comparanda acceſſerat, incidens, illicò eum exanimavit; neq; ulli præterea nocuit. Ubi tamen à Sturla *Matth: Pariſienſis* paululum diſſentit, ut ſtatim audiemus. Intra pontẽ Sandbru urbs tota in cineres collapſa eſt, paucis tantùm domibus in fine ſinûs relictis.

Lubet

Lubet hic qvoqꝫ adducere integrum de hoc incendio locum *Matthæi Parisiensis*, qvi & ipse id, cùm fulmine tangeretur, præsens vidit, & intra navem dictam steterat, singulaqve disertiùs his verbîs descripsit. *Hôc quoque annô quiddam evenit notabile, quia mirabile, quod huic operi duximus annectendum; non enim hoc meminimus prævidisse. Porrò in multis regionibus, iratô Deo, sæviebant incendia admodum damnosa, urbes & villas in favillas redigentia, non tamen æstu vel ariditate provocante. In Alemannia enim, præter alia damna, quæ vorago ignis consumtivi suscitavit, cathedralis Ecclesia Beati Petri, in Colonia (quæ est omnium Ecclesiarum, quæ sunt in Alemannia, quasi mater & matrona) usque ad muros incendiô est consumta. In Francia quoque urbes & oppida, & in Normannia irrestaurabilia damna ignis indomabilis generavit; in Anglia verò, etsi de aliis sileamus, maxima pars Burgi, qui novum castrum supra Thinam appellatur, cum ponte, igne quasi furioso consumpta est. In Norvegia autem ita desævit ignis damnosus, in tribus principalibus civitatibus, qvod admirationem & stuporem in cordibus omnium generaret, qvarum una, scil: Bergæ totaliter, exceptis quatuor religiosorum domibus, & Domini Regis palatiis, capellâ & thalamis, in cineres est redacta, combustæ namque sunt de memorata civitate undecim parrochiæ cum qvibusdam domibus Episcopi ipsius civitatis. Volavitque flamma ultrix peccatorum usque ad castrum Regis, qvod tunc fuit in ipsa civitate, quantum potest arcus quinquies jacere sagittam, ad instar draconis ignivomi, mappam post se trahentis, unde incolis nihil certius constitit, aut manifestius, quam Divinæ ultionis hoc fuisse severitatem. Castrum enim, quod erat màximis & durissimis constructum molaribus, pro majori parte redactum est in favillas. Dieque proximo sequente intonuit Dominus super locum civitatis tam terribiliter, quam horribiliter, missôque fulgure repentino maximam, quæ de Anglia venerat, & eadem nocte applicuerat, navem concussit, & quendam hominem in ea contrivit ad mortem, & omnes alios in navi existentes vel vulneravit vel læsit enormiter, malumque in fragmenta minutissima quassatum in mare misit, & omnes, quæ in ipso portu erant, naves, videlicet ducentas vel plures commovit. Ipse, qui & hæc scripsit, in navi extiterat, cujus malus confractus erat, sed eadem hora in quadam Ecclesia, quæ juxta litus erat, missam celebravit, quasi proceleusma nauticum canendo, Deo gratias post pericula pontica redditurus. Hæc cùm Domino Regi innotuissent, pro amore ipsius, qui in ipsa navi fuerat, malum præstantiorem jussit restitui & majorem.*

Rex deinde nuptiis filiæ eum Haraldo Hæbudarum Rege celebratis, ad conventum in limitibus regni indictum magnis copiis classeqve profectus, in Elldeyarsunda, sev portu Elldeyensi, Ionem Dungadi filium Regem pronunciavit; qvi tanto honore auctus in aqvilonares Norvegiæ partes, Dugale comitante, rediit, uterqve autem inde in Hæbudas, juncto cum Haraldo Manniæ Rege itinere, navigaturus erat. Verum consiliô mutatô, Ion Bergis, Dugall ad Regem Haconem in australi parte morantem profectus per hyemem in Norvegia substiterunt. Rex autem Haraldus cum uxore, splendidoqve comitatu, unicâ nave Bergis digressus, periit in itinere cum vectoribus mercibusqve omnibus, in vortice Dynrauſt, qvi Hialtlandiam ab austro spectat, submersus, ut qvidem verisimile est, eò qvòd fragmenta navis in australis istius insulæ partes æstus devexerit. *Chronicon Manniæ* prope fines Radlandiæ submersas perhibet, istumqꝫ casum ad annum seqventem refert. Ingens certè damnum funestâ hac jacturâ acceptum, præcipuum autem Hæbudensibus infortunium accidit, subita morte Principis, unica hâc profectione tanti Regis affinitate pluribusqve hono-

honoribus ornati. Brevì deinde Rex Hacon in Vikam iter dirigens triginta navium classe, in qva complures majoris staturæ, longo tempore in portu Dyngia Archiepiscopum exspectabat.

Hac ipsa æstate Eiricus Sveciæ Rex magnas copias contraxerat, qvibus in Gothiam moturus, cum Comite Ulfo & sororio suo Byrgere, magna item nobilitatis parte, splendidoq; in primis eqvitatu, Liodhusam pervenit. Cum autem Rex Hacon non compareret, commeatuqve indigerent Sveci, qvibus, qvantum opus esset, eqvis transvehere haut promptum; accedente etiam valetudine Comitis Ulfi adversa, in Sveciam re infecta reversum est. Seqvente autumno Comes vivis excessit, ingenti qvidem omnium desiderio, qvod Rex tamen statim, substituendo in ejus locum sororium Birgerem, virum sapientem & industrium, levabat.

Paulò post mortem Comitis Ulfi, Rex Eiricus & Comes Birger Holmgeirem (fortè qvi Johanni Magno Holingeirus) Regis Knuti Longi (qvem ità apud Scriptores rerum Sveticarum nusqvam nominari invenio) filiũ ex eodem Comitis Ulfi Folkungorumq; genere oriundum, vitâ privârunt. Ejectus qvoq; in exilium Dominus Philippus, qvi â consiliis primus apud Holmgeirem fuerat; ejusq; Petri Strangii filii matrem, nomine Helenam, duxerat. Fuit autem Philippus Comitis Philippi, ejus, qvi in villa Akre ad Osleyam à Baglis cœsus est, ex filia nepos, ipsoq; hoc sangvinis nexu Regi Haconi junctus. Scriptores Svedici Comitem Longum inter Reges genuinos non agnoscunt. Canutum tamen Folkungum appellat Loccenius, sororium Regis Eirici Balbi, qvi primo congressu eum fugavit, ipse postea iterato prælio cœsus, annô, ut ipsis placet, MCCXXIX. Holmgeirem autem (qvem Canuti Folkungi, factionis nimirum hujus principis, filium facit, vel, qvod alii ajunt, Folkonis Ostrogothiæ Comitis) eôdem prælio occubuisse pari cœterorum consensu tradit. Nostri hunc Canutum Folkungum & cognomine Longi appallant, & inter Reges numerant, ejusque filium Holingerum, Locceniô consentiente, faciunt; diversis tamen præliis temporibusqve occisos: ad annum enim 1229. primum conflictum referunt, qvô victus fugatusq; Eiricus. Annô XXX. eum in Daniam fugisse tradunt, annô XXXV. mortuum Canutum Longum, Hollingeirem autem cæsum annô XLVIII. Mater ergò Hollingeiris (qvam noster author, & ex Svecis *Johannes Magnus*, Helenam appellant) Regis Eirici soror tres habuisse maritos videtur, primum Canutum Folkungum, nostratibus Longum, patrem Holingeiris, secundum Strangium qvendam, ex qvo Petrus genitus; tertium Philippum, cujus hic fit mentio. Vid. *Loccen: pag: 81.*

Rex, ut proposuerat, Kongahellam pergit, eòqve haud multô post abitum Sveonum tempore devenit. Remansit & ibi aliqvantisper, dum, qvæ emendationem reqvirere videbantur, ordinaret: qvia autem conventus destinatus non processisset, legatos in Sveciã ad Comitem Birgerem misit, Einarem Smiorbakum, postea Archiepiscopum Nidarosiensem & Olafum Præpositum, ut explorarent â Comite, qvô jam in Nordmannos animô esset Rex Sveciæ; plura qvoqve in mandatis legati habuerunt, postea nobis exponenda. Rex deinde Tunsbergam profectus, classem copiasq; dimisit. Ejusdem anni vere obiit Thorkell Episcopus Osleyensis; autumnô autem demum in ejus locum ordinatus est Hacon Episcopus, qvi priùs scholæ Rector fuerat. Consecratus unà in Episcopum Orcadensem Hervius, aliis Haufer dictus. His peractis, Archiepiscopus Nidarosiam rediit, qvi superiore æstate fundamenta templi Servatoris in eadem urbe jecisse,

& ad certum in occidentem limitem, qvi ædificium hoc tempore auctoris noſtri terminabat, perduxiſſe legitur.

CAP. XXXVII.

DE MONASTERIO NIDARHOLMENSI RESTAURATO, ET MONACHORUM INFORMATIONE, MATTHÆI PARISIENSIS RELATIO.

EOdem anno evocatus ex Anglia Matthæus Pariſienſis ad monaſterium Nidarholmi, qvod Abbas Biornus ad egeſtatem prope redegerat, inſtaurandum, moresq́ Monachorum formandos, acceſſit, qvod prolixè ipſe his verbis deſcribit. *Eodem anno cum pateret diſcrimini qvoddam cænobium in Norvegia, nobile qvidem, qvod dicitur cænobium Sancti Benedicti de Holm, de fundatione Regis nobiliſſimi Cnutonis, qui & in Anglia unum cænobium, ejusdem tituli & ordinis fundaverat, depauperatum enormiter & conventus diſperſus, & totum fere deſtructum eſt, ipſum cum ſuis pertinentiis monaſterium receſſit. Abbas relicto ordine & ſublato ſigillo Capituli ſub ſpecie fidelitatis, omnes ipſius monaſterii fere poſſeſſiones vel vendidit, vel inde confectis chartis fraudulenter impignoravit, habens unum de fratribus, videlicet ſacriſtam, qvi ſigilli cuſtos fuerat, hujus rei conſcium, & ſuo facinori conſentientem. Qvi etiam cum Abbate apoſtata fuerat & fugitivus, Archiepiſcopus Nitharoſiæ in cujus diœceſi fuerat, monaſterium ipſum cum omnibus pertinentiis cepit in manu, imponens monachos, qvod non erant niſi ſolo habitu monachi, ordinis monaſtici & Regulæ S. Benedicti penitus ignari, monaſticorum ſtatutorum tranſgreſſores manifeſti; qvorum etiam aliqvi fures fuerunt & fugitivi. Ipſi autem Monachi, qvi qvamvis Abbate carerent, ſub Prioris regimine Deo qvoqvomodo militabant, ad aſylum appellationis ad Pontificem ſummum convolarunt, indignum enim & rationi diſſonum, ut cujus vel duorum vel paucorum culpa in totam univerſitatem redundet. Pendente igitur appellatione, non eſt auſus Archiepiſcopus amplius eos impetere, vel aliqvid innovare. Revocatis igitur aliqvibus prudenter poſſeſſionibus, nec non & collecta pecunia, Prior Romanum curiam adiit, & ecce Abbas appoſtata cum ſuo complice ibidem paulo ante fuerat, & confectis chartis & ſignatis furtivo ſigillo, domum memoratam qvingentis circiter marcis obligarat. Redit ergo domum Prior triſtis & confuſus, & anteqvam domum veniret, nunciatum eſt ei, qvod ille miſer Abbas obierat in cænobio, videlicet Sancti Albani in Selio, qvod eſt in Noruvegia, & cum certificarentur ſuper his Prior & conventus, elegerunt ſibi Abbatem. Et adhuc remiſſo ipſo Priore cum uno Monacho comite, & cum pecunia trecentarum marcarum, & cum literis Domini Regis, fratri Mathæo de Pariſiis, ut ipſe liberationi eorum diligenter intenderet directius, feliciter procuratum eſt, qvod pro parte tantum liberaretur Domus memorata. Et cum jam optentis omnibus ſcriptis & inſtrumentis, qvibus obbligabatur conventus de Holm contra Caurſinos, Londini tunc exiſtentes, penitus infra annum rediit, cum omni proſperitate liberatus. Veruntamen licet in temporalibus reſpiraſſent, in Spiritualibus tamen adhuc langvebant, militati, vix latitantes obtentis induciis & promuneribus multiplicatis brevi dilatione, ne Archiepiſcopus totam inſulam, qvæ dicti monaſterii fuerat poſſeſſio, & ipſum monaſterium, qvod qvidem in ipſa ſi-*

tum

tum fuerat, cum omnibus pertinentiis in se susciperet, aufugatis Monachis, qvi qvidem, ut ait, solo nomine monachi extiterant; contigit autem, ut tunc temporis, sicut prædictum est, venit Episcopus Sabinensis, Romanæ sedis Cardinalis legatus in Norvegiam: ad qvem statim dicti monachi, nimis oppressi a suo Archiepiscopo, ut de tribulatione susciperent consolationem, convolarunt: quibus ipse. Filii, Monachorum statuta & observantias & regulam S. Benedicti penitus ignoro. Consulo autem vobis in bona fide, ut Romanam curiam adeatis, supplicetisqve Domino Papæ, ut vobis provideat ordinis vestri reformatorem & idoneum instructorem, & ego pro vobis scribam eidem affectuose, ut super hoc vos exaudiat benigne. Nec capit hoc negotium delationem, instat enim protervius Archiepiscopus vester, ut vos propter vestram expellat ignorantiam. Adiit igitur Abbas pro hac causa curiam, suo comitante Priore; & cum suum Domino Papæ desiderium plenius intimasset, ostendentes literas Domini Regis & legati super hoc petitorias, respondit eis Dominus Papa. Filii, si ignari estis eorum, qvæ scire tenemini, elegite cum deliberatione vobis informatorem, de qvacunqve regione & domo & persona mavultis, & fiet vobis qvod petitis. Et erudimini, ne vester prævaleat in vos adversarius. Ipsi igitur in crastino habita deligenti consideratione simul cum aliis discretis viris, Domino Papæ responderunt: Domine, experientia novimus edocti, qvod non sunt adeo compositi monachi nostri Ordinis per totam, ut credimus, mundi latitudinem sicut in Anglia, nec est, ut fama referente novimus, tam ordinata domus in regno Angliæ, sicuti domus S. Albani Anglorum prothomartyris. Petimus igitur de domo illa qvendam monachum, Mathæum nomine, nobis reformatorem & instructorem; cujus prudentiam experti sumus & fidelitatem. Præterea familiarissimus Regi nostro & amicissimus, poteritqve per ipsum rebelles si qvos justificando, si necesse viderit, edomare. Cumqve responsio Domino Papæ satis placuisset, meruerunt Monachi tale autenticum ad Dominum Abbatem S. Albani præsentandum reportare.

Innocentius &c. Dilecto filio Abbati S. Albani, in Anglia ordinis S. Benedicti &c. cum sicut ex parte dilecti filii Abbatis monasterii de Holm, S Benedicti Nestorsiensis diæcesis, fuit propositum coram nobis, idem monasterium, propter prædecessorum suorum negligentias, sic in his, qvæ ad monasticum ordinem pertinent, deformatum: nec inveniatur in illis partibus aliqvis, qvi statute & observantias ejusdem ordinis benè sciat, nos ad supplicationem ejusdem Abbatis discretionem tuam rogamus attentius & hortamur, per Apostolica tibi scripta mandantes, qvatenus dilectum filium, fratrem Matthæum, Monachum tuum, qui dicitur probatæ vitæ ac religionis expertæ, ad idem monasterium, ut dictum Abbatem & monachos suos in regularibus disciplinis & statutis, qvæ ad eundem ordinem pertinent, informet & instruat, transmittere pro Divina & Apostolicæ sedis ac nostra reverentia non postponas. Datum Lugduni &c. Abbate igitur Sancti Albani Domino Papæ, ut justum erat, obtemperante & memoratô monacho Abbati suo obediente, factum est negotium prosperatum & consummatum, ita ut Abbas de Holm in Noruvegia in pace ac prosperitate perseveraret, & ordo monasticus per Dei gratiam, qvi discrimini patebat, cum aliis ibidem cænobiis in illa regione feliciter respiraret.

CAP. XXXVIII.

LEGATI EX SVECIA REDUCES COMITIS BYRGERIS RESPONSA NUNCIANT. ALEXANDER SCOTIÆ REX HÆBUDAS OPPUGNATURUS EXERCITUM COLLIGIT. EJUS SOMNIUM ET MORS.

HAnc hyemem, anni Chr. MCCXLIX., regni verò ſui trigeſimam ſecundam, Rex in Vika exegit. Reverſi tunc è Svecia legati ejus Einar & Olafus retulerunt, humaniter ſe à Comite Birgere exceptos; qvi gratam ſibi amicitiam Regis teſtatus, ſvadet, ut proximâ æſtate iterum ad Gautelfã convenirent, pacemqve & firmam inter duo hæc regna amicitiam ſancirent. Suggeſſerunt interea Comiti, juxta mandata, qvæ à Rege habuerunt, legati, firmandæ amicitiæ vinculum: nihil fortius fore, qvàm ſi filia ejus Rikiza Regi Haconi Juniori deſponderetur. Grata hæc conditio Comitis leniorem eum deinde in omnibus, de qvibus deinceps ageretur, reddidit, inqve futurum conventum iſtius qvoq; negotii tractationem diſtulit. Hôc demum annô certîs indiciis cognitum, Regem Manniæ Haraldum & Ceciliam Regis Haconis filiam in itinere cum navi periîſſe. Igitur Rex Hacon Bergas nuncios ad Regem Jonem miſit, cum mandatîs, ut abſq; mora in Hæbudas ſeſe conferret, regniq; curam gereret; donec plures eò Principes mitterentur: qvod illicò ab Jone factum legitur.

Eodem annô Alexander, miſſis, ut priùs, legatîs, redemtionem inſularũ urgebat: ſed interea fraude, Regio nomine indignâ, exercitum totâ Scotiâ collegit, bellô eas extorturus: jactans apud ſuos, ſe non deſtiturum, priusqvam vexilla ſua in oriente, ſuper Thurſaſter (id eſt *gigantum ſcopulos*) extendendo, univerſas ſibi imperii Norvegici partes, qvæ mare Solundenſe ab occidente ſpectant, ſubjeciſſet. (Mare Solundenſe à Stadîs incipit, ab adjacentibus inſulîs nomen ſortitum. Hialtlandiam ergò & Orcades ſimul erepturus fuiſſe videtur.) Miſſo præterea ad Jonem Hæbudarũ Regem legatô, eum ad ſe accerſivit; qvatuor Scotiæ Comitibus pro Rege fidem interponentibus, aditum ad Regem haud ei fraudi futurum, etiam ſi contractus inter ipſos non procederet. Arcis autem Biarnarburgi, triumqve aliarum, qvas in fidem Jonis Rex Hacon tradiderat, deditionem Alexander poſtulabat; pollicitus qvadruplô majus territorium in Scotia ſe ei redditurum, inqve fidelium numero amicorum habiturum. Eam conditionem ut acciperet, amici propinqviqve Jonis omnes ſvadebant. Is autem negabat, ſe datam Haconi obſtrictamq; ſacramentô fidem deditione provinciarum ejus violaturum. Itaqve ſtatim diſcedens Liodhuſam rediit.

Regi Alexandro in ſinu Kialarſunda ſtativa habenti, viſio talis per qvietem oblata eſt. Tres viri illum accedere viſi, primus Regiâ veſte indutus, ſtaturâ craſſus, facie rubrâ, limîs eum oculîs truciq; vultu aſpexit; alter junior, formæ perqvam eximiæ, pretioſâqve veſte ornatus; tertius cœterîs procerior, ſed vehemens, Regem iracundè interrogavit, *num Hebudas petere decreviſſet?* affirmanti, *ſe eas petiturum, & ſibi ſubjecturum*, reſpondit: *Domum redi; id enim tibi utiliſſimum.* Hoc Regi ſomnium ſuis exponen-

ponenti, ſvaſores exſtiterunt multi, ut domum rediret; qvorum ſpretô conſiliô, ſtatim in morbum incidit, fatôqve functus eſt. Duces omiſsâ expeditione domum reverſi, filium ejus Alexandrum Tertium in ſolium patris repoſuerunt; cui filia Regis Anglorum Henrici Tertii uxor data. Hæbudenſes tres viros, qvi ei apparuerunt, ità interpretati ſunt; primum Sanctum Olafum Norvegiæ Regem; ſecundum S. Magnum Orcadum Ducem, tertium S. Columbum nominantes. *Chronicon Manniæ* Alexandrum in expeditione in inſula Kerwarag mortuum tradit. Aliter autem hæc *Matth. Pariſienſis* refert. *Sub ejuſdem anni circulo*, inqvit, *qvinto Nonas Julii, obiit Alexander Rex Scotorum, vir ſapiens & modeſtus, qui cùm multis annis regnâſſet, videlicet juſtè, feliciter, & in pace, ultimis diebus ſuis, avaritiâ ſtimulante, à tramite juſtitiæ dicitur exorbitaſſe; iram enim voluntariam, qværens ſæviendi occaſionem, exacuit in qvendam de NobilioribusRegni ſui, nomine Genum de Argethel, militem ſtrenuum & elegantisſimum. Et dum proponeret ipſum exheredare, impoſuit ei notam proditionis, qvia anno proximo præterito homagium fecerat Regi Norvegiæ, pro tenemento ejuſdem inſulæ, qvam pater ejusdem Geni ab eodem Rege tenuerat, & pro homagio ſua in pace multis annis poſſederat. Inſula illa inter Orcadem & Scotiam ſita eſt. Genus igitur timens Regis minas Scotorũ Domini ſui, ſignificavit ei, qvod tam Scotorum qvàm Norvegenſium Regi debitum ſervitium perſolveret integrè. Sed cum Rex Scotorum iratus reſpondiſſet, qvod nemo poſſet duobus Dominis ſervire, & reſponſum reacciperet, qvod imo benè poſſet qvis Duobus Dominis famulari, dum modo non eſſent Domini ſibi adverſantes, paravit Rex exercitum, ut ipſum hoſtiliter invaderet. Genus igitur nolens offendere Dominum Regem Scotiæ, ſuplicavit ei, ut concederentur ei induciæ, ut homagium ſuum ſimul cum inſula memorata Regi Noruvegiæ reſignavit. Qvod cum Rex Scotorum ei denegâſſet, patuit Regis protervitas, unde offenſam incurrit Dei & Sancti Columkille, qvæ in partibus illis jacet & honoratur, & multorum nobilium. Rex igitur ipſum Genum uſqve prope Argethel diffiduciatum navigando hoſtiliter inſeqvebatur, ſtimulatus, ut dicitur, importunis inſtigationibus cujuſdam minus diſcreti Epiſcopi de Strathuna, fratris videlicet de ordine Prædicatorum. Rex igitur anteqvam exiens de nave eqvum valeret aſcendere, qvaſi ultione, morbo ſubito & letali percuſſus eſt, & volens innocentem exhæredare, inter manus magnatum ſuorum ex improviso cum ipſa ambitione vitæ ſpiritum exhalavit.*

CAP. XXXIX.

REX HACON OBVIAM SVECIS PROFICISCITUR; INTER EUM ET COMITEM BIRGEREM NUNCII ET CONVENTUS. EIRICI SVECIÆ REGIS MORS. CONTENTIO DE REGNI HÆREDE. DUX ABEL FRATREM EIRICUM DANIÆ REGEM INTERFICIT. INTER IMPERATOREM ET REGEM HACONEM INSIGNIS AMICITIA. IMPERATORIS OBITUS, ET SECUTUM INTERREGNUM.

VEre proximò Rex Osleyâ ad excipiendos Svecos, uti convenerat, profectus, inter numeroſam magnarum navium claſſem ipſe Olafsſudam, Hacon Junior Draconem, qvibus veherentur, delegerunt. In comitatu Regis Dominus Philippus Laurentii filius fuiſſe traditur. Qvinam is fuerit, neſcio; niſi qvòd Regis Haconis propinqvus, ab Eirico Sveciæ Rege

& Comite Birgere proscriptus Annalibus nostris memoretur. Tardâ tum primò navigatione, sed magnâ pompâ, adverso amne Gautelfa remigatū. Omnibus tamen velis expansis, classis jucundum spectaculum præbuit; id qvod duobus versibus eleganter, pariq; verborum pompâ & delectu, Sturla descripsit; neqve id sine causa factum: numerô enim navium apparatuqve & comitatûs freqventiâ territi Sveci, fraudemqve subesse rati, illuc, unde venerant, sese receperunt. Comes autem Birger Liodhusæ mansit. Rex Elfam ingressus, cognitô Svecorum metu, eôdem qvoqve perculsum Comitem accipit. Mox per legatum ejus, nomine Matthæum, qvi postea offensam ejus incurrit, Rex salutatur: expostulatqve ille Comitis nomine de armata expeditione ad conventum pacificum, amicitiæ saltem sanciendorumqve fæderum causa institutum; haut immeritò igitur apparatum talem, Regi Comitiqve suspectum, congressum prohibuisse. Nec plura locutus subitò discessit. Rex, convocatis amicis, qværit, qvid potissimum expediat? omnes enim tam subitum legati abitum mirabantur. Gunnar Regis propinqvus satrapiam ad Gautelfam rexit, cui magna cum Comite amicitia interedebat. Is suggessit, Comitem statim haud dubiè, si per legatos sollicitaretur, rediturum. Ipse itaq; & Thorlaugus Bosius isti negotio expediundo adhibentur, moniti, ne longius collogvium cum Comite qvam Matthæus cum Rege habuisset, sererent. (*Editio Danica* Regem monuisse, ne tam subitò atqve Mathæus discederent, sed minore verisimilitudine, tradit.) Profecti in Gothiam difficilem Comitem invenerunt, magnitudinem, ut prius, comitatus Regii accusantem. Gunnar autem negabat dolo hoc factum, sed consvetudinis esse Regiæ, multis magnisqve navibus apparatuqve spectatissimo proficisci. Cumq; mollioribus verbis eum ad conventum denuò reducere tentaret, responsum accepit, id fieri non posse, cum Rex Eiricus in Ostro-Gothiam jamdum abiisset. Guunnar verò, ex confessione omnium summam imperii penes Comitem esse, eum qvippe simul & Regis & Comitis vicem gerere, respondit. Erat enim Rex Eiricus impeditæ lingvæ, verborumqve parcus, adeoq; aliorum ministerio in publicis cætibus & conventibus semper uti consvevit. Comes se Liodhusam rediturum pollicebatur, ibiqve in diem Dominicam, qvæ proximam subseqveretur, mansurum: erat autem dies Saturni, cum hæc inter eos agerentur. His dimissi ad Regem legati redeunt. (Editio Danica tradit, Comitem se qvidem Liodhusam rediturum promisisse; postulâsse autem, ut Gunnar eòdem præcedens suum ibi adventum in dictam Dominicam diem exspectaret, Gullinskinna verò, ut ibi se Rex opperiretur, petiisse tradit.) Apparatum itineris Regii versu unico, ut & hoc memorem, Sturla descripsit: cujus hic in idiomate Latino est sensus: *Formidolosa Gothis erat multitudo navium peregrinarum, veritis, ne in vim verteret, si pax inter Principes non conveniret.*

Ad Ripam asellorum (Porsta backa) qvæ e regione urbis occidentem versus protenditur, classem Rex appulit, adventumq; hic Comitis in oppositam ripam exspectabat. Inde per internuncios de nuptiis cæterisqve negotiis actum. Tandem obsidibus ultro citroqve missis ipsi convenerunt, eâ lege, ut Comes amnem transgressus Regem prior accederet. Ibi mutuis colloqviis compositæ lites omnes, firmaqve pax & fædera inter Regna Regesqve inita, cautumq; ut neuter alterius hostes ullâ ope instrueret. Desponsa tum etiam Regi Haconi juniori Rikza, filia Comitis; nuptiarum tamen die in oportunius tempus dilato. Inde amicissimis utriqve animis discessum, Comesq; in Sveciam, Rex Kongahellam reversus est: qvi de autumno rursus Tunsbergam, inde Bergas, concedens, apparatum ibi hybernum

instru-

instruxit. Eodem autumno Episcopus Henricus ex Islandia adveniens retulit Thordum Kakalium negotia Regis haud optima fide obire, pluribus eum ad Regem criminatus: qvibus Rex motus Thordum ex Islandia ad causam dicendam revocat; Henricum autem perbenigne exceptum Bergis secum hac hyeme, qvæ Regni sui tertia supra trigesimam, Christi verò MCCL. fuit, retinuit.

Seqventis anni vere nunciata ê Svecia mors Eirici Regis curam multis injecit, exspectantibus, qvisnam successione proximus foret; plurimi enim Comitis Birgeris filium designabant, nempe Eirici Regis, ultimi regni possessoris, ex sorore, eaqve sola & ex asse hærede, filium. Philippus qvoqꝫ Regis Knuti Langii filius jure sibi potior videbatur, qvòd pater suus unà cum Rege Eirico (Knuti filio habet *Codex Flat:*, sed perperam, credo, nec *Editio Dan:* Eiricum illum Knuti filium, sed abqve patris nomine Eiricum vocat; *Gullinskinna* duumviratum illum vel synchronismum omittit) regno præfuisset. Sed & Magnus Brokius spes suas publicè declarabat; nepos qvippe ex filia Knuti, Regis Eirici filii, qvi per longum tempus in Svecia regnaverat. Verùm authoritate Comitis Birgeris, penes qvem summum erat regimen, plurimorum suffragiis filius ejus Valdemar Rex factus est, indignantibus Principibus, qvi par sibi vel majus jus ad regnum vindicabant. Hac æstate magna rerum in Dania mutatio facta est parricidiô Ducis Abelis, qvi Regem suum Eiricum, eundemqve fratrē, qvintô Idûs Augusti, vesperâ scil: D. Laurentio sacrâ, percussorum manu interimi, seqve Regem in ejus locum suffici curavit. Rex Hacon eodem autumnô in Thrandiam profectus commeatum hybernum apparavit. Ubi cùm versaretur, ecce ex Islandia iterum Episcopus Sigurdus & Thordus Kakalius ad ipsum pervenerunt. Multi autem tum Islandorum in Thrandia morabantur, Episcopus nimirum Henricus, Gissur Thorvaldius, Thorgils Skardius, Jon Sturlæus, Finnbogius Helgii filius, ut & Sæmundi filii, Philippus & Haraldus: qvorum singuli magnâ contentione remeandi in patriā oportunitatem exspectabant. Episcopus verò maximè adhuc contendebat, ut Gissur in Islandiā mitteretur, omnia, qvæcunqve à Thordo hactenus ibidem acta essent, nullius momenti dictitans; suis enim commodis eum, non item Regis, intentum esse: id qvod facilè tum fidem meruit.

Cæterùm inter Regem Haconem & Imperatorem Fridericum cæpta jamdudum amicitia freqventibus legationibus muneribusqꝫ ultrò citroqve missis renovata, in singulos annos augebatur. Cùm interea Norvegos inter & Lubecenses orta ex latrociniis superiùs memoratis hostilitas nondum exstincta esset. Erat autem Lubeca Cæsaris imperio subdita. Ad hunc igitur Rex de illorum in Nordmannos injuriis literîs sæpiùs erat qvestus. Hoc autem annô, qvô Sanctus Eiricus Daniæ Rex occisus, literæ Cæsaris acceptæ sunt, qvæ securitati Norvegorum, imperato Lubecensibus pacifico cum iis commerciô, cavebant; iisdem qvoqꝫ Imperator haud obscurè significavit, *majori se honore Haconem, quàm ullum alium septentrionalium Principum, ornaturum; quippe Lubecam brevì in ejus potestatem* (clientelam habet *Editio Danica*) *traditurum, plenum in eam regiminis jus literis sigilloque ad ipsum transferendo, si id à se expetere velit.* His literîs acceptis, Rex legatos ad Cæsarem ad hoc expediendum negotium mittit; Lubecam qvoqꝫ Biarnius Moysis filius ad pacem cum civibus constituendam legatur; ad Imperatorem verò Dominus Aschatinus & Amundus Haraldi filius, qvi initiô hyemis Bergîs in Daniā provecti; decimô inde tertio die

Vene-

Venetias appulerunt. Ibi cùm cognovissent, Imperatorem in Apulia circa festum Natalitiorum scil: XXVI. Decembris, è vivis excessisse, converso itinere in Sveviã ad filium ejus Conradum pergunt; sed in itinere intercepti in carcerem inclusi sunt. Tandem veró à Conrado redemti, ab eodem honorificè qvidem excipiuntur; nihil tamen præcipuum, aut qvalia sibi à Friderico, si superfuisset, polliceri potuissent, impetrant. De hoc Imperatore Author noster, qvi interregni tempore vixit, ita scribit: *Verè hoc circumfertur, Fridericum Imperatorem posterioribus seculis unum ex præstantissimis fuisse. Regnavit annos triginta novem* (annos enim non à tempore coronationis, sed electionis post iterum excom̃unicatum Ottonem Imperatorem computat) *Post ejus obitum vacavit imperium, itá ut nemo hactenus suffectus sit, quoad hic liber conscriptus est, duobus videlicet annis elapsis ab imperio Magni Haconis filii, postquam Rex Hacon in occidentem expeditionem fecit* (Anno itaqve 1265. Sturla Thordi filius historiam hanc conscripsit) *Deinde Dominus Aschatinus in Norvegiam ad Regem Bergis tunc morantem, circa festum Johannis Baptistæ anno sequente rediit. Rex mortem Cæsaris magno mærore prosecutus est. Biarnius quoque Moysis filius, pace cum Lubecensibus factâ, dextrèque confecto negotiô, rediit. Exinde Lubecenses constanter amicitiam Regis coluerunt.* Hoc eôdem anno Absalon Petri Germanos privilegia com̃erciorum cum Norvegis freqventandorum omnium primum à Rege Hacone impetrâsse, testatur.

CAP. XL.

LEGATI INTER REGEM HACONEM ET ABELEM DANIÆ REGEM MISSI. RUSSI DE INJURIIS FINNORUM APUD HACONEM QVERUNTUR. FOLKUNGI A REGE HACONE AUXILIUM ADVERSUS BIRGIREM PETUNT. ABEL REX HACONEM CONVENTU SUO FRUSTRATUR. REGIS HACONIS IUNIORIS CUM RIKIZA NUPTIÆ. BYRGER FOLGUNGOS PERFIDE INTERIMIT.

HAc ipsâ hyeme dicitur ex Svecia advenisse Dominus Knutus, qvi Magni Brokii filius Regisq; propinqvus erat, totamq; apud Regem hyemem cum universo satellitum numero exegisse. Hunc Rex cum Archiepiscopo Comiteqve Knuto, Episcopis item cæteris, Canonicis & optimatibus regni ac nobilibus, convivio Natalitiorum adhibuit; ipseqve octavo festi die coronâ Regiâ insignis conspiciebatur. Eo forte respexit *Matthæus Parisiensis*, cum ad hunc ipsum annum hæc verba apposuit: *Rex Norvegiæ Haco in regem unctus coronatur.* Antea enim Coronationem ejus perscripserat. Neqve enim Coronam hic Cæsaream intelligendam existimaverim: qvamvis ad hunc eandem annum idem auctor, gravissimus eorum temporum testis, tradat voluisse Papam in locum Friderici Cæsaris Regem Norvegiæ Haconem surrogare. Qvæ verò an cum anno præsenti consiliari possint, non satis definio: siqvidem ipse author postea id demum post susceptum relictumq; rursus â Gvilielmo Hollandiæ Comitè imperium, aliorumqve invitationes; accidisse memoret; Gvilielmi autem mortem ad annum 1256. *Calvisius* referat. Digna sunt authoris verba, etiamsi

amſi paulo longiora, qvàm hic inſerantur. Poſtqvam enim mortem Friderici Imperatoris & Conradi ejus filii, contentionemq; de imperio expoſuisſet, his ulterius rem verbis perſeqvitur. *Cæperunt igitur filii & amici Friderici roborari, & roborati contra Dominum Papam calcaneum levare, & ſic amputato unò capite inſtar hydræ, quam Hercules occidiſſe dicitur, multa capita ſuccreverunt. Erat autem Conradus, quia filius fuit filiæ Regis Hieruſalem Johannis, militis invictisſimi, & ipſe Conradus miles ſtrenuisſimus, omnibus de imperio amabilis & formidabilis. Et Henricus frater ejus, quia filius fuit Imperatricis Iſabellæ, quæ omnibus exſtitit amabilis, & nepos Chriſtianisſimi Regis Angliæ, inſuper puer elegantisſimus, univerſis Imperialibus gratus exſtitit & gratioſus. Papa vero tum propter ſui tum propter generis aviditatem omnibus Imperialibus exſtitit odioſus. Unde ecclesia multiplicatis perſecutoribus non mediocriter periclitabatur, damna multiformia tolerando. Eratque præteritorum infortuniorum recordatio qvaſi ſpina in oculo omnibus Papæ conſentientibus. Henricus enim Raſpe Landegruvius Duringiæ, quem Papa propoſuerat in Imperatorem ſublimare, & pro cujus promotione infinitam effuderat pecuniam, periit in mortem ignominioſam præcipitatus. Poſt mortem cujus in loco ejusdem Henricus electus eſt Comes Gelrenſis, ſed mortem probroſam prioris conſiderans recuſavit hic ſublimari. Poſt hunc Dux Brabantiæ, qui & Lotharingiæ; ſed & ipſe penitus refutavit. Poſt hunc vero Comes Richardus, quia vafer & abundans numiſmate, & quia frater Regis Angliæ, renuit, quia ambigua ſunt Martis pericula, & præcipue contradixit. Poſt quem elegit dominus Papa Wilhelmum Hollandiæ Comitem. Qvi temere conſenſit, & jam omnibus amisſis ad ſuam terram, & non jam ſuam, quia fratri ſuo eam donaverat, repulſus eſt, unde muſcipulas & promisſiones papales deteſtans mendicare cogebatur. Poſt hos autem omnes voluit dominus Papa loco Friderici Haconem regem Norvegiæ in culmen imperii ſubrogare, unde ut aptiorem & favorabiliorem ad hoc ipſum haberet, ipſum in Regem fecit conſecratum coronari. Sed poſtquam coronatus fuit, proteſtatus eſt palam, ſe ſemper velle Eccleſiæ inimicos, ſed non omnes Papæ inimicos, impugnare. Et hoc idem proteſtatus eſt idem rex mihi ipſi Matthæo, qui & hæc ſcripſi, ſub magni juramenti atteſtatione: unde eccleſiæ pericula quotidie proruperunt.*

Præpoſteram ergo hic narrationem agnoscimus; nunqvam enim Imperii Romani coronâ Haconem exornatum legimus, nec has extra Romam ceremonias celebrari mos erat, ipſe qvoqve author regalem hic, non verò imperialem, memorat. Vivo igitur Cæſare Friderico, nimirum poſtqvam illum Innocentius Qvartus Anno 1249 depoſuisſet, Henricumqve Landgravium ad conſcendendum id faſtigium invitaſſet, crucem adverſus imperatorem cev Eccleſiæ apertum hoſtem prædicando, cælumqve his promittendo, qvi adverſus eum arma ferrent, ſollicitatis ad id legationibus univerſi orbis Chriſtiani principibus, hæc facta exiſtimo; non autem demum poſt exceſſum Comitis Hollandiæ Wilhelmi. Qvæ ſic omnia cum anno 1247, qvo Rex Hacon coronatus eſt, facile conveniunt.

Hyems vero iſta regiminis Haconis qvarta ſupra trigeſimam fuit. Qvâ durante, legati inter Abelem Daniæ Regem & Haconem ultrò citroqve commeabant. Ab Hacone qvidem Biarnius Moyſis filius cum literis misſus; & alii viciſſim ab Abele, per qvos conventus Regum ad limites regnorum de controverſiis componendis conſtitutus eſt. Hac eadem hyeme, qvâ Nidaroſiæ reſidebat Rex, legati Regis Holmgardi, ſev Ruſſiæ, Alexandri, qvorum principem Eqvitem qvendam Michaëlem Annales nominant, acceſſerunt, de contentionibus præfectorum Regis Finnmarken-

 ſium

ſium cum Kyrialis, ſive Carelis, qvi Ruſſiæ Regis tributarii erant, qveſti. Hi enim mutuis ſe invicem cædibus latrociniisqve infeſtabant, id verò qva componi optimè ratione poſſet, in concilio diſputatum. Habuerunt etiam in mandatis, ut conſiderarent formam Chriſtinæ, Regis Haconis filiæ, qvam Rex Rusſiæ filio ſuo uxorem deſtinaverat. Rex verno tempore ſuos unà cum Ruſſicis illis legatos Holmgardum mittit; præfectiq; legationi iſti Vigleikus presbyteri filius & Borgar, qvi Bergas primum, inde in orientem itinere inſtituto, tandem per æſtatem Holmgardum pervenerunt. Ibi tum novâ pace, redactis in concordiam provinciis, cautum ne Kyriali Finnis, nec hi illis, in poſterum nocerent; qvod tamen haut diu duravit. Cæterum eâ tempeſtate Ruſſi ab incurſantibus Tartaris admodum infeſtabantur: id verò obſtabat, qvominus pacta illa de nuptiis convenirent. Legati, peractis negotiis, honorificè dimiſſi, munera perqvam magnifica a Ruſſiæ Rege, per hyemem in Vikam reduces, Regi ſuo retulerunt. Seqventi æſtate Rex ê Thrandiâ Bergas navigavit, Domino Knuto Magni Brokii filio comitante. Uterqve tum Philippus ê Vika Regem adiiſſe legitur; alter qvidem nepos Comitis Philippi, qvi ad Osleiam cæſus eſt; alter Knuti Langii filius, ſuppetias qvisqve ad regnum, qvod jure vindicarent ſibi, recuperandum flagitantes. Rex verò, memor icti cum Comite Byrgere fœderis, qvo cautum erat, ne alter alterius hoſtes auxiliis inſtrueret, utriq; repulſam dedit. In Vandaliam itaqve profecti illi, copias contraxerunt, ingentiq; coactâ Germanorum Vandalorumqve multitudine Sveciam ingreſſi, Comitem Birgerem armis adoriuntur.

Interea veró Sæmundi Oddenſis filii integro duarum hyemum tempore cum Rege verſabantur, magna eqvidem in gratia: qvi Regi provincias in Islandia hæreditarias perpetuo jure tranſcripſerunt. Hoc autem anno, redditis iterum provinciis, dimiſſi, promiſſisq; Regiis in majorum ſpem honorum erecti, in patriam navigarunt. In hoc itinere diuturnis hinc inde tempeſtatibus agitati, ipſa Dominica die, qvæ feſtum Sancti Michaelis præceſſit, tractum Myrdalum prætervecti ſunt, ubi increbreſcente vento, colliſa nave in oriolam, deſcenderunt; qvatuor verò alii in puppim navis ſe receperunt: qvibus decem & tres dies in tabula qvadam naufragâ circumactis per undas, præter parum butyri, nihil alimentorum erat, qvô illitum rudentem pelliceum Roſmarinum in eſcam verterunt. Tandem a piſcatoribus inventi in inſulas Veſtmanneyas deferebantur. Referebant hi Philippum Sæmundi filium, ter in carinam ſcaphæ enixum, poſtea cum reliqvis abſorptum periiſſe.

Poſt longam in aula Regia conſultationem conventusqve de rebus Islandicis habitos, placuit tandem Epiſcopum Henricum eoqve annitente Giſſurem & Torgilſem Skardium in Islandiam mitti, iisqve provinciis præfici, qvæ deditione jamdudum in Regis poteſtatem conceſſerant, addito mandatô, ut reliqvos qvoqve Regi acqvirerent. Hi unà cum Sæmundi filiis, ſed aliâ nave, profecti ſunt; at eâdem qvâ illi tempeſtate adverſa obruti, Norvegiæq; litoribus appulſi, naufragium eodem anno fecerunt, inqve Thrandia hyemare coacti ſunt. Epiſcopus qvoqve Sigvardus & Thordus Kakalius Jonq; Sturlæ filius in Norvegia per hoc tempus remanebant. Interim Rex Hacon ſuperiore autumno in Vikam profectus ad fines regnorum Regi Danorum Abeli, ut per multos internuncios convenerat, occurſurus. Actum qvoqve erat de jungenda inter Reges affinitate, natam Abelis cum Domino Magno filio Regis Haconis matrimonio jungendo. Ad Gautelſam cum ventum eſſet, nec ipſe Abel, nec qvisqvam

qvam ejus vice comparebat; ulterius igitur profectus Rex clasſem in Maſtraſundam usqve direxit, ibiq; poſt paullô longiorem moram, per mercatorias naves, qvarum ê Vandalia atq; aliunde freqvens huc erat transcurſus, cognoſcit, fruſtra Abelem exſpectari; nondum qvippe iter ingresſum; ipſe igitur Osleiam repetit, hybernaq; aulæ alimenta apparari curat.* Interea temporis in Svecia inter Duces prædictos Comitemqve Byrgerem omnia ad bellum ſpectabant, infeſtisqve utraq; pars exercitibus invicem ſibi occurrebant. Hæc impedimento erant, qvo minus Comes Birger ad conſtitutum nuptiis filiæ cum Rege Hacone Juniore diem ipſe proficiſci poſſet; igitur cum comitatu perqvam ſplendido filiam ſuam Rikizam in Norvegiam miſit: qvam qvidem Epiſcopi duo, Laurentius de Skaris & Magnus de Svecia, Dominus qvoq; Carolus, ſev Karl, Comitis Ulfi filius, multiqve alii præcipuæ inter Sveones nobilitatis, deducebant. Ingens opulentiæ ſplendor Principumqve magnificentia in hac pompâ apparuit. Osleiæ â Rege amplisſimis honorum officiis excepti ſunt. Extat Sturlæ verſus, ingreſſum hunc pari verborum pompâ deſcribens. Nuptiarum ſolennia numero & nobilitate convivarum ex provinciis undiq; adventantium, rerumqve omnium apparatu, conſpicua erant, qveis finitis, donis ingentibus dimiſſi Sveci domum regreſſi ſunt. Cum verò illi in Norvegia morabantur, bellum in Svecia fervebat: ad pontem enim Hervadenſem Comes Byrgir & Folkungi, Knutus Magni Broki filius & Philippus uterq;, diverſis caſtra ripis poſuerunt. Et Birger qvidem incerta belli timens, ſive validas adverſariorum factiones arte qvàm armis promptius opprimi poſſi ratus, ſive aliâ ex cauſâ, animum ad dolos adjecit. Ad colloqvium igitur primum ſpe pacis Folkungos invitat, qvi fraudem ſuſpicati tum qvidem venire detrectabant: ut ergo ſincere agere videretur, Kolonum (qvidam Karolum nuncupant) Lyncopenſem Epiſcopum, ut de fide publica eos jurejurando ſecuros redderet, permovit. Hac religione inducti Folkungi in caſtra Birgeris veniunt, ejusqve fidei ſe permittunt. Vix pontem Hervadenſem in caſtra ferentem tranſierant, cum repentè ab immiſſis percuſſoribus trucidantur, teſte in Annalibus Loccenio. Multi etiam Germanorum cum iis occiſi, Sveonum autem maximæ parti parcitum. Hoc Comitis factum diverſam pro varietate ingeniorum cenſuram interpretationemqve ſuſtinuit.

* *Hic diſinit Gullinskinna.*

CAP. XLI.
SIGURDI ARCHIEPISCOPI EXCESSUS. EXPEDITIONIS IN DANIAM APPARATUS, ET AD CASTILIÆ REGEM LEGATIO, DESCRIBUNTUR.

POſt peractas Regis Haconis Junioris nuptias hyemem Rex Osleiæ totam peregit; qvæ regni ſui XXXV. erat. Hoc verò anno Epiſcopus Hamarenſis Paulus vivis exceſſiſſe legitur. Etiam Qvadrageſimæ tempore II. Nonarum Martii, Archiepiſcopus Sigurdus Nidaroſiæ obiit; electusq; in ejus locum eſt Sörlius Canonicus Hamarenſis, qvi ſeqvente æſtate Romam, ad Innocentium Pontificem, profectus duos ibi Epiſcopos, Hama

marenſem nimirum Petrum, ordinis Prædicatorum, & Hæbudarum Richardum, conſecravit. Editio Danica hæc ad annum ſeqventem refert, nec Romæ ab eo Epiſcopos memoratos, ſed poſtqvam in Norvegiam rediiſſet, demum inauguratos vult. Proximo vere Rex iterum ad Gautelfam excesſit, Comitiq; Birgeri, qvi illuc qvoqve venerat, de inconſtantia Regis Abelis qveſtus eſt, utpote qvi pactum conſtitutumq; conventûs diem animi qvadam levitate, an nocendi in poſterum propoſito, minus obiiſſet. Huic verò iterum Comes qverebatur, Danos latrociniis ſuis & cædibus multis ſubinde damnis Svecos affeciſſe, maximè autem qvod Folkungos in ipſos armaverint. Uterqve igitur offenſis Danorum irritati junctis eos viribus invadere decreverunt. Utq; Norvegi mari, terrâ Sveones, qvinqve millibus armatorum alterô vere ad Gautelfam convenirent, conſtitutum, inde ſimul in Daniam, ſed diverſis itineribus, irrupturi. Fretum Sundicum claſſe Haconem occupare, ad eum Comitem per Hallandiam & Scaniam ducere exercitum placuit, ibi cum utriq; conveniſſent, ſi æqvas minus conditiones Dani offerrent, denuò conſultandum eſſe. His utrinqve digreſſi, Comes Sveciam, Norvegiam Rex, eademq; æſtate Bergas, petit. Interea epiſcopus Henricus, Thorgils & Finnbiornus, Islandiam repetunt. Provinciasq; a Rege Hacone ſibi commiſſas occupant; moxq; inter Giſſurem & vicarium Thordi aperta hoſtilitas exoritur. Nec longum tempus effluxit, cum Epiſcopus mutato animo infenſisſimis Giſſuris inimicis ſejunxerit, offenſus qvod promiſſam Regi operam non exſeqveretur, eumq; hominem perfidiſſimum, eorumq;, qvæ in uſum Regis reqvirerentur, qvam fide datâ in ſe ſuſcepiſſet, negligentiſſimum, appellavit: Sed nec inter Thorgilſem & Gisſurem ſatis conveniebat. Ea ipſâ Æſtate, qva in Islandiam Gisſur proficiſcitur, Rex Hacon Thordo Kakalio præfecturam Gaulardalenſem comittit; Is autem in Islandiam miſit propinqvum ſuum Kolbeinum Gronium, qvi eò delatus plurimarum diſcordiarum auctor extitit, de qvibus plura Libr. ſeqvente dicemus. Hac qvoq; æſtate Rex Daniæ Abel Friſios bellô, inſolita eis tributa impoſiturus, adoritur: dum autem intra ſilvas congregatos abditosqve diligentius perqvirit, ſagittâ percuſſus interimitur. Suffectus in ejus locum frater Chriſtophorus Valdimari filius, ejus nominis primus. Parum qvidem hæc noſtratium traditio a Scriptoribus Danicis diſſentit, qvi caſtris ſpoliisqve relictis fugiſſe Abelem tradunt, inqve fuga ab hoſtibus trucidatum. Seqventem hyemem regni ſui triceſimam ſextam, Rex Hacon Bergis agitavit.

Igitur appetente vere Rex expeditionem adornaturus delectum militum naviumqve ſingulis provinciarum præfectis indicit, comeatum item armorumq; certum numerum præſcribit, publicè tum profesſus, ſe vim eam claſſis exercitusqve omnem in Daniam translaturum. Jamq; ingenti coactô numero in Vikam movet. Haud qvidem totâ primùm claſſe navigatum: verùm ſinguli, prout parati erant, prius poſteriusve ê portubus ſolvebant. Rex Tunsbergam advehitur, ibiqve Reginâ utrâqve Margareta & Rikiza relictis, ſinum Foldicum ſev Osleienſem tranſmittit, affluentibus paſſim ad ipſum ex Vika & Septentrione militum conſcriptorum turmis. Præcipuæ hæ navium memorantur: Olafsſuda, qva Rex ipſe vehebatur, Draco, qvâ Rex Junior: Dragsmarkam duxit Comes Knutus, Rygiabrandum Dominus Sigurdus Regis filius, Borgundarbatum Petrus de Giskio, Gunnarsbatum Augmundus Krækidans, præterq; hos Bardus de Heſtby magnæ cuidam navi præfectus erat; plures qvoq; grandiores præ-

præter haſce in expeditionem eductæ. Claſſe hac portum Hermundarlundam ingreſſâ, maximum navium exercitusqve robur diverſis ex provinciis acceſſit. Rex inde Rafnsholtum pergit. Ibi præcelſæ illa magnitudinis, qvam interNorvegarum, qvæ unqvam fuerunt, maximas habitam, Rex per Gunnarem propinqvum ſuum ædificari curaverat, ſtatione educitur, ſolenni prius oratione habitâ: inditoqve nomine Krosſſudæ, qvod interpres Danicus minus aſſecutus, curam crucis vertit, cum potius navem crucis denotet: eſt enim ſuð tabularum ſe invicem excipientium, ſeu alternatim junctarum, ſeries: qvâ cùm navium ſtructura ſemper conſtet, ipſa abeâ parte navis nomen qvoqve aſſumſit, qvæ Kroſsſuð, id eſt, *crucis navis*, appellata, ſecundô omine in portum prolapſa eſt. Rex relictis, qvi eam inſtruerent, ad claſſem rediit, navigansqve ad Ekreyam, maximâ exercitûs parte ibi remanere juſsâ, ipſe cum Rege juniore pluribusqve Satrapis navibus aliqvot levioribus Gautelfã ingreſſus, ad Lindisholmam ſtativa habuit. Ibi cognitum, Comitem Birgerem ex pacto cum Sveonum copiis in armis eſſe. Filium igitur Magnum Gautumq; de Melo ad ducendam Kroſsſudam cæteræq; claſſi jungendam mittit, qvi ſine morâ profecti, qvæ in apparatu adhuc ejusdem deſiderabantur, adjecerunt. Priùs verò qvàm Rafnsholtô ſolverent, Magnus, advocatâ in navem concione, verba feciſſe dicitur; ejusq; in iſta tam tenerâ ætate ſupra exſpectationem eloqventiam omnibus admirationi fuiſſe.

Ekreyam appulſi, dum anchoras celeriùs expediunt, ex nimiâ navis agitatione ſuccula illa, cujus beneficiô anchoralia demittuntur, igne concepto, prope erat, ut obvolutum qvoqve anchorale flam̃is involveret. Dum igitur alii in humectando velo, qvô flam̃am exſtingvere volebant: occupantur, Magnus urnam zytho plenam invergendo, ipſos præveniens feliciter ignem ſopivit. Kroſsſuda itaqve in cæteram claſſem receptâ altitudine culmen pectinati, qvo Olafsſuda tegebatur, velamenti æqvabat: in novem qvippe ulnas, ſeu cubitos, ſupra aqvam (novemdecim habet *Editio Danica*) erecta, claſſis totius naves magnitudine longè ſuperabat, qvamvìs tum portum naves adeò mole inſignes repleviſſent, ut tantas nunqvam in ſtationem unam conveniſſe memoriâ ſuâ ſenes aſſeveraverint. Fama inde ſubita claſſis Daniam qvoqve pervadens, invictam omninò eſſe cunctis perſvaſit, id ipſum Sturlâ duobus verſibus teſtante. Expeditionem hanc præterea nobiliſſimorum hominum freqventia exornabat; tres enim Reges præter ipſum Haconem aderant, Hacon nimirum Junior, Jon & Dugall, Hæbudarum Reges; Comes item Knutus, filiiq; Regis, Magnus & Sigurdus: Satràparum verò hi præcipui, Petrus de Giskio, ejusq; filius Nicolaus, Gautus de Melo, & Brynjolfus Jonis filius.

In Ekreya dum morantur, Archiepiſcopus Sorlius Româ redux, nuperqve Tunsbergâ profectus, ubi à Regina navigia leviora remisqve apta acceperat, Regem adit; eum Epiſcopus Petrus de Hamare comitabatur: nuper verò & Arnius Epiſcopus Bergenſis, Askell Stafangrienſis, & Hacon Osleyenſis, multiq; alii presbyteri, acceſſerunt. Rex claſſem iſthmo Gullbergſeidi admovit. Interea Comes Birger ſex millium exercitum confecerat. In his illuſtres viri, Karl, Comitis Ulfi frater, Karl qvoqve Ulfi filius (Folki nepos, ut habet *Editio Danica*: etiam Comitis Folkii filium iſtum Ulfum *Codex Flat*: appellat) & Karl Kveiſa, Jonis Eingelis filius; Andreas præterea Rex Surdalorum (Scythiæ habet *Editio Danica*) frater Alexandri Holmgardiæ Regis, à Tartaris regnô pulſus. Rex Hacon (Junior habet *Editio Danica*) in Lindisholma conviviô â Comite excipitur; cui etiam Pe-

trus de Giskio, aliiq; plures proceres adhibentur. Die autem Dominicâ, qvæ pervigilium Johannis Baptistæ præcessit, Comes Regem accedens, refert legatos Regis Daniæ flumen ingressos ad pacem componendam, duos nimirum Episcopos, & qvindecim eqvestris ordinis. Ipso igitur pervigiliô conventu habito, Comes Birger præter omnium opinionem in Danos propendere observatur. Tandem res ità transacta est, ut Dani res omnes ablatas præstare ultrò receperint, parte etiam statim redditâ; pro reliqvâ verò parte Hallandiâ in hypothecâ datâ. Qvod si Rex Christophorus his fortè pactis non staret, placuit eqvites apud Regem apudq; Comitem, donec redimerentur, obsides retineri. Addit *Editio Dan:*, verè qvidem, uti apparet, Regem qvoqve Haconem restitutioni omnium, qvæ is Danis abstulerat, idq; in proximum autumnum, consensisse. Hæc mox tabulis publicis descripta, regniqve utriusq; procerum sigillis confirmata sunt. Qvibus peractis, Rex & Comes porrò secretis deliberationibus de incidentibus negotiis consultabant. Inde Rex discedens, Tunsbergã festô Apostoli Petri reversus est. Ibi exercitu dimisso, Bergas repetit, ubi in adultam usq; æstatem cõmoratur. Missus tunc Aslakus Gus ad limites regnorum, cum ære, qvod Danis solvendum Rex in se receperat: qvò cùm ventum esset, nec ullus ibi Danorum ex pacto, vel ad hoc, qvod offerebatur recipiendum, vel reddendum, qvod ex ipsorum parte debebatur, compareret, Comitem Birgerem adit, exq; eo discit, nullam istô autumnô solutionem Regem Daniæ admissurum; differri itaqve omnia in seqventem æstatem consultum videri sibi, tumq; conventum denuò ad finem controversiæ imponendum institui. Qvod ut fieret, Comes magnopere hortabatur. Hôc Aslakus responso accepto, ad Regem rediit, qvi in aqvilonem deinde iter dirigens Nidarosiæ hybernabat, annum orsus imperii septimũ supra trigesimum.

Tempore qvadragesimæ Petrus de Giskio Bergas profectus diem ibi supremum clausit. Die etiam Philippi & Jacobi Archiepiscopus Sorlius moritur. Electus à Canonicis, sed inconsulto Rege, Einar Smiorbakus, Gunnaris Grionbakii, supremi qvondam Thrandensium judicis, filius, qvi tum temporis Parisiis studiorum liberalium causâ degebat. Ad eum arcessendum Magister Hacon, & Magister Ottar cum literis electionis missi. Notant Annales ad hoc tempus, civitatis Osleyensis incendium qvoddã extitisse, hiatuqve terræ in Orkadalo ad Raudzvollũ aliqvot villas absorptas. Per æstatem Rex Hacon ex postulatis Comitis Byrgeris iterum ad limites regni profectus, classem Lindisholmo applicuit; Comes verò ad isthmum Gullbergseid cum suis constitit. Eò qvoq; Rex Daniæ Christophorus accessit, qvi magnam se in intercessione Comitis Birgeris fiduciam posuisse haud dissimulans, Episcopos mandata sua justô laxius interpretatos qverebatur; nec ideò se eorum contractibus teneri. Comes autem adhuc dissidentes conciliare seriò, sed frustra, connitebatur, cùm jam nimis partibus Danorum deditus Norvegis observaretur. Re ergò infectâ Rex Christophorus discessit, profectusqve per Hallandiam pontes post se omnes fluminibus auferri curavit. Rex Hacon in Vikam rediit; vernum ibi æstivumqve anni tempora exacturus. Ipso hôc vere filius Regis Sigurdus & Askell Stafangriæ Episcopus vivîs excesserunt. Æstate autem Rex Hacon Episcopum Sigurdum ad negotia sua in Islandia promovenda ablegavit. Additus ei Comes Sigurdus Silkeauga, seu Sericus Oculus, ad fidem ejus & alacritatem in obeundis mandatîs Regis observandam. Multas hi secum literas attulerunt, qvibus Gissur Thorvaldi filius pluresqve alii in Nor-

Norvegiã evocabantur. Qvi cùm primò in Islandiam delati essent, multa, qvæ superiori autumnô inciderant, cognoverunt: nimirum ut Eyolfus, Thorsteinus Ranius Kodranis filius, & Kolbeinus Gron, villam Flugumyram invadentes, Gissuris uxorem cum tribus filiis multosqve alios, incensis ædibus, cremavissent, utqve Gissur seqventi hyeme Kolbeinum Gron cum septem aliis occidisset. Proximô autem vere ab Oddo Thorarinis filio Ranius cum tribus suorum in insula Grimseya interfectus esset, ingente totâ Islandiâ tumultu ac seditione excitatâ. Episcopus igitur Sigurdus in australi insulæ qvadrante Gissurem convenit, tunc qvidem ab Henrico Episcopo excommunicatum. Statim verò ac cognovit Henricus, Sigurdum appulisse, transgressus montem ad eum profectus est; junctísq; hi consiliis Gissurem, ut patriâ mox excederet, perpulerunt. Qvi interea Oddo Thorarinis filio provinciam Skagafiordensem commisit, causamq; suam adversus incendiarios agendam; Thori autem Thott patrimonium suum, hâc conditione, ut Oddo contra Eyolfum & Rafnum suppetias ferret, demandavit. Ipse sic Bergas primùm advehitur, ubi in Thordum Kakalium, inimicum suum, incidit: moxqve inde in Vikã ad Regem Haconem digressus est. Hanc autem hyemem Rex in arce Tunsbergensi, qvæ in rupe sita, degebat (falsò enim *Editio Danica* Bergîs resedisse tradit) annô regni tricesimo octavô; ubi tunc etiam uterq;, Gissur & Thordus, hic qvidem in arce, ille in urbe, commorabantur; prior tamen gratiâ apud Regem prævalebat, majoriqve benevolentiâ sub adventum, qvàm Thordus, exceptus est. Nihilominus Thordus postulare â Rege ausus est, ut Gissurem aliò ad avertenda, qvæ ex crebro convictu facilè orirentur, pericula mitteret. Cui Rex: *unde hæc tibi, Thorde, fiducia, ut in tui gratiam cognatum meum Gissurem ablegari postules? Curiamne cœlestem incoleres, nisi ipso remoto? Imò*, respondit Thordus, *sed longô remotus intervallô.* (Circumfertur adhuc in Dania ejusdem formulæ sententia; sed qvòd hinc originem traxerit, vulgò ignoratur.) Utriqve deinde præfecturas in Norvegia Rex tradidit, & Thordo qvidem Skida, Gissuri districtus qvidam Thrandensis administrandus datus.

Vere proximô Rex Bergas aulam suam transtulit, nave Krossudâ vectus. Reversus eâdem æstate Româ in Norvegiam Archiepiscopus Einar, Nidarosiã, Rege insalutatô, ingressus est. Edoctus autem, Regem id non satìs æqvo animô tulisse, & tanqvam contemtum sui miratum esse, Bergas ad eum profectus honorificè susceptus est. Is in Haconem Juniorem, utpote qvem ipse communi civium nomine primus Regem pronunciaverat, admodum propensus, consilium Regi dedit, ut, dum viveret, regnum inter filios divideret, acqvieturos divisioni isti in posterum, si jam eam consensu firmâssent. Rex, hîs ad consilium relatîs, diversa in filios studia Procerum intellexit; alii enim trientem Magno cum Ducis titulo assignari cupiebant, alii dimidium regni, sine tamen regio nomine, qvod penes solum Haconem esse voluerunt; nonnulli nec illud in fratribus discrimen admittebant; sed ut terrarum spatiis, ità qvoq; potestate & dignitate pares faciendos censebant. Qvibus animadversis Rex, (edoctus fortè recentissimo Daniæ Regum S: Eirici & Abelis exemplô, qvorum portiones pater vivus definiverat, eventu planè infelici) divisionem arbitriô divino committendam dictitans, nihil in eâ re ultrà definiri passus est; atqve ità Archiepiscopus magnô Regis favore dimissus domum rediit. Eâdem æstate Rex Hacon Junior legatos in Hispaniã ad Regem Castiliæ Alphonsum Decimum, tabulîs astronomicîs, aliisqve rei literariæ monumentîs incly-

cly-

clytum, miserat, qvi varia secum rara in illis regionibus pretiosaqve, accipitres sc: & alia id genus, attulerunt. Princeps legationis presbyter Elias dictus est. Gratissima Alphonso legatio ista muneraqve accidebant; legatiqve diutiùs magno in honore detinebantur. Hâc qvoqve æstate in Islandiam Ivar Eglii filius ad rem regiam procurandam missus est, auxilioqve Episcoporum, utpote qvibus præcipuam Rex fidem habebat ad exitum deducendam: qvô tempore Eyolfus Offius ab inimicâ factione cœsus est; hyemem verò Ivar apud Episcopum Skalholtî exegit, remissiorem hunc in promovendo negotio Regio expertus, qvàm putaverat. Ea verò hyems Haconis trigesima nona numeratur, qvæ Bergîs agitata. Proximô vere Ivar in Skagafiordum profectus Episcopum Henricum & Thorgilsem Scardium adit (Jam enim missus erat ad imperium illius provinciæ Scardius, Episcopo arctiore qvàm antea amicitiâ conciliatus) auxiliaqve eorum postulat, qvi addictiores Regi omnes septentrionalis qvadrantis cives convocant, eòqve rem deducunt, ut plurimi eorùm censum Regi, qvantum tum Ivar pacisceretur, se Regi, in posterum semper daturos promitterent.

CAP. XLII.

REGIS HACONIS IN DANIAM LEGATIO, ET DEINDE EXPEDITIO. LEGATI HISPANI AD EUM MISSI. GESTA IN STRAUMSEYIS. REX HACON JUNIOR E DANIA A PATRE REVOCATUR, VALDIMARUM SVECIÆ REGEM IN GOTHIAM SEQVITUR, PATRIAM REPETIT, IN MORBUM INCIDIT, MORITUR. EJUS ELOGIUM.

ANnus agebatur MCCLVI, qvô circa festum Paschatis Rex Thorlaugum Bosium cum insigni comitatu in Daniam misit, literis ad Archiepiscopum Lundensem Jacobum datis; qvibus, ut Regis Daniæ Christophori mentem sciscitaretur, & an aliqvid pactorum ab ipso exspectandum esset, petebat, de qvo deinceps se Archiepiscopus certiorem faceret. Hic vero, legatis humaniter exceptis, jussisq; apud se, donec responsum redderetur, remanere; nuncias Roskildiam ad Regem tunc ibi degentem ea de re misit. Rex, intellectò eorum postulato, detineri Episcopi nuncios, mittiq; in Scaniam, qvi legatos Regis Norvegæ comprehensos ad se ducerent, mandat; qvod ubi præsensisset Archiepiscopus, eqvos Torlaugo tradit, qvibus is in Sveciam profectus, qvibusdam sociorum apud Archiepiscopum occultè relictis, terrestri deinde per Vikam itinere ipso Pentecostes festo Bergas ad Regem pervenit, cui referebat, pro certo qvidem nullam eorum, qvæ postularentur, aut pactis Ekreyensibus convenissent, solutionem â Daniæ Rege exspectandam. Tacitus ad hæc Rex Hacon, iramq; dissimulans, navem Olafssudam celerius ê statione propelli jubet; prætextu initiô Thrandiam petendi: qvam cum ad Fenhringum (hodie Assøen) eduxisset, navigationem in Vikam instituendam jubet; mox literas nunciosqve ad satrapas omnes expediri, mercatoribus verò, qvi Daniam commerciorum causa freqventabant, edici, ne ultra Ekreyas navigarent, ibi nova iis mandata exspectanda; gravi poenâ, si qvis transgrederetur, proposita. Ipse magnis in Vikam itineribus primoq; Tunsber-

bergam advehitur: qvò omnes provinciarum circumjacentium ſatrapas qvæſtoresq; cum univerſo ex præfecturis delectu evocat. Ibi ingenti navium militumqve numerô collectô, rectà Ekreyas petit: pars qvoqve haud exigua cæteris adjecta, ità ut in claſſe Regia trecentæ circiter ſexaginta naves numeratentur; qvi tamen numerus in Sturlæ verſu, Codici Flat: in teſtimonium vocato, haud legitur. Inde Rex magnam copiarum partem ad Hallandiam vaſtandam mittit; duæ partes ad Glaumſteinum ablegatæ, qvarum duces Augmundus Krækidans, Arnbiornus Poſius, Bardus de Heſtbæ, Aslakus & Paulus Gaas, Amundiusq; Haraldi filius, memorantur. Tertia ad Geitskoras exſcendere juſſa; huic præfecti Jon Drotning, Jon Lodini filius & Thordus Kakalius, pluresqve ex Vika qvæſtores: qvi Moſturſundam ſimul navibus, teſte Pöeta Sturla, ingreſſi, aliqvot ibi Danos captos ſtatim interfecerunt. Hoc anno dies Bartholomæo ſacer in feriam hebdomadis qvintam incidebat, certâ hac anni, qvem deſcribimus, nota. Cæterum Nordmannorum pars qvæq;, ubi edictum erat, exſcenſione factâ mandata Regis exſeqvebantur. Ultima primò in ſinum Hardfiordum infuſa paræciam unam urebat, inde in auſtrum ad Geitkiarras converſi: ubi congregati incolæ parvo tempore magnaq; ſuorum clade reſiſtebant. Inde incendia direptionesqve promiſcuæ, captivorum cædes raraq; elabentium fuga. Ne unus qvidem ad Glaumſteinum Augmundo reſtitit. Sed nec ſic victoris crudelitas evitata, multi enim indigenarum occiſi, exuſtis paſſim villis. A veſpere diei Jovis per totum ſeqventem diem pari modò ſævitum ad amnem uſqve, nomine Eidrem, ubi oppidum etiam qvoddam in cineres redactum. Die Saturni retrogreſſi obvias omnes villas incenderunt. Seqvente nocte ingens tempeſtas exorta naves qvasdam â cætera claſſe diſſipavit. His igitur miſſis, prædam omnem in reliqvas exportarunt. Die Dominica Dani iterum collectô agnine famulos aliqvot Nordmannorum in litore, qvosdam etiam per villas ſparſos prædæq; intentos oppreſſerunt, navesq; litoribus appulſas incenderunt, eo fine, ut â terra, verſo jam vento, ad claſſem delatæ incendia in eam transmitterent; ſed Nordmanni hoc maturè animadverſo, ſcaphis obviam euntes harpagonibus avertebant, ſine ullo ſuorum damno. His peractis ſtatim diſcedunt, incenſò tamen paulò poſt oppidô Araneſia; jamqve magna onuſti præda ad Regem redeunt: qvæ ex arbitrio ejus inter ſocios ſtatim dividitur. Tum verò Rex reputabat magnam vim Danis illatam, forte qvoqve damne interea reparata; miſit itaqve legatos Simonem Ordinis Prædicatorum & fratrem Sigurdum ad Regem Chriſtophorum, rogatum ut ediceret, paxne rebus ita conſtitutis an bellum ulterius placeat? His minus placidè reſponſum, Dano partes regni ſui direptas graviter admodum ferente. Nulla itaqve pacificationis ſpe accepta, reverſi cuncta Regi ſuo, ut perceperant, retulerunt. Rex haud multum moratus, Ekreyis egreditur, filium veró Regem cum decem magnis navibus in portu Straumſunda relinqvit, his navium præfectis, Augmundo Krækidanze, Veſetio de Hella, Simone Staure, & Helgio Rufo presbytero; duas interim alias emisſarii occupabant. Ipſe Rex Senior Tunsbergam primo advehitur, ubi parum commoratus in ſeptentrionem concedit. In Agdarum orientali parte presbyter Elias, legatus, ut diximus, ad Regem Hiſpaniæ ab Hacone Juniore anno ſuperiore miſſus, jam confecto longinqvô itinere redux, Parentem adit, refertqve, legatos â Rege Hiſpaniæ, qvorum princeps, nomine Ferans (forſan per Ellipſin vocabali Frantz, ut habet *Editio Danica*) de gravibus negotiis in Norvegiam ſecum adeſſe præ-

primis vero ad amicitiam arctiore cum illo fædere cortrahendam, adventúmq; Regis ad Raudaſundam exſpectare; qvò cum Rex perveniſſet, legati accedentes mandata ſtatim expoſuerunt. Rex, ut Tunsbergæ per hyemem hoſpitarentur, ordinavit; proximo vere, ubi poſtulata eorum ad Concilium retuliſſet, reſponſum ſe iis daturum pollicitus. Ipſe Bergas in hyberna profectus annum regni qvadrageſimum auſpicatus eſt.

Interea Rex Hacon junior in Straumſunda cum claſſe excubabat, metusq; Danorum haud parum tum augebatur, veritorum nempe, ne eadem omnes, qvâ Hallandi, calamitate affligerentur. Verum ille hac conditione ipſis parendum voluit, ut qvorum adhuc intactæ erant villæ, aliqvot centena boum capita tributi loco ad pacem, pro aris focisqve redimendis, adducerent, ſecus pari atqve alii pænâ afficiendi. Hi ſtatim imperata facientes, magnam boum vim ad eum in Stràumseyam, alias item merces, linum videlicet & ceram, argentum, aliaqve idgenus, miſerunt. Ad feſtum deinde Martino Epiſcopo ſacrum in navibus permanſit. Sed & Sialandi pari perculſi metu, partem illam hyemis, in ſtationes turmatim collecti, nunqvam interea ſecuri aut ſparſi, exegerunt. Rex deinde junior, feſti natalis Chriſti apparatum Tunsbergæ, curavit inſtrui. Eò qvoqve ſub initium feſti profectus AugmundumKrækidanzem aliosqve provinciarum Gautelfæ adjacentium præfectos ad claſſem reliqvit; ipſô autem feſti tempore ab Augmundo revocatus, metu Danorum, qvorum graves hic minas perceperat, reditum ſtatim maturavit. Tunsberga tertiô â feſto die profectus, cum acriore tempeſtate eſt conflictatus; ita ut ſæpius obliqvato curſu ægrè in portum Spioram ad orientem ſinus Foldenſis perveniret. Inde lembo in continentem vectus iter terreſtre ingreditur. Kongahellam tandem delatus adventum claſsis, qvam ibi qvoqve appelli juſſit, prævertit, inqve caſtro ad dictam urbem Qvadrageſimam usqve commoratur. Tunc acceptis â patre literis Osleyam ad Epiſcopum Haconem proficiſci jubetur, ibiqve diverſari, donec ipſe ex aqvilone veniret: neceſſariò enim ſibi cum illo conſultandum de poſtulatis legati Ferantis, qvi filiæ ſuæ nuptias, vel Regi ſuo, vel fratrum ejus uni, qvicunqve magis ipſi probaretur, expeteret. Igitur die cinerum Rex junior Kongahellâ Osleyam disceſsit; ubi cum aliqvandiu manſiſſet, literis a ſocero celeriter evocatur; cumqve nondum pater ê ſeptentrione rediiſſet, Tunsbergam profectus morbi aliqvantum ſenſit: ſed valetudini mox reſtitutus, conſcenſâ nave, Kongahellam curſum inſtituit, qvò ultimæ Qvadrageſimæ hebdomadis initio perveniſſe dicitur. Liodhuſam deinde pergens uxoris ſuæ fratrem Regem Sveciæ Valdimarum offendit; qvi ſummæ eum caritatis officiis complexus in Gautiam ſecum duxit. Comes autem Birger, cognito ejus adventu, aulicis ſuis ſeverè præcepit, ut eum comitesqve ejus ſingulos omni honorum genere exciperent, nec vel Baggorum vocabulo, vel aliis contumelioſis nominibus, ſub capitis pæna, laceſſerent. Hic verò ſimul Reges Comesqve Paſchatis diem in Veſtrogothia celebrârunt, in villa qvadam ſev oppido, Leina dicto (forte ubi Eiricus Sveciæ Rex cum Sorqvedam ſev oppido, Leina dicto (forte ubi Eiricus Sveciæ Rex cum Sorqvere vel Sverchero congreſſus eſt: de qvo libro ſuperiore nos dixiſſe meminimus.) cumq; pro more ad altare ad oblationem donariorum accesſiſſent, Haconem in medio procedentem Rex Comesqve honoris cauſa deduxerunt. Ita ſupremo benevolentiæ affectu affinem proſecuti, tandem â ſe dimiſerunt: qvi Kongahellam repetens, tempus ibi vernum aliqvantiſper extraxit. Dum verò poſtea iter in Vikam appararet, venationi aliqvantum indulgens, canibus & accipitribus feras ſolebat inſectari. Cum

Cum fortê qvodam die amnem orientem verſus tranſgreſſus ad Gulleyam, ſev inſulam aurea, venatum procedens, cæpit ſeqvente nocte gravius ægrotare; mox navi impoſitus, ſecundo vento ad Foldiam, ſev Borgarſyſlam, delatus, ingraveſcente morbo navi ſe actuariæ commiſit, Tunsbergamq; transmiſſo ſinu advectus eſt, ubi in monaſterio qvodam decubuiſſe eum ferunt. Adhibitus Legati Hiſpanici medicus nihil in eo ſanando profecit; die enim 5. May animam efflavit, maximo, ut apparuit, multorum damno luctuq; communi deſideratus: valde enim ſuis acceptus erat; qvorum gratiam liberalitate inſigni meruit. Staturâ fuit paulo proceriore, corpore decenti, validisſimi roboris, magnæq; agilitatis præditi: formâ haud parum ſpecioſâ, capillo pulchro, oculis venuſtis, cætera armorum peritus, eqveſtriumq; exercitiorum omnium, qvæ tunc in Norvegia vigebant, callentiſſimus. Corpus ejus Osleyam delatum, ad ædem Divi Hallvardi apud Sigurdum Hieroſolymipetam repoſtum eſt.

CAP. XLIII.

REGIS FILIA IN HISPANIAM ELOCATA. HACONIS IN DANIAM ITERATA EXPEDITIO, EJUSQ; OPTATUS EVENTUS.

INterea Rex Pater, pôſtqvam per legatos ſuos didiciſſet, Chriſtophorum Danorum Regem â pacis conditionibus abhorrere, delectum jubet ex univerſo regno agi, leviorem per Halogiam provinciasqve conterminas; inde vero, qvo magis provinciæ in auſtrum protendebantur, eo gravior delectus apparatusqve indictus eſt. Etiam ſumma celeritate Archiepiſcopus Einar, omnesq; regni Epiſcopi, in ſocietatem expeditionis arcesſiti: navisqve recèns ædificata Mariuſuda, omnium adhuc maxima ſpecioſiſſimaq;, in portum ſubducta; micantibusq; ſcintillis igneis, bono, ut ferebatur, omine, celerrimè evoluta. Uti vernaculo hoc carmine Sturla teſtatur. Cunctis jam apparatis, Rex Bergis ſolvens, in Vikam navigat, Agdasqve prævectus, triſtem de obitu filii nuncium accipit. Et qvamvis ægerrimè orbitatem ferret, haut tamen, qvæ ad publicam ſalutem pertinerent, negligi paſſus, Tunsbergam Archiepiſcopum omnesqve regni ſapientisſimos convocat, conſultaturus, an ê re videretur, filiam tam remotæ extra ſeptentrionem genti committere? Verum illi, gloriâ, credo, tam Hiſpanorum qvàm Regis Alphonſi, honore item Haconis gentisqve ſuæ, & virginis, cui amplum erat, famam nominis ſui in ea parte mundi adeo celebrari, magis qvàm utilitate inducti, permittendam legato Chriſtinam cenſebant; ea tamen lege, ut optio eligendi ê fratribus maritum, qvem vellet, penes ipſam foret. Mox iter qvam exqviſitiſſimè adornatum, comitesqve virgini dati Petrus Epiſcopus Hamarenſis, Simon Prædicator, pluresqve alii ex Clero; præterea Ivar Eglii filius, Thorlaugus Boſius, Lodinus Leppus, Amundius Haraldi filius, multiqve ſummæ nobilitatis viri: hos centum viginti miniſtrorum turba comitabatur. Dos, qvanta in eum diem nulli Regum Norvegorum filiæ conſtituta eſt, data, permagna ſanè vi auri argentiqve ſignati conſtans: cimeliorum item ſuppellex perqvam magnifica, pelliumqve pretioſarum albi & cinerei coloris numerus pæne infinitus. Qveis devehendis phaſelus magna apparatu ornatuqve

 ſingu-

ſingulari tradita, in cujus altero latere virgini Regiæ cum ſuis, in altero verò adverſo Legato Hiſpanico conclavia erant deſtinata non: enim ſimul con-verſari poterant, cum Hiſpanus maris impatiens nauſeâ laboraret. Legitur de his ſingularis qvidam Sturlæ Poëtæ verſus. Ex Norvegia profecti in oppidum primùm Angliæ Jarnamodam (Jarmpe vèrtit interpres Danicus, forte Iarnmauth) devenerunt. Qvæ verò poſtea evenerunt, infra ſeqvènti capite memorabimus.

Jam accinctum in expeditionem Regem, Tunsbergæq; adhuc morantem, Legatus Regis Daniæ Abſalon, Prædicator, qvi idem Provincialis monaſteriorum omnium totius Septentrionis, ubi lingva Normannica ſev Danica in uſu erat, vocatur (Nota: primis temporibus lingvam Septentrionalibus communem Danicam appellatam, poſtea Norrænam, ſev Norvegiam, qvod forte eadem in Norvegia diutius incorrupta manſerit; niſi fortè Norræna cum Normannica latiſſimè ſumpta convertatur) acceſſit, poſtulans, ut Rex ab impreſſionibus in regnum ſuum abſtineret: jam enim Chriſtophorum conſtituiſſe cum virorum bonorum conſenſu, controverſiam omnem ad amicam compoſitionem reducere. Qvibus ad Concilium relatis, viſum eſt fidem Danis tutò haberi non poſſe, poſtqvam, qvæ antea convenerant, parum religioſè ſervaſſent. Rex ſe in Daniam qvidem navigaturum, ſed pacate & abſq; omni injuriâ, reſpondet, donec ſibi de ſeria Regis Danici voluntate conſtet, aſſumpturumqve ſecum Sigurdum Priorem, qvi prius inter eos nuncius commeaverat. Editio Danica aliter, & forte rectius, dimiſſum tunc Abſalonem, legatumqve cum eo ab Hacone Sigurdum Priorem refert. His peractis Rex, Tunsbergâ ſolvit, vectus Mariuſuda, triginta ſcalmorum nave, ornatu (ut dictum) omnibus, qvæ unqvam in Norvegia ædificatæ ſunt, præſtantiore, qvippe cujus & capita cervicesqve circa latera, & cauda, qvam vocant, (nam Draconis formam gerebat,) auro obducta, velumq; variis imaginibus coloribusqve diſtinctum erat; multæ in eadem claſſe aliæ inſignes exſtiterunt naves, qvæ Sole illuſtratæ, coronides, appluſtria capita draconum, puppesqve auratis clypeis obductas, & tanqvam reſplendente clarius igne coruſcantes, oſtentabant, prout apparatum illum Sturla eleganti verſu deſcribit. Tranſmiſſo ſinu Foldenſi, ſev Osleienſi, magnus undiqve navium hominumqve numerus affluxit. In ea navigatione forte duo Hardangrienſes, Thordus Greipi filius & Bardus Groæ filius, in navem Archiepiſcopi impegerunt, adeo ut faſtigium puppis proximaqve ei latera navis fracta una cum clypeorum ornatu in undas deciderent. Archiepiſcopus ſingula qvidem ex undis repeti firmiusqve affigi jubet; nec gratum eſſe poterat Regi damnum Archiepiſcopo illatum; ſed erant, qvi minus acceptum qvàm ſatellites ejus videri vellent, dictabant. Qvod ut ad aures Archiepiſcopi relatum eſt, reſcindi iterum juſſit, qvæ nuper reficienda curaverat, inqve mare projici; qvæ deinde fluctibus ad litora volvebantur. Etenim mediocrem tunc Archiepiſcopo cum Rege amicitiam interceſſiſſe, cum Magno autem Regis filio ſatis magnam familiaritatem, notatum eſt: paucos præterea illi ex miniſtris acceptos fuiſſe.

In Ekreyis cum Rex ſtativa haberet, convocatis in concionem ſenatoribus exponit, *quantum exceſſu Regis Haconis filii acceptum ſit damnum; implicari jam bello externo cives; ſe ad eorum defenſionem extra regnum rapi: opus igitur eſſe, qvi authoritate majeſtateq; patriam ab inſultibus defendat hoſtium, &c., ſi aliqvid adverſi humanâ ſorte evenerit, rectius haberi Regem qvàm qværi. Eo fine jam antea filium ſuum Haconem rebus dubiis Regem conſtitu-*

stitutum. Illo rebus humanis exemptô, solum Magnum esse, quem respicere debeant; placere itaqve hunc in locum defuncti fratris suffici. Hîs auditîs, omnes consilium Regis communi suffragiô probant, in primis Archiepiscopus. Qvem igitur Rex his in concione verbîs allocutus est: *Cum tuâ olim, Dne. Archiepiscope, authoritatè de partitione regni inter filios meos deliberaremus, magnopere visus es contendisse, ut solus Hacon me mortuo Regia insignia nomenq; obtineret, Ducis tantum titulo Magno relicto: miratique estis, Tu pluresqve ex nostris alii, quod rem tantam secundum vos publice definire nollem; mihi vero filios, pari nascendi jure ex legitimo conjugio natos, tam impari dignitatis gradu inæqvales constituere, non satis tutum videbatur. Deo itaque, ut alias semper omnia, totam hanc divisionem commisi, cui jam placuit eum, quem vos omnes ad imperium promotum cupivistis, ad cælestis regni arcem transferre: hunc autem alterum, qvem videtis, qvemqve tu pluresqve Senatores nostri inferiorem futurum frate voluistis, quàm conditio ejus postularet, nobis regnoq; relinqvere.* Ad ea Archiepiscopus respondit. *Ita est, Domine Rex, unum enim Regem Norvegiæ, non plures simul, exoptavi: regniqve ut Compos Hacon præ omnibus aliis, qvod utpote ei ætatis jus, plenè adjudicaret, evaderet, ipsi & ego primus Regium nomen, te postulante, indidi; at jam hoc nobis, divino arbitriô, ereptô, nullus præter Magnum restat, in qvem istum translatum honorem velim.* Certatim omnes in sententiam ejus ibant, studia sua in Magnum suffragiorum promptitudine declarantes. Visum est itaqve, ut præter morem consvetudinemqve, qvâ semper in Thrandia creabantur Reges; jam in loco, ubi essent, Magnus Rex constitueretur, idqve propter necessitatem præsentem, ne, dum Rex Hacon in Dania cum classe ageret, capite regnum careret.

Festô Johannis Baptistæ comitia in Ekreyîs celebrata sunt; qvibus ad fastigium Regium Magnus evectus est, Archiepiscopô Einare publicâ ordinum voce Regem eum pronunciante. Mox solenni ad lignum Domini sacramentô ad leges juraqvè populo conservanda se obligavit. Huic deinde Comes Knutus fidem jurejurando pro more dedit: hinc Satrapæ omnes, Stallarii & dapiferi, postremòq; duodecim illi ê singulis provinciis cives, comuni subditorum nomine in verba novi Regis jurârunt. Eôdem die Rex Hacon filium, Episcoposq; omnes & Satrapas, aulicorumqve magistros, conviviô excepit. Archiepiscopum verò ulcus, qvô altera ipsi manus intumuerat, ne convivio interesset, impedivit. Postridie Rex Magnus Patrem, Archiepiscopum Episcoposqve, & proceres omnes præcipuæq; dignitatis viros, ad epulas invitatos, magnîs sub discessum donîs honoravit; præ cœteris verò parentem, & Archiepiscopum, cui navem longitudine plusqvam viginti scalmorúm, qvàm exqvisitissimè ornatã, obtulisse dicitur. Singulos deinde pro conditione ac statu muneribus perqvam magnificè auxit. Hinc magna statim initiô principatûs omnium in se studa animosq; convertit; multosq;, ut Regem decebat, in satellitum militumqve numerum assumsit: in primis verò eos, qvi fratri Haconi priùs inservierant.

Hîs ità gestîs, ad tutelam relictus regni Tunsbergam navigavit; totam ibi æstatem acturus. Rex autem Pater specioso, ut diximus, apparatu classis, trecentis septuaginta qvinq; navibus in Daniã direxit iter: transmissoqve fretô Sundicô rectà Kaupmannahafnam (Hafniam) classem ducit, anchorîs ad alveum Refshalensem jactîs. Eqvidem miratos fuisse Danos ornatum, numerum magnitudinemqve navium, proditur; nec enim peregrinam unqvam classem tantam tamq; validam oris Daniæ advectam

referebant. Feriâ hebdomadis tertiâ Rex Hacon Hafniam venit; sextâ verò Christophorus, magnum secum nobilissimorum virorum agmen ducens, numeroso cum exercitu urbem eandem accessit. Hunc Archiepiscopus Lundensis Jacobus, aliiq; Episcopi, Rugiæ item (Vandaliæ hæc insula est) Princeps Jatmar comitabantur; ubi de pace agi cœptum. Verùm magnæ adhuc utrinq; difficultates objectæ, ne statim ea conveniret, obstabant; ideoq; Norvegi classicum extemplò cani postulant. Rex autem Hacon, qvas ipse sex dierum inducias erat pactus, neutiqvam rumpi volebat. Testatur hoc Gissur Thorvaldi filius, qvi ipse rebus tunc gestis præsens aderat, versu avtographis inserto.

Cœterùm in promovendâ pace maximè tum enituit industria Archiepiscopi Einaris; sed rem per se impeditam, diffidentibus partibus, suaq; damna, qvæ præstari utraq; pars flagitabat, certatim exaggerantibus, componere arduum erat; eò tamen, consentiente Hacone, deduxit, ut sua singuli Reges subditorumqve suorum damna æstimarent. Qvô obtentô, dari sibi æstimandi prærogativam Rex Christophorus postulabat; id verò etiam Hacon magis ex suo futurum commodo existimans, cùm penes posteriorem probandi rejiciendiqve, qvæ viderentur, arbitrium foret, haud ægrè in hoc consentiebat. Interea tamen loca exscensioni commoda militibus definivit, necessariis omnibus ad bellum, si de pace non conveniret, strenuè apparatis. Verùm Dani, vi classis copiarumq; territi, valde ad pacem propendebant. Itaqve Christophorus, re totâ cum consiliariis deliberatâ, sine magnâ difficultate pacificationem fieri non posse animadvertens, sapiens aggressus est consilium. Omnia enim Norvegis, qvæ Danis intulerant, damna primus remisit; qvô factô, Reges statim ipsi convenerunt. Hôc exemplô provocatus Hacon, Danis qvoqve injuriam in Nordmannos omnem condonabat. Gratum omnibus humanitatis certamen illud, præterqvam Archiepiscopo Jacobo & Jatmari, erat.

Post pacificationem Rex Christophorus Haconem ad convivium in tentorium suum invitat; exceptus qvoq; posterâ die in prætoriâ Haconis nave Christophorus, tantaqve dissensioni amicitia brevì successit, ut mutuis invicem fœderibus devincirentur, ità ut deinceps, qvoad viverent, Hacon Christophoro loco patris, & hic illi locô filii esset: datâ fide, ut alter alterum auxiliis viribusq;, si qvando necesse iis foret, instrueret, mutuaqve hæc auxiliorum societas in æternam animorum obligationem inter posteros qvoqve duraret; uti tradit *Hvitfeldius*, qvi hæc tabulis scriptis firmata sigillisqve munita refert. Munera deinde invicem tantis digna fastigiis data, deditqve Hacon Christophoro optionem, utrum Mariusudam dono â se accipere, an sex navium aliarum (tres habet *Editio Dan:*) mallet: cui hic â se dispici velle, qvænam sibi eligendæ essent, gratus respondit. Hinc summâ benevolentiâ officiorumqve utrinq; testificatione discessum. Addit hic *Hvitfeldius*, inter Reges tum actum de matrimonio inter Magnum Haconis filium & Ingibiorgem, filiam Sancti Eirici, fratris Christophori Regis, qvod seqventi tempore consummatum; cæpisse etiam Haconem reconciliando cum Rege Daniæ Comiti Sveciæ Birgeri operam dare, conatumqve, sed frustra, esse, Regem & Archiepiscopum Jacobum in concordiam reducere. Idem præterea memorat, Regem Norvegiæ Haconem præstantissimo Eqvitum Daniæ Stigo Andreæ filio filiam suam Ingibiorgem collocâsse, ipsi qvidem, qvi postea regni Mareschallus factus, Danici regni flagellum exstitit; qvæ omnia apud nostrates non invenio. Graviter autem hallucinatur, dum hunc Stigum eundem esse tradit, qvem Chroni-

Chronicon Norvegiæ Hvitaledum appellat; qvem longè ante hæc tempora vixiſſe, ex vita Olafi Pacifici demonſtratur: ubi ejus genealogiam inſeruimus.

Cœterùm Rex Hacon deinde Tunsbergam rediit, ubi Magnus Rex Reginaqve Margareta reducem exceperunt; ſimulqve Bergas deduxerê, ubi Magno Parens Ryafylkiam donâſſe legitur. Hinc Regina Margareta & Rikiza eâdem, qvâ Rex Hacon, nave in Thrandiam devectæ ſunt, hicqve Rex Pater unà cum Magno filiô hybernam habitationem conſtituit, annô regni ſui qvadrageſimo primô. Redierat hâc æſtate ex Islandia Ivar Eglii filius, minore rerum, qvàm antea pollicitus ſibi erat, ſucceſſu: ſiqvidem amici Thordi, de qvo ſuprà diximus, Kakalii, propinqvi item alumniqve Giſſuris, conatibus Regiorum obſtare haud deſiſterent.

CAP. XLIV.

IN QVO ITER FILIÆ REGIS CHRISTINÆ ET NUPTIÆ DESCRIBUNTUR, ET MARIANÆ DE HISCE LOCUS EXPENDITUR.

IAm ad iter ChriſtinæRegis filiæ perſeqvendum nos convertamus. Ex Anglia in Normanniam prima profectio inſtituta. Ivari tunc Eglii filio placuit navibus iter omne emetiri; verum Legatus Hiſpanicus & Thorleifus Boſius Galliæ ſibi Regem adeundum, ubi gravia uterq; negotia peragenda habebant, regerebant. Itaq; in uſum terreſtris itineris eqvi, præter eos, qvos ex Norvegia ſecum habuerunt, ſeptuaginta emti, (ſeptuaginta qvinqve Editioni Danicæ.) In Gallia autem Legatus Regis Norvegiæ ſummâ humanitate exceptus eſt; ſvaſitqve Rex Galliæ, ut per Gaſconiam iter Narboniam usqve faceret, urbem mari Mediterraneo adjacentem. Qvò cum ventum eſſet, præſes urbis virginem Regiam cum univerſo comitatu integrum diem impenſis magnificè invitavit. Hinc ad Novum Caſtellum, qvod in regno Arragoniæ Regis ſitum eſt, proceſſerunt, magnâ qvoq; ibî hoſpitalitate admiſſi. Per arduos inde montes aſperaqve viarum, juxta mare Mediterraneum, usqve ad urbem Gerno, ſev Gerundam, iter erat: cujus tamen difficultatem fortiter virgo ſuſtinuit. Huic Præfectus urbis cum duobus Epiſcopis & trecentis ſexaginta viris ad ſecundum lapidem obviam egreſſus eſt. Cumq; ingrederentur urbem, ab altero latere Præfectus, Epiſcopi verò ab altero, frænum eqvi, qvo vehebatur virgo, tenentes, ad diverſorium eam deducebant. Barcinoni appropinqvanti pari modô Rex Arragoniæ cum tribus Epiſcopis im̃enſoqve ſtipatorum numerô obviam ad tertium usq; lapidem procedens, magnâ ei humanitate gratulatur, ipſeqve fræno eqvi apprehenſo in urbem deductam integro inde biduô cum comitatu omni excepit. Hoſpitia deinde iis per univerſum regnum ſuum gratuita præberi, utqve ex ſingulis urbibus, per qvas eis iter faciendum, effuſæ nobiliſſimarum virginum turmæ, eqvites qvoq; Baronesqve, eis occurrerent, ordinavit.

Biduô ante feſtum Natalitiorum in Caſtiliã pervenerunt, ad urbem, nomine Sarti, (Saraguſta hæc eſt, ſive Cæſar Auguſta; qvæ regno tunc Caſtiliæ adſcripta fuit, teſte *Munſtero* Coſmogr: univ: Lib. II. in deſcriptione Hiſpaniæ, Tit: *de quibusdam civitatibus & regionibus Hiſpaniæ*, hîs verbîs

bis: *Pallantia, Numantia, Cæsar Augusta, quæ vulgò Sarragossa vocatur, sunt illustres in Castilia civitates.*) Hic verò ad excipiendam sponsam regiam Regis frater Lovis (Ludovicus) & Episcopus Storgensis (Astorgensis) pompâ perqvam honorificâ exierunt. Pridie Natalis Christi Burgos ingreditur, pari hic ornatu & magnificentiâ excepta, hospitioq; usa monasterio qvodam (Olgarum credo, cujus qvoqve testis *Mariana Lib: XII. Cap. IX.*) ubi Regis ipsius soror Bersvigis (Berengaria) mansionem habuit; sacrisq; in urbe interfuit. Tertiô autem festi Natalis die poculum argenteum magni certè ponderis sacrum altari donum imposuit; simile verò aliud Rotomagi priùs dedicârat. His qvidem & ejusmodi aliis præclarissimam adepta est famam, honoresqve ei exemplô majores exhibiti. Neqve iter ex Norvegia honorificentiùs à tempore Sigurdi Hierosolymipetæ unqvam factum existimatur.

Qvartô festi die Burgis, sicut Rex Castiliæ ordinaverat (qvi octavâ demum feriâ virginem adduci sibi, feliciore novi anni auspiciô, volebat) egressi sunt: missaqve eis ephippia septem, fœmineo usui aptata; præterea â sorore Regis Berengariâ pannus, qvem Baldakinum vocant, in solius virginis usum datus. Eôdem die Rex Castiliæ, Comite Palentiæ proseqvente, ingentiqve stipatorum agmine obviam procedens, omni exqvisitissimi amoris honorisqve genere eam complexus est, apprehensoq; eqvi, qvô vehebatur, frænô, in urbem Valdoletum (vulgò Valliadolit) ducit, pari studio pompâqve in occursum tendente Regis filio cum turbâ perqvam numerosâ, eqvitum, Baronum, Præsulum, legatorumqve Regum Christianorum & paganorum. Mox hospitium ei in urbe splendidissimè apparatum. Decimus festi erat dies, qvô Valdoletum ingrediente sponsâ, hæc comuni omnium lætitiâ sunt peracta. Qvoties deinde ipsam Rex & Regina invisebant, semper ambo simul ad sedem eam deduxisse leguntur, (id qvod interpres Danicus, magnâ eam invisisse pompâ, vertit.)

Brevi deinde Legati Regis, Arragoniæ Alphonsi soceri, cum literis advenerunt, qvibus hic sociari sibi virginem in matrimonium petivit; hoc cum ad ipsam Alphonsus detulisset, potestate ei nubendi, si ita videretur, factâ, commendatô ab animi fortunæqve dotibus sponso, conditionem illa abnuit; etiam Legatis Norvegicis provecta Arragonis ætas parum apta huic conjugio est visa; neq; ab hoc tempore hoc ulterius postulatum legimus. Tum deinde Rex fratres suos singulos unum post alterum virgini commendabat. Fridericum eorum natu maximum ut Principem strenuum, eqvitem exercitatum, rectoremqve suæ ditionis idoneum, venatorem præterea insignem, unde bifidum ei labium, prædicabat. Henricum alterum fratrem eqvitem omnium qvidem præstantissimum esse, sed in hanc minimè electionem admittendum, utpote qvi in se patremqve rebellandô statum regni perturbaverit. Esse verò & Sanctium fratrem tertium, designatum Archiepiscopum Toletanum, principem impigrum, ordini tamen Ecclesiastico magis idoneum. Philippum autem, Sevilliæ sev Hispalensis archiepiscopatus candidatum qvidem esse; verùm alii potius qvam isti officio aptum: deditum qvippe ludis, canumq; cum feris & accipitrum certamine, magno venationis studiô delectari, hilarem semper & mansvetum, liberalem qvoq;, sine omni fastu, sociisq; inprimis fidum existere: fratrum præterea omnium robustissimum, artiumq;, qvæ eqvites decent ac principes, peritissimum: staturam ejus & speciem commendatione haud indigere, cùm qvotidie oculis eorum obversaretur. Animadvertebant satis legati, hunc Regi maxime cordi esse: cumqve & ipsis idem

idem virginiqve maximè placeret, cæteris statim prælatus est. Itaqve die Cinerum virgo Philippo, ex consilio Regis Castiliæ, legatorumqve Nordmannorum, accedente suo ipsius consensu, despondetur. Injustè igitur obscurus scriptor qvidam Philippum invito rege ejus nuptias consecutum Ravisii authoritate testatur, adq; incestuosas & obscænas refert. Primum ejus ad sponsum postulatum fuisse fertur, ut basilicam in ista regione in honorem Sancti Olafi ædificaret; qvod statim in gratiam ejus factum, ut et singula, qvæ ab ipso deinceps expetere est aggressa. Dominica â festo Paschatis proxima nuptiæ eorum splendore qvàm maximô & magnificentiâ, qvalem qvidem consvetudo regni illius ferret, celebratæ sunt. Proximo inde Mercurii die nuncii Regis Haconis in Castiliam advenerunt, Thoraldius nempe & Biarnius, qvi Danicæ expiditionis eventum referebant. Finitis nuptiis legati abitum parant, in Norvegiam qvidem Episcopus Petrus, Andreas Nicolai filius, & Amundius Haraldi filius, reversuri; Thorlaugus autem Bosius cum paucis aliis Hierosalymam profecti, qvi in isto omnes itinere exstincti, in patriam nunqvam redierunt. Neq; hic nobis silentio prætereundum elegans carmen Sturlæ, qvo is pro more suo totum Christinæ iter nuptiarumq; pompam prosecutus est. Cæterum & hoc memorandum, qvod accuratissimus aliàs rerum Hispanicarum scriptor Mariana inter gesta anni 1254, Christinam Toletum appulsam perhibet. Sed cum horum annorum res, non minus qvàm tota Haconis vita, summa cura & duobus tantum annis perscriptæ sint ex eorum relatione, qvi vel rebus ipsi interfuerunt, vel certè Christinam patria excedentem viderunt prosecutiqve sunt, viveretqve tum adhuc & imperaret ipsius frater, qvi â patre in consilium, cum soror elocaretur, adhibitus est, ipsiqve hæc ipsa, qvam interpretando secuti sumus, historia tradita oblataq; sit, nostrorum fidem ei plane postponere neqveo; qvæ vero plenius exponit ille, nimirum causam, qvæ Regem Alfonsum moverit ad has nuptias expetendas, cum id nostris melius scire potuerint Hispani, haut pigebit adducere. *Alfonsi*, inqvit, *animus angebatur procreandæ sobolis curâ præcipua. Assentatores, qvorum in aulis principum magnus est numerus, divelli id conjugium posse disputabant. Ingeniosis hominibus nectendæ fraudis argumenta non deerant, qvibus Regis animus facile expugnatus est. Ad Regem Daniæ missi legati, Christinam ejus filiam in conjugium expetitum: tanto locorum intervallo dissitos circumvenire fraude promptum erat; pactis nuptiis missa puella in Hispaniam Jacobum Regem pro eo ac par erat, Alfonsi generi conatus moverunt; tentata concordiæ spes per legatos, nihil effectum; ventum ad arma. &c.* Deinde eodem cap: sub finem. *Rex Arragoniæ his tumultibus impeditus arma vertere in Castellam continuo non potuit. Magnus belli metus ea mora lætissimo exitu mutatus, nam qvo tempore Christina ex longo itinere Toletum tandem appulsa est, salutis millesimo ducentesimo qvinqvagesimo qvarto, Reginæ uterus sensim intumescere visus est, ac palam gravidam esse intellectum: insperata reperculsus Regis animus odium amore mutuat; iidem auctores erant Reginæ conciliandæ, qvi antea dissvasores extiterant. Philippus Regis frater, tametsi Vallesoleti Abbas erat, Hispalensis Archiepiscopus renunciatus, sacrata veste deposita, Christinam regni spe depulsam, sibi toro junxit, Regis permissu, qvod malè cohæsit conjugium, brevi ruptum ex Christinæ obitu, ex dolore contumeliæ impatientiaqve. sic vulgus interpretabatur. Violantis Reginæ infæcunditas fæcunditate mutata, prorsus ut numerosa prole maritū auxerit*. Qvod vero deinde subdit, haut firmâ probatione nititur. *Proximo*, inqvit, *anno millesimo ducentesimo qvinqvagesimo qvinto Edvardus Henrici Angliæ Regis*

major filius in Hispaniam venit; causæ adventus proditæ non sunt; libet tamen suspicari: qvid enim prohibeat Christinæ injuria commotum iter suscepisse? Erant enim patrueles; in qvo qvantum profecerat, rerum eventus declarat. Burgis tamen abs Rege benigne habitus, de ejus manu militiæ honorem solenni cæremonia suscepit. Iis Blandimentis juvenis animus leniebatur. Sed hæc author suspicatur tantùm, non veritate certâ persvasus asserit. Errat tamen in eo, qvod Edvardum & Christinam patrueles fuisse tradat. Ego nullam cognationem aut necessitudinem scio inter eos intercessisse. Apparet qvoqve ex præcedentibus, nullam Christinæ injuriam factam, cum non præcise sibi, sed fratrum suorum uni, qvem ipsa eligeret, nuptias ejus Rex pepigeret, nec alia conditione collocata â parente fuerit. Valdecornem & Alvam cum subjecto tractu & castris Virgini nuptiarum tempore Alfonsum donâsse canit in sua Gronlandia metrica *Claudius Christophorus Lyschander*, existimatqve ad huc posteritatem ex ea ortam in Hispania extare; non qvidem pro certo affirmat.

CAP. XLV.

ILLUSTRIUM VIRORUM CIRCA HÆC TEMPORA OBITUS. LEGATIONES MUTUÆ REGUM. MAGNI HACONIS FILII CORONATIO. GRONLANDIA TRIBUTARIA FACTA.

Ipso ejusdem anni vere Reges Hacön & Magnus, postqvam in Thrandia hyemem exegissent, terrestri itinere Nidarôsiâ profecti transgressiq; montem Dofrinum in Vikam reventuntur. Nave Saudarvömbe, sev *ventre ovino*, vecta Bergas Regina dicitur, inde Mariusudæ imposita ad Regem Tunsbergam isse, Archiepiscopo non comitante, ob simultatem qvandam sub discessum inter eum Regemq; exortam. Per idem tempus Rex Danorum Christophorus, ubi animadvertit â Roskildensi Episcopo, sicut & Othoniensi, arma in se comparari, & Eiricum qvidem Cimbriæ australis Ducem, Gerhardumq; & Johannem, Comitem utrumqve Holsatiæ, Comitis Alfi (Adulfi) filios, Rugiæ item Principem Jarmarem, de suppetiis ab iis compellatos; ipse qvoqve ab Hacone Rege Norvegiæ & Birgere Sveciæ Comite opem ex pacto debitam postulabat. De qvibus consultaturi Rex Hacon cum Magno filio Comesq; Birger ad Gautelfam convenerunt. His, postqvam de Regis Daniæ temporumqve præsentium necessitate aliqvantisper deliberassent, visum est, expeditionem ocyus utriqve regno adornandam, placuitq; ut octingentos & qvatuor millia singuli in auxilium Dano darent; attamen si alteruter majoribus subsidiis Foederatas juvare partes velit, liberum qvoq; id ipsi sine alterius præjudicio esset. Magna tum inter Reges Comitemqve amicitia consvetudine conventuum magis magisq; crevit. Tunc verò & Reginam Rîkizam, Regis Haconis Junioris viduam, Rex pater Regalibus ornatam muneribus patriæ suæ reddidit, retento apud se socialis tori pignore filio eorum Sverrere, qvem puerum certè magnæ spei tenerrimô affectu dilexit. Cum jam invicem sibi vale dixissent, Rex Mariusudam in Daniam ad Regem Christophorum, promissis majoribus simul auxiliis misit; inde Bergas profectus magnam ibi æstatis partem degebat: propterea qvòd antea Civitatis Tunsber-

bergæ maxima pars conflagrasse ingenti civium damno memoretur.

Seqventi Autumno Legati ex Hispania redierunt, nave qvidem hi unâ pervecti, Simon, Lodinus Leppus, & Amundius Haraldi filius, pauloq; post Episcopus Petrus per Flandriam terrestri itinere profectus. Andreas Nicolai filius in Gallia proximos duodecim menses remansit. Totum verò iter Hispanicum Regi Episcopus enarrabat, præsertim qvanta curâ & studio filia ejus Christina â Rege Alfonso excepta esset, qvamq; magnificis eos muneribus sub discessum donavisset, mille marcis argenti puri distributis, præter sumptus in sustentationem & viaticum necessarios; promisisse præterea Regem Castiliæ auxilia Haconi, excepto si qvid contra Galliam, Arragoniam, & Angliam tentaretur. Rex Hacon suam vicissim ei operam pari lege, modò nimirum Svecia, Dania, aut Anglia non impeterentur, pollicitus erat. Retulit etiam Episcopus, Regem Hispaniæ bellum adversus ethnicos parare, Regemqve Haconem expeditionis socium magnopere desiderare; qvâ ratione & ipse Hacon profectionem in terram Sanctam, ad qvam se, cruce assumptâ, obligaverat, redimere possit; Pontificem enim Romanum pariter ac peregrinationem ad urbem sanctam id æstimare, si qvis ethnicos, hostes Ecclesiæ, bello imminueret.

Interea post incensam in Islandia Flugumyram, uxorisqve Gissuris Thorvaldi filii triumq; ipsius filiorum excidium, ut in *Libro seqv:* postea luculentius demonstrabimus, ipse in Norvegiam vela vertit, liberaliterqve habitus per aliqvod tempus apud Regem moratus est. Hac verò æstate Bergis Rex eum ad solium ex vetere ritu deductum, ad latus constituit suum; Comitiqve creato, eos, qvi à poculis erant, pariter ac sibi potum ministrare jussit; additis imperio ejus qvadrantibus Islandiæ australi & Septentrionali, præfecturâ qvoqve Borgarfiordensi. Neq; hæc tanta tribuisse Rex contentus, vexillum insuper, qvod ei præferretur, dedit, multaqve alia perqvam insigna munera; nec verò hujus dignitatis redimendæ causa ulla subditis Gissuris tributa imposita; adjectum, ut singulis, qvos satellites sibi ascisceret, eadem, qvam iis addixisset in Norvegia, dignitas iidemqve honorum gradus constarent. Promisit autem vicissim Comes Gissur, se obseqvio ærarioq; Regis universam Islandiam subjecturum, totamqve brevi insulam pacaturum: id qvod facile obtinere se posse credidit, ad lautas adeo conditiones & privilegia insulanorum optimis concessuris. Itaq; honoribus muneribusqve affatim ornatus ê Norvegiâ solvit, ventisqve in Hæbudas actus, gladium ibi singularis acuminis, qvam Eyfarar naut appellavit, accepit; deinde in Islandiam appulit, postqvam qvatuor annos patriâ abfuisset, inq; prædio Kaldadarnesia, triginta assumtis satellitibus, habitavit. Miserat cum eo Rex satellitum suorum qvendam, Thoraldum Hvitium, sev Album, ad inspiciendum, qva fide negotia sua perageret; multi qvoqve alii eò missi sunt, qvibus occultè etiam ejus rei cura atq; provisio mandata: ferturqve satis, ut par erat, bonâ fide Gissurem mandata Regis observasse; sicuti de his omnibus *Cod: Flat:* nec tamen hic sibi satis constans, testatur: at Editio Danica refert, cum primum in Islandiam reversus esset, prolixam Regis in se & incolas omnes gratiam pluribus commendasse, præsertim verò exaggerando, qvod in gentis totius honorem, novo apud eos exemplo, Comitem se creaverit, tanta qvidem libertate, ut ejus nomine neqve census ê patria, neqve aliud qvicqvam in compensationem exigeretur; qvi vero in verba sua jurarent, sive in satellites aulicos, sive ad alia officia deligerentur, iis concessos â se titulos officiaqve Rex qvoqve se confirmaturum

 pol-

pollicitus sit. Hinc multos optimates, eorumqve filios, respectu Regis fidem ei jurasse, inqve ministros se eligi possos; etiam postqvam fraudem subesse animadverterunt, in data ei Regiqve fide remansisse.

Seqventem Rex hyemem Bergîs exegit, regni sui qvadragesimam secundam numeratam. Appetente vere, expeditionem in Daniã adornat; Satrapîsqve & qvæstoribus comitatus, ipse classem ducit, sed Jadriã prævecto duo ex Dania eqvites missi occurrunt, mortem Regis Christophori nunciantes, simulqve Reginæ Procerumqve Daniæ postulata, ut memor pactorum differre expeditionem nolit. His ad amicos relatîs, sententias eorum exqvirit, qvibus cùm admodum variaretur, ipse in fide manere certus universâ classe Hafniam Danorum directâ, Reginam statim convenit; sed anticipatâ cum Comitibus pace, Dani auxilio ulteriùs non videbantur sibi indigere; qvod is minùs ex fide factum interpretatus, etiam publicè objecit, haud dissimulans, se sine ullo operæ pretio ad tantas impensas adactum. Muneribus deinde Reginæ datis, acceptisq; pariter ab ea aliis, dimissus, lembunculum qvendam in freto Sundico ad Malmhaugum (qvæ certè notatio observatu oppidò digna est: urbem namq; illam tam celebrem à tumulo nomen sortitam esse hinc apparet, fortè etiam ab ære ibi invento; nisi alius fortasse locus ejus nominis Helsingoræ oppositus fuerit,) intercepit, cujus Dominus erat Jonas Archiepiscopus Lundensis, Jacobi frater. Vehebantur autem illô Jarmaris qvidam milites. cui dicti fratres inter omnes Daniæ proceres maximè erant addicti. Rex produci in forum vectores jussit, & à Danis publicè examinari, mercatoresne an latrones essent. Latrones agniti, alii capite plexi, alii aliis pœnis affecti sunt. Navigium Rex deinde in hippaginem (mercenariam *Editioni Danicæ*) convertit. Jarmar autem, cognitô Haconis adventu, vim statim ejus fugâ in Vandaliã declinavit. His peractîs, Rex Hacon in Norvegiam Bergasqve rursus se convertit. Dani verò Eiricum Regis Christophori filium, ætate adhuc puerum, in paternum solium reposuerunt.

Hanc verò, qvæ secuta est, hyemem Rex Bergîs peregit, anni regni sui tertiam supra qvadragesimam. Is annus obitu Petri Episcopi Hamarensis notabilis fuit, qvi magno regni reiqve Ecclesiasticæ damno excessisse visus est. De electione in ejus locum à Canonicis deliberatum, dissidioqve partium tempus, ultrà qvàm lege præfinitum erat, extractum, jure illos vocationis privavit; id qvod Archiepiscopus sibi jam jure debitum, ipsis iterum benignè reddidit; indicato tamen ex numero Canonicorum aliqvo, cui Lodino nomen, Regi haud satis amico. Et jam Comes Gissur delatus ad Regem est, de minùs fideliter navatâ operâ in negotio apud Islandos promovendo. Itaqve cum literis â Rege, censum, qvi jam imponebatur, exactè definientibus, satellites regii hi mittuntur, Ivar Arnlioti filius, jam secundò missus, & Paulus Linsheima, qvi ante forum anniversarium eò delati ad comitia, qvibus tum Comes intererat, accesserunt. Publicatæ literæ Regiæ pro diversis ingeniis variè sunt exceptæ; Comesqve cives suos ad censum & subjectionem Regi præstandam, sat qvidem prolixè, nec tamen ex omni parte secundum literarum mentem, hortatus est. Australis qvadrantis cives, Comiti cæteroqvin addictissimi, ut et ii, qvi ad fluvium Thiorsa ortum versus habitabant, maximè sese postulatis objecerunt; adeò qvidem, ut infectâ re legati ad Regem reverterentur. Haud dubia multis suspicio erat, cives tractus illius haud ità præfractè se opposuisse, nisi voluntas Comitis satis iis perspecta priùs fuisset. Sturlungorum Historia tradit, Comitem ex illis comitiis cum magno comitatu ad Rang-

eyen-

eyensis provinciæ cives, qvæ exigua pars est australis qvadrantis, profectum, eos ad sacramentum Regi sibiqve præstandum perduxisse. Verùm tantillæ partis assensus parvi æstimatus videtur: apparetqve hoc factum, postqvam legati insulâ excesserant, aut in alias qvadrantes, unde fortè navigaturi erant, concesserant, nam eâdem hâc æstate ad Regem redierunt.

Qvô tempore Ivar iter Islandicum est ingressus, Rex uterqve, pater & filius, Gautelfam profecti sunt, qvò etiam accedens Comes Birger eos convenit: eôq; cum filiis suis convivio à Rege exceptô, fœdera amicitiæ in perpetuum firmata sunt, benevolentiaqve, qvæ feliciùs utrinqve indies crescebat, renovata. Deniq;, ut proximo iterum vere convenirent, constitutum. Post hæc Rex Hacon in Vikã rediit, proseqvente ipsum Henrico, Islandiæ sedis Holensis Episcopo, qvi longo jam tempore apud Regem versatus, tandem ê Freda, seu provinciâ Bergensi, egressus in morbum incidit, qvi Tunsbergæ brevì postea ipsi fatalis fuit. Situs est ad basilicam S. Olafi, meruitqve vivus suâ in Regem fide studiisq;, ut ipse Rex ad tumulum ejus habita oratione virtutes ipsiùs magnâ cum laude comemoraret. Bergas Reges deinde, inde in Thrandiã profecti, festi S. Olafi pervigilio Nidarosiam venerunt. Ingressi amnem, navem, qvâ vehebantur, in insulam, qvæ intra fluvium est, impegerunt, ad qvam expediendam ipse Archiepiscopus cymbâ accurrebat, dexterrimo qvôqve in auxilium secum assumtô. Verùm isto ejus officio repudiato, Rex navem in insula subjectis baculis in affluxum navis sisti jussit; erat autem Archiepiscopo subiratus, qvod se inconsultô invitôqve Lodinum ordinare in Episcopum Hamarensem decrevisset. Intrantibus urbem Regibus Archiepiscopus dignum honorem solenni processionis, qvam vocant, pompâ exhibuit, osculoqve pro more excepit. Excepit & Lodinus, designatus Episcopus, qvi â latere Archiepiscopi, sed trepidantiùs, incedebat. Aliqvanto interjectô tempore conventus habetur, qvo cum aliis Archiepiscopus arcessitur. Ibi graviter magnâqve animorum contentione de electione Episcopi Hamarensis disceptatum, Archiepiscopô Lodinum obstinatè obtrudente; Rege verò haud minore alacritate obstante, omninòq; electionem ejus abnuente. Exarsitqve in tantum diffidentium certamen, ut Rex ad Pontificem Romanum provocaret; id qvod Archiepiscopum magis exacerbavit. Verùm Rex Magnus tempestivâ tum intercessione exasperatos utrinqve animos mitigabat; sed & Lodinus, intellectâ Regis in sese rejiciendo pervicaciâ, ultrò cessit. Annitebatur autem Rex, Gilbertum, Archidiaconum priùs Hialtlandiæ, tum verò sibi â confessionibus, ad hanc ipsam evehere dignitatem; cujus electioni Archiepiscopus sub finem conventûs, postqvam suum Lodinus jus cesserat, tandem consensit. Verùm qvod ad Pontificem appellatum esset, missus Gilbertus cum Regis Archiepiscopiq; sibi invicem suffragantium literis Romam petit. Reges deinde simul Bergas profecti, hybernas mansionum sedes dividebant; Stafangriæ Magnus, Bergîs Hacon hyemabant, anno regni Haconis qvadragesimo qvarto, qvâ hyeme filius Regis Haconis Junioris Sverrir, non sine sum̃o avi pluriumq; dolore, ex morbo decessisse legitur.

Præcedente æstate Reges fratrem Nicolaum in Daniam ad petendas Regi Magno nuptias Engilborgis (Ingibiorgem *Editio Danica* vocat) Sancti Eirici Daniæ Regis filiæ, miserant; habuitqve is simul in mandatîs, ut ad Ducem Saxoniæ, avum virginis maternum, unum ex Germaniæ septemviris, eâ de re qvoqve proficisceretur (alii qvidem Albertum Ducem An-

haltinum hic nominant, alii Luneburgicum fuiſſe tradunt; Noſter iis accedit, qvi avum Ingibiorgis Saxoniæ Ducem ſtatuunt; poſtea tamen Brunsvicenſem eundem appellat.) Eò itaqve cùm perveniſſent legati, expoſitis mandatis Dux reſpondit, neptem ſuam, qvam poſtularent, genere paterno Danam eſſe; poteſtatem itaq; eam collocandi penes Danos eſſe, duabusq; filiabus adductis, apprimè ornatis; *ſi quam*, inqvit, *harum petieritis, collocare poſſum, cùm uraque ſit in meâ poteſtate.* Hôc reſponſo legati primò in Daniâ, deinde in Norvegiam reverſi, reſponſa, qvæ acceperant, Regibus referebant.

Poſt mortem pueri Sverreris Reges in Sogniam, deinde in Uplandas, devecti ſunt. Obvium in hoc itinere habuerunt Archiepiſcopum Einarem, ſecumqve Tunsbergam deduxerunt, ubi tunc legatus Frater Nicolaus è Dania redux aderat: qvi enarratis, ut dixi, omnibus, qvæ geſta in legatione erant, remiſſus eſt in Daniam cum Domino Aſchatino, ad Reginam Comitemq; Erneſtum (hunc credo eſſe, qvem *Pontanus* ad annum 1257. Glicenſium Comitem appellat) alioſqve Regiæ virginis tutores. Interea Reges & Archiepiſcopus ad Gautelfam ad occurrendum Comiti Birgeri, uti convenerat, profecti ſunt; eô verò non comparente, Tunsbergam retrogreſſi, reditum è Dania Aſchatini hic exſpectârunt; qvi relictô apud Danos Nicolao reverſus, Reginam Comitemq; Erneſtum, ipſam qvoq; virginem, retulit poſtulâſſe, ut magnifico eam comitatu ipſi è patriâ educerent; ſibi autem ſatis, ut decenti apparatu iter ejus inſtrueretur, curæ futurum. Igitur deducendæ ſponſæ Regiæ claſſis ſeptem magnarum navium miſſa, legatiqve, Epiſcopus Hacon, Augmundus Krækidans, hujusqve filius Borgar, Paulus Gaas, & Lodinus Staur; viginti ſcalmorum naves Augmundus & Paulus, ſinguli ſingulis draconibus vehebantur. Totus legationis apparatus magnificentiâ conſtabat, præſtitutoqve die ad promontorium Jutiæ (haud dubiè Sellandiæ) Hroſſaneſiam, qvatuordecim nempe ante feſtum Sancti Olafi diebus, appulerunt; nemine tamen à partibus Reginæ vel Comitis, qvi legationem exciperet, miſſo. Cœnobium ergò, ubi regia virgo domicilium habuit, ingreſſi exqvirunt ab eâ, an conſtitutus qvis ad iter ejus apparandum, aut legationem excipiendam eſſet? Illa, miſſo ad Reginam famulô, legatorum verba exponit; Regina tam citò expediri poſſe, ob bella, qvibus cum Duce implicaretur, negabat. Qvibus per virginem ad legatos relatis, facilè obſervabant illi, de induſtria moras necti; cùmqve in mandatis haberent eam qvàm curatiſſimè ad ſponſum ducere, Epiſcopus Hacon præcipuiqve legationis miniſtri cœnobium repetentes ipſam acceſſerunt, rogantes, ut qvandoqvidem tutorum ſuorum & amicorum negligentiam, an ludibrium, ſatis ſuperqve animadverteret, cùm tamen nihil aut ab ipſa, qvæ jam Reginæ matri adventum legatorum ſignificâſſet, aut à Regibus Norvegiæ, intermiſſum ſit; nè pateretur ſe diutiùs jam ab iis ludificari, ſed ſe tandem ipſam ſuamqve conditionem vindicando, præmiſsâ Divini auxilii invocatione, melioribus conſiliis obtemperaret, inqve Norvegiã legatos ſponſi Regis ſeqveretur. His multa cùm diu oppoſuiſſet illa, apparatusq; defectum, in tantâ præſertim feſtinatione, maximè excuſâſſet, omnia hi, qvibus iſtud indigeret iter, affatim ſibi ſuppetere reſponderunt: eô enim fine legationem adornatam, ut qvàm honorificentiſſimè deduceretur. Tandem poſt aliqvam deliberationis moram aſſenſum præbuit, ſolenniq; ritu per eundem Haconem Epiſcopum Magno Regi deſponſata eſt; etiam præfinitus dies, qvô educenda à Norvegis ad naves eſſet, ſi nullus interea Reginæ nomine ad eam

eam ex dignitate collocandam, legatisqve tradendam mitteretur.

Eodem tempore Comes Birger in fretum Sundicum cum copiis Svecorum advenerat; hic nuncio ad Nordmannnos misso significans, negotium sibi cum illis intercedere, ut adventum suum, si occasio ità ferret, præstolarentur, petit. Verùm suspectum illis eó magis Comitis erat postulatum, qvod scirent, virginis ipsum nuptias ambivisse; ne igitur in isto rerum statu credulitate aliqvâ circumvenirentur, omnes dolis vias sollicitè obstruebant, adqve constitutum diem navibus suis egressi, armati tanqvã ad prælium cum præcipuo comitatûs robore, idoneis tamen custodibus ad naves relictis, cœnobium accedebant; ignari enim, qvò se Danorum consilia verterent, utpote qvibus in tam populosa terrâ, si vis inferretur, omninò impares erant, qvomodocunqꝫ se in omnem eventum muniebant; sed nec tunc qvidem â Reginâ qvicqvam de virgine dispositum; postulârunt itaqve ab hac, ocyùs ut fidem suam liberaret, qvæ neqvaqvam tum difficilis, assumtis tantùm famulorum locô duobus eqvitibus & octo omninò fæminis, ê cænobio se proripiens eos seqvebatur; Priore metu Nordmannorum vix loqvi, nedum resistere, ausô. Tantâ celeritate res acta est, ut nullus Danorum, qvæ agitarentur, sentiret, ne eqvites qvidem, qvi ipsam comitabantur, prius qvàm in viam, qvæ ad naves ducebat, deventum esset: neqve alias illi, præter qvas induti erant, vestes secum assumserant. His expeditis, Nordmanni summâ festinatione è portu properabant, nec Daniæ ulla, sed nec Norvegiæ, litora, priusqvam Tunsbergam, vespere pervigilii S. Olafi, pervenirent, attigerunt.

Post abitum legatorum in Daniam Rex uterqꝫ & Archiepiscopus Bergas profecti sunt: qvò tunc Alexandri Scotiæ Regis legati, Archidiaconus qvidam & Eqves, cui nomen Missel, advenerunt. De horum negotiis nihil admodum memoratur, nisi qvòd affectatîs blanditiis verborumqꝫ illecebris fidem legationis suspectam Regi redderent; auxeritqꝫ suspicionem regressus insalutato Rege properatus. Jamqꝫ navigatum vela sustulerant, cùm Brynjolfus Jonis filius in id missus eos retraxit; adeoqꝫ detenti in ultionem per hyemem sunt, qvòd præter morem legatorum abitum sine veniâ maturâssent. Tum verò Episcopus Hacon Tunsbergâ nuncios cum literis ad Regem misit, qvibus notum ipsi in fecit, fide ejus clementiqve præsertim fiducia virginem regiam, patriâ ultro relictâ, raro comitatu regnum ejus concessisse, cum propter Danorum metum nec locus nec tempus, qvo tutò iter pro dignitate sua instrueretur, deligi posset, cum tamen in Dania possessiones ei ac bona non deficiant aut desint. Gratus Regi nuncius literæqꝫ perqvam acceptæ erant; adesse jam virginem, eamqve sponte advectam, intelligenti. Convocato itaqve ex toto regno præcipuo ordinis cujuslibet flore, magnificè omnia, qvæ ad excipiendam ipsam reqvirerentur, apparabat. Comes Knutus singuliqve Episcopi arcessuntur, Archiepiscopo tum Bergis præsente: is enim ex oriente, eadem qva Rex Magnus navi vectus, Stafangriam profectus erat, ubi mensâ cum eodem communi usus æstatem in ea urbe ad hoc usqve tempus exegerat.

Rex interim Pater per nuncios Episcopum Haconem, ut iter, qvantum posset, acceleraret, hortatus est; volebat enim Magnus nuptias qvàm primum peragi; attamen Episcopus, reflantibus continuò ventis diu frustra obnixus, totas tres hebdomadas in itinere consumsit. Bergas tandem paucis ante festum Nativitatis Mariæ, quod in octavum Septembris semper incidit, diebus, cum sponsa Regiâ pervenit, portumqve Laxavogum (seu Salmonum sinum) statim ingressus est. Eorum adventum Reges & Archi-

Archiepiſcopus honore exqviſitiſſimo proſecuturi, cum ſplendido nobiliſſimorum virorum comitatu ad naves procedunt, remisqꝫ ad eos contendere nituntur, ſed fruſtra; ventis nimirum vehementiùs adverſantibus. Proximo itaqꝫ die Rex Magnus cum urbanis civibus omnibus, qvæ invitus pridie intermiſerat officia, denuò iterat, magnâqve affectûs ſignificatione, acatiò ad navem prætoriam vectus, virginem excipit; inqve templum Michaelis cum Epiſcopo deductam, in proximo hoſpitio cum comitatu omni per integros ſeptem dies ſplendidè tractavit; nondum enim in regiam ante nuptiarum ſolennia inducere eam placuit. Reverſus domum Rex Hacon decreviſſe ſe qvidem ait, virgini huic, anteqvam adventâſſet, qvàm maximos deferre honores; id verò ſe jam qvoqꝫ impenſiùs exſecuturum, poſtqvam eam vidiſſet, qvippe ex cujus ore dotes omnes, qvas fortuna regalis ſeqveretur, emicare: qværitqve â filio Magno, an in navalibus iis, ubi ipſe olim inauguratus feſtum coronationis celebraverat, an in aula ædibusqve Regiis, nuptiale fieri convivium velit? Ille ædificia aulæ aucta jam & multiplicata, qvalia illo tempore non extabant, reſpondit: haud igitur navalibus in præſens opus eſſe. Tria ergò palatia in uſum convivii ingentibus ſumtibus inſtructa ſunt.

Dominicâ primâ poſt feſtum Nativitatis Divæ Virginis Rex Magnus & virgo Engilborg ſolenni nuptiarum pompâ, ritu Chriſtianis receptô, dextras jungebant. Mox ad convivium progreſſum. Palatia in aula Regia tantæ celebritati deſtinata hôc ordine diſtincta ſunt: in lapideo Reges ambo, Archiepiſcopus & Epiſcopi omnes, Comes deinde Knutus, Satraparum pleriqꝫ, ſatellites qvoqve ordinis ſuperioris, & præcipua nobilitas, epulabantur; ligneum Regina Margareta, ſponſa cum omni ſuo comitatu, matronæqve nobiles & cœnobitæ; præterea multi primarii viri, inſidebant. Jolenſe ſeu Natalitiorum palatium Augmundum Krækidanzem, Erlingum Alfi filium, mercatores peregrinos & urbanos cives, excepit. Convivæ omnes, præter famulorum turbam, circiter mille nongenti numerabantur, nec ad eum diem in Norvegia nuptialis feſtivitas pari pompâ, ornatu atqve impenſis, convivarumqꝫ numero unqvam celebrata memoratur. Omnibus, qvi in palatio Regio potabant, libera potionum electio permiſſa; pari enim abundantiâ vinum atqve alia viliora potûs genera affluebat. Jamqve Rex Hacon amicos, qvi à conſiliis erant, conſulebat, videreturne ipſis Magnus qvoqve coronandus? qvi in eo qvidem inter ſe maximè diſſidebant; alii aucto honore augeri ſpiritus, novam inde aulam, novos ſatellites poſtulaturum; inde fortè inter patrem & eum non eandem, ut anteà, concordiam ajebant futuram. Epiſcopus verò Hacon cœteriqve ad ſponſam adducendam priùs miſſi, promiſſa Regis repetentes, mox etiam urgebant, pollicitum eum, & filium & novam nuptam diadematis honore exornaturum. Id ut præſtaret, etiam alii multi Regis Magni amici flagitabant; nec tamen de Regis voluntate aliqvantiſper cuiqvam conſtabat. Tandem ipſe Magnus patrem accedens hôc modô affatur: *Non eſt, chariſſime pater, quòd eorum auſcultes conſiliis, qui perſvadere conantur, me ideò ſpiritus ſublaturum, ſi me præter exemplum majorum honore omnium maximo affeceris. Eqvidem quantò paterna pietas major, quantò beneficia auctiora, eò majòr obſequii & grati animi obligatio oritur. Notum tibi ſatis perſpectumque à teneris ingenium meum, ſubjectum & obſequens, quoad Regem feciſti; nec, ut ſpero, iſto honore mutatum. Etenim id meum non minùs, quàm tuum, hoc facit decus, ut te obſervantiſſimè colam, nec tibi me alium, etiam hoc acceptô gloriæ incremento, futurum in poſterùm experiere. Vera hæc, filî,* reſpon-

respondit pater; *nihil enim unquam in me colendo intermisisti; par itaque est, ut nec ego in te ornando quicquam jam prætermittam, quod ut felix faustumque fiet, Divinâ aspirante clementiâ, precor.* His colloqvium diremtum, triduum verò integrum convivium durabat.

Festo Sanctæ crucis, qvod feriam qvartam hebdomadis occupavit, Rex iterum Regiam novo apparatu instruxit, isto enim die filium placuit consecrari. Sacris jam multô mane peractis, populus omnis in Regiam confluebat. Cæterum ornatus ac ceremoniæ ad exemplum similitudinemqve coronationis Regis Haconis qvàm maximè formabantur. Jamqve præcipuæ pars satellitum, integram induti armaturam, ad aperiendam per turbam viam primi ad templum Servatoris procedebant, proximè signiferi, tum qvæstores & dapiferi: successerunt deinde Satrapæ, hisqve lectissimi qvatuor ex eodem ordine, ingentem supra capita mensam portantes, qvæ vestes Regias habitumqve consecrationi dicatum continebat. Hos secuti Erlingus Alfi filius & Brynjolfus Jonis filius, duo sceptra argentea, multo auro ornata, gerebant; postremus horum Comes Knutus, &, qvod valde æger esset, â duobus Stallariis sustentatus, coronam portabat; a latere ejus Gautus Jonis filius gladium: ultimi Reges ducebantur. Ad portam Regiæ Episcopi Abbates & Clerici occurrentes, processionis, qvam vocant, honore eos prosecuti solenne carmen modulabantur. Inde ad altare processum; sacraqve celebrari cæpta, coronandiqve actus ex legum Ecclesiasticarum præscripto institutus. Hæc cum fortè ê choro prospectaret legatus Regis Scotiæ, eqves Missel, in summam admirationem incidisse, cumqve astantibus vix lachrimas tenuisse fertur, rei novitate motus: neque enim in Scotia Reges coronari mos erat. Cum verò Magnus indutus vestibus â Rege Hacone, Archiepiscopo Einare & tribus Episcopis gladio cingeretur, in hæc verba erupit: *At relatum mihi antea erat, equites in hoc regno non creari: ego vero nunquam tanta magnificentia & gloria equitem creatum vidi, utpote quem quinque hujus regni nobilissimi Principes gladio ipsi cingunt.* Postqvam vestes solennes Magnus induisset, Archiepiscopus eum ad sedem suam deduxit; qvem cum accessisset Pater, assurrecturum impositâ humeris manu inhibuit, inquiens; *ne mihi hodie assurgas, fili, neque ulli præterea; Regiam enim te decet gravitatem conservare. Illuxit jam ille dies, qui mihi exoptatissimus accidit, cum carnem & sanguinem meum tanto in honoris fastigio demum conspiciam; tantum abest ut hunc tibi honorem inviderim, nec eo fine alios hac de re consului, ut iis mihi auscultandum, si diversa svasissent, existimaverim; quo in te animo essent, explorare potius licuit, & deprehendi dissuadentes eosdem esse, qui facem dissidii inter me & propinquos tuos* (Ducem Sculium intelligens) *accensam extinguere nunquam studuerunt: id quod tamen ut illis condonet Deus, seriò precor.*

Finitis sacris Archiepiscopus aliiqve Episcopi iterum concinentes in Regiam Magnum deduxerunt, qvi vestibus inaugurationis depositis, Regias assumsit, retentâ in capite coronâ, qvam ab Archiepiscopo coram altari impositam totum deinde diem gestabat. Etiam Regina Engilbiorgis eodem ritu ipsoqve hoc die coronata est. Hinc ad convivium, qvod in honorem novi Regis & sponsæ magnificentissimè instructum, accesserunt. Apparatum illius Sturla duobus versibus describit. Munera deinde Reges Archiepiscopo Proceribusqve aliis jubebant ferri. Sed & Rex Magnus satellitibus suis omnibus, multisqve præter hos aliis, dona ipse distribuebat. Finito convivio, Danos omnes ad epulas invitavit, eqvitesqve, qvi Reginam comitati erant, magnificè donatos remisit: fœminas au-

autem Regina famulosqve, qvos placuit, in aula porrò sua retinebat. His peractis Rex Magnus Stavangriam ivit. Archiepiscopus eum ad navem deductum cum salutâsset, his verbis affatus fertur: *Semper, Domine, ægro â te animo discessi, nunc vero demum lætus te relinquo, conscius jam mihi, omnia, quæ licuit, in te officia contulisse. Regem te primus ego publicè appellavi, Reginam deinde sacro copulationis ritu tibi in manus tradidi. Te simul ac ipsam inaugurando, Regalem capitibus vestris coronam imposui, ultimam verò deprecor, nempe ut justa persolvam tibi; quod ut nunquam eveniat, Deum immortalem veneror.* Rex affectum in se istum & studia gratiarum actione prosecutus, dimisso tandem eo, navem conscendit.

Cæterum Comes Knutus totô convivii tempore æger, lectoqve affixus, paulò post exspiravit, insigniqve funeris pompâ elatus, ad templum Servatoris â latere parentis sui sepultus est. Princeps hic fuisse moribus comtis & urbanis dicitur, doctus atqve haut parùm magnificus, staturâ procerâ, formâ liberali oppidò & speciosa, potator verò strenuus, unde & ægritudinem illam contraxit. Hoc autumno Oddus de Sioltis & Paulus Magni filius, Leifusqve, â nave Knarrar-Leifus dictus, post qvatuor in Gronlandia hyemes exactas, redierunt, nunciantes Gronlandos ad censum in posterum Norvegiæ Regi dandum facilè jam adductos; sancivisse præterea, ut multæ omnes pro cædibus perpretatis, sive Gronlandis, quibuscunque n locis, cultis pariter ac incultis, etiamsi sub ipso polo Arctico committerentur, Regi pendendæ essent, prout id graphicè Sturla & enucleatè superstite versu depingit. Rex Magnus post aliqvam Stavangriæ moram Bergas ad Patrem revertit; ibi Natalis Christi solennia celebrata, hyemsqve adeò regni Haconis qvadragesima qvinta transacta. Ad hunc annum, seculi videlicet 61. tres Annales, quos sæpius in hoc opere citavimus, magno consensu referunt Nuptias Ducis Sveciæ Birgeris cum Mathilda Daniæ regina. Hanc verò Matthildem Regis Abelis viduam fuisse Pontanus rerum Danicarum Historiæ lib. 7. p. 346. nos docet, qvas nuptias svasu ac machinatione Archiepiscopi Lundensis contractas idem testatur, post habito qvod ipsa Episcopo Othoniensi data dextera vovisset, se, quod ætatis reliqvum, innuptam & cælibem transacturam.

CAP. XLVI.

LEGATIO IN DANIAM, ET AD SOLDANUM IN SERCHLANDIA. NATUS OLAFUS REGIS MAGNI FILIUS. DENATA SOROR EJUS CHRISTINA. REX HÆBUDARUM DE CRUDELITATE HOSTIUM HACONI QVERITUR. EPPEDITIO ADVERSUS SCOTOS ADORNATUR.

PRoximô vere, post hyemem Bergîs agitatam, Reges ad limites regni Gautelfam usq; , uti convenerat, ad habendum cum Comite Birgere colloqvium, proficisci statuunt, Bergis Reginâ utrâq;, & Engilborge qvidem jam gravidâ, relictis. Ubi Tunsbergam ventum, legatos Comitis offendunt, qvi excusationem ipsius afferentes propter negotia qvædã publica revocatum eum à proposito itinere nunciabant. Duxerat autem tunc Rex Sveciæ Valdimarus, Comitis filius, Sophiam Reginæ Engilborgis

gis ſororem. De harum igitur patrimonio poſſeſſionibusq; in Dania agendum erat. Svadebat autem Comes legatos in Daniam mitti, ad cognoſcendum, ubi poſſeſſiones iſtæ ſitæ eſſent, qvæ ad Regias pertinerent filias, qvò ſic inter ſorores qvatuor (nam duæ adhuc innuptæ erant) æqvis partibus dividerentur. Delecti Paulus Gaas, Andreas Plittus & Thorlaugus Boſius, ad hæc curanda in Daniã ſtatim legantur. Ibi tum Dux Brunsvicenſis Albertus curam omnem regni cum Regina gerebat. Detenti autem per æſtatem legati nihil profecerunt.

Interea Rex Hacon Osleyam proficiſcitur, Magnus Sarpsburgum ad inſpiciendas provincias, qvas pater Reginæ Engilborgi donaverat; in itinere autem valetudinem ex nimia eqvitatione contraxit. Hinc Osleyam petens, paululum levari morbum ſenſit, ubi cum proceſſionis ritu in templum delatus planè exinde convaluit. Pervigiliorum tempore ambo ſimul Reges Bergas revertuntur. Circa hoc verò tempus Rex Hacon in Serklandiã legatos ad Soldanum miſiſſe fertur, qvorum principes Lodinus Leppus & Hacon Eiſill erant, munera ſecum, falcones, aliaq; raritate ibi commendabilia, afferentes; qvæ ſingula Soldano acceptiſſima erant. *Editio Danica* regni Tunetani in Africa Soldanum fuiſſe tradit; verùm adeò latè Serklandiæ nomen extenditur, ut certò non poſſit iſtius Soldani ſedes definiri; nam & Aſſyria, Perſia, atqve Africa, eodem nomine noſtris appellabantur. Credendum tamen, interpretem Danicum antiqvum aliqvod in hoc exemplar ſecutum, non autem tantum ſibi ipſum ſumſiſſe, ut hoc ità ex proprio cerebro interpretaretur. *Johannis Martini* verſio planè hæc omittit. Legitur adhuc verſus Sturlæ, qvi Serklandiam tantùm, nimirum generaliter, incuriâ nec excuſabili, nominat: ſed præſtò ſunt, qvi fidem interpretis noſtri liberent; vetuſti nimirum annales, in qvos fortè haud pridem incidi, qvi legatos Regis à Soldano regni Tunetani in Africa ſeqvente annô rediiſſe, Rege jam Hacone in expeditionem profectô, tradunt.

Hac æſtate Hallvardus Gullskor ex Islandia revenit, in cenſuum conſtitutiones obſeqviumqve Regis Islandos juràſſe nuncians. Eum in Norvegiã ſecuti ſunt Sighvatus Bodvaris filius, Kakalii ex fratre pronepos, Sturla Rafni filius, Abbas item Brandus Jonis filius, ab Archiepiſcopo per literas accerſitus. Rediit & ex Dania Thorlaugus Boſius, re irritâ atq; infectâ, remanentibus tamen ibi cœteris legatis Regiis, Paulo Gaaſe & Andreâ Plitto. Eâdem æſtate Bergis Regi Magno ex Regina Engilborge filius Olaſus naſcitur. Autumno deinde Reges & Reginæ in Thrandiã profecti ſunt, infante Olaſo in cænobio Monialium relicto. Eos Archiepiſcopus ſolenni proceſſionis honore excepit. In hunc annum referunt Annales obitum filiæ Regis Chriſtinæ, in Hiſpania nuptæ. Hybernum tempus Nidaroſiæ exactum, anni regni Haconis quadrageſimi ſexti. Redierunt tunc ê Dania Andreas Plittus & Paulus Gaas / negotio adhuc irrito, nondum defenitâ parte hæreditatis Reginæ Engilborgis, tantùm verò agrorum ſitum numerumqve, qvi ejus eſſent, exploratum referebant. Magni tum impenſis Natale Chriſti feſtum celebratum legitur, tumqve Abbas Brandus Regi magnopere ſe probâſſe, in intimam ejus amicitiam receptus. Ægrotabat eâ hyeme Archiepiſcopus, raròque Regem inviſebat, manente tamen concordiâ, qvam Rex Magnus pro virili promovere ſtudebat. Cæterum ſuperiori æſtate Hæbudarum Rex per literas graviter erat qveſtus, *Comitem Roſſiæ* (*Danica Edit*: habet Monreſſiæ) *& Kiarnachum Niachamalis filium* (Scotiæ Regis filium Editioni Danicæ) *aliosque Scotos Hæbudas populari, cum ad expeditiones bellicas illac proficiſcerentur,*

rentur, tanta immanitate, ut non aris magis templisque quàm privatis domibus parcerent, fœminas juxta ac mares trucidarent, infantes mucronibus gladiorum sublatos infanda crudelitate dirissimoque cruciatuum genere necarent; compertum quoque, Regi Scotiæ in animo esse, si vita maneret, omnes sibi Hæbudaram insulas subjicere. Hæc igitur magnam Regi curam injecerunt, consuluitqve amicos statim, qvid jam facto opus censerent? Spreta autem sententiarum, qvæ ab hisce proferebantur, varietate, ex universo regno ad expeditionem delectum militum, commeatus, classemqve imperat, Bergasqve ad se haud cunctanter circa hoc ipsum tempus evocat. Archiepiscopus ad Canonicos de electione Episcopi Islandiæ retulit, omniumqve suffragiis Brandus, consentientibus qvoqve Regibus, electus est. Redierat tunc Româ Gilbertus cum literis Pontificis, qvæ eligendi potestatem Archiepiscopo permiserunt, ita tamen, ut Gilbertum, qvando id Regi curæ esset, in defuncti Hamarensis Episcopi locum substitueret. Eum simul & Brandum ad cathedram Islandiæ Holensem vocatum Archiepiscopus qvarto Nonas Martii, præsentibus Petro Episcopo Bergensi & Thorgilse Stafangriensi, inauguravit.

Jamqve circa medium Quadragesimæ tempus Rex Hacon Nidarosia terrestri itinere exiens, ad Gautelfam iter instituit, hinc Liodhusam (uti prius per internuncios constitutum erat) ipsa Paschatis hebdomada Comitem Birgerem invisurus. Verum hoc ante Regis adventum aliò profecto, Rex Tursbergam sese, ad indicendum ex provinciis orientalibus delectum, convertit, festoque Sanctæ Crucis eò pervenit. Paulo post Parentis abitum Magnus qvoque cum utraque Regina ê Thrandiâ discedens, in portu Frekeyarsunda festum resurrectionis Christi memoriâ celebre peregit: inde Stafangriam vectus, classeqve ex Agdafylkia comparata, cibariis, aliisqve necessariis advectis ad patrem redit; qui illa veris parte Bergis maximis occupationibus in apparatu bellico conqvirendo distinebatur. Singulis deinde diebus cum jam satrapæ omnes, satellitumqve ac qvæstorum, qvicqvid in toto erat regno, eò confluxisset, Rex senior, concione ad ripas supra urbem advocata, omnem se exercitum in Scotiam trajecturum, ad ulciscendas illatas Hæbudensibus clades, pronunciat. Verum Magnus statim se isto onere patrem levaturum professus, sibi expeditionem deposcebat. Grato id animo agnoscens Pater, curam totius regni atqve imperium ei tradidit, qvæstoribusqve interdixit, se absente leviorum delictorum multas persequi, graviora crimina non negligenda ipsos monens. Addit *Editio Danica*, partem Vikensium ad defensionem provinciarum suarum dimisisse. Navem prætoriam novam, ex robore totam, scalmorum viginti septem, singulis draconum capitibus cervicibusqve inauratis, ipse ducebat. De vere autem in Hæbudas ablegaverat Jonem Langalifis filium & Henricum Scotum, ad duces itineris comparandos: hi Regi Dugali nunciarunt, classem exercitumqve eadem æstate affuturum. Habebant in animo Scoti tunc qvoqve Hæbudas aggredi, sed Rex Dugall spargi rumores curavit, quadraginta naves in auxilium sibi e Norvegia missas esse, atqve hoc commento Scotos ab irruptione terruit. Præmisit autem Rex Hacon, cum paratus nondum ipse esset, octo in occidentem naves, qvibus præfecti Rognvaldus Nicolai filius, Hallvardus Rufus, Erlingus Ivaris filius & Andreas Nicolai filius, pluresqve alii, qvi adversis ventis impediti aliqvandiu in portu detinebantur.

Tandem jam omnibus paratis, universam Rex classem ex urbe in

por-

portum Eidsvogum dirigit, inde in urbem regressus; ibique parumper moratus ad Herlæ stationem navigat, qvò tum integra classis convenit; numero & magnitudine insignis, uti illam tribus exqvisitis versibus Sturla carmine, quod Rafnsmal inscripsit, celebrat. Paucis diebus, postqvam Rex in stationem Herlæ devenerat, Rognvaldus & Erlingus cæterique, qui præmissi erant, ê portu solventes in altum vela dederunt. Dispersi verò inter navigandum, Erlingus qvidem ad Orcades navium partem appulit, Rognvaldus, Hallvardus & Andreas ab australi Hialtlandiæ latere in occidentem ad sinum Barreyensem delati sunt, nec terram ullam præterqvam scopulum Sulnesker, quod ab occidente Orcades spectat, conspicati, inde ad Scotiam cursum dirigunt, occupatoque promontorio Dyrnesia, castellum unum, fugato præsidio, diruunt, villis qvoqve viginti incensis, in Hæbudas ad Regem, tunc in Mauna (Mannia) constitutum, pervehuntur.

CAP. XLVII.

REGIÆ CLASSIS ORDO. VARIÆ AD REGEM HACONEM PRO PACE PETENDA LEGATIONES. RAPINÆ IN SKIPAFIORDO. INGENS A TEMPESTATE PERICULUM. PRÆLIUM NORDMANNORUM CUM SCOTIS. REX HÆBUDIS HYEMANS INSULANIS COMMEATUS IMPERAT.

TErtiâ ante festum Sanctorum de Selia nocte, Rex Hacon in mare Solundense, (est autem hoc non internum aliquod mare, vel sinus, verum ipse potius Oceanus septentrionalis, nostris ab insulis Soleyis, qvæ promontorio Stadensi adjacent, ita appellatum) classem universam duxit, sexto supra qvadragesimum regni sui anno, Christianæ æræ MCCLXIII. Ornatum navium magnitudinemq; Sturla verso superstite adumbravit. Delecti ex omni regno classiarii in Regiam coiisse navem dicuntur, inqve loco fyrerum (proximo a prora) hi præcipui constituti, Dominus Thorleifus Abbas, Dominus Askatinus, qvatuor presbiteri, Clericique alii; Laici autem, Aslacus Guss Regis Stallarius, Andreas de Pyssiseya, Andreas Havardi filius, Guttormus Gillii filius, ejusque frater Thorsteinus, Eiricus Scotus Gauti filius, cum aliis pluribus. In loco Krapparume Aslacus Dagi filius, Steinar Herka, Clemens Langius, Andreas Gums, Eiricus Regis Dugalis pater. Einar Lungbardus, Arnbiornus Svæla, Sigvatus Bodvaris filius, qvi Sturlæ Thordi filii ex fratre erat nepos, Höskuldus Oddi filius, Jon Hoglifius & Arnius Slingus. In tertio loco Sigurdus Ivaris Rosæ filius, Helgius Ivaris de Losalækis filius, Erlendus â calceis, Dagus de Sudreyis, Brynjolfus Jonis filius, Gudleikus Sneis, multiqve ex aula Reges alii. Andreas Plittus Regis thesaurarius erat. Hi autem puppim occupabant: Eiricus Kisa, Thorfinnus Sigvaldi filius, Karius Endridii filius, Gudmundus Jonis filius, pluresque dapiferi; ut plurimum media loca quatuor insederunt. Comitabantur Regem Bergis Magnus Orcadensis Comes, cui longam Rex navem donabat; hi verò satrapæ, Brynjolfus Jonis filius, Finnus Gauti filius, Erlingus Alfi filius, Erlendus Rufus, Bardus de Hestbæis, Eylifus de Haustdalo; Andreas Pottus &

 Aug-

Augmundus Krækidans: Erlingus autem Ivaris filius & Jon Drotning cum aliis quibusdam navium præfectis, qvod nondum parati essent, Bergis relicti sunt. Gautus de Melo & Nicolaus de Giskio ad Regem Magnum remanebant. Erant & plures ex nobilitate regni navium præfecti in classe Haconis Regis; qvorum mentio postea injicietur. Biduo postquam ê Norvegia solvisset Rex, in Hialtlandiam delatus, stativa in Breideyarsunda habuit: ibi cum duabus penè hebdomadis constitisset, in Orcades provectus, portum Ellidervikam prope Kirkiuvogum subiit, habitoqve cum consiliariis colloqvio, significavit se copias divisurum, parteqve in Breidafiordum prædatum emissâ, ipsum interea cum majoribus navibus, & majore exercitus parte in Orcadibus remansurum; verum coloni militesque conscripti negabant, se aliqvo nisi Rege ipso duce moturos. Irrituminde consilium tum qvidem non ultra processit.

Festum Sancti Olafi hoc tempore in diem Dominicum incidebat, itaqve in castris sacra celebranda Rex curavit, omnemqve exercitum, universas nauticas copias, conviviô, & duces qvidem in prætoria nave, excepit. Paucis inde diebus classem ê portu eduxit, austrumqve versus tendendo, transita Mula Rognvaldeyaqve, in sinu proximo collocavit, longô inde tempore in ostio Rognvaldsundæ excubaturus. Aderat tunc ex Orcadibus Rognvaldus cum parte navium. Hinc per legatos Rex Catanesensibus tributa imperat, secus flammâ ferroqve provinciam se vastaturum interminatus: facilè igitur, qvæ postulabantur, obtinebat. Ibi dum constitit, Nonis Augusti tenebræ solem obfuscabant, circulo tantùm lucido sydus ambiente, horamqve diei integram hoc tenuit. Notant hanc eclipsin ad V. Augusti ejusdem anni Scriptores alii. Redierat tunc ex Hæbudis missus antea à Rege Jon Langalifis filius, in Hialtlandiã ad Haconem delatus, retulitqve, Jonem Sudreyarum seu Hæbudarum Regem ad Regem Scotiæ defecisse, violatô promissô, fideqve Regi Haconi datâ; cui qvidem nuncio nullam tum fidem Rex habere, anteqvam ipse comperisset, voluit.

Die S. Laurentii festô, Rex universam classem per Hvarfum, sinu Picticô transmissô, in sinu Asleifisvika statuit; ibi cognovit Jonem Drotning cum Kolbeino Aslaci filio aliasqve naves, qvæ domi remanserant, in Orcades pervenisse. Lodhusam inde, mox ad insulam Rauneyam, navigatum. Skidsundam provectus Kerlingarsteino admovit, ubi Rex Manniæ Magnus cum Erlendo Ivaris filio, Hallvardo, Nicolao Tarto (qvi toto navigationis cursu nullam prius terram, qvàm Lodhusam, attigit) Jon qvoqve Drotning & Andreas Nicolai eum accesserunt. Cùm è statione Skidensi classem moliretur, Dugall Hæbudarum Rex levi lembô vectus advenit, Regemqve celeriter ad Milarsundã deduxit, indeqve ad Kiarbareyã, qvò jam tota classis unà cum Hæbudensium navibus congregata, numerô centenarium excedens; plurimæ verò in his magnitudine insignes erant, apparatuqve & copiis optimè sanè instructæ. Dum stativa in Kiarbareya haberet, qvinqvaginta navium classem ad isthmum Satirensem ablegavit, ducibus Dugale Hæbudarum & Magno Manniæ Regibus, Brynjolfo, Rognvaldo Orcade, Andreâ Pottô, Augmundo Krækidanze, Vigleiko presbyteri filio; aliam ad Botã qvindecim navium, qvarum præfecti, Erlendus Rufus, Andreas Nicolai, Simon Stuttus, seu Brevis, Ivar Juvenis, Eyfarius & Guttormus Sudreyensis. Ipse ad Gudeyã propter Satiriam navigavit: Ibi ad eum oportunè Rex Jon delatus, nave Episcopi Thorgilsis receptus est: qvi Regem, ut par erat, seqvi jussus, fidem Scotiæ Regi jurejurando datam excusavit, qvodqve ejus beneficiô ampliorem jam provinciam teneret;

neret, qvàm Regis Norvegiæ (ità hic locus, pravè in *Edit: Dan:* expositus, verti debet: ibi enim habetur, qvod feudum suum Regi Scotiæ, nihil autem Regi Norvegiæ, deberet) eaqve propter jam fevdum se, ab Hacone Rege acceptum, libero ejus arbitrio permittere. Verùm Rex aliqvantisper apud se eum, spe mitigandi, adqve obseqvium reducendi, tenuit, sed irritâ, ut videbatur, operâ: qvô qvidem nomine multi Jonem graviter criminabantur.

Cùm in Gudeya Rex Hacon esset, Abbas qvidam cœnobii, ordinis Grisei, eum adiit, pro pace cænobii sui, sacræqve ædis, ejusqve clientum, supplicaturus, qvam & impetravit. Eodem tempore nuncii à Rege Dugale advenerunt, referentes Margadum & Engum Satiriæ præfectos paratos esse provincias suæ potestati comissas dedere, partesqve Regis Norvegiæ ac militiam seqvi. Rex autem respondit, nî postridie se illi ante meridiem accederent, statim se eos oppugnaturum.

Seqventis diei mane Margadus Regem adiens deditionem fecit, pauloqve pòst Engus hujus exemplum secutus; recepti, datis obsidibus, præstitôqve sacramentô, mille, qvi imperabantur, boves attulerunt. Insulâ adeò totâ in fidem Regis traditâ, utrumqve se Rex in Scotiæ Regis gratiam, si pax fieret, reducturum promisit. Etiam castellum in australi Satiria situm, à Præfecto Eqvite qvodam deditum, Regis se potestati submisit. Guttormo deinde Backakolfo ejus cura comissa. Qvo tempore frater Simon ex morbo decessisse traditur in Gudeyia, corpus exanime tectum serico villoso à Monachis Grisei ordinis, ad sacram ipsorum ædem in australi Satiria sepultum, eorumqve relatione sanctus is deinde est habitus. Cæterū qvi in isthmum Satiriensem missi ab Hacone erant, in villas incendio grassati, prædas undiqve conqvirebant, donec per nuncios à Rege missos, hoc ipsis interdiceretur, ad Gudeyiã inde ad Regem navigaturis. Deinde Andreas Pottus ad milites, qvi Botam infestabant, missus, castellum in deditionem, propugnatoribus incolumitatem pactis, nomine Regis accepit. Fuit autem inter Nordmannos navis præfectus, nomine Rudrius, qvi Botam sibi hæreditatis jure venditabat, idemqve profugus jam olim ê Scotia variis patriam modis vexabat; tunc verò cum duobus fratribus suis fidem obseqviumqve Haconi addixerat: is ex castellanis jam egressis novẽ occidisse fertur; hinc Bota Regis Haconis imperium similiter agnovit. Ex Botâ in Scotiã itum; ibiq; villæ qvædam incensæ, nec Rudrius à damnis, Scotis pro virili inferendis, destitit.

Cùm ad Sudureyas (Hæbudas, sev Hebrides) devenisset Hacon, nuncii ex Hibernia, incolarum transitionem pollicentes, accedunt. Sigurdum ergò Sudreyensem misit, ad conditiones, qvas offerrent, inspiciendas; ipse verò inde in Hereyas deflexit, cùm interea Scotiæ Regis legati, Monachi nempe, nunc Prædicatorum, nunc Minorum, qvos vocant, ordinum, assiduè de pace ad Haconem missitarentur. Neqve multò pòst Hacon Jonem Regem multis muneribus honoratum dimisit, securumqve deinceps esse jussit; hic verò interpretem se pacis futurum, reversurumqve ad Regem, cùm per nuncios accerseretur, pollicitus est. Neqve studio pacis defuit Rex Hacon, qvi & legatos de ea ocyùs componendâ ad Scotum misit; Gilbertum nempe, (qvem Episcopum Hamarensem fuisse Chronicon typis impressum vult) Henricum Episcopum Orcadensem, Andream Nicolai, Andream Plittum, & Paulum Surem: qvi comiter excepti, Regem à pacis consiliis haud alienum, uti præ se ferebat, deprehenderunt, qvi & legatos de eâdem certis, qvæ sibi consilioqve suo probarentur, conditionibus

bus acturos se missurum declaravit. Qvô responso dimissos Norvegos brevì alii à Scotiæ Rege missi subsecuti sunt, indicem insularum, qvibus cedere Scotus volebat, afferentes, Botâ tamen, Hereyiâ (Arania) & Kumureyâ (Cumbriâ) sibi reservatis; unde irrita demum pacis consilia evaserunt, Scotis rem semper procrastinantibus, qvi dimissi ad Regem suum re infectâ revertebantur. Igitur nihil cunctatus Hacon universam classem Kumbriæ admovit; mox deinde conventus de pace constituendâ in Scotia indictus, qvò ab Hacone Episcopi qvidam Satrapæqve missi, à Scotorum eqvitibus aliqvot, virisqve de monasteriis, excepti sunt; cùm verò in iisdem adhuc conditionibus persisterent, nec tum qvidem de pace convenit. Adultâ die Scoti è continente majore numero confluentes, Nordmannis doli suspicionem incusserunt, qvi ideò ad naves se suas recipientes, Regi, qvæ agebantur, retulerunt, svadentes, ut induciis finem imponeret. Misit ergò Rex Hacon unum è satellitibus superioris ordinis, nomine Kolbeinum, dignitate Eqvitem, cùm literis induciarum â Scotiæ Rege datis, & mandato, ut suas de eâdem re ei datas reposceret, Scotoq; significaret, *ut cum universo exercitu sibi occurreret, eoque conventu pacem, Deo propitio, secum sanciret, vel si illa non conveniret, armis decerneret; experturus tum, utri victoriam Deus concederet.* Posteriorem conditionem Scotus non abnuere visus; sine tamen certo responso reversus Kolbeinus; id qvod admodum Haconi displicuit. Sexaginta deinde naves in Skipafiordum missæ, Ducibus Magno Manniæ & Dugale Regibus, Alano qvoq; hujus fratre, Engo Margado, Vigleikoqve Sacerdotis filio, & Ivare Holmo. Hi universas villas in circuitu lacus Lokulofvii vastârunt, tractum itidem Comitatus titulo jureqve celebrem, Lofvard dictum (fortè Lorna, seu Lochaber) multasqve in stagno insulas sparsas populati sunt, prædâ undiq; ad naves comportatâ. Frater Dugalis Alanus agro Scotiæ, qvæ in transversum patet, exspoliato, multas boum centurias abduxit. Interim, dum hæc aguntur, decem navium jacturâ in Skipafiördo factâ, Ivar insuper Holmus morbô absumitur.

Festum Michaelis in diem Saturni incidit: proximò die Lunæ ingens tempestas, mistam imbri densissimo grandinem effundens, exstitit, qvæ navem onerariam è statione exturbatam, in Regiam triremem impulit; id conspicati rudentum custodes, ferri navem in se magnâ voce indicant: accurrentes itaq; nautæ, ad avertendum damnum impigri, neqveunt tamen inhibere, qvin prora in caput regiæ navis impacta rostrum defringat: acta deinde vento circum latus triremis ad puppim, inq; anchoram hujus impulsa atq; rudenti implicata, regiæ navis anchoras convellere cœpit, itaq; jubente rege rudens mercenariæ incisus, ipsaq; in insulam provecta. Totâ deinde nocte regia navis, liberata velis, ægrè tamen substitit, appetente verò die, æstuqve affluente, mercenaria vadis levata in Scotiam ferebatur: cum autem increbrescente vento funibus adhuc pluribus, navis regis ligari qvintaqve anchora expediri cæpit, cum rex iterum Scaphâ ad insulam vectus sacra celebrari curavit, quæ dum agebantur, in sinum navis propellebatur, projecta tunc anchorarum maxima ne sic qvidem cursum ejus stitit: tandem octo simul anchoræ expeditæ, easqve inter, qvæ mercenariæ ademptæ, illam fixerunt, laborantemqve a sævioris procellæ impetu vindicarunt. Qvinqve tamen aliæ vadis illisæ sunt, qvas simul ut Scoti in littoribus stantes conspexerunt, subito in unum collecti impetum in Norvegos fecerunt, iis, qvi ad mercenariam pertinebant, acriter se defendentibus: cum autem aliquantum vis ventorum remittetur,

retur Rex subsidia suis in terra laborantibus misit. Ipse mox cum Thorlaugo Bosio in satellitum lembum transiit: adventantibus vero subsidiis regis Scotiæ ad superiora diffugiunt, Normannis postea in terra noctem illam agentibus, cum interea Scoti in navi mercenaria, qvæ appulsa erat, exspolianda occupati essent.

Seqventi die Rex Hacon summo mane ea, qvæ adhuc in nave inveniebantur relicta, ad classem deferri jussit: tumqve Augmundus Krækidanz cum phalange militum collem qvendam occupavit, qvos levi velitatione Scoti impetebant, universo deinde exercitu hostium appropinqvante. Duces regem, ut in navem se deduci pateretur, suisqve inde subsidia mitteret, rogabant, qvi qvantumvis suis præsens adesse nitebatur, non tamen obtinere id potuit, cunctis vicem ejus sollicitis, itaqve ad naves conversus iterum, Satrapas cum exercitu in terra reliqvit, qvorum hi notantur: Augmundus Krækidanz, Erlingus Alfi filius, Andreas Pottus, Erlendus Rufus, Andreas Nicolai filius, Paulus Sur, Thorlaugus Bosius, & Andreas Plittus, militesqve cum iis in universum octingenti, qvorum ducenti in tumulo cum Augmundo, reliqvi in subjecto sabulo constiterunt. Scotorum exercitus eqvitibus qvingentis, ab armis vesteqve optime instructis, ingentiqve, licet incerto, peditum, arcus hastasqve magnam partem gerentium, numero constare visus (præsente, ut creditum, rege: nam & hoc testatur Editio *Danica*) Normannos lapidibus telisqve incessebat. Igitur Andreas Nicolai in collem ad Augmundum Krækidanzem enisus, svasit, ut ad reliqvas turmas descenderet, ne a Scotis circumveniretur, id qvod etiam feliciter processit; Scotis interea Norvegos telorum saxorumqve jactu acrius urgentibus, dum hi retrocedentes, se, ut poterant, dextrè clypeis protegebant, tandem in infimam declivitatem delati, gradum accelerando, fugientium præbebant speciem sociis: qvi protinus territi, fugâ ad scaphas properant, qvibus classem petant, earum autem complures demersæ sunt, vectorumqve qvidam alii ad lembum enisi. At qvi in terra remanebant, suos, ut redirent, bis terve inclamantes, paucos convertebant. Ibi inter alios Hacon de Steine & duo alii occisi. Cum verò ad lembum littori illisum pervenissent, ferventissime, impari licet manu, pugnatum est, decem Scotis singulos Norvegorum impetentibus, qvibus hi duces inprimis viriliter se opposuerunt, Augmundus Krækidanz, Andreas Nicolai, Thorlaugus Bosius. Editio Danica his Paulum Surem adjicit. Ibi Eques qvidam Scotorum Petrus, cum pluribus aliis cæsus (*Editio Dan.* summo loco hunc natum refert; multosqve occisos, plures tamen e Scotis, addit.) Durante hoc prælio, adeo tempestas sæviebat, ut omnis Regi occasio suis in terra periclitantibus subveniendi præcideretur; Rognvaldus tamen & Eylifus, cum parte eorum, qvi in scaphas confugerant, in terram iterum exscendentes, audacter in hostem irruebant: sed Eylifus â multitudine pulsus ad navem rediit, Rognvaldo intrepide ad suos perrumpente: ad qvem, qvicunqve ê Norvegis dispersi fuerant, subitò congregati Scotos tanto impetu urgebant, ut præsidium a colle petere sint coacti. Leviore deinde pugnâ jaculis sagittisqve se ultro citroqve impetunt: verum inclinante jam die ferociores Norvegi, ultrò impetum in Scotos, qvi collem tenebant, faciunt, deturbantqve: qvibus inter colles rupesqve se abdentibus, Norvegi ad classem, vehementiore obstante vento, recurrunt. Alterô statim die missi a Rege qvi mortuorum corpora ad naves deferrent: cæsi autem è Norvegis erant, Hacon de Steine, & Thorgils Gloppa, uterqve satelles Regis; colono-

 norum

norum item primarii duo Karlshofud e Thrandheimo & Askell è Fiordis, tres præterea a candelis qvi fuerant, Thorſteinus Batus, Jon Ballhofud & Hallvardus Bunjardus: qvantum veró Scotorum interierit, vix noſtratibus conſtare potuit, nam prout qvisque cecidit, raptus a popularibus in ſilvas delatus eſt. Rex autem Hacon cadavera ſuorum ad templa ferri honeſteqve condi curavit. Proximo die Jovis ſublatis anchoris, navem regiam inſulæ applicuit. Eodem die copiæ in Skipafiordum miſſæ ad eum redierunt: die vero Veneris, tranqvilliore jam cœlo, emiſſarios ad incendendas naves, in terram appulſas, miſit, eodemqve die â Cumreya ad Malagseyam navigatum: ubi noctes aliqvot actæ, huc qvi in Irlandiam ablegati erant, reverſi nunciarunt, Hibernos paratos eſſe univerſum exercitum ejus ſuis impenſis per integram ſeqventem hyemem ſuſtentare, ſi eos poteſtati Anglorum eximeret: placuit regi conditio, verum diſſenſu ſuorum, qvibuscum conſilia communicavit, ventorumque repugnantia obſtante, ità tandem pronunciavit, ſe omnibus permiſſurum in Hæbudas navigare; qvippe qvi commeatus inopiâ laborabant. Corpus Ivaris Holmi eodem tempore in Botam transvectum, ibiqve ſepultum eſt. Inde a Melanſeya (Melagſeya) ad Herſeyam itum; noxqve ibi ſeqvens peracta, proximò die ad Sandeyam, mox Satiris ad Mulam, ſeu Cantiriæ Promontorium, hinc ad Oſtium Ilæ, ubi biduum rex moratus eſt. Ab inſulanis boves trecenti exacti, conceſſum tamen etiam, qvi maluiſſet, farre vel caſeo mulctam luere.

CAP. XLVIII.

NUNCII INTER REGES, DISPOSITI INSULIS PRÆFECTI. REX HACON MAGNI NUDIPEDIS PROVINCIAS RECUPERAT. SCOTI NORVEGOS IMPETUNT. HI PATRIAM REPETITURI TEMPESTATE PROHIBENTUR.

PRima ab hyemis initio die Dominica ab Ilæ oſtio navigatum, cum repente tanta tempeſtas caligoqve exorta eſt, ut coacti ſint plurimi vela deducere. Statione deinde in Kiarbareya capta, internuncii inter Haconem & Jonem Regem commeantes, non tamen, ut convenirent, effecerunt. Ibi cognitum, qvosdam Norvegorum magna ſpolia ad alimentorum uſum ex Mila exegiſſe, etiam incolarum nonnullos trucidaſſe, duorum vel trium ſuorum jacturâ. Rex hinc ad Milarkalfos delatus, ſtativa ibi per aliqvot dies habuit; tunc Rex Dugall Alanusq; ipſius frater dimiſſi, regno, qvod priùs Jon habuit, præpoſiti ſunt. Magnus autem Rex cum aliis Hæbudenſibus antea qvidem diſceſſerant, Rudrius Botæ, Margadus Hereyæ præfecti, præterea Duggali Regi caſtellum in Satiria, qvod Scotis vi expreſſum Guttormus Bacha-Kolfus inſedit, datum. Ità verò hac expeditione Hacon univerſas illas terras provinciasqve omnes, qvas Magnus Nudipedes olim in Scotia & Hæbudis devicerat, poſtliminio recuperavit: id qvod Sturla carmine, geſta Haconis complexo, hancqve ipſam expeditionem fuſe deſcribente, hodie qvoqve magnam partem ſuperſtite, luculenter teſtatur. E Milarkalfo in Rauneyam deventum, ibi Baltius

Hialt-

Hialtlandiæ cives, aliiqve in Orcades a Rege ablegantur, cum iis, qvibus Norvegiam repetendi venia data; cumqve reflaret ventus, in SKIDII Vestrafiordiam navigatio directa; hic aliqvâ injectâ morâ tributa in copiarum alimenta insulanis imperata. Dein Hvarfum Dyrnesiamqve prætervecti, tum demum ventis desidentibus, sinum Goafiordiam intrant, idq; vespere, qvi festum duorum Apostolorum Simonis & Judæ præcessit, id qvod hoc anno in feriam Dominicam incidebat. Ibi exactâ nocte, finitîsqve matutinîs sacris, qvidam Scoti à Norvegis capti ad Regem deferuntur; qvibus parci jubebat ille, missiqve iidem in viciniam, se cum imperatis bobus reversuros pollicebantur, unô interea obside relictô. Eôdem die undecim viri ex Andreæ Skussii nave aqvatum in terram exeunt: qvorum duo paulò pòst cum vociferatione magnâ & ejulatu natando reversi à suis excipiuntur; reliqvi in terra à Scotis occisi: erant autem inermes, nec lembus refluente æstu in littore consistens in tam subitâ trepidatione ad evitandum periculum usui esse poterat. Confluxus tandem Norvegorum ê classe succurrentium Scotos terruit, adeò ut effusa fugâ latebras in proximis silvis qværerent.

Feria secunda Rex Goafiordiâ solvens, obside Scoto in terram exposito, seqventi nocte Orcadibus classem admovit, inqve sinu qvodam, non procul ab Asmundarvogo, Boream versus stativa habuit: inde in Rognvaldsvogum itum, qvo potissima copiarum vis confluxit, dum verò sinum Picticum simul transmitterent, navis una e Rogalandia fluctuum sævitiâ cum singulis vectoribus absorpta est; Jon autem de Hestbæ, voragine sinus ægrè evitatâ, â reliqvis tum separatus cursum in Norvegiam, cum Orcadibus prohiberetur, direxit. Cum deinde in sinum Rögnvaldi classem Rex appulisset, magna pars copiarum, pars permissu Regis, pars ipso etiam invito, Norvegiam repetiverunt, ipse qvoqve primo Adventus tempore (qvatuor nempe ante Festum Natalitiorum hebdomadis,) repetiturus erat, ni exortis tempestatibus adversis veritis impeditus propositum coactus fuisset mutare. Decretum inde in insulis hybernare, viginti navium classe apud se retentâ, Satrapis omnibus, qvi domo Regem secuti sunt, præter Eylifum de Naustadalô, qvi domum ante reditum ejus in insulas regressus est. Præcipua verò nobilitas regniq; flos ad Regem remansit. Festo omnium sanctorum Regia navis in portum Medallandiæ (Medallandz höfn habetur) deducta est, ipso Rege eodem die in Rognvaldseya commorante, qvi mox inde Kirkiuvogum petebat. Naves exin Præfectorum omnium, qvædam in portum Medallandiæ aut isthmum Scalpeidensem subductæ. Feriæ septimæ vesperâ, qvæ ipsa festum Martini, in diem Dominicam incidens, præcedebat, Rex ad portum Medallandensem eqvo vectus, haud parum tum ægrotans, in nave pernoctabat. Proxima die sacris in terra celebratis cum interfuisset, lecto idoneo loco navi Regiæ subducendæ, sedulò classem curari mandavit; in Skalpeidensem exinde isthmum provectus, Kirkiuvogum eqvo pervenit, hospitioq; Episcopi cum omnibus iis, qvi impensis ejus alebantur, exceptus, satellitibus suis in eadem, qvâ episcopus, aula, communibus utriusq; sumptibus epulas fecit instrui: ipse in superioribus ædibus accubuit, insulasq; tum in uncias describi jussit. (Eyrisland hoc vocatur in annalibus: continet autem qvælibet marca terræ octo Eyrir/ sev uncias) ità ut unciarum agri singulis qvidem Satrapis eorumq; turmis sustentandis assignarentur. Andreas Plittus sumtibus mensæ regiæ providendis, satellitibus qvoq;, emissariis, iisq; qvi a candelis erant, sustentandis, qvæstor impositus, etiam ipse centuriæ sti-

pendia præbebat; navibus itaq; in terram deductis, per hospitia singuli sibi assignata dispersi. Kirkiuvogi hi Satrapæ remanserunt: Brynjolfus Jonis, Erlingus Alfi, Rognvaldus Orca, Erlendus de Biarkeya, Jon Drotning, sev Regina, Erlendus Rufus, pluresq; alii navium cohortiumq; præfecti: reliqvi autem Duces & Satrapæ in suis qvisq; agrorum partibus seu Eyrislandis considebant.

CAP. XLIX.

REX HACON IN GRAVIOREM MORBUM INCIDIT, STIPENDIA AULICORUM ORDINAT, MORITUR. APPARATUS FUNEBRIS, CORPUS EJUS IN NORVEGIAM TRANSFERTUR ET MAGNA POMPA SEPELITUR.

Cum a Medallandiæ pörtu Kyrkiuvogum Rex devenisset, curis atq; vigilis admodum fessus, assiduisq; laboribus & negotiorum mole jam longo tempore defatigatus, in morbum incidebat, qvi tribus eum hebdomadibus lecto affixum tenuit, deinde aliqvantum remisit, adeo ut exsurgens per integrum triduum incedere visus sit. Primo die intra ædes deambulabat; secundô sacellum accessit, tertiô templum D. Magni, ejusqve scrinium invisens, eodem die tondi se balneoqve in vase ampliore ablui foveriqve curavit. Eâdem nocte morbus multùm auctior denuò eum in lectum reduxit; majorem deinde in modum aggravescere visus. Interea libros sibi prælegi Latinos jussit, cumqve iis asseqvendis virium debilitate gravaretur, Norvegicos audire placuit. Primò qvidem sanctorum virorum acta; qvibus deficientibus, Regum Norvegorum historias ab Halfdano Nigro repeti à lectoribus jussit. Ut verò morbum in majus adhuc crescentem sentiebat, legata aulicis designavit; & qvidem marcam signatam singulis purpuratis, dimidiam verò emissariis & dapiferis, aliisqve ministris. Argentum igitur mensale universum, præterqvam qvòd inauratum erat, appendi jussit, indeqve legata solvi, siqvidem tum signatum deficeret: literas deinde ad Regem Magnum, deqve gravissimîs rebus mandata, perscribi. Nocte, qvæ festum Luciæ præcessit, oleô unctus est, cui adhibiti ministerio Thorgils Stavangriensis, Gilbertus Hamarensis, Henricus Orcadensis, Episcopi, Thorleifus Abbas, multiqve alii docti viri: ante verò unctionem extremam osculati sunt ipsum, qvi præsentes erant, nondum qvidem sermone destitutum. Dum decumberet, interrogatus à ministrorum intimîs, an alium, qvàm Magnum Regem filium haberet, in successionem regni, si ipsum Deus filiumqve ejus sine hærede evocaret? severè hoc negabat, nec filiam qvidem sibi, præter omnibus notam, esse. Regum, qvi Sverrerem antecesserunt, vitîs relectîs, legi qvoqve hujus jussit, eaq; qvoties vigilaret, dies noctesqve prælegebatur.

Festum Virginis Luciæ feria hebdomadis qvinta occupavit; septimâ, qvæ insecuta est, morbus adeò intendebatur, ut vocem præcluderet, sub medium noctis tempus prorsus amissam. Historiâ Sverreris ad finem perductâ, post horam tandem duodecimam animam egit; qvam mox, non sine ingenti omnium, qvi præstò erant, luctu, multorum qvoq; ad famam obitus tanti Regis horrore, cœlo reddidit. Morienti astiterunt Satrapæ, Bryniolfus Jonis, Erlingus Alfi, Jon Drotning, Rognvaldus Orca, qvidam

etiam miniſtrorum intimæ, dum decumberet, admiſſionis. Statim ab obitu ejus miſſi, qvi Epiſcopos viroſq; doctos arceſſerent. Cùm verò inferias (Sungu Salutidir habet lingva patria) celebrâſſent, omnes qvidem ædibus exceſſerunt, præter Epiſcopum Thorgilſem, Bryniolfum Jonis, duoſq; alios. Lotum tum corpus raſumq;, ſingulaq; miniſteria pro dignitate tanti Regis ſumâ cum veneratione exhibitâ. Die Dominicâ corpus in ſuperiorem palatii contignationem delatum, pretioſâ veſte tectum, caput aurem ſertô (*Garlandam* hoc vocant) ornatum, feretro deinde elegantiſſimè inſtructo imponitur. Convenerunt tum ad funus Epiſcopi omnes Sacerdotesqve, qvi in urbe erant, aulici qvoq; ſuperioris ordinis: lychnos ii, qvi â candelîs erant, ſuſtinebant; qveîs univerſa aula illuſtrata. Vultus demortui aſpectu gratiſſimus, facieſq; viventis propè vigorem, colore rubrô perfuſa, repræſentans, inſpectantium dolorem magnam partem levavit, in funere tanti Regis cariſſimiqve Domini, viventis ſpeciem vultûsqve parùm mutati majeſtatem recolentium; liberrimus enim omnibus aditus ad eum patebat.

Inferiæ deinde majore pompâ celebratæ, aulicis omnibus eadem nocte circa funus vigilias agentibus. Corpus die Lunæ in templum Divi Magni delatum, noctemqve cuſtoditum, tertio die urnæ imponitur. Hinc qvæſitiſſimo cum apparatu pompaqve, tanto qvidem Rege, qvippe coronato, digniſſimâ, in choro ante Scrinium Divi Magni compoſtum: loculus qvoq;, cætera ornatiſſimus, tegmine pretioſo inſignis erat. In Conſilio deinde aulico concluſum, ut tota hyeme vigiles corpus Regis cuſtodirent. Feſto Jolenſi Epiſcopus Andreaſq; Plittus legatis erogandis mandata Regis exſecuti ſtipendia inſuper omnibus ſolverunt. Cæterum funus Rex ſuum Bergas transferri & apud parentis reliqvias propinquorumqve condi ægrotans mandaverat. Die itaqve Cinerum, qvi illo anno in tertias Nonas Martii incidit, ê terra iterum exemptum, proſeqvente univerſo ſatellitum numero, trans iſthmum Skalpeidenſem in cymbam delatum eſt, indeqve in Regiam navem transportatum. Comites verò ſe duceſqve itineris præbuerunt Epiſcopus Thorgils, Erlingus Alfi filius & Andreas Plittus. Primo Qvadrageſimæ Saturni die oram ſolvunt, immitiqve cœlo in portum Selavogum delati, Regi Magno per nuncios mortem parentis indicant; hinc, cum primò per ventos licuit, Bergas contendentes, pridie feſti Benedicti portum Laxavogum aſſecuti ſunt. Feſtô, qui ſeqvebatur, die Rex Magnus & Epiſcopus Petrus obviam illis proceſſerunt. Regia navis in urbem ante ipſam Regiam deducta, reliqviæq; demortui Regis in aulam æſtivam deportatæ. Proximô die ad ædem Redemptoris, ipſo Rege, Reginis, utroq; Epiſcopô, viriſq; Eccleſiaſticis & aulicis, præter oppidanos cives, ingēti pompâ deducentibus, translatæ; inferiæ tandem ultimæ magno omnium luctu, ipſoq; Rege Magno verba faciente, celebrebantur. Situs eſt Hacon ad templum Chriſti in choro, eòqve delatus tribus noctibus ante feſtum Divæ Virginis, tribuſq; ante completum Chriſti annum MCCLXIII. noctibus, uti in Auctore noſtro legitur, qvi annos a conceptione Servatoris orditur. Nobis vero (qvi communiter a feſto Circumciſionis Chriſti incipimus) anno

M CC LXIV.

CAP. L.

REGIS HACONIS ELOGIUM, INSTITUTIONES ET PRÆCLARA COMPLURA MONUMENTA. EPILOGUS HUJUS HISTORIÆ.

FUisse Rex Hacon legitur staturâ mediocri, cujus speciem sedens altiorem præbebat, Regem Sverrerem potissimum referens; corpore agili & celeri, latis prædito humeris, cætera verò gracili, pedibus longioribus, plantis parum varis incedebat (utsteist habetur) illustri facie, qvamqve Majestas quædam decora insidebat, capillo denso pulchroqve, oculis magnis & venustis. Vultum pro habitu mentis mutare visus, nisi adversus pauperes, qvos semper, etiam cum commotior esset, audiebat, iratus truci aspectu terribilis, mitis placido meram gratiam spirabat, natura qvoqve hilarior, honestis haud raró jocis delectabatur. In consessu Principum venerabilem qvandam gravitatem comitate conditam præ se ferebat. In concionibus legum rerumqve civilium apprimè gnarus erat: bello audax, fortisqve juxta ac prudens, in consiliis verò solers & promtus. Externorum Principum de eo hoc testimonium extat, qvod nullum se Principem alium cognovisse ultrò faterentur, qvi Regem, dominum, socium, aptiùs unus exprimeret; qvippe cum Majestate familiarem. Leges juraqve civium magnopere emendavit; novum enim codicem formavit, qui nunc (authoris verba sunt, de sui temporis statu scribentis) Novus Codex appellatur, idem, credo, qvi Jarnsida vel ferreum latus postea dictus est. Mulctas definitas lege, besse imminutas, ad trientem redegit. Etiam immodicam homicidiorum licentiam sustulit; antea enim, statim ac aliqva perpetrata essent, ejus, qvi interfectus erat, cognati delegerunt ê familia interfectoris ad necem, & qvemcunqve volebant occiderunt: id vero perpetui exilii pœna bonorumqve omnium, etiam allodialium, proscriptione coercebat (perperam interpres Danicus partionem multæ, qvam propinqvi secundum leges solvere tenebantur, sublatam interpretatur) eidem verò pœnæ subjecti, qvi consultò alterum manu vel pede truncâssent. Raptum qvoqve uxorum alienarum rerumqve, in qvantum leges definiunt, pariter puniendum se dixit. Bona omnia fisco adjudicata, eiam agros, marcis decem & tribus octoqve Ortugis redimere hæredibus permisit; excepto si nefarium homicidium aut execrandum aliud crimen (qvod Nidings verk appellant) commissum sit; propter qvæ sola allodia fisco cedunt, intra tamen decennium ea redimendi hæredibus potestatem fecit. Præterea licentiam præfectorum publica tributa indicendi, aut convivia imperandi, abrogavit; ejusmodi qvidem largitionibus civium arbitrio relictis, ita ut nec convivia vetaret ultro invitantium.

A tempore Sancti Olafi rem sacram Ecclesiasticamqve nemo successorum pari industria & liberalitate atqve Hacon promovit, idqve non inconsulta qvadam largitate ad instruendum Cleri luxum, sed cultum Dei Sacrorumqve reverentiam providâ certè solertiâ augendam. In extrema Trumsa, ultra qvam fruges non feruntur, templum ædificavit, totamqve ad Christiana sacra convertit. Ingens hìc typographi in Danico error notandus, qvi pro Trumsa Nidros posuit, qvasi Nidarosia in eum diem pagana exstitisset.

Multi

Multi Biarmorum, Tartarorum sævitiam fugientes, sponte ad eum venerunt: qvibus Christiano initiatis cultui sinum Malangi incolendum dedit. In sinu Ofotani ædem sacram erexit, castrumqve in Agdanesia; Nidarosiæ verò palatium ligneum exstruxit, ædificiaqve potissima in Guleya, insula a Bergensi urbe in boream projecta, cui etiam sacram ædem, annulumqve aureum, titulo oblationis donavit. Bergis basilicam in SS. Apostolorum honorem, in Regia qvoqve lapideam strui fecit; templum præterea Sancti Olafi & monasterium propriis impensis ædificari, Regiamque muro cinctam lapideo & duabus turribus, singulis supra portas singulas excitatis, conspicuam. Tum etiam fanum S. Catharinæ ad pontem arenarum, nosocomiumqve leprosorum, cui annuorum redituum nomine ducenta manaða matabol donavit; totam deniqve civitatem Bergensem, post ferale incendium instauravit, muroqve ab utraque parte cinctæ, propugnaculisqve (vígſtørd) firmatæ suburbia adjecit (og gera utborgina). Tunc etiam templi in fine sinus in omnium Sanctorum honorem exstructi fundamenta ex consilio Regis, qvod ipse centum manaða matabol ægrotans dotasse legitur. Adhuc basilicam Augvaldsnesiæ e saxo, inter qvatuor provincialia templa, qvæ totâ Norvegiâ magnificentissima extant, conspicuã suis auspiciis erexit; qvæ ipsa tempore, qvò hæc scribo, tecto omni, præterqvam qvò chorus tegitur, nudata, parietibus tantùm, iisqve maxime austrum versus ruinam minantibus, superstes adhuc visitur. Sanè hæc mihi scribenti eò major â posteritate fides debetur, qvòd in subjecta ei paræcia ipse paræcus â multis annis habitem. Etiam Tunsbergam Hacon rebus longe plurimis ornavit, urbem lapideo muro cinxit, supraqve portas urbis collemqve Danicum (Danakleif) turribus excitatis, universam ædificiis replevit. Hinc Regum palatium ad ædem Sancti Laurentii, nosocomiumqve in usum leprosorum ad ædem Sancti Olafi construxit, trecentis ei agri marcis in annuum proventum adjectis. Fretum ad Skeliasteinum, effosso fundo, vix scaphis piscatoriis antea penetrabile, onerariis pervium reddidit; fratrumqve nudipedum templum erexit, qvod postea Dragsvikam (Dragsmarkam habet *Editio Danica*) translatum est. Cænobium præterea in memoriam beatæ Virginis, & ex saxo basilicam, qvam qvinqvaginta marcis agri donavit; castrum qvoqve in Vaccabiorgis struxit, qvod deinceps ipsum Osleyæ ad ad ædem Sancti Nicolai constitutum; Regium deniqve palatium in Eyris, seu litore urbis, itidem condi fecit. Kongahellæ verò castrum in Ragnhildarholma, & in urbe palatium Regium. Ekreyas, excisis silvis, excoli ibiqve templum ædificari curavit; pari modò Marstrandam, aliis Malstrandam (qvam urbem fundâsse Haconem *Editio Danica* tradit, noster autem silet) multasqve alias incultas Vikæ insulas habitabiles effecit. In lacus Miorsis insula ad Ringisakrum domum lapideam, in Steiga verò triclinium convivale struxit, ædemqve sacram ruinæ propiorem instauravit. In Breidæ prædio Hofe Regium diversorium (bu) instruxit, adjecto itidem triclinio convivali, subjectisqve ad sustentationem prædiis; simile qvoqve aliud triclinum in Heidmarchiæ tractu Skaune & villa Husabæis, tertiumqve in Hringsakro. In Vidheimo villa, qvam Ey/ seu *insula*, tenet, lacu Miorse cincta, diversorium constituit. Toptyne insuper de novo sacellum ac triclinium fecit conviviis destinatum, Steinbiorgisqve castrum Sverreris â Baglis dirutum muro circumdedit. Inter Sanctos numeratum, legum urbis Bergensis, qvæ penes me sunt, bina exemplaria fidem faciunt, dum *Sanctum Haconem & filium ejus Magnum sutoribus habitandi locum definivisse* tradunt. Id qvod Haconum

num nulli, præterqvam ſoli huic, de qvo ſcribimus, competere poteſt.
Hæc ferè ſunt opera Haconis, authori noſtro memorata, Regia planè ſingula. Id verò adhuc cuncta ſuperat, qvòd ex tam parvis initiis, potentiâ in tantum auctâ, omnes hoſtium technas, inſidias, occultas apertasqve molitiones, per omnes ætatis gradus eluctatus ſit, fuſisqve partim inimicis, partim ad obſeqvium redactis, regnum tot turbis antea agitatum, non parta modò ſed etiam firmatâ pace, filio Regni hæredi, ſecuturisque adeò omnibus Regibus, nulli jam amplius de hæreditatis jure diſceptationi obnoxium reliquerit.

HISTORIÆ RERUM NORVEGICARUM PARTIS QVARTÆ

LIBER QVINTUS,

DE ISLANDIA IN POTESTATEM REGUM NORVEGORUM REDACTA; EJUSDEMQVE NEGOTII RATIONIBUS ET PROCESSU.

CAP. I.

THORDUS KAKALIUS KOLBEINI JUVENIS HOSTIS, TURBAS MOVET. SIGURDUS EPISCOPUS CUM EO DE PACE AGIT. RUSTICI PACIS CONDITIONES IMPROBANT. EPISCOPUS PACEM IMPERAT. TEITUS JUDEX RUSTICOS AD PACEM PERMOVET.

CUm in præcedente librö, hiſtoriam Regis Haconis Senioris continente, Islandiæ & rerum ibi circa hæc tempora geſtarum mentionem ſæpiuſcule fecerimus, ejusq; in poteſtatem Regiam ditiones nonnullas conceſſiſſe ſimul retulerimus; omninò hìc addendum videtur, qvâ ratione, qvibus de cauſis id factum ſit. Etenim hoc tam ad Regis, cujus vitam ſcribimus, artes ingeniumqve meliùs cognoſcendum, qvàm ad hiſtoriæ ipſius accuratiorem, notitiam pertinet. Principia ergò oportet ipſa evolvi; & qvoniam Rex in ſubigendâ Islandiâ diſcordibus malèqve pacatis civium animis præcipuè ſit uſus; ſemina ipſa diſcordiæ, qvæ cauſa adeundi Regem fuerunt iis, qvorum poſtea operâ negotium promotum, altiùs repetemus. Igitur jam iis hactenus, qvæ de hiſce *Codex Flat*: breviſſimè perſeqvitur, in hiſtoriam ipſam relatis, hæc ex Sturlungorum hiſtoriâ, ſed contractè, exponamus, qvæ ad pleniorem vitæ Regis Haconis deditioniſqve Islandiæ notitiam reqviruntur.

Poſtqvam Snorrius Sturlæus, invitô Rege Norvegiâ excedens, in Islandiam remeâſſet, de qvo librô ſuperiore ad annum 1239. fuſiùs nobis dictum, mandavit Rex per literas Giſſuri Thorvaldi filio, ut vindictam ſpretæ Majeſtatis de Snorrio & Urækiâ ſumeret, vel occidendo eos, vel invitos qvamvis ad ſe compellendo. Ille, ſive qvod ad necem Snorrii aliàs pronus eſſet, ſive qvod viribus ſuis ad rem apertè gerendam diffideret, Snorrium improviſò adortus occidit; Urækiam in Norvegiam ad Regem miſit. Poſt necem verò Snorrii exiens è patriâ Giſſur, provinciarum ſuarum rerumq; curam patrueli ſuo Hialtio Magni Epiſcopi filio comendavit. Ad eum igitur Kolbeinus properè nuncios mittit, qvi de adventu Thordi certiorem faciant, moneantqve, ut ab inſultibus ejus & artibus ſibi caveret; qvi monentibus haud gravatè auſcultans ſatellitum circa ſe numerum auxit. Thordus interea Kakalius in viciniam profectus, ad Halfdanum Sæmundi Oddenſis filium, ſororis Steinvöris maritum, divertit, eumqve ad auxilium ſollicitat. Verùm is ætatem gravem potentiamqve hoſtium nimiam excuſans; hortatur tamen, ut occidentalis qvadrantis incolas, ditionis patriæ cives, ſed non ità pridem ad obſeqvium Kolbeini jurejurandô adactos, exploret. Uxor verò Steinvör multis virum ad partes fratris tuendas incitabat. Tumius Thordi frater nobile tunc temporis prædium Arnarbælium incolebat: is fratrem accedens, ſocium ſe ei itineris in occidentem cum comitatu inſigni adjecit. Viginti ſimul profecti ſunt; & qvidem Hialtium ignarum prætervecti. In Dalos cùm perventum eſſet, Tumius qvidem Hvami remanſit; at ulteriùs pergens Thordus in progreſſu itineris acceſſione partium, qvæ Urækiam priùs ſeqvutæ, augebatur. Stadarhólem delatus, patruelem ſuum Sturlam Thordi filium, hiſtoriæ hujus authorem, de auxilio ſollicitat. Is jusjurandum Kolbeino præſtitum, cujus jam impediebatur religione, obtendebat; qvod Kakalius, ut vi extortum, nullam qvidem parere obligationem regeſſit. Svaſit huic igitur Sturla, ut, fortunâ ulteriùs tentatâ, favorem plurium experiretur. Itaq; qvadrante occidentali univerſo peragrato, paucos ultrò accedentes, plures minis ſibi adjecit, plurimos religione ſacramenti, Kolbeino dati, tergiverſantes deprehendit, palam vociferantes, *niſi violato à Kolbeino fœdere ſe pactis ſtaturos*; in his etiam patruelem ſuum Sturlam Thordi filium, qvi tamen ſine aliqvâ offenſione Kolbeini comitem ſe Kakalio offert, etiam militem, ſi Kolbeinus pacta rumperet. In Dalos cùm rediiſſet, fratrem Tumium Teitumqve Styrmeris, ipſumq; ſororis ſuæ, filium obvios habuit. Ibi luſtratæ copiæ, qvarum numerus, haud omninò qvadraginta ſupra ducentos efficiens, debilior viſus, qvàm ut in aqvilonē ad opprimendum Kolbeinum mitti tutò poſſet. Placuit itaqve in auſtralem qvadrantem, ubi minor vis reſiſtentium, ſed juſtiores vindictæ cauſæ, iter vertere; cùmqve armîs multi deſtituerentur, Loptus autem Pauli Epiſcopi filius, qvi primariam villam (ſedem nunc ſacerdotalem) Hitardalum incolebat, iis abundaret, hunc veterem Sturlungorum hoſtem in poteſtatem redigere, armisqve nudare, oportunum eſt viſum. Ergò filius Styrmeris Teitus ad eum comprehendendum cum qvindecim aliis præmiſſus: qvi eum domi non offendit, profectum qvippe in vicinam villam, ubi de hoſtili incurſu certior factus in remotiora ſeceſſerat. Arma verò clypeiqve templô elati in prædam ceſſerunt.

Eodem die Sturla domum revertitur; Thordus verò Kakalius cum fratre Tumio in auſtrum rectà ad villam Giſſuris Tungam, qvam mater ipſius Thora regebat, pergit. Nullus ibi cibus, præter lac in ſpumam digeſtum

gestum (Flautir vocant:) cœtera omnia templo erant illata, ibiq; abscondita; qvæ efferri vetabat religio. Igitur jumenta mactare cœteri apparabant; verùm Thordus id prohibuit, lacteqve contentos esse jussos moras rumpere omnes monuit: acceperat enim, Hialtium turmas aliqvot in tractu Flöensi contraxisse; itaq; adversus eum ducere copias constituit. Tumius autem svasit, ut Keldas ad sororis filium Halfdanum, ad augendum ibi militum numerum, proficisceretur; pervicitqve. Sed denegato ab hoc auxilio, uxore licèt Steinvöre admodum indignante, Thordus Breidabolstadas ad Ormum Biorni, qvi frater erat Gissuris, filium, unum ex authoribus cœdis Snorrii Sturlæi, deflexit; qvi de adventu ejus certior fugâ sibi consuluit. Ibi aliqvantisper remansit Thordus. Interea Hialtius in aqvilonem ad Kolbeinum Juvenem profectus, in sede Episcopali Skalholto multas suorum turmas reliqvit, impulitqve Episcopum Sigvardum, ut pacificationis specie Thordum adiret, ac tantisper suspendere conaretur, donec Kolbeinus cum instructis copiis ex aqvilone adventaret. Itaqve Episcopus ad Thordum Breidabolstadas cùm venisset, ad pacis omnes conditiones durum eum obfirmatoqve animô deprehendit. Sex qvidem arbitros ex singuils partibus ad causam inter eum & rusticos decidendam Præsul obtulit. Repudiabat hoc Thordus, Steinvöreqve sorore & Halfdano sororis filio nominatis, eorum judicio partem utramqve volebat acqviescere. Id verò Episcopus negabat concedi, rusticis inconsultis, posse, seqve nuncium de his missurum, cùm primùm de voluntate eorum sibi constaret, pollicitus, domum digressus est.

Interea Thordus, cum Biorno Sæmundi Oddensis filio pace factâ (is enim prælio Aurligstadensi partes Gissuris secutus interfuerat) muneribus ab eo perqvam honorificis est donatus. Jamqve redierat ab Episcopo nuncius, propositam à Thordo conditionem rusticis impprobatam referens. Itaq; sororium denuò de auxilio Thordus sollicitabat, sed frustra; negabat enim, *se sacra loca armis infestis petiturum, aut sangvine fœdaturum esse.* Thordus tamen nihilominus iter ingressus, ducentis circiter comitibus adversariorum numerum ad septingentos & viginti excrevisse comperit; & qvamvìs dehortarentur omnes, ne adversus tantas vires armis contenderet, tamen successus sibi ullos cita periculum sperandos negans, intrepidè in eos movet; cui obviam Episcopus profectus, iterum de pace acturus: sed asperis verbis exceptus minatur, *se in Thordum omnesque ejus comites fulmen excommunicationis vibraturum, si sedem sacram pacemque violare religiosam tentet.* Ad ea Thordus prorsus interritus respondet; postulans, *ne hostes suos Episcopus fovere, sacrisve recipere tectis, velit, publicæ nimirum pacis turbatores, templorumque infandos violatores, utpote qui vesperâ feriæ septimæ sex viros asylo sacræ ædis extractos omnes necaverint.* His auditis, regressum Episcopus parat, rusticos de instanti conflictu præmoniturus. Seqvitur acerrimè Thordus, appropinqvansqve prædio Episcopali præmittit, qvi animos rusticorum apparatumq; explorent; hi Episcopum cum triginta sacerdotibus sacras vestes indutum fulmina jam imprecationesqve parare deprehendunt, renunciantqve Thordo, *nihil quidem rusticis ad justum apparatum deesse, si modò corporum viribus capitumque numero etiam animorum habitus, audacia nimirum & fortitudo, respondeant.*

Cœterùm Teitus Gissuris frater, supremus illo tempore insulæ judex, vir bonus æqviqve cultor, rusticos accedit, habitâqve ad eos oratione conatur persvadere, *non libidine qvâdam pugnandi, aut turbandæ tranquillitatis patriæ, Thordum ad consilia tam funesta ferri: sed vi summâ ac ne-*

 cessi-

ceſſitate eò jam redactum eſſe; orbatum patre, fratribus interfectis, totque ſuarum partium amicis clientibusque nudatum, exutum quoque provinciis, territoriis, imperio, ipſis denique alimentis, quibus ſe ſuosque ſuſtentet, indigere, nec ſuppetere hæc ipſi jam ulteriùs, niſi vel armis ab hoſtibus, vel latrociniis aliunde quærat; præſtare itaque amicam cum eo pacificationem inire, quâ in adventum fratris Giſſuris ab inſultibus ejus & inſidiis tuti, rebus ſuis vacare, remque familiarem honeſtè ſecurèque curare poſſint. Æqvô ſimul & utili conſilio comoti ruſtici ſtatim authorem ejus unà cum Epiſcopo ad tranſigendum cum Thordo mittunt; qvi conditionem, qvantumvis viribus inferior, nullam accipere dignatus, hanc ipſis tanqvam pro imperio præſcripſit, *ut arbitrio Epiſcopi ſororisque Steinvöris acquieſcerent; qui ſi fortè disſentirent, mulieris ſententiâ ſtandum.* His itaq; definientibus, pax in reditum Giſſuris conſtituta, Thordoqve ſecuritas à ruſticis pacta, in perpetuum qvidem, nî reverteretur alter, duratura. In hæc, manibus invicem junctis, fides data acceptaqve. Thordus deinde Breidabolſtadas iterũ aggreſſus, villã Ormi occupavit, ſedemq; ibi ſuam conſtituit. Jamqve fama adventûs Kolbeini, collectarumqve in aqvilone copiarum, eò defertur; igitur reverſus Tungam, Epiſcopum Steinvöremq; litis decidendæ arbitros, in itinere obvios habuit. Eorum judicio ſinguli minorum ruſticorum ad pacem redimendam unciis duodecim mulctati, viginti autem majores pendebant; mulctaqve omnis Thordo adjudicata. His ex ſententiâ peractis, Thordus in tractum Borgarfiordenſem proficiſcitur.

CAP. II.

KOLBEINUS THORDUM PERSEQVITUR: VARII INDE EXORTI TUMULTUS.

INterea Hialtius Kolbeino ſe adjungens ad copiarum vim magnam colligandam ipſum impulit. Coiere ad ſeptingentos numero, magnisqve itineribus in provinciam Borgarfiordum contendentes, procellis ingentibus ac tempeſtate ità in montanis fatigati ſunt, ut arma nuper adeò rapta complures perderent, qvidam etiam exſtingverentur, aliis gelu nimiô rigerent membra, longo hinc tempore â via miſerè aberrantibus. Tandem in provinciam delati de Thordo certiores fiunt. Sed & is, cognitô eorum adventù, ubi imparem ſe tantis viribus animadvertit, qvamvis ad periclitandam fortunam arderet animus, hortatu tamen ſuorum qvàm celerrimè in occidentem tendens, ultimus ſemper ipſe eqvitabat, ſegnius identidem qvàm pro pavore & metu comitum, qvi eqvum, qvô vehebatur, loris ſubinde feriebant. Seqvitur ſumma cum feſtinatione Kolbeinus, militumqve Thordi, qvos eqvi nimium laſſi deſtituebant, duos occidit, alteros verò duos manibus truncat, armisq; ac veſtibus ſingulorum direptis, poſtqvam cum maxima copiarum parte aſſeqvi fruſtra tentaverat, converſo itinere per viciniam tranſiens, tandem ad prædium ſuum Flugumyram redit, Thorarinumqve Baltium, limitum cuſtodem conſtitutum, itinera hoſtium explorare jubet; qvi deinde, collectis turmis nebulonum, eos ipſos, qvorum cura ei mandata, ſpoliat. Inter hæc Thordus Kakalius velociſſimo bidui itinere in inſulam Fagreyam defertur. Inde ad augendas copias ani-

animum adjiciens propinqvos amicosqve ſollicitat, inq; his Bodvarem patruelem, Thordi filium. Is verò neceſſitudinis, qvæ cum Kolbeino ſibi erat, excuſatione uſus, utpote ſororis ipſius filius, procuratorem ſe pacis offert. Itaq; conditiones, qvibus eam fieri volebat Thordus, præſcribit, qvarum ab altera parte conſenſu non imperatô, arma minimè abjicienda ratus, miſſo Hacone Galino cum ſociis decem in aqvilonem, Thorarinum Baltium tempore verno anni 1243. interfecit. Deinde per Asbiornum qvendam Gudmundi filium, virum impigrum, ſed ingenio haud parum turbidô, in occidentales oras miſſum, naves militemqve comparavit; verum violentius qvidem, qvàm mandaverat Thordus, ab Asbiorno omnia acta: duos enim manibus truncavit, tres occidit, cum Strandarum incolis manus conſerens, victor majoribus eos navibus nudavit. Miſſis deinde in diverſa inqviſitoribus, copias magnas navesqve viginti tres Kakalius comparavit, ſtatuitqve navali prælio cum Kolbeino confligere, qvem adventantem claſſe ad vaſtandas extimas occidentalis qvadrantis provincias cognoverat; ne receptus ibi ipſi aut facultas ad colligendas inde vires daretur.

Dum in his Kakalius occupatur, Kolbeinus Junior per Broddium qvendam, virum ſtrenuum, in diſtrictu occidentali, unde vires Thordus collegerat, naves militesqve comparat, (multi enim ibi partibus ejus ſtudebant) & neqvicqvam, qvod ad ſubvertendum hoſtem faceret, omittere videretur, etiam inter medios tumultus bellicos ſtatuit jure cum eo experiri, dictâ in foro inſulæ generali die, ad cauſam dicendam, qvòd cum ſociis qvatuordecim ingreſſus Thoram Giſſuris matrem ſpoliâſſet; etenim matrona hæc jus ſuum cauſamqve Kolbeino, id petenti ſcilicet, commiſerat. Ibi Thordus Kakalius cum qvatuordecim ſociis judicio damnatus, vi magis & impetu Kolbeini Hialtiiqve Epiſcopi filii, qvàm jure aliqvo; nihil enim diripuerat, lacte tantùm ſpumeô in cænam ad ſedandam famem ſumtô; qvamobrem etiam Flautaſekt (ↄ: *mulcta ſpumea*) per ludibrium ſententia illa appellata eſt, qvam, utpote in armatum latam, haud facilè qvis exſeqvi, niſi viribus ſuperior, poterat. Septingentis fermè ſtipati Kolbeinus, Hialtius & Ormus Biorni fratris Giſſuris filius foro egreſſi ſunt, inqve valles ſinûs Breidafiordenſis profecti, miſerunt turmam qvandam Sælingsdalstungam ad Sturlam Thordi filium occidendum; qvi, præcognitis eorum conſiliis, domo excedens, induſtriam ſatellitum armatorum, templum qvoqve ipſum perſcrutantium, fruſtratus, bonis tamen, qvæ auferri poterant, omnibus, ibi reconditis, excidit. Fugientem Saurbæas perſecuti hoſtes neqvicqvam retrahere conabantur; nave enim ad Krofsſundam evaſit. Hinc mutuis cœdibus inter factiones injuriisqve & rapinis undiq; eſt certatum. Sollicitatus denuò in auxilium à Kakalio patruelis Bodvar neutri qvidem partium acceſſit. Thordus verò à Sturla incitatus iter accelerabat, navesqve triginta omnes miſſilibus lapididus & ſaxis repleri curavit. Tunc votis propitiato Deô, accenſisqve vehementi ad pugnam exhortatione militibus, claſſem conſcendit, qvam ſtatim in auſtrum Fagreyã usqve direxit; hic verò Sturla eum opperiebatur, exqve hominibus tum propemodum qvadringentis copiæ Thordi conſtabant. Kolbeinus autem è ſuperioribus locis claſſem Kakalii conſpicatus, truculentior adhuc provincias ejus pervaſtavit; Hialtius qvoqve infeſtior alios occidit, alios membris mutilavit: qveîs peractis, ipſe in auſtrum domum, Kolbeinus qvoqve in ſeptentrionẽ ad ſuos reverſus eſt.

Eâdem hyeme Tumius Kakalii frater ad Epiſcopum Sigvardum Skal-

holti cōmorabatur: ſed cognitô adventu Hialtii, clam tribus ſociis in inſulam Flateyã profectus, Teitum Styrmeris filium ſibi adjungit, aſſumtiſqve duodecim aliis rectà in Borgarfiordum tendit; inde ad prædium Aulvisvatn, ſedem Simonis Knuti, qvi à puero in familia Giſſuris educatus præliô Aurligſtadenſi interfuerat, unusqve eorum, qvi in cellam ad Snorrium Sturlæum tnterficiendum deſcenderunt, fuiſſe, vulnusqve ipſi inflixiſſe exiſtimabatur; apud eum ſe qvoqve continebat Thorſteinus Gudini filius, qvi lethali vulnere Snorrium ſauciârat. Occiſus igitur Simon, Thorſteino manus dextra abſciſſa; ſi in vindictam Snorrii, pœnâ certè meritis minùs reſpondente.

Hîs cognitîs, Kakalius ipſo feſtô Sancti Olafi ſinum ad prædium Dagurdarneſiam transmittit, inqve claſſe per aliqvod tempus moratur. Ibi fit certior, incolas omnes provinciæ Skagafiordenſis, ubi Kolbeinus habitabat, ſecuros agere. Igitur Nicolaum & Hrafnum, Oddi filios, ad eqvos qvàm occultiſſimè comparandos mittit, iter in occidentales ſinus ſimulans; qvibus allatis, demum profitetur, ſe in ſeptentrionem moturum, ſineq; mora proficiſcitur. Statim Hvam̄i Thorſteinum, virum nobilem, ſpectatæ qvidem probitatis illum, ſed qvi in prælio Aurligſtadenſi fuerat, qvô pater Thordi fratresqve cœſi ſunt, ideòqve hoſtis ejus habebatur, offendit. Plurimi hunc invadere tum detrectabant, integrum qvippe virum & probum; Thordus autem *id ſibi incumbere* reſpondebat; *quod alii facere gravarentur: meruiſſe autem quàm maximè ut invaderetur*; *quamvìs & hoc verum eſſet, eum quidem præ omnibus aliis ſeptentrionalibus dignum, cui parceretur, eſſe.* Etiam Mördus qvidam Eirici filius, Thorſteini verò gener, apud eundem verſabatur, qvi eidem qvoqve prælio interfuerat, ac cædium patris Thordi fratrisq; reus ferebatur, paſſim ab hoc à vulgo notatus; nam & cùm peracto bello per montana veheretur, haſtamq; more ſeculi geſtaret, aliqvis fortè incurvam obſervans qværivit, cur ità eſſet curva? alter qvidam reſpondit, *incurvatam in oſſibus curionum.* Id verò ad Thordum relatum infeſtiorem eum Môrdo fecit. Hvam̄um itaqve profectus Thorſteinum qvidem capit, ſimul tamen vitâ donatum itineris comitem aſſumſit; Mördus verò in conflictu vulneratus mox occiſus eſt.

Cœterùm incolæ ſeptentrionales provinciæ Vatzdalenſis, vanæ qvidem famæ illecebrîs, qvæ in occidentales ſinus profectum Thordum ſpargebat, ſecuriores redditi, tum primùm periculum ſenſerunt, cùm hoſtis ſupra ſexaginta adducens ſecum milites ſuperveniſſet. Filius Thorſteini, Eyolfus nomine, cognomentô Offius, tunc annorum nomvedecim, æqvales omnes præſtans, aliàs manſionum vices inter patrem & Kolbeinum dividere ſolitus. Id temporis in paternâ exiſtens domo, elapſus ſubitò eqvumqve nactus per montem alacriter ad Kolbeinum advolat, im̄inentis jamjam periculi nuncius. Hinc convocati ſtatim cives, lectiqve ex omnibus, qvi cuſtodiam omnium excubiasqve totam æſtatem agerent, tanto numero, ut manipulis hoſtium excipiendis ſufficerent. Thordus, cœſis, qvi id præcipuè meruiſſe videbantur, direptîsqve aliqvot villîs, exacto à Thorſteino ſacramento fidei in poſterum duraturæ, eòqve amicè honorificèqve dimiſſo ad ſua rediit; moderationis illam inter alia laudem conſecutus, qvod ſacris ædibus & fæminarum pudicitiæ ubiqve & ſedulò caverit. Nec diu remanſit domi, ad colligendas copias brevì iterum ſe accingens. Tum primùm Sturla & Bodvar ei ſe adjunxerunt. Acceſſit qvoqve Thorleifus de Gardîs. Penè ad mille hominum confluxerunt, non ſine admiratione, tantum numerum ex provinciis, qvæ ſparſim incoluntur, potuiſſe conflari.

Feſto

Festô Michaelis Stafholtum devenit, propinqvorumqve auxilia poscit; sed negabant ii ad ultionem exeqvendam se eum suis viribus promoturos; *malle in publico ei foro adesse, quo sententiam judicum honorificam consequi posset*: id qvod nec ipsi displicuit, ità ut gratias iis agere haud dedignatus sit. Postridie, exploratore Hacone Galino, hostem cognoscit montem cum triginta armatis audaciâ singulari prætervectum esse, ipsumqve Kolbeinum speculatoris officio, qvòd id omnes abnuissent, functum, Fliotztungæ pernoctâsse, mille qvadringentis in adventum Thordi collectis, eum excepturum. Universum itaqve agmen dispersit Thordus, prævidensqve nihil se istâ vice contra eum profecturum, dimisit copias. Bodvar qvidem tunc & Thorleifus ad sua reversi; Sturla verò eum in sinus occidentales secutus est. Certa hinc omnibus persvasio erat, Thordum, si viveret, ducem inclytum futurum; qvi mox inde Myras profectus ad solenne Natalis Christi convivium, nobilissimum qvemqve invitâsse, muneribusqve pro conditione gentis sub discessum honorâsse, legitur.

Hac hyeme Ormus Biorni, fratris Gissuris, filius in ultionem Klængi Thordum Biornii filium occidit, qvod Uræxiam in illo interficiendo adjuvisset. Tumius qvoqve Thordi Kakalii frater hac hyeme ex insula Flateya Reykholas concessit. Exortum tunc dissidium inter Kakalium & Asbiornum ministrum ejus, qvòd hic sibi nimium sumere videretur. Jussit itaqve Thordus, ut aut modum ambitioni statueret, aut confestim è societate excederet. Asbiornus *discessu suo gestis quoque Thordi, in eum diem memorabilibus, finem futurum, se vero fortunam ad eum devecturum, cui hinc se addiceret*, gloriatus, die S: Thorlaco, qvi festum Jolense biduô præcedit, sacro, digressus Reykholas ad fratrem Thordi Tumium se confert, cum fratre utroqve suo, Grimo & Thorkele Hniodhamare, comiterqve exceptus festum ibi transigit: accesserant & plures eòdem ad festum celebrandum. Qvo peractô, haud destitit Tumium ad rem aliqvam gerendam concitare, ne fratre suo Kakalio minor haberi posset: persvadetqve ut in aqvilonem ad aliqvos Sturlungorum hostes trucidandos cum sociis octodecim proficiscatur. Cum jam in tractum Hrutafiordum ad villam Fögrubreckam ventum esset, Tumius ibi subsistendum sibi dixit; causamqve qværentibus respondit, *duci etenim moriendum esse*. Id unum qvidem in tota vita verbum præsago animo extulisse est deprehensus. Asbiornus cum reliqvis ad Linakradalum pergens villam Mulam ingreditur, ibi Magnus qvidam, qvi in Kolbeini prius domo habitabat, jamqve ad festum usqve Natalitiorum cum ipso moratus, pernici sub dicessum eqvo donatus erat, speculatorqve delectus; hunc Asbiornus cum sociis, qvi aderant, occidit, tamqve futili insolentia ac immanitate cædem cumulavit, ut manantem sangvine mariti gladium vestibus uxoris in conspectu ipsius abstergeret: qvæ multa imprecata, ultorem tanti sceleris Deum luctuosis precibus invocabat. Inde profecti speculatorem alium, Asgeirem nomine, cognomento Kollugeirem, pari qvoqve & fædâ crudelitate trucidarunt. Delati in collem Hrutafiordensem vident ex adverso virum qvendam gigenteæ staturæ sibi appropinqvantem; qvo spectaculo qvidam territi ab Asbiorno verbis asperis corripiuntur. Ad hiatum Brandagil eqvitantes conspiciunt ignem in fine sinus ardentem; nec minus isto ostento movebantur. Eâdem nocte excussa nubibus aqva glaciem amnis, per qvem transeundum erat, solvit, repletumqve humore invium eqvis reddidit. Asbiornus tamen suos increpans transitum urget; his per resolutas glaciei crustas fieri non posse reclamatibus, ipse metum iis puerilem

expro-

exprobrando, exemplô jam præiturus, impellit eqvum in flumen, qvi offenso pede subitò vectorem excutit; atqꝫ ita demum pœnis crudelitatis imprecationisqꝫ vim sentiens, vorticibus haustus, impiam efflavit animam. Tumius his peractis domum rediit.

CAP. III.

KOLBEINUS PERFIDE DE PACE CUM THORDO AGIT; CÆDES ET RAPINÆ AB EO PERPETRATÆ. TUMII CÆDES, THORDI IN EJUS VIDUAM HUMANITAS. INTER EUM ET KOLBEINUM NAVALE PRÆLIUM. GISSURIS IN PATRIAM REDITUS. PAX CONTRAHITUR. BRANDUS KOLBEINI MORTUI HÆRES SUBSTITUITUR.

Finito eò, qvod diximus, Natali festô, Thordus Rafnum Oddi filium & Svarthofdium in sinum Isafiordum ad cogendum militem miserat, iturum se in Skagafiordum professus. Cæterum Kolbeinus hoc tempore morbo graviùs laborare cœpit, in qvem ex casu qvodam brevì post pugnam Aurligstadensem conjectus erat, de qvo ita qvidem ex Annalibus percepimus: qvo tempore Kolbeinus (anno nimirum MCCXXXVIII,) Aurligstadis Sturlungos fuderat, bona Sigvati omnia sibi adjudicari cupiens Judices qvidem faciles & secundum victoris arbitrium pronunciantes invenit. Inde cum discessisset, per ludum atqve lasciviam tuber qvoddam transiliens, inversoqꝫ flexu in caput decidens graviter admodum est læsus, maxime circa pectus; inde contracta ægritudo per totam vitam ei molesta fuit; jam verò, ut diximus, plurimùm augescebat, adeo ut in periculo vitæ versari omnibus videretur. Conventu itaqve celebri Geldingaholti habitô, de præsenti rerum statu multîs disserit, cum jam omnis qvadrantis septentrionalis nobilior ordo adesset, qvestusqve de sua valetudine, duas ipsis conditiones proponit: unam; *se Thordo Kakalio in ultionem necis fratrum patrisque ditione provinciisque cessurum, & ex patria ad exteros discessurum esse: fas esse jam ex benignitate illius & clementia fortunam eorum in posterum dependere; nec se quicquam de ejus moderatione dubitare, quippe quam certam expertus fuerit, cum fidem ejus maxime periclitatus esset; & quidem tunc, cum Skagafiordenses ei fuerint amicissimi.* Verùm negabant continuò illi, *se istam conditionem accepturos, idque duplici de causa; primùm amore ipsius, quo vivo, neminem se alium ducem admissuros; metu præterea Thordi, quem graviter offensum, gravem vindictam cum viribus haut dubitarent sumturum.* Kolbeinus *aliam verò adhuc restare, quandoquidem hanc respuerent,* respondit; *nimirum per reliquam ipsis hyemem frequentibus stationibus adventum & insidias Thordi observandas; ternas omnino tales requiri, unam in provincia Skagafiordensi, alteram in Vatzdalo, tertiam in Vididalo, indigenisque singulis, cum opus esset, eò conveniendum.* Et hæc qvidem, qvantumvis sumtuosa, electa. Qvæ cum convenissent, Kolbeinus Eyvindum Brattum Norvegum & Thorsteinum Hialmi filium ad inducias in tempus fori generalis conditionesqve pacis æqvas petendas mittit; *eas verò æquas,* respondit Thorsteinus, *videri, si patrimonium possessionesque omnes restituantur;* Kolbeinus autem *legibus acquisitas, nec nisi legum vi ac jure dimittendas*

das sibi reposuit. Secretò tamen Thorsteino mandavit, idqve clam Eyvindo, ut qvadrantem omnem septentrionalem cessurum se Thordo significaret, si vitæ modò membrorumqve securitatem civibus sponderet. Cum his mandatis ad Thordum proficiscuntur: verum is inducias pariter ac aliorum de possessionibus suis judicia respuebat. Legati interea certiores fiunt, in aqvilonem eum, cum Sturla patruele, moturum. Tum primùm Thorsteinus, quæ in mandatis extremum habuit, exponit, Eyvindus autem negabat qvicqvã sibi de eo constare; Thorsteinus ad assertionem jurejurando firmandam se obtulit. Hac igitur accepta conditione, inducias primùm usq; ad finem hebdomadis Paschalis, deinde etiã pacem Kakalius init, injungitq; Kolbeino, ut tempore Qvadragesimæ, sibi an his stare vellet, per nuncium indicaret; id qvod Thorsteinus qvoq; in se recepit. His ad Kolbeinum delatis, gratas sibi inducias affirmabat, negabat autem se qvicqvã de cessione qvadrantis mandâsse: Thorsteino neqvicqvam regerente, nihil præter mandata â se expositum, adeoqve ob hoc irritato, ut negaret se in posterum qvicqvam ejusmodi obiturum esse, nec legationem ne de pace acturum esse, nec legationem porrò ejusmodi obiturum: moxqve de his per nuncios Thordo certiore factô, varia sententiarum judicia est passus.

Statim post Pascalis hebdomadæ exitum Kolbeinus cum satellitibus trecentis sexaginta divisis itineribus in occidentem proficiscitur, mandatqve suis, ut Sturlam Thordi filium, auctorem Historiæ hujus, ubicunq; ceperint, occidant; & præterea Biornum Drumbum, ad cujus ipsius domum sub atram noctis caliginem progressi, adeoqve improvisi, duos ibi homines occiderunt. Biornus verò alter, â Drumbo diversus, ex manibus eorum elapsus, montem transcendit; mox autem naviculam conscensurus, ut ad vicinos de periculo admonendos iret, iterum hostibus occurrit, ac protinus trucidatur. Inde Tumium aggredi Thordi Kakalii fratrem constituunt. Occidi eum Kolbeinus jubet; dubitantibus verò an domi esset, responsum est: *domi quidem, si fatis destinaretur, esse*. Instantibus autem armatis, dum ille fidem nuncio de hostili adventu non habet: securius eos exspectans opprimitur. Decem & tres in hoc itinere interfecti; multis membra abscissa, passimq; villæ exspoliatæ sunt. A qvibus latrociniis domum reditum, plaudente Kolbeino, rapinas rapinis, cædes cædibus pensatas. Pòst mortem veró Tumii uxor ejus Thuridis Ormi filia cum Sigvato filio in Flateyam insula proficiscitur, divisionemq; â Thordo bonorum, qvæ is & Tumius communiter possidebant, postulat. Ille suô se periculo lucrove cum Kolbeino certaturum respondit: cætera omnia permisit ei, excepto imperio in subditos, necessitatis præsertim tempore, idqve illa grato animo excepit, & benefactum qvidem omnes interpretabantur. Cæterum magnam illi hoc curam injecit, qvod post cædem Tumii cives in illis oris valde nutarent, nimis dubii qvorum partibus accederent; prædium itaqve suum Eyras Rafnus Oddi filius ei cessit, qvod magni beneficii loco acceptum Thordus eum cæteris mox insedit, classemq; ibi navium magnarum qvindecim comparavit, qvibus homines supra ducentos imposuit. Jamqve Eyfiördenses, qvi Sigvato antea paruerunt, pertæsi imperium Kolbeini, nunciis Thordum in auxilium exciverunt, accedenti se qvoqve accessuros statim polliciti. Hac fiducia erectus ille, in altum educit classem. Sed nec Kolbeinus sibi defuit: contractis enim per universum qvadrantem septentrionalem navibus cunctis majoris notæ Brandum Kolbeini Kaldaliosii filium, cum ducentis qvadraginta, trans mediterranea mittit ad excipi-

cipiendum Thordum, si in illas oras infunderetur. Qvo cognito, scriptor noster Sturla Thordi filius copias colligit, & Bodvaris patruelis sui, filii Thorgilsis Skardii, nec non Vigfusii Gunnsteini filii, accessu manipulisqve auctus, ducentorum qvadraginta præsidio se munivit. Brandum qvidem his viribus invadere Thorgils voluit, sed Vigfusio dissvadente profectio omissa. Ipse Brandus qvoqve ab iis sibi metuens retrocessit, ad augendas inde copias conversus. Et jam Kolbeinus in procinctu stabat, instructâ viginti qvatuor navium classe, cui vectores qvadringenti qvinqvaginta impositi: cum nuncium accipit, Gissurem Thorvaldi filium e Norvegia in portum australem Eyras advectum ipsum conventum cupere; verum negans vacare se in tantis angustiis posse, neccunctatus classem in occursum Thordi propellit. Fit pugna acris, qvam diffusâ qvidem & prolixâ narratione Sturlungorum historia describit; navis Hialtii vectoribus nudata, Hialtius ipse Magni Episcopi filius gladio Thordi transverberatus est; Kolbeinus, cæteroqvin æger vulneribusqꝫ qvatuor saucius, duobus autem femora transfixus, ægrè e prætoria nave in aliam est delatus. Amissi ex parte Kolbeini octoginta; qvatuor tantumqꝫ Thordus desiderabat; qvòd autem numero inprimis navium hominumqve Kolbeinus prævaleret, Thordus cum suis continentem petere est coactus: qvibus aqva & cibo recreatis, Rafnum ad conqvirendos eqvos omnes præmittit, debiliores autem qvosqve imponit, eosqꝫ, qvi gravioribus offensis Kolbeino invisi erant, qvàm ut ab asylis templorum sperare incolumitatem possent: cæteros sacris ædibus includit, & sic ipse in australia proficiscitur.

Interim verò Kolbeinus iisdem, qvibus Thordus antè, oris cum tribus navibus allapsus, reliqvas ad promontorium Skagam ad sepeliendos mortuos ablegat, ipse Thordum perseqvi, vel, si asseqvi non detur, provincias omnes ad sinus occidentales desolari certò constituens, ad spem omnem auxilii ex his locis Thordo amputandam: haud tamen dissimulat, *animum sibi præsagire, Thordi cædem fatis haut esse destinatam, cum tam notabilem præsentemqve occasionem frustratus fuerit.* His dictis iter ingreditur. Id prævidens Thordus, suos, qvos qvietis avidos nimioqve labore & vulneribus fatigatos altior somnus oppresserat, aspersa aqvâ excitavit, atqꝫ in montana deflexit; qvi cum ulterius oontendere haud valerent, humi strati vel inviti succumbebant somno. Thordus ipse procedendo ulteriùs sibi consulens, edixit iis, ante qvam relinqverentur, ut sub discessum Kolbeini iterum se colligerent, eumqve se duce acriùs denuo invaderent. Kolbeinus dehinc tractum omnem Strandensem diripit, & vastaturus qvoqꝫ reliqva, multos ad obseqvium suum, etiam jurejurando confirmandum, convertit; alii pecoribus in montana actis latebras qværebant. Id verò tum fecisse Kolbeinus memoratur, qvod aliàs in Islandia est inauditum: nam qvicqvid cetorum in litore appulsum erat, combussit, ne aliqva copiis Thordi inde esca suppeteret. Et jam Thordus Holti morabatur, cum cognito exitiali Kolbeini proposito ad succurrendum provinciis Sturlam, Bodvarem, & Thorleifum in auxilium accersit, præter Rafnum Gislumqve, qvi nonaginta numero adduxerunt. Verum tantillis copiis hostem aggredi veritus, in Breidafiordi insulam Fagreyam retrò cessit. Ibi tunc Sturla Thordi filius adfuit, adventumqve Gissuris nuperum in valles sinus Breidafiordensis retulit, cum haut modicis copiis eò delati: qvi etiam mox cum Jone Sturlæ Sigvati filio ita pacificatus est, ut lis omnis Regi Haconi decidenda committeretur.

Hîs cognitîs, Thordus qvàm maximâ potuit celeritate per Bodvarē & Stur-

& Sturlam aliosqve undiqve auxilia cogebat. Giſſur verò auſtralem qvadrantem, unde venerat, repetivit. Hæc mediâ æſtate geſta ſunt circa feſtum Petri Apoſtoli, anni MCCXLIV. Cœterùm Kolbeinus, templo Trekildisvikenſi ſpoliato, occiſoqve Asgrimo Völuſoto, fratre qvamvis concubinæ ſuæ Hallberæ Syriæ, inter ſaucios alios in montanis reperto, ſedem ſuam Flugumyram repetivit, ſeq; aliqvantiſper qvietum tenuit, pari qvoqve tranqvillitate Thordus in Eyra degebat, donec feſtum Divæ Virginis præteriiſſet; tum verò primùm, comite Sturlâ, cum manipulo centum viginti hominum, in aqvilonẽ movens, cùm in Midfiordum perveniſſet, comperit nuncium Thingeyras adventum ſuum præveniſſe, ulteriusqve profectus vagantes per montana villasqve nuncios, qvi emiſſi ad exciendos ruſticos erant, deprehendens, domum revertit; adeòqve Kolbeinus mox cum trecentis ſexaginta Midfiördum fruſtra petit, regreſſo jam domum Thordô; inde Kalfum Ulfhedini filium ablegat ad inducias paciſcendas, pacemqve, ſi poſſit, conciliandam. Induciæ in initium hyemis datæ ab utrâqve parte acceptæqve. Semper deinde Kolbeinus de pace agebat; nec tamen ita, ut provincias aut poſſeſſiones, qvas pater Thordi Sigvatus habuit, reſtituere dignaretur: ſeqvens tamen hyems pacatè exacta.

Proximo vere, Anni MCCXLV, interceſſorum operâ pax convenit, lisqve omnis arbitrio Regis Haconis cōmiſſa; & Kolbeinus qvidem Thordo in viaticum ſexagies centum panni Islandici libras pollicitus ſe daturũ, etiam præſtitit; jamqve unà ad Regem cum eo profecturus, increſcente ægritudine, qvam ex temerario ſaltu contraxerat, lecto detentus, à parato jam itinere retrahebatur. Accerſitus Giſſur ægrotantem inviſebat, cui Kolbeinus provincias omnes ſuo imperio ſubjectas offert. qvas verò is ſumere recuſabat, rectiùs iis Brandum ex Kolbeino Kaldalioſe & Margareta filiâ Sæmundi Oddenſis natum præfici debere cenſens; ſe verò ei, utpote propinqvo, auxilio ſemper futurum declarabat. Id cùm placuiſſet, per internuncios porrò de pace cum Thordo actum, cunctisqve, qvas pater ejus poſſederat, provinciis pax redemta. Cœterùm Brandum univerſi expetebant cives; ipſe qvoqve Kolbeinus circa ſuprema confeſſus eſt, *curiarum omnium per Skagafiordum aliarumque partium dominium ſummo quidem jure ei competere; uſum tantum ſibi ab eo ad id usque tempus permiſſum.* Brandus qvoqve presbyter, poſtea Epiſcopus Holenſis, conſobrinus ejus, & Kolbeinus de Stàdis, multîs eum hortabantur, ut tutelam provinciarum harum in ſe reciperet. Mox mutuæ ſocietatis defenſionisqve pacta inter eum & Giſſurem facta ſunt.

Hîs peractîs, Giſſur domum redit; deinde Kolbeinùs ipſo Mariæ Magdalenæ feſto ê vivîs, magno ſuorum totiusqve plebîs luctu, exceſſit, ætatis eodem anno, qvi patri ejus Arnori patruoqve Kolbeino Tumii filio fatalis fuiſſe notatur; triceſimo nempe qvinto, exſtinctus. Funus ejus ad templum cathedrale Holas delatum ante fores templi à latere Kolbeini Tumii filii ſepultum eſt. Conventu deinde Heſtathingshamrîs habito, cunctorum ſuffragiis provinciarum omnium, qvas Kolbeinus Juvenis moriens reliqverat, princeps Brandus conſtituitur; tributaqve ex ovibus ipſi decernuntur. Ad eundem ſatellites Kolbeini ſub autumnum leguntur tranſiiſſe.

CAP. IV.

THORDUS, PATRIMONIO RECUPERATO, COPIIS AUGETUR. PRÆLIUM HAUGANESENSE, OMNIUM IN ISLANDIA GESTORUM MAXIMUM. GISSUR A PROVINCIALIBUS DUX ELIGITUR, ET CUM THORDO AD REGEM HACONEM TENDIT.

HOc tempore Rafnus Oddi filius, annitente Thordo, cum Thuride, Sturlæ Sigvati filiâ, nuptias celebravit. Hîs finitîs, Thordus in provinciã Eyafiordensem, sibi jam redditam, cum sociis nonaginta proficiscitur: in hìs erant Sturla Thordi filius & Thorleifus de Gardis, singuli viginti alios secum ducentes. In tractum Midfiordensem delatus à Ketille Thorlaci filio & Gudmundo de Felle, qvì ad ipsum honorificè deducendum eò cum octoginta satellitibus progressi, excipitur, sicqve uno agmine profecti, festo S. Laurentii in provinciam Eyafiordensem perveniunt. Eodem die navis ex alto appulsa obitum Urækiæ nunciavit; qvi æstate ejusdem anni, ipsoqve S. Johannis Baptistæ festo, in Norvegia contigit. Festo S. Mariæ celebre Grundæ convivium est instructum, ad qvod potissimus qvisqve invitatus, magnisqve muneribus, cùm hi, tum singuli, qvi Thordũ ex occidente secuti sunt, dimissi. Dominicâ, qvæ proximè præcessit, Christnesiæ conventus celebratur: ibi fidei sacramentum præstitum, possessionesqve singulæ, qvas pater Sigvatus detinuerat, restitutæ. Brandus autem Stadis freqventi stipatus satellitio magnificè pro loci conditione vixit. Inter stipatores multi, qvi Kolbeinum secuti erant; hi inter jocos & risus acerbiora in Thordum jactare soliti graviter à Brando reprehenduntur; malum talium exitum ominante. Qvæ delata ad Thordum, animum injuriis cladibusqve suorum ægrum vehementiùs irritabant, eòqve exulcerabant magis, qvo dissimulata in pectore sine ullo sermonis aut indignationis indicio occultiùs condebantur; qvæ tamen finito festo Natali in aperta qvidẽ odia, nondum tamen ad arma, erumpebant.

Post festum Resurrectionis Servatoris in comitia anniversaria induciæ factæ, lisqve omnis duodecim optimatum judicio pacisqve præscribendæ arbitrium com̃issum. Hujus an præcedentis anni hyeme, circa Natalitiorum festum, cometa visus proditur; qvo verò præcisè tempore apparuerit, non facilè definivero, authore tempora non distingvente; hunc verò aliis in regionibus observatum non invenio, cùm diversus omninò fuerit ab ea stella, qvam anno superiore XLV. apparuisse circa Ascensionem Domini die 25. Maji meridiem versus non procul à Capricorni signo *Calvisius* notat.

Ad Thordum per hyemem hi qvidem accessisse præcipui memorantur: Teitus Styrmeris filius, conjugio Sigridis Halfdani filiæ nuper auctus, qvæ Sæmundi Oddensis neptis erat, sororisqve Thordi filia, Rafnus qvoqve Oddi filius & Eyolfus Ofsius, Thorarinus Thomæ filius, Hacon Galinus, Biarnus Drumbus & Paulus Kappgnogus, seu Pertinax. Sub festum Paschatis ad colligendum militem in Oxafiordum aqvilonem versus Nicolaum Oddi filium & Almarem Thorkelis filium miserat. Interea Brandus Gissurem in auxilium per nuncios evocat, graviter de injuriis Thordi qve-

stus,

ſtus, *quòd conceſſis non contentus univerſum ſeptentrionalem quadrantem poſtulet, etiam tractum Borgarfiordenſem, quem commiſſum à Rege Hacone Giſſuri, jure etiam vindicandum exiſtimet; adhæc pertractum in partes Thordi Epiſcopum Sigvardum, qui uſum templi ei cum ſex aliis per presbyterum Steinmodum permiſerit, negotiumque ſuſceperit Giſſuris à partibus Skagafiordenſium avertendi. Sibi jam non adeundi ipſum tempus vacare; itaque obnixè petere, ut ex fœderum pactis ſuppetias ſibi ferat.* Reſponſum per nuncios, qvi feſto Paſchatis redierunt, brevì Giſſurem adfuturum. Verùm Thordus adventum ejus præveniens, Dominicâ feſtum proximè ſecutâ cum ſeptingentis comitibus Skagafiordùm petit. Qvô per indices comperto, etiam Rafnus auxilia penè paria comparat, non tamen æqvè inſtructo milite. In planitie Thordus cum copiis omnibus excubabat, cùm ventus ſubitò haſtas percutiens, ſpeciemqve hoſtilis adventûs præbens, omnes ſomno excitat. Illicò itaqve arreptis armîs, excitoqve tumultu, in mutua vulnera ruebant; alii tecta ædium ſcandentes, tela inde torqvebant, qvos infeſtis alii telis jaculisqve inceſſebant; tenuitq; longo tempore inteſtinum prælium, anteqvam ſe invicem internoſcerent; tandem occiſo unô, nomine Eirico, pluribusqve vulneratis, ceſſatum eſt. Ulterius die Mercurii progreſſi ſunt; ſed occurrebant tum miſſi à Brando presbyter Jon Pauli filius & Vermundus Haldoris filius, aliiqve Sacerdotes ad pacem procurandam, qvi arbitrorum ex ſuâ parte legendorum liberam Thordo poteſtatem permiſerunt, ſibi vice verſâ libertatem pro Giſſure eligendi pacturi. Verùm ſubitam ii repulſam tulerunt, Thordo omnia ſuo arbitrio permitti poſtulante: qvô cùm nil niſi deditio præſcriberetur, belli experiri fortunam placuit. Paulò antè morbus phreneticus partem copiarum Brandi invaſerat, qvi triginta præcipuè, interqve eos ipſum fratrem Brandi Paulum, abſtulit. Feriâ qvintâ ad prædium Haugsneſiam mutuo ardore concurſum eſt, certamine adeò cruentô, ut nunqvam in illa inſula pari clade aut hoſtium numero ſit pugnatum. Jon Skidii filius haſtam in Thordum tantâ vi torſit, ut hic ſubitò ex eqvo ſit deturbatus: cui ſe ſtatim Thorſteinus Gunnaris filius objecit; multaqve eo ſimul impetu inciderunt. Mox reſurgens Thordus, ſuisqve ſe incolumem exhibens, ad prælium eos denuò accendit; dumq; fortiſſimè pugnatur, Einar Auduni filius, ab opibus Opulenti dictus cognomine, qvi propinqvam Thordi duxerat, ſed in acie Brandi militabat, â Thordo hic conſtitutus, primus in fugam ſe vertit, qvem multi ſtatim ſecuti, aciem labefactabant. Qvo viſo, Thordus acrius ſe multo cum ſuis inferebat, cæde tamen utriusqve partis majore. Qvid hic porrò geſtum ſit, nihil attinet ſigillatim commemorare, Brandus certè cum ſeptuaginta ſuorum cæſus eſt, plurimi vulnerati; ex parte Thordi qvadraginta interfecti, nec parvus vulneratorum erat numerus. Toto prælio Jon Skidii filius, qvi haſtæ ictu Thordum primò humi ſtraverat, ipſum ſolum ſibi impetendum propoſuit; confeſſusqve eſt Thordus, ſi tales tres alii aut qvatuor in hoſtili acie exſtitiſſent, ſe vivum nunqvam evadere potuiſſe. Ipſe tandem Jon, dum inter promtiſſimos pugnat, à Hranio Gunnaris filio ſaxo pectori adactô, exanimis concidit. Multâ nobilium virorum cæde prælium iſtud utrinqve conſtitit. Victor Thordus Kakalius Flugumyram tendit, ibiqve pacem omnibus, qvi in verba jurarent ſua, publicè per præcones offerri jubet; qvapropter haud pauci deditione factâ ad eum tranſeunt: atq; ità, qvadrante totô ſeptentrionali ad obſeqvium reductô, domum redit, ibi aliqvantiſper commoraturus.

Interea Gissur cum qvingentis ex austro militibus viduam Rafni adit, qvæ Joruna Kalfi filia in Annalibus appellatur, exceptusq; ab ea perhonrificè auxilium suum ei filiisqve promittit; unde concursu â provincialibus facto, in Ducem mox dato sacramento eligitur. Verùm Thordus hîs cognitîs magnum numerum militum collegit; sed vulneribus debiles, prælio non æqvè jam ac verno tempore idonei erant. De pace interea legati ultrò citroq; commeabant; qvi tandem eò rem deduxerunt, ut arbitrio Regis Haconis omnia dijudicanda uterqve permitteret: ipsâqve hac æstate in Norvegiã ejus gratiâ transmittere certò constitueret. Cœterùm nec hoc prætereundum, qvòd Bardi nuper memorati Ducis, qvem anno ætatis tricesimo qvinto, XIX. Aprilis occubuisse Annales referunt, Stadîsqve sepultum esse, parens Kolbeinus Kaldalios ex mœrore ob mortem filii lecto detentus, ad festum usqve posterius S. Olafi, qvod in tertium diem Augusti incidit, contabuerit; tandemqve vitam cum morte commutavit, à latere filii sepulcrum nactus.

Eodem annô Gissur & Thordus ob causas, qvas prolixiùs exposui, cognitu sanè ad res patriæ nostræ necessarias, cum iis decidendis Rex arbiter lectus esset, diversis navibus diversisqve ex portubus ac qvadrantibus insulæ profecti Bergas advehuntur. Ità verò ex hisce omnibus, qvæ Historiæ Sturlungorum accepta ferimus, in certam annorum seriem digestis, patet, adventum Gissuris in Norvegiam, primãq; Kakalii missionem, perperam ad annum seculi qvadragesimum qvartum referri, simulqve Sturlam Thordi filium, qvi iis temporibus non vixit modò, sed etiam his omnibus ipse interfuit, plurimumqve sæpe periclitatus est, hoc ordine annos nunqvam putasse, sed librariorum errore mendum irrepsisse.

CAP. V.

GISSURIS ET THORDI IN EXTERIS GESTA, ET IN PATRIAM REDITUS.

Postqvam ità Gissur & Thordus Kakalius ad Regem pervenerunt, comiter ambo excepti, Nidarosiam, ubi tum Rex hyemabat, ipsum secuti sunt. Rex freqventi conciliô accusationibus eorum auditis, postqvam Thordus singula ex scripto recitaverat, â Gissure qværit, qvid his habeat opponendum? Ille *literis se nihil mandâsse* respondit: *habere tamen, quibus sese defendat, interim non inficiari, candidè ab ipso cuncta exposita.* Ordine itaq; omnia, qvæ â Thordo passus est, enarrat: uterqve insignem candoris laudem reportabant, qvod vera referendo, qvàm falsis dicta redarguendo, mallent contendere; in Gisfurem tamen Rex, qvantum honestè fieri posse existimabat, propensior observabatur; idqve ob cædem Snorrii Sturlæi, qvæ ipsi mandata erat, fieri vulgaris opinio erat. Sententia interim Regis ab utroqve desiderata; qvam is per universam hyemem tamen distulit, vereqve proximo iisdem comitibus assumtis Bergas profectus est. Ibi Thordus iterum de cæde Snorri Sturlæi qvæstionem movet. Rex apertè respondit; *istius satisfactionem ad se pertinere, ad cætera Gissuri respondendum*, apparuitqve denuo favor in Gissurem, qvantus exhiberi tutò aut prodi posse videbatur. Manserunt itaqve porrò apud Regem hi duo ad tempus illud usq;, qvô Cardinalis Vilhelmus in Norvegiam venit, qvo præ-

ſente denuò eos audiviſſe Rex legitur, in hiſtoria anni 1247 nobis pertextâ. Poſt hæc curæ Thordi Kakalii univerſa Islandia eſt commiſſa, qvi dicti anni æſtate illuc navigavit: Giſſur autem ad Regem adhuc remanſit.

Inſeqvente anno Thordus Kakalius qvadrantem qvoq; ſeptentrionalem Islandiæ ad obſeqvium reduxit, inqve comitiis generalibus, magnis copiis ſuccinctus, proceres plerosqve in partes ſuas traxit, præter qvadrantis auſtralis cives, qvi Giſſuri parebant, & qvosdam amnis Rangaenſis accolas. Sæmundus autem Ormi Svinfellingi filius, Jonis Lopti ex filia Solveige pronepos, abnepos verò in linea paterna recta Thordi Freyris-flaminis, (hic erat pater celebris illius Floſii, qvi Nialem incenderat,) cum fratre Gudmundo, tunc adoleſcente, totum ſe in amicitiam clientelamqve Thordi ſe dedit, inqve domum ejus receptus eſt. Omnia tum in comitiis Thordus potuit: igitur patruelem ſuum Olafum Hvitaſkaldem ſupremum judicem conſtituit, qvadrantis auſtralis incolis infeſtior, qvòd ſatisfactionem reddere detrectarent. E comitiis tamen in ſeptentrionem denuò domumq; ſe contulit. Verùm cùm per autumnum ex Norvegia per internavigantes naves certò afferretur, Giſſurem non redire; confeſtim magno comitatu univerſum ejus territorium pervagatus, multos, qvantumvis invitos, ad obſeqvium ſui adegit, pluribus etiam pecuniariam mulctam indixit; qvam minùs gravatè pendebant, qvàm ſi palam ſervire cogerentur; fidem enim Giſſuri datam ad extrema ſervare obſtinatè ſibi propoſuerant. Inde Borgarfiordum petit, mox Dalos, hisqve provinciis filios fratrum ſuorum, Sturlam Thordi filium & Jonem Sturlæ filium, præficit. Duos filios habuit Thordus ex filia Ulfi Ingvelde, Thordum nimirum & Ulfum; ex Nereide autem Styrmeris filia Styrmerem; qvartus erat Jon, cognomentô Karinus, natu eorum maximus; ex Kolfinna deniqve Thorſteini filiâ concubinâ filiam Haldoram procreavit.

Anno, qvi ſecutus eſt, Thordus Kakalius ad comitia anniverſaria inſulæ eſt profectus: ubi irrogatam ſibi multam, qvamvis maximè inviti, auſtrales cives ſolvebant, nec erat qvi Thordo contradiceret. Sæmundo tunc Ormi Svinfellingi filio fratris ſui Sturlæ filiam ſociavit. Hac æſtate Thordus literîs Regis in Norvegiam evocatur: crimini datum, qvod non in uſum Regis, ſed ſuum, Islandiam, ſecus ac Regi promiſerat, ſubegiſſet, id qvod etiam Epiſcopus Henricus palam ei objiciebat. Hinc orta inter eos ſimultas in tantum crevit, ut fere in nulla re conſentirent; tandem qvoqve eodem anno Epiſcopus, ultrò mare trajiciens, Regem acceſſit, rarâ ab eo benevolentia exceptus, qvòd conſtaret Regi, fidem ipſum & operam perqvam induſtriam rebus ſuis impendiſſe. Tunc qvoqve iterum Thordum traducebat, *quod promiſſa Regi non ſervaſſet, nunquam enim Islandiam ſub imperium Regis conceſſuram, quoad Thordo tanta potentia eſſet.* Qvi cauſæ Thordi patrocinarentur, præter paucos ipſius contubernales, nulli erant.

Interea Giſſur in Norvegia ad Regem Haconem remanſit, ſemper alicui ibi præfecturæ præpoſitus, ſive Rex in aqvilone ſive in auſtro reſideret: utrinqve tamen & perpetuo animis æger, qvod & ære indigeret, & propinqvis ſuis a violentia Thordi metueret; qvare cum Brando Thorleifi filio peregrinatione Romam ſuſcepta, & ſacrâ ibi Pontificis abſolutione impetratâ, qvæ protervè, crudeliter & ſubdolè in eum diem perpetraverat, ſingula expiavit, ſeculiqve opinione ſanctior, qvàm reverâ erat, in Norvegiam reverſus eſt. Qvid anno ſeqventi de Islandiâ decretum ſit, vide in ipſa hiſtoria ad hunc annum Cap. XL.

Anno

Anno MCCL Sigvardus Episcopus Schalholtensis & Thordus Kakalius, ex Islandiâ profecti, Thrandiæ advecti sunt. Magna tum Islandorum in urbe freqventia: qvorum hi Duces fuerunt, Henricus Episcopus Holensis, Gissur Thorvaldi filius, Thorgils Skardius, Jon Sturlæ filius, Finnbogius Helgii filius, & Sæmundi Oddensis filii Philippus & Haraldus, qvos superiori anno Thordus vi oppressos jurejurando ad hoc iter suscipiendum adegerat; ante vero discessum suum provincias inter amicos suos partitus, Eyolfo Ofsio provinciam Skagafiordensem prædiumqve Geldingaholt commisit. Hranio Kodrani filio villam Grund provinciamqve Eyafiordensem, Sæmundo Ormi filio, ut suam ditionem repeteret, mandavit, Thorleifum deniqve in Borgarfiordum reposuit. Omnibus concordiam fidaqve mutuò auxilia imperavit, muneribusqve honorificis ornatos amicè â se dimisit, novissimè præcipiens, ne provincias ullis præter literas suas testes producentibus, redderent. Splendidô tunc temporis & sumtuosô comitatu principes Islandiæ usos esse, qvàcunq; egrederentur aut iter facerent, ex iisdem, qvas seqvimur, historiis observatur.

Anno MCCLII Episcopus Henricus Karis filius, eiq; jam amicissimus Gissur, Thorgils Skardius & Finnbiornus Helgii filius, Islandiam simul, sed reqvisitis priùs ac impetratis mandatis Regiis, repetebant. Rex ditionem universã Snorrii Sturlæi, bonaqve omnia, hæreditaria non minùs qvam alodialia, ut vocant, qvæ moriens possedebat, in delicti, qvòd commiserat, pœnam fisco suo adjudicavit, præter prædium principale Reykaholt; dataqve Thorgilsi potestas legibus ea omnia vindicandi; hinc provincia Borgarfiordensis, qvæ Snorrii fuit, imperio ejus addita. Finnbiorno tractus omnis, qvi â tesqvis Vodlensibns in aqvilonem ad flumen Jokulsa protenditur, prædiumqve Grenjadarstadus ad incolendum datum. Gissuri qvadrans tantùm non omnis septentrionalis, & ingens præter ea in australi qvadrante districtus jure proprietatis conceditur. His operas jungere mutuisqve se invicem auxiliis sustentare mandatum; Episcopus autem Henricus viribus se consiliisq; singulis affuturum pollicitus est. Verùm Thordus Kakalius in Norvegia interim detinetur, qvod ipsum qvidem malê habuit: possessiones enim Snorrii aliaqve amicis suis cōmiserat, ut antea memoratum. Itaqve cum primum Proceres dicti in Islandiam redierunt; magno statim comitatu ad locum Hestathingshamras contenderunt; ibi Regis literæ publicatæ; neqve Islandi tum Gissuris imperium detrectabant. Eyolfus autam Ofsius minus se æqvum aut obedientem præbuit. Gissur tum vocatis ad se tribus filiis, Hallo, Isleifo, & ex diversa matre nato Ketilbiorno, nuptias cũ Groa Alfi filia, Halli Isleifiqve filiorum suorum matre, celebravit; Henricus autem Episcopus in sedem suam rediit. Thorgils vero Skardius Borgarfiordum petens minùs provincialibus acceptus erat, Reykiaholti tamen per hyemem degebat, cum magno validoqve clientum circa se numero. Firnbiornus Greniastadis, sed gubernator navis Eysteinus Hvitius Holis apud Henricum Episcopum hyemem exegit. Hujus qvoq; anni æstate Thordus Kakalius Kolbeinum Gronem & Arnium Ingimundi filium ad amicos in patriam misit; qvi in tractum occidentalem ad Rafnum Oddi filiũ Saudafellem, Sturlam Thordi filium Stadarholem, & Vigfusem filium Gunnsteini Garpsdalum, incolentes, leguntur profecti. Hi ante festum Natalitiorum, ducibus Rafno & Sturla, numerô septuaginta in australia exeuntes, Gissurem invadere constituunt; & delecto cum comitatu Stafholtum, ubi supremus insulæ Judex Olafus Hvitaskald habitabat, perveniunt. Ibi Thorgilsi Skardio, qvi fortè & omnium securus eò profectus erat, manus inje-

injectæ, jusqve jurandum ei vitæ redimendæ expressum, qvo iis se in posterum non obstiturum, unàqve Gissurem aggressurum, promisit. Regia enim mandata, tam de bonorum Snorrii publicatione, qvam provinciarũ ordinatione, omnia &' aperte rescindere ipsis propositum erat, id qvod palã qvoq; professi sunt. Verum Thorgils, ut primùm libertati restitutus est, spreto coacti jurisjurandi vinculo, rectà aqvilonem petit, Holasqve ad Episcopum Henricum se confert, ubi summa benevolentiâ exceptus hyemem totam exigit. Crebræ tunc ibi compotationes, conviviaqve magnifica celebrata. In uno horum, qvod Broddius vir inclytus in villa sua Hofe instruxit, cum relatum esset, Rafnum & Sturlam ex occidente cum trecentis sexaginta viris appropinqvare, statim emissi in viciniam nuncii, penè qvadringentos brevi collegerunt, ad bellandum omnes paratos; mox autem, falsitate rumoris compertâ, iterum singuli dimissi. At Sturla & Rafnus, postqvam eos Skardius delusit, nihilo secius in austrum ad perseqvendum Gissurem profecti, ad flumen Ølvisa perveniunt, qvod concurrentium aqvarum, freqventibus imbribus auctarum, mole tum qvidem impervium ulteriore eos accessu prohibuit. Laborioso itaq; itinere in Borgarfiordum indeq; Stadarholem regressi, per integram hyemem ibi simul, nec unqvam pauciore qvàm octoginta stipatorum numero secum retentô, permanserunt. Cæterum qvo tempore Gissur in Islandiam missus est, Thordo Kakalio præfectura Gaulardalensis â Rege data legitur.

CAP. VI.

EPISCOPUS HENRICUS STURLAM ET RAFNUM THORGILSI RECONCILIARE STUDET. THORGILS SKALHOLTO STADAS PROFICISCITUR. GISSURIS AD FORUM GENERALE ITER ET ACTA. AMICITIA INTER HOSTES CONTRACTA. EYSTEINI HVITII NAUFRAGIUM.

INitiô seqventis anni MCCLIII, Episcopus Henricus Holis ad reconciliandos Hrafnum Sturlamqve eorumqve asseclas cum Thorgilse Skardio profectus, Thordo Hitnesingo & Eysteino Hvitio Norvego itineris sociis; qvorum singuli præter civium provincialium numerum qvindecim erant comitibus stipati, festo Purificationis Hellas devenit. Aderant ex convento Rafnus & Sturla, accitusqve ab Episcopo Abbas Brandus. Verũ haud processit; pacificatus etenim Skardius Thordo Hitnesingo in mandatis dederat, ut qvietam sibi & securam provinciæ Borgarfiordensis cæterarumq; â Rege sibi mandatorum possessionem stipularetur, utq; injuriam & vim sibi factam cognitioni sex judicum ex singulis partibus delectorum permitterent. Illi autem ptæfractè negabant, se commissas fidei suæ provincias a Thordo Kakalio sine ejus literis ulli dedituros: neqve se qvidem Regis arbitrium in alieni juris provinciarum distributione admissuros. Tum Eysteinus: *Equidem si Rex*, inquit, *pariter ac jam Episcopus præsens esset, his omnino vos dictis abstineretis. Optime igitur vobis consuleritis, si ad eum profecti rem omnem ejus voluntati permiseritis.* Illi *pacificationis arbitrum eum, quantumvis strenuum mercatorem, non futurum* respondent. Episcopus graviſſimè in eos invehebatur, qvòd satelliti regio violẽtas manus intulissent. Ve-

rũ illi his insuper habitis domos regressi sunt. Skalholti deinde ad Abbatẽ Brandum, qvod reliqvum erat hyemis, Thorgils Skardius cum duodecim comitibus mansit, vere ad patrem suum Bödvarem profectus, ipsô aliò tum migrante, sedem in ejus prædio Stadis fixit, multosqve Borgarfiordensium, qvi insidias ipsi struxerant, supplicio affecit, Thorsteinum inprimis Aurnis filium, qvod adventum suum Stafholtem ad hostes detulisset, per emissarios manu alterâ truncavit: Valgardum de Sidumulio, qvod per tenebras se aliqvando vulnerasset, occidit, patre presbytero Thorkele vitam filii redimere nolente. Interim Rafnum inter & Skardium magna hostilitas duravit, infestus & Skardius patruo suo Sturlæ, historiæ hujus conditori; verum inscio Rafno per Thordum Hitnesingum conventus institutus: ubi Skardius litem omnem arbitrio Pauli presbyteri permitti postulat. Sturla ipsum decernere jubet, spondendo etiam pro qvadraginta comitibus, qvos Stafholti ipsi capiendo adhibuit, multam simul, qvam irrogaret, soluturum pollicitus. Multam igitur, cnm indixisset alter, tantumqve abesset, ut id Sturlæ displiceret, ut insuper fidelibus hostem monitis instrueret, Thorgils illam qvidem omnem remisit, firmatâqve adeò de novo amicitiâ se in posterum mutuas operas juncturos alterumqve alteri suppetias laturos sincerè promittebant: atqve ita felici animorum reconciliatione discedentes se invicem salutabant.

Eadem hyeme Gissur in Skagafiördum aqvilonem versus profectus, prædium Flugumyram ab Episcopo Henrico emit, publicè deinde professus, sedem se ibi habiturum; Eyolfo autem Offio mansionem in provincia ista interdixit; qvi mandatis statim parens in Eyafiordum concessit, seqve in interiorem amicitiam Episcopi Henrici insinuans; prædium nobile Mödruvallas impetravit, ubi etiam sedem fixit. Interea Gissur cum filiis suis, ad comitia anniversaria, tanqvam ad prælium, plus octingentis stipatus, veniebat, unusqve omnia moderabatur: nam nec Sturla Thordi filius, qvi antea supremus judex fuerat, nec Rafnus ipse ad comita, metu potentiæ ejus, ibant; sed & Olafus frater Sturlæ ipseqve judex valetudinem caustatus judicis tunc officium deposuit. Gissure itaqve & Andrea Sæmundi Oddensis filio, ejusqve filio Thordo, qvi tunc Gissuri unicè studebant, annitentibus, Teitus Einaris filius consensu omnium Judex lectus est. Istis comitiis Gissur publicè Rafnum & Sturlam reos agit, qvod sibi proxima hyeme necem machinati essent. Inde domum finitis comitiis profectus est; proscripsitqve statim ac extra provinciam Skagafiordensem, ubi tum morabantur, edicto publicô ejecit Vigdisem Eyjolfi Offii socrum, cum marito Oseigo Eirici filio, qvi ad Eyolfum deinde se recipiunt. Prodigium hac æstate accidisse hoc memoratur; magnus intra montem Tungufiall ejulatus, eumqve secutus ingratus auribus grunnitus, aliqvoties qvidem auditus & ab ipso patrefamilias Vigfusio Illugii filio pluribusqve exceptus est.

Omnem tum temporis familiam in prædio Flugumire morbus ac contagiosa quædam tabes lecto affixerat, præter Gissurem ipsum, uxoremqve ejus Groam & filium Hallum, atqve adeo, ut rebus domesticis peragendis vicini adhiberentur. Procedente autumno, inter Gissurem, Rafnum & Sturlam Breidabolstadis conventus instituitur. Ibi transactio ad effectum perducta, intercedente Thorsteino Hialmi filio. Lectus arbiter Gissurem inter & Rafnum Abbas Brandus: placuit autem ut Gissur & Sturla inter se ipsi damna compararent; sin adhuc dissentirent, judiciò Rafni staretur; in confirmationem amicitiæ filia Sturlæ Ingibiörg, annorum qvatuordecim virgo, speciosæ pulchritudinis, artesqve muliabres docta, Hallo Gissuris filio

eſt deſponſa; qvarum nuptiis Flugumyre apud Giſſurem celebrandis initiũ hyemis deſtinatum; atqve hoc modo diuturnæ inimicitiæ in firmam animorum concordiam ſunt mutatæ. Tum verò frigere ex adversò cum Giſſure amicitia, inqve Eyolfum Offium converſa, magnis ſtudiis ſuſtentari: dum hic interea Epiſcopum Mödruvallas ad ſe invitatum lautô convivio excipit. Notatum, in numero convivarum duos Eyolfi propinqvos, Asgrimum Bergthoris filium & Broddium Thorleifi filium, ſimul accumbentes, de Eyolfi ſplendore, cæteriſqve animi ac corporis dotibus ſermonem inſtituiſſe, Asgrimumqve Broddio prolixè hæc omnia laudanti reſpondiſſe; *aut aliquid magnum jam animo Eyolfus agitat, aut, quod mens præſagit mihi, brevi, quod infectum mallemus, aliquid ipſi accidet. Forte hinc in familia noſtra lacunam videbimus.* Ad tam ſiniſtram conjecturam Broddius haud parum tum obſtupuit. Poſtqvam Epiſcopum magnis, pro more gentis, muneribus affectum cæteroſqve nec ſine donis dimiſiſſet, Eyolfus amicitiæ ſpecie Giſſurem inviſebat, nec inhumaniter exceptus, domum ſtatim revertebatur. Forte die qvodam feſtò, ſereniore cœlo, cum uxore ſocroqve extra ædes deambulãs Eyolfus, per jocum quærit, qvid cauſæ ſubeſſe credat, quod Giſſur ipſum habitare intra ditionem ſuam pati noluiſſet? Illâ paucis reſpondente, uxor, Thuridis ſubjicit; *quia*, inqvit, *ultiones necati parentis mei repetendæ: major ei metus ab anu qualibet fuit, quàm à te, cui ſolam datam ſpeciem viri animadvertit.* Tacuit ad hæc Eyolfus, genas faciemqve rubore pudibundô perfuſus. Kolbeinus autem Grön & Arius Ingimundi filius multis eum in Giſſurem verbis concitabant; decreverat autem Arius eadem æſtate Norvegiam petere: Eyſteinumq; Hvitium ſecutus naufragium tamen evaſit. Eyſteinus verò cum vectoribus qvinqvaginta ſubmerſus periit. Octo ſaltem cum Ario vivi ad litora pervenerunt; atqve ita Arius ad Eyolfum hyematum rediit.

CAP. VII.

INCENDIUM FLUGUMIRENSE, EJUSQUE EVENTUS.

Iamqve tempus definitum nuptiis appetebat, Sturlaqve & Rafnus eò cum ſeptuaginta comitibus conviviſqve proficiſcuntur. Acceſſerunt ſupra centum & ſexaginta à Giſſure invitati. In Vidimire cùm Rafnus epulis ac lætitiæ indulgeret, ecce eum Eyolfi Offii frater Asgrimus Thorſteini filius cum ſex aliis accedit, & ſecretò ei aperit, fratrem ſuum Eyolfum decreviſſe, Giſſurem filioſqve ejus ſtatim poſt peractas nuptias invadere, & vel ferro vel flammis opprimere; qvod ſi armis circumveniri non poſſet, nomine fratris poſtulabat, ut Rafnus intra tecta telis eum aggrederetur, dum illi foris flammas admoverent. Exhorruit Rafnus à tanto ſcelere, nuptiarumq; ſacris tot innocentium ſangvine temerandis: abſterruit qvoqve ipſum ſacramenti & fidei nuper datæ religio, impiè adeò novâqve perfidiâ proculcanda. Multis itaqve rationibus propoſitum impium diſſvaſit; qvod tamen ut fidei ſuæ commiſſum, negavit ſe cuiqvam proditurum; atqve ità dimiſſis eis ad nuptias proficiſcitur. Aderant ex auſtro duo Giſſuris filii, Isleifus & Ketilbiornus, cum magno & ſplendido comitatu advecti. Vix aliud in hac inſula magnificentius convivium nuptiale

visum est: interq; Rafnum & Giſſurem intima tunc amicitia coaluit; nec tamen Rafnus ſecretum, cujus erat conſcius, aperire ſuſtinuit.

Feriâ hebdomadis ſecundâ Arius Ingimundi filius eò venit; cui ſponſus ipſe Hallus obviam procedens, poculô argenteo propinavit, ad convivas deinde introduxit; tum qvoqve Arius, ſub hoſpitis ſpecie explorator, propoſitum Eyolfi Rafno expoſuit. Cùmqve Rafnus & Hallus in minore cœnaculo apud Giſſurem conſiderent, accerſitus Arius benignè à Giſſure excipitur; qvi deſiderare ſe maximè profitetur, ut Eyolfum apud ſe videat; & aſſidere juſſo, ſtabilem ſe firmamqve amicitiam in poſterum inter ſe & illos inſtitutam velle confirmat. Tum Arius reſpondet; *noli dubitare, nos te adituros: imò, niſi te convento, neque ego, neque cognatus meus Kolbeinus Grön in poſterum apud Eyolfum propinqvum noſtrum remanebimus.* Hæc qvamvis conſideranti haud involuta aut obſcura fuerint; Giſſur tamen, aliàs ſagaciſſimus, utpote pœnæ in præſens obnoxius, non perpendit. Rafnus eo die honorificis muneribus magnôq; amicitiæ incrementô dimiſſus, ſub diſceſſum monuit Giſſurem, ut accuratè ſibi caveret. Cui Giſſur: *Ergone*, inqvit, *mî Rafne, nôſti, unde mihi periculum immineat?* reſpondit alter: *neſcis tu verò, unde ſubula & lora proveniant?* qvâ paræmiâ incertæ inſidiæ lingvâ gentis ſignificantur. Nec ſic admonuiſſe contentus, Samo qvoqve amicorum uni diſceſſurus apertiùs indicavit, hoſtes non procul abeſſe, atq; hôc qvidem temperamento novis veteribusqve amicis atq; affinibus ſatisfeciſſe fidemqve liberâſſe, imò honori ſuo & exiſtimationi conſuluiſſe, ſibi viſus eſt.

Digreſſis conviviô Eyolfus cum qvadraginta duobus ſociis, in qvibus loricati triginta, veſpere feriæ tertiæ Flugumiram venit; hic omnes ex eqvis deſcendentes magno ſilentio ædes accedunt. Duo erant excubitores in aditu conſtituti: qvorum alter, cognito hoſtium adventu, metu perculſus in viciniâ properè ſe recipit; alter ingreſſus domum hoſtes adeſſe nunciat, ſtatimqve â Kolbeino Gröne occiditur. Occiſus & in lecto Samus, cui Rafnus periculum indicaverat. Is autem idem Giſſuri Glado, ſeu Læto, retulerat, qvi ſignificare hoc domino ſuo neglexerat. Ipſe Giſſur galeâ capiti impoſitâ, loricâq; veſtibus lineis ſuperinducta, arrepto gladio defenſionem parabat, perq; aliqvod tempus hoc tenuit. Itaqve Eyolfus territus, ſi longiùs oppugnatio differretur, ne confluxu vicinorum ulteriore progreſſu vel prohiberentur, vel opprimerentur, ignem tectis ſubjicit, ſtipite pice illito incenſo, ædibusqve injecto. Jamqve ubi fumum flam̃amqve ſævientem aſpexit Giſſur, pronus ipſe, naribus pavimento impreſſis, ſupplicibus Deo precibus animã ſuã com̃endavit. Has qvoq; excepit preces ſum̃â cum admiratione Thorbiornus Nef, qvi pari periculo implicitus caput ei obvertit. Uxor Giſſuris Groa huic proxima ſolum ſupparum induta ſtabat, cui maritus aureos annulos duos marſupiô eductos tradidit; a parente alterum, alterum à patruo Epiſcopo Magno poſſeſſos, qvos in̄ eorum memoriam ſervari cupiebat; perſvaſus, hoſtes uxori, ut mulieri, parcituros, ſibi autem mortem deſtinari. Verùm ſecus evenit; illam enim Thorſteiuus Genia, inauditâ in fæminas crudelitate in ardentem rogum impuliſſe fertur, ubi & mortua inventa eſt. Nova nupta Ingibiorg oblatam à cognato ſuo Kolbeino Gröne exeundi poteſtatem accipere noluit, niſi amicus etiam unus ſibi permitteretur; qvod ille, maritum poſtulaturam credens, recuſavit. Tandem ipſe inſiliens in ignem extraxit eam, vivam qvidem jam, ſed valde afflictam.

Inter-

Interea Gissur, ubi jam maximè ædes flamma involverat, in penuarium, qvod præter cubile & minus triclinium salvum adhuc erat, se recepit, Gudmundo Offio propinqvo suo comitatus, qvi eandem cum magistro sortem subire voluit, ne in extremîs qvidem ipsum derelicturus; hoc verò unà cum presbytero Jone Haldoris filio, tunc primùm accedente, abire sibiqve consulere jusso, siqvidem sibi soli fortè latebra alicubi qvædam, pluribus verò non item, pateret. Deinde domô perlustratâ, vas ingens offendit, presso lacte plenum, alii terræ infosso seroqve lactis referto ità impositum, ut magnam partem id, qvod infra erat, tegeretur. Superiori itaqve gladium im̃ersit; galeâ deinde & loricâ depositis, lineis tantùm vestibus tectus, in id, qvod inferiùs stabat, descendit, & liqvori huic alas usqꝫ im̃ersus, intensam frigoris vim omnes corporis partes penetrantem sensit, sed brevì, qvi illam ædium partem lustrarent, ingressi candelam inferebant. Ibi audit tribus Gissurem occidendi negotium datum: nec id subitò aut unâ plagâ exseqvi; successivîs potiùs ictibus, ad explorandam fortitudinem ejus, etiam in ipsâ morte, trucidare eum placuit. Lecti ad id erant Hranius, Kolbeinus Grön, & Arius Ingimundi filius. Jamqꝫ vasa perscrutabantur, ter aut qvater hastîs id ipsum, in qvo ille sedens delituit, rimati. Sed volas continuò ventri obtendens, genubus saltim ac tibiis plura, sed minora, vulnera accepit: disceptatumqve inter scrutatores est, fundusne, an aliud qviddam, qvod foderent, objiceretur. Persvaserunt ii, qvi præter liqvorem nihil ibi contineri contendebant; qvod si verò lucem tum admovissent, ipsum facilè invenissent, qvem qværebant. Sed per fata non licuit eum occidere, qvi sumendæ ab ipsis vindictæ destinatus erat. Bis totum penarium perqvirebant. Retulit pòstea Gissur, anteqvam ingressi essent, membra sua omnia nimiâ frigoris vi contremuisse; sed dum ii lustrando occupabantur, tremorem desivisse, metu calorem, credo, excitante. Ità exeuntes illi, conscensis subitò eqvîs, discedunt. Rediit exitu eorum Gissuri intermissum frigus, cujus ultra impatiens, emergit se ex vase: inqve templum dum deducitur, qvidam, nomine Aurn, qvi inter Eyolfi socios ultimus eqvitabat, deduci in templum virum conspicatur, idqꝫ Eyolfo referens hortatur, ut versis statim eqvîs eò redeant, sine dubio Gissurem manus eorum evitâsse; alii verò id minùs vero simile rati, reditum dissvadebant; iisqve fides habita. Hallus Gissuris filius stricto gladiô ex incendio erumpens, ab Einare Thorgrimi filio lethali vulnere, capiti inflicto, petitur. Mox alio ictu pede propemodum truncatur; inde à Thorolfo Monacho in sacram ædem ductus: sed nudîs per algentes nives pedibus, frigore vulnera constringente, mane alteriùs diei exspiravit. Novem pauperes in domo emissariorum suffocati sunt; viginti qvinqve incendiô perierunt: in hîs duo Gissuris filii, Isleifus & Ketelbiornus; & Isleifo, prius qvam domus incensa esset, inter conflictum manus altera præcisa, qvod is vulnus fortiter ferens; *hîc*, inqviebat, *unus vir vulnus accepit*. Gudmundus Ofsius, qvi Gissuri priùs commori statuit, pastorqꝫ Jon Haldoris filius, vitâ ab hostibus sunt donati.

Hanc tantam calamitatem Gissur magno tamen tulisse animo fertur: nam cum filium Isleifum, non qvidem combustum planè, sed corpore intra loricam tosto, uberaqve uxoris clypeo elata videret, Paulum Kolbeini filium de Stadis, qvi cum numero sociorum haud parvo accesserat, auxilio futurus, si hostes, cognitô eum superesse, iterum impeterent, affatus: *Hîc*, inqvit, *agnate*, *filium meum uxoremque vides*: avertensqve faciem lacrimam grandinis in modum decidentem absterſit. Magna, præter homines, opum jactura hoc incendio est facta. At Eyolfus Ofsius cæteriqve

 incen-

incendiarii Holas ad Episcopum Henricum se conferunt, â qvo statim absolutionem (ut vocabant,) tam nefariæ crudelitatis impetrant; peculiari tamen mensæ adhibiti in cubili publico somnum capiunt. Mox Rafnus Oddi filius, nuper amicus Gissuris ex inveterato hoste intimus factus, iis se adjungit, exemplô confirmans tritum illud, non esse reconciliato hosti credendum; etenim hic & Eyolfus affines singulas Sturlæ Sighvati filias in matrimonio habuerant, ut antea memoratum, cœptaqve tridui affinitas inter ipsum & Gissurem, Halli morte citius qvàm coaluit, dissoluta est. Nec dum Holis recesserant, cum relatum est Gissurem vivere: id primà vice incredibile, mox suspensos eos animoque fluctuantes tenuit. Rafnus verò apertè prædixit, vitam ejus vitæ omninò multorum exitialem futuram, monuitqve, ut sibi qvàm possent diligentissimè caverent; absqve tamen ullo metu eos Modruvallas domum Eyolfi secutus est; ubi omnes fidis fortibusqve excubiis se vallantes simul se continebant. At Gissur absqve longiore mora turmis hominum, jam ultro affluentibus, collectis perseqvi eos statuit. Erant qvi vestigiis eorum protinus insistendum clamitarent, qvo in ipsa sede Episcopali opprimerentur. Ille verò respondit, *malle vindictæ sibi facultatem eripi, quàm eos in loco tam sacro invadere.* Septinginti confluxerant, qveis succinctus in provinciam Eyolfi se infundit, direptisqꝫ subditorum ejus bonis, ipsoqꝫ domini prædiô exspoliatô, præter qvæ templo illata erant, omnia secum aufert. Unus incendariorum captus, simul & occisus est. Pecus omne, qvod Eyolfus possederat, mactatum. Hic autem cum factione sua navibus in insulam Halseyam secessit. Abbas autem Eyolfus & Andreas Sæmundi filius arbitros se offerentes rem ad pacem deducere satagebant. His nomine Eyolfi respondit, *facilius jam pacem conventuram, postquam clades acceptæ Gissuris cladibus repensæ essent, quàm antea, cum pars altera iis tantum multata*; induciasqve per hyemem postulavit, universam verò causam judicio Regis Haconis committi. In hanc sententiam consensu communi itum; ut mansiones incendiariorum certis interea limitibus circumscriberentur, qvos egressi impunè â qvovis occiderentur. His ita compositis, Gissur in prædium As concessit, ibiqꝫ hyemavit: semper inter suos lætus & hilaris; tanqvam prorsus acceptæ cladis domesticæqve calamitatis oblitus.

CAP. VIII.

SIGURDUS EPISCOPUS REGIA NEGOTIA PROCURAT. GISSUR INIMICOS PUNIT: ANATHEMATE FERITUR; RAFNO RECONCILIATUR. INTER EUM ET THORGILSEM AMICITIA DIREMTA. CUM HRANIO CONFLICTUS. INCENDIARII JUDICIO DAMNANTUR. GISSUR E PATRIA DISCEDENS REGEM HACONEM ADIT. INTER HENRICUM EPISCOPUM ET ODDUM SIMULTATES, ET EPISCOPI CAPTIVITAS.

Missus per æstatem anni hujus in Islandiam Episcopus Skalholtinus Sigurdus ad promovenda Regia negotia, alterqve ei adjunctus, actionum ejus observator & custos; cui etiam Sigurdus nomen, cognomen autem Silkiauga, seu sericus oculus, multas literas perferebant; interqve has, qvæ Gissurem aliosqꝫ ad Regem evocabant. Cùm jam eò provecti simus, simul

simul, si adhuc, qvæ Eyolfum inter & Giſſurem ſuperiori annô ſunt acta, poſtqvam ille, Eyolfus nempe Kodrani filius, & Kolbeinus Gron prædium Flugumyram cum uxore Giſſuris filiisqve cremâſſent, qvæqve deinceps usqve ad Sigurdorum adventum geſta ſunt, ordine exponemus.

Finitô feſtô Natalitiorum, Giſſur iter aliorſum ſibi eſſe ſimulans, rectà in aqvilonẽ ad perſeqvendos incendiarios profectus, ſex eorum induciarum ſecuros diverſis in villis trucidavit; infrendens dolore & indignatus in homines leves ultionem otioſè adeò ac ſine magno ſolatio translatã. Longiùs itaqꝫ profectus, cognoſcit Kolbeinũ Grönẽ in prædio Eſpiscopali Skalholte ſecurum qvoqꝫ ſe continere. Eò igitur accelerans comprehendit eum; cùmqve incendiariorum adhuc uno interfecit. Eqvidem inducias non rupiſſe Giſſur videri volebat, ſed ex harum violatoribus pœnas exegiſſe; qvippe qvi non intra præſcripta loca intervallorumqꝫ terminos conſidebant, ſed liberè vagantes diverſos amicos inviſebant. Illi verò eum ut fædifragum & divini humaniqve juris contemtorem conviciis inſectabantur; qvibus Epiſcopus Henricus ſuffragatus, anathemate eum & ſocios itineris omnes feriebat; iisqve præſentibus campanas pulſari, aut celebrari cantus, vetabat; irritatus priùs, qvòd non ex fide negotia Regia ſibi cõmiſſa procurâſſet: qvare Giſſurem hominem vaferrimum pronunciare erat ſolitus. Interea Giſſuri, in auſtralia profectò, dies locusqve, intercedente Andreâ Sæmundi Oddenſis filio, ordinatur, ubi ipſe & Rafnus conveniant, ſinguli duodecim tantum viris comitati. Cum verò Giſſur cum qvadraginte eò adveniſſet, ſolus conditiones ex arbitrio ſuo præſcripſit, Rafnumqve ad fidem ſibi dandam partesqꝫ incendariorum ejurandas adegit; qvem cum hoc pacto incolumem dimiſiſſet, mirari ſe teſtatus eſt, qvo fatô hoſtis ille ſuus graviores pœnas evaſerit, cũ, anteqvã cõveniſſet, aut oculos ei aut teſticulos eruere ſeriò apud ſe animô conſtituiſſet. Giſſuri reconciliatus Rafnus, cũ Thorgilſe qvoqve Skardio renovare amicitiã voluit, qvod eum Skafholti comprehenſum ad ſocietatem Giſſuris abdicandam aliaqve coegiſſet; cauſâ igitur ejus arbitrio permiſsâ, haut levi pecuniæ ſummâ multatus eſt. Vigfus qvoqve, qvi ei conjunctus eum infeſtârat, judicandi poteſtate in ipſum translata, certâ argenti ſummâ damnatus, multam æqvo animo & liberali pendebat.

Verùm haud æqvè inter Giſſurem & Thorgilſem Skardium concordia, qvamvis â Rege imperata, ſincera perſtitit. Oddum itaqve Thorarini filium Giſſur ſollicitat, ut ſuam in vicem tantiſper provincias adminiſtret: ſibi diras Epiſcopi haud tolerandas videri; ſtatuiſſe itaqve dominum ſuum Regem Haconem adire, eô providente exitum rerum ſuarum proſperum & optatum ſperandum. Illud tamen onus Oddus detrectabat, ſimulqꝫ hinc ambo in ſeptentrionem profecti, ſociis ſupra trecentos ſexaginta comparatis, ad incendiarios porrò inveſtigandos egreſſi ſunt: qvi de adventu eorum edocti naves petunt, ab impreſſione deinde tuti. Thorvardo autem Oddi fratre operam interponente ſuam, conventus in Glæſisdalo inter eos & Giſſurem conſtitututus, qvò tribus navibus advecti illi, nec terram conſcendere auſi, jurgiis mutuis rem denuò irritam reddiderunt. Eâdem æſtate Giſſur hos, qvibus cum bellum ſibi erat, in jus vocavit; inde in auſtralia converſus, Oddum Flugumire reliqvit, qvi ut cognovit Hranium Kodrani filium celebrem inſulam Grimseyam, Sancto Olafo qvondam neqvicqvã expetitã, occupâſſe, ipſe qvoqve illuc eum perſeqvi ſtatuit; comparatisqꝫ navibus eò pergit. Triginta ſtipatores circa ſe Hranius habuit, aſcenſu hoſtes prohibere conatus: duos verò ex incendiariorum numero in li-

tor

ore trucidatos cùm amisisset, ipse in aliam navem transcendens, remis effugium qværebat: sed capta â perseqventibus nave, armis ipse se, qvoad potuit, defendit, pugnâq; memorabili editâ, in medio ejus fervore occubuit. Eyolfus ad Rafnum, (qvi tamen societatem ejus nuper ejuraverat) in occidentem concessit, longo apud eum tempore commoratus. Verum Oddus ad Gissurem cum triginta sociis veniens ei sese adjunxit, amboqve simul ad comitia anniversaria profecti sunt. Ibi Eyolfus Ofsius absens judicio condemnatus, qvindecimq; incendiarii alii eandem damnationem subierê: condemnatus & Thorsteinus de Hvammo, Eyolfi pater, de vi illata; ut et Asgrimus qvidam, quòd funestum consilium, cujus conscius fuerat, haud revelasset.

Et jam Gissur ad navigationem omnia apparabat, cum Eyolfus & Rafnus cum sexaginta armatis eum invasuri, iter festinanter ingressi sunt, sed conversi falsô nunciô, qvi eum Eyris navigationi paratum referebat, retrocesserunt, magno rerum suarum dispendio, cum facilè alter in villa Langholte, ubi ad Gissurem Gladum divertit, opprimi potuisset. Ibi per eundem nuncium reditus Episcopi Sigurdi ê Norvegia cognitus. Atqve hæc sunt, qvæ in Islandia eô anno ante dicti Episcopi adventum gesta sunt; qvi statim Gissurem convenit, cognovitqve ab Episcopo Henrico sacris exclusum. Sed & Episcopus Henricus, cognito adventu Episcopi Sigurdi, propere ad eum contendit. Uterqve tum Gissuri ut adiret Regem, persvasit; qvi profecturus Oddo provinciam Skagafiordum regendam tradidit, litemqve cum incendiariis ad executionem perducendam commendavit; hæredis autem suis Thorerem Tott præfecit, inq; principali Haukadalo reposuit, auxilio Oddo adversus Rafnum & Eyolfum futurum; atqve ita Gissur ê patriâ solvens Bergas pervenit, ubi tunc Thordus Kakalius æqvo eum animo non aspexit, nec Gissuri illis consonspectus gratior: uterqve autem diversis navigiis Tunsbergæ Regem adeunt.

Interea Oddus in Islandia, non receptus modo in locum Gissuris â subditis ejus, sed votis etiam omnibus expetitus, primò omnium Thorsteinum Eyölfi Ofsii patrem publicè condemnatum, ut dictum, exspoliavit, abactis armentis omnibus, qvæ comprehendi poterant; cui facto multæ nomen prætendit. Hoc cognito, Episcopus Henricus per nuncios restitutionem omnium postulat. Illo veró abnuente, arripit familiaria Ecclesiasticis arma, fulmenqve anathematis in eum vibrat. Oddus contra cum triginta sociis Episcopum Fagranesiæ, ubi tunc ædem sacram inaugurabat, adit, tricliniumqve medium inter prandium ingreditur. Qvo viso, Episcopus mensas removeri jubet. Ad hunc Oddus ità locutus fertur: *Ad reconciliandum te mihi, Domine, huc accessi, ex hac statim provincia in tui gratiam cum comitatu meo migraturus, si cavere sustinueris, provincialibus ab incendiariorum irruptione maleficiisque nullum in posterum damnum timendum.* Id verò in sua potestate non esse respondit Episcopus. *Viam ergò*, ait Oddus, *aliam nobis ad reconciliationem pande; mihi enim constitutum tecum pacisci.* Excedere ê provinciâ Episcopus jubet, Thorsteinoqve ablata restituere. Negat hoc Oddus; neqve eum solum rerum suarum arbitrum futurum; *neque enim tu*, inqvit, *incendium Flugumyrense admodum luxisti. At*, inqvit Episcopus, *tuam conditionem valde lugeo, cujus anima in inferno ardebit, id quòd tu miser, proh dolor! videris præoptare.*

Jamq; ê colloqvio altercationem fecerunt; retulitq; postea Kiaptakollus, revera Episcopum id egisse, ut captus ab iis abduceretur; ad invidiam, credo, Oddo excitandam. Propiùs itaqve accedens Oddus, compre-

prehendi eum jubet, Kiaptakollus & Thorarinus Grautnefus eum manib⁹ injectîs tenebant: laborabat autem ex ulcere tactus impatiente. Oddus ei vim inferri nolebat; abduci tamen captivum placuit, atq; ità eqvo impositus est. Comitum autem Oddi, ut Episcopo manus injectas vident, alii in campos procurrentes, factum exhorrescebant. Flugumyram deinde petunt; ubi Episcopus propugnaculo, qvod Kolbrinus Juvenis exstruxerat, infertur: verùm haud levis motus provincialium exortus est, cognitâ Episcopi captivitate, statim igitur ad ducentos usq; sunt congregati, interq; eos Norvegorum multi, omnium incitatissimi, qvi vi eum repetere ardebant. Præsidebat tunc provinciæ suæ Asbiornus Illugi filius: is per nuncios secretò Oddum monuit, ut cederet tempori, Episcopumqve dimitteret. Is itaqve se Skagafiordensibus gratificari professus, consilio amici paruit. Erat sacrorum justitium qvoddam toto tempore, dum Episcopus in alienâ potestate detentus fuit, cantuqve in templîs ac campanarum pulsatione abstinebatur. Priùs autem, cùm pertinaciter nullâ dimissionis spe detineretur, misit nuncios ad Rafnum & Eyolfum, postulatum, ut se ê manibus hostium liberarent. Qvi, ascitîs Thorgilse Skardio, Sturlâ Thordi filio, Finnbiorno, Thorleifo de Gardîs, & Vigfusio, circiter mille sexcentos homines collegerunt. Hîs comitati, inqve tractum aqvilonarem infusi, cognoscunt, tandem dimissum Episcopum, Oddumqve è provinciâ excessisse: qvod qvia non satis constabat, ipsi nihilo secius cæptum iter sparsim maturabant, donec ad Hestathingshamras convenirent; ubi eos Henricus Episcopus accessit, jam liber. Tum demum itaq; dispersi, suas qvisqve domos repetebant. Notandum hìc videtur præsagium Asbiorni de Vidvicha, qvi cùm ambiguus fluctuaret, cui se parti adjungeret; nunciis tamen Skardi ad se sollicitandum missis, huic præ cœterîs obseqvi se velle respondit; *animum enim sibi magnam hac hyeme mutationem præsagire, eumque aliquando Skagafiordum recturum; se itaque auxilium ei, cùm per occasionem liceret, laturum.*

CAP. IX.

PRÆLIUM INTER RAFNUM ET ODDUM, ET HUJUS CÆDES; CUJUS THORVARDUS ET THORGILS ULTIONEM EXIGUNT. IVAR EGLII FILIUS IN ISLANDIAM MITTITUR. THORDI KAKALII MORS. THORGILSIS SKARDII CÆDES ET ELOGIUM.

PRincipiò anni MCCLV. Oddus Thorarini filius ex orientalis Islandiæ qvadrantis prædio Valthiofstadis (nunc pastoralis sedes est) per australia Haukadalum usqve & triginta cum eo socii profecti, montem, per qvem in aqvilonem transitus est, conscenderunt; ubi cum ingenti tempestate nivibusqve acervatim decidentibus colluctati, maximè ipsius ope, nunc hos, nunc illos in eqvos sublevantis, uno tantùm Thorgeire, cognomentô Kidlingo, amissô, ad culta pervenerunt. Postridie in itinere singulos eorum hastas ignis lambebat (Hrælios vocant, qvasi *cadaverum facem*) diu insidere eas visus. Inde auctîs provincialium confluxu copiis, Geldingaholti manserunt. Et jam Rafnus & Eyolfus de adventu Oddi certiores redditi, ipsi qvoq; collectîs copiis montem transcendunt, duobus inte-

rim corvis ſpatium omne viæ volatu proſeqventibus: qvod Rafnus, iſtâ lingvâ corvis cognominis, bonum omen interpretabatur. Plusqvam centum in domo ſuâ Oddus habuit, præter eos, qvi per provinciam ſparſi erant. Ipſe ultimo vitæ ſuæ veſpere lectum pro more petens, curîs animum gravatus capere ſomnum neqvibat. Lectioni itaqꝫ Pſalterii Davidis paulò diuturniori vacabat. Interim advecti Eyolfus & Rafnus, domeſticorum uno occiſo, inde cum univerſo comitatu eqvis deſcendentes, tacito gradu domum petebant. Sed mulier qvædam, nomine Aungulthora, compertô periculô, cubile protinus ingreſſa, dum qvosdam audit inter ſe differentes, qvo potiſſimum loco in provinciis aqvilonaribus Rafnus & Eyolfus qværendi eſſent, occaſione hinc ſumtâ reſpondit: haud longâ inveſtigatione opus eſſe; jam enim illos præ foribus aſtare. Mox Oddus cum ſuis omnibus arma capit; diſpoſitiqve in ſtationes milites ad ſingulas fores, ingreſſu hoſtes arcent. Obſtinatiſſimè tam oppugnatio qvàm defenſio peragitur: vulnerati plures, qvidam occiſi; alii qvoqꝫ membrîs truncati ſunt. Tandem Oddus ſuos hortatur, ut ſe ipſis præeuntem intrepidè ſeqverentur: difficiliorem enim in libero campo pugnam hoſtibus futuram, qvam in anguſtiis iſtîs: ſagittæqꝫ in morem foras ſe proripiens, rotato in orbem gladio clypeum impetentibus obtendit, galeâ caput protegens. Secutus hunc athleta fortiſſimus Mar Eyolfi filius, qvi laſſitudine gravatus ac tardior, vitâ, qva digniſſimus erat, donatur. Oddus autem ſolus â multitudine impetitus invictum eò usqꝫ ſe præſtitit, donec qvidam ſe ad pedes ejus projiciens, laqveo ſubitò injecto reluctantem præcipitavit. Proſtratus itaqve presbyteri copiam imploravit, qvo minùs impetratô (credo, qvòd excommunicatus eſſet), protinus occiſus, rarum defenſionis fortiſſimæ exemplum reliqvit, eò magis qvod virium robore cæteris haud qvidem ſuperior, ſed agilitate & armorum tractandorum peritiâ ſuo tempore in patria parem non habuiſſe memoratur; annô ætatis viceſimo qvinto peremtus. Octo cum eo trucidati: poſt horum cædem plerisqve reliqvorum parcitum. Deinde pater Oddi Thorvardus Thorgilſem Skardium ſibi adjungit, pollicitus ſe vel armis Eyolfum eò adacturum, vel pactis, ut provinciam ipſi Skagafiordenſem reſtitueret, atqve hic Sturlam ſexaginta milites adducentem proceresqve alios ſibi aſſocians, cum ſatis magnîs copiis Thorvardum accedit. Junctîs itaqve viribus, haud cunctanter in Eyolfum Rafnumqve movent, qvi horum haud ignari, vix minorem iis exercitum opponunt. Miſſus interea caduceator Eyolfus Abbas ad pacem conciliandam, re infectâ redit.

Et jam acies cœperunt concurrere, cùm qvidam in exercitu Thorvardi, Thordus Krabbius, ſubitò velut deliqvio qvodam correptus, concidit; qvi ad ſe rediens viſum ſibi impurum ſpiritum ante aciem Rafni & Eyolfi, cujus aſpectum non ſuſtinuerit, referebat. Magnîs inde animîs & invictâ propemodum fortitudine ab utrâqꝫ parte ad qvinqve horas pugnatum. Tandem Rafnus, rebus ſuis admodum affectîs, fugam capeſſivit. At Eyolfus inde, ictu ſaxi pectore vulneratô, debilitatus, nec pari ac antè promtitudine pugnare valens, cùm conſcendere eqvum conatur, ſupervenіente Jörundo emiſſario retrahitur; qvi eum in terram dejectum galeâ nudavit. Jacenti deinde Thorvardus, haſtâ per os adactâ, penetratôqꝫ occipite, caput terebrat. Kimbius itaqve qvidam, ſecuri in caput grandi ictu immiſsâ, an ſolus an ſimul cum Thorvardo occiderit, dubium reliqvit. Tollitur deinde, & in prædio Thvera apud ſocerum ſuum Sturlam Sigvati filium ſepelitur. Jamqve victor Thorvardus publico conventu provinciam Eyafiordenſem poſtulat, ſed repugnantibus civibus non admittitur. Deinde

Skaga-

Skagafiordum proficiſcuntur: in cujus ſtatim imperium Thorgils nullo repugnante conceſſum ſuſcepturus erat, verùm nuncius intervenit Epiſcopi Henrici, cum literis, quæ Sacris Thorgilſi cum omnibus, qvi Rafnum & Eyolfum impugnârant, interdixerunt, vetantes eum aut qvenqvam ejus partium ſub pari pœna, anathematis videlicet, in provinciam recipi. Sed nec poſtea qvicqvam Thorvardus his auditis pro Thorgilſi conari auſus eſt. Prævaluit qvoqve apud cives Epiſcopi auctoritas. Thorgils autem ſe tempore oportuno, etiam invito Epiſcopo, provinciam repetiturum palam profeſſus, eôdem autumno ad vadum Holenſe in provincia Vatzdalo cum Rafno in gratiam rediit. Ejusdem anni vere Rex in Islandiam miſit Ivarem Eglii filium ad res ſuas procurandas, conſiliis & auxilio utriusqve Epiſcopi, quibus Hacon haud parum fidei habere viſus eſt. Primò ſtatim adventu Ivar cædem Oddi Geldingaholti perpetratam cognovit, eamqve ſecutam rerum mutationem. Hinc ad Epiſcopum Sigurdum Skalholtum profectus apud eum commorabatur.

Anno MCCLVI. miſſus in Islandiam eſt Ivar Arnlioti filius, qvi inter alia literas Regias ad Thorgilſem Skardium perferebat, qvibus provinciæ Eyafiordenſi, ac univerſo illi tractui, qvousqve in ſeptentrionem ad qvadrantum limites porrigitur, præfectus eſt. Deceſſerat enim tunc Thordus Kakalius, Eyolfiq; Offii cædem Rex tum certâ ex relatione perceperat, qvæ cum niſi per naves, qvæ ſuperiori anno ex Islandiâ remeabant, haberi non potuerit; nullum erit dubium, diverſum hunc Ivarem â priore illo fuisſe. Obiit hoc anno in Norvegia Thordus Kakalius, cujus mors ita ſe habuit. In ſocietatem expeditionis Hallandicæ tam ille qvàm Giſſur inter cæteros provinciarum præfectos aſcitus eſt; memoraturq; præclarè ſe in eadem geſſiſſe, atqve adeo ut ad eum Rex literas ſcripſerit, qvibus in Islandiam eum cum ſuprema poteſtate remiſit; iis in diverſorium publicum, ubî pro more ſeculi potabat, allatis, inſpectisqve, adeò eſt gaviſus, ut nihil ſibi tam lætum accidere potuiſſe teſtatus ſit, Regiqve magno apparatu verborum gratias egerit, profeſſus, ſe nec in poſterum patriâ exceſſurum, ſi jam eò pervenire ſibi contingeret; cum deinde aliqvandiu bibiſſet, male ſe habere cœpit, illatusqve lecto graviùs ægrotare, nec diu qvidem decubuit, anteqvam in fata concederet; fatalis ejus dies ad 11 Octobris refertur. Res geſtæ hujus viri magnô ſtudiô notata ſunt. Magnam qvoqve in adminiſtratione provinciæ, cui in Norvegia præfectus erat, moderationis & æqvitatis laudem conſecutus eſt, ut paucos ſuæ gentis pares habuiſſe videretur. Ejus morte Giſſuri gratia Regis magnis acceſſibus affulgere cœpit. Soror Thordi Steinor Sigvati filia ſe pro hærede, tam provinciæ Eyafiordenſis qvàm hæredii Grundæ, omniumqve adeò poſſeſſionum, geſſit, qvòd eſſet legitimo ex conjugio nata, nec frater ullos ex conjugio liberos reliqviſſet, proximoqve vere prædium Grundam inſidere cœpit ad feſtum usqve Johannis Baptiſtæ: tunc verò illud cum omni jure in provinciam poſſeſſionesqve cæteras, in ditionem generi ſui Thorvardi Thorarini filii tradidit, cûm exhortatione, ut ferunt, ut ex dignitate ſua tueretur.

Interea Thorgils Skardius in auxilium patrui ſui Sturlæ adverſus Rafnum Oddi filium cum armatorum circiter qvingentorum manu in occidentem profectus, eos tandem reconciliavit. Qvo tempore provinciam Midfiordenſem lues qvædam affligens, per ignobilia capita pervagata, propemodum qvingentos abſumpſiſſe memoratur. Autumno Thorvardus in prædium ſibi â ſocru datum conceſſit; provinciamqve Eyfiordenſem ſibi vindicavit; qvem adiens Thorgils Skardius negabat ſe impe-

rio ejus aut dominio juris eam cessurum, qvippe traditam sibi a Rege, civium qvoqve consensu dudum oblatam: idqve ita se reverâ habebat; eum enim principem sibi deposcebant, Thorvardum fastidientes. Cumqve uterqve sua jura tueretur, simultas qvidem magna, sine tamen armorum vel minis vel metu, oriebatur, donec Thorvardus nocte qvadam alterum in villa Hrafnagile cum sociis improvisus & furtim adortus, turpiter & sceleratè trucidavit. Id factum legitur die S. Vincentio sacro, 22. Januarii, feria hebdomadis tertia, MCCLVIII. cum Rex Hacon Nidarosiæ hyemaret, anno regni sui XLI. Cadaver occisi ad monasterium Mukathvera, curante Abbate Eyolfo, tumulatum est. Fuit autem Thorgils vir magnus, magnisqve rebus perficiendis idoneus. Skardii cognomen acceperat, qvod labio superiore scissô natus esset: qvam lacunam insititia carne repleri Thordus Kakalius, Rege consulente, fecit, optimo qvidem successu, nam medicinæ acerbitatem Skardius forti animo perpessus, formæ, jam sanatus, venustatem majorem qvam antea acqvisivit. Annorum qvindecim adolescens Gissuri Thorvaldi filio obses datus est: post cædem Snorrii Sturlæi, octodecim natus, inter satellites Regis cooptatus. Huic Episcopus Gudmundus sacramentum confirmationis præbuisse, datâqꝫ fibulâ aureâ, cruentam mortem oppetiturum vaticinatus legitur. Magnam qvidem tam nefario facto invidiam Thorvardus subiit, eô scilicet interfectô, cujus auxilio fratris cœdem ultus esset, cùm nihil in hoc fine eo profecisset. Sed frater Thorgilsis Sigvatus cœdem vindicaturus, Rafnum in auxilium neqvicqvam sollicitans, Sturlam sibi adjungit, Thorvardum autem, qvem adventus eorum neqvaqvam latebat, cura ac sollicitudo anxia in fugam vertit. Cùmqve primum periculum evasisset, per internuncios de pace cœpit agere. Sumti ab utrâqve parte arbitri, satisfactionem juri æqvitatiqve, ut tunc mores erant, consentaneam definiebant; qvorum judicio non tantùm acqvievit Thorvardus, sed munera insuper occisi fratribus donavit; professus, se propinqvis ejus acceptum damnum perpetuîs & augendîs semper officiis compensaturum.

Eôdem annô duæ Islandorum naves, Holmbussa & Grabussa, naufragium fecerunt. Qvinqvaginta vectorum ex Holmbussa salvi evaserunt; totidem periere, maximam partem Islandi: idqve ad litora ipsa Islandiæ accidisse fertur. Grabussa Finnmarchiæ appulsa est, traditurqve, omnes, qvi in eâ erant, unum post alterum â Finnîs comprehensos, mox & occisos esse. Post sedecim annorum decursum mulieres ex hîs duæ in Norvegiam venientes, tantæ crudelitatis indicium detulerunt.

CAP. X.

GISSUR COMES CONSTITUTUS PATRIAM REPETIT, IBIQVE SEDEM FIGIT. ISLANDIA REGI TANDEM SUBJICITUR. FÆDUS ISLANDORUM CUM REGE FACTUM. BREVIS DE STATU ISLANDIÆ ID TEMPORIS DISSERTATIO, ET EPILOGUS.

Post-

POstqvam per integrum qvadriennium Gissur extra patriam abfuisset, magnîs interim à Rege honoribus affectus, tandem constitutus ab eodem Comes, patriam repetit, annô 1258. qvâ de re vide, qvæ ad eundem annum Cap. XLV. historiæ Regis Haconis scripsimus. Inseqventis anni vere Comes Gissur in aqvilonem Skagafiordum primò adit, studioséqꝫ exceptus inde in Eyafiordum se vertit, ubi muneribus passim honorabatur: sedemqve Stadîs eligit, singulis provincialibus ovem ipsi honorarii tributi loco offerentibus; per æstatem deinde ad comitia profectus est; inde domum rediit. In vicinia mulier qvædam sangvine Comiti conjuncta, nomine Jorun, habitabat. Filii ei duo, Kalfus & Thorgeir, erant, in mediocri apud illum gratiâ viventes; hos Thordus Andreæ filius, Sæmundi Oddensis potentis illius viri nepos, per nuncium & literas ad conjurationis contra Comitem societatem sollicitat. Displicuit iis postulatum; matri multò magìs, qvæ eos à tanto scelere dehortabatur, qvòd is, qvi sollicitabat, etiam ipsos cognatione attingeret. Nihilominus Kalfus Comitem solum nactus, monuit, *ut sibi caveret, nec se id sine causa, & quidem haud obscurè sibi cognitâ, monere: nolle tamen eandem aperire.* Cui respondens Comes; *Credo*, inqvit, *aliquid tibi compertum, quod salvo honore manifestum habere posse diffidis. Verùm tecum velim cogites, an me sublatô clades illa familiæ vestræ facilè resarciri possit*; nec plura locuti discesserunt. Paulò pòst internuncius captus, qvæstione habitâ, rem omnem ordine aperuit; proditionis itaqve postulati propinqvi intercessione aliorum supplicium evaserunt. Mox Comes, coactô mille armatorum exercitu, adversus Thordum movet, qvi periculum qvidem fugâ evitans, damnum in subditos suos convertit, qvorum ædificia direpta, & mille ducenti boves de autumno mactati. Per interpretes deinde de compositione actum. Lis omnis ad arbitrium bonorum virorum delata, &, donec sententia ediceretur, induciæ factæ, eâ tamen conditione, ut Thordus ad Comitem hyemem transigeret: qvam etsi non impleret, pax tamen per integram hyemem duravit. In his Sturla Comiti operam insignem præstitit, interqꝫ eos magna amicitia intercessit, novâ insuper affinitate instaurata, atqve adeò, ut in convivio nuptiali Sturla Comitis Satrapa creatus, provinciæ Borgarfiordensis præses designaretur; pluraqve insuper ei ornamenta promitterentur.

Hic est ille annus (qvi nempe hæc gesta secutus est) sexagesimus supra millesimum ducentesimum, qvô delatus apud Regem & infidelitatis accusatus Comes Gissur, occasionem dedit Ivarem Arnlioti filium ad censum exigendum in Islandiã mittendi. Consulatur de hâc re Historia Regis Haconis ad eundem annum Cap. XLV. Nec hâc qvidem legatione contentus Rex, cùm negotium Gissuri demandatum lentè nimìs procederet, mittit in Islandiam Hallvardum Gullsko, qvi cœptum opus ad optatum finem perduceret. Fit conventus in foro Thorsnesensi, mox in foro generali negotium agitur; utrobiqve sacramenta Regi dicuntur, ut ex *Codice Flateyensi* ad hunc annum in Historia Regis Haconis fusiùs demonstravimus. Hic tamen placet addi, qvòd in eodem generali foro Rafnus cum Comite Gissure in gratiam redierit, atqve unà cum Sturla filio suo securitatem Comiti, ad fores templi junctîs manibus, spopònderit, præsentibus Episcopo Sigvardo, Abbate Brando Jonis filio, Sigvato Bödvaris filio, & Sturlâ Thordi filio, omni propè forensi multitudine inspiciente. Inde Comes

mes in australem plagam Laugardalum usqve procurrebat, copiis secum omnibus detentis. Episcopus autem Sigurdus & Hallvardus Gullskor Borgarfiordum primò profecti, mox ad forum Thvera, convocatis occidentalis qvadrantis civibus, sacramentum ab iis, formulis, qvibus id dixerant septentrionales australesqve, sumserunt. Publicè hæc pro universa multitudine peragebant Rafnus Oddi filius, Sturla Thordi filius, Sigvatus Bodvaris filius, Einar Thorvaldi filius, Vigfus Gunnsteini filius, cumqve singulis eorum tres cives provinciales jurabant. Pro Borgarfiordi incolis tres itidem cives. Atqve ità omnes Islandi fidem censumqve & obseqvia Regi Haconi jurejurando publicè addixerunt, præter orientalis qvadrantis cives à tesqvis Haulkundarheidi dictis ad flumen Thiorsa, qvod australem qvadrantem interfluit. In anno errat Arngrimus, dum hæc ad proximè superiorem refert. Articulos, qvi conditiones pactis insertas continent, Arngrimus *Crymogeæ Lib.III.* complexus est. Ad calcem autem Codicis LL. Islandiæ typis Islandicis, annô salutis 1578. & postea 1707. impressi, inter novellas seu constitutiones recentiores extant. Nos hanc qvalemcunqve eorum interpretationem subjicimus:

In nomine Patris, Filii, & Spiritûs Sancti; nos populus omnis Islandiæ communi suffragio Regi Haconi Coronato illi subjectionem nostram deferimus: iis conditionibus, quæ inter Regem terræque nostræ cives convenerunt. Censum Regi tributaque in jurisdictionis sustentationem obsequiaque civilia omnia legibus definita præstabimus, modò nobis ea, quæ vicissim promissa sunt, præstentur.

(1.) *Nimirum, ne extra patriam ad causam dicendam nostrates evocentur, nisi in curia suprema juridicâ ad id Judicis sententiâ obligati fuerint.*

(2.) *Ut supremi patriæ nostræ judices provinciarumque præfecti indigenæ, & quidem ex eorum familiis, qui territoria sua & jurisdictiones dediderunt, constituantur.*

(3.) *Ut sex onerariæ naves quotannis in Islandiam, nî singularis & gravissima intervenerit causa, mittantur.*

(4.) *Ut bona, quæ hæreditate nostratibus in Norvegia obvenerint, quocunque tempore, quantumvis post intervallum, reddantur iis, aut eorum vicariis, qui se justos hæredes idoneis testimoniis probaverint.*

(5.) *Ne portoria ab iis exigantur.*

(6.) *Ut nostrates in Norvegia jure æstimationeque eâdem fruantur, quæ optimis unquam data.*

(7.) *Ut jura Islandicæ societatis inviolata nobis pacemque Rex conservet secundum codicis legum tenorem, diplomatumque suorum præscripta: quorum successum Deus fortunet.*

(8.) *Comitem nobis rectorem deposcimus, quamdiu vobis fidem servaverit, vosque & vestri hæredes his pactis steteritis. Qvæ si fuerint violata, nos quoque ex optimorum virorum arbitratu liberi erimus.*

Qvâ clausulâ satis sibi cautum existimârunt, hâc libertatem munitã, & Regis in se potestatem circumscriptam; cùm tamen nec definitum esset, qvibus ista cognitio committenda. Proceribus Norvegiæ committi non potuit; nam hi Regis subditi, non judices, & si vel maximè admitterentur, in Regem qvàm Islandos, imò suam patriam, proniores: cujus intererat, provinciam à regno non divelli. Sed nec, qvo in loco? Islandia, an Norvegia? Atqvi illa tanti tribunalis incapax; hæc authoritatis Islandorum impatiens erat.

Cœte-

Cæterùm qvod Giſſurem attinet, non ignorâſſe eum feudorum naturam & diſcrimina, facilè inde colligitur, qvòd initiô popularibus ſuis perſvadere ſit conatus, liberas & ſine tributorum onere provincias, qvibus præfectus eſt, ſibi â Rege datas. Eqvidem ad ſortem videtur Comitum Orcadenſium aſpirâſſe; aut ſi non omninò parem, imperium tamen & jurisdictionem ſine provocatione, cùm penſionis certa ſummâ definitæ conditione ambiviſſe, eumqve in finem cauſam Regis diſtuliſſe, donec tantam ſibi authoritatem in patria comparâſſet, ut tutò hanc conditionem Regi poſſet proponere; qvod animadvertens Rex, freqventibus legationibus, ne nimiùm creſceret, providit. Nec alius ſtatus Islandiæ, inteſtinis jam diſſidiis laceratæ, civiliqve bello exhauſtæ, tutior fuiſſet, qvàm unius Principis legibus circumſcriptum imperium in tutela Regum Norvegiæ. Qvamvis enim ariſtocratia hujus Reipublicæ haud ex omni parte incommodè conſtituta eſſet; vinculum tamen, qvod Optimates inter ſe connecteret, metumqꝫ pœnarum & vindictæ injiceret, debile prorſus vel nullum erat; leges enim fundamentales de ſtatu publicæ rei deerant; qvæ autem extant adhuc, ſatis qvidem multæ, penè omnes civiles ſunt, ad plebem in provinciis ſingulis, Magnatum imperiô coërcendam latæ. Erat qvidem ſenatus conciliumqve ſupremum, cui judex præerat, qvem Nomophylacem aptiſſimè Arngrimus vertit, idqve ex officii natura. Conſultus enim is reſpondebat, in qvô erratum eſſet: hæcqve illi legum cuſtodia incumbebat, maximè antiqviore ſeculo. Lata verò ſententia convictum facinoris reum pœnæ ſubjecit; qvem tamen potentiores ſæpiùs judiciis eripuerunt. Si enim ipſi, aut propinqvi eorum, aut amici, duriùs, qvàm placeret, mulctarentur; continuò in factiones ſparſi, utqve aranearum telas, ità leges judiciaqve perrumpentes, ex judicibus interceſſores faciebant. Sæpe etiam hos ab officio violentiùs amovebant, ne ferendæ ſententiæ poteſtas fieret. Hæc probatione aut exemplis non indigent; ità enim mores ſeculiqve iſtius conſvetudo erat. Nec ſanè dubitare permittunt hiſtoriarum illa monumenta, ex qvibus ſingula, qvæ hactenus retulimus, ſunt deprompta: & conſcripta illa qvidem non à coævis modò, ſed ab homine fide digniſſimo; qvi & ipſe inſuper turbarum iſtarum magna pars extitit.

Circa hæc autem tempora provinciæ, ſuis antea qvæqve principibus adminiſtratæ, ſub imperium paucorum redactæ ſunt; qvorum potentiores, æmulatione invicem concitati, civilibus bellis inter ſeſe collidebantur, donec planè ſe invicem everterent. Interea Rex Hacon tanqvam è ſpecula libertati eorum inſidiatus, tacitè eos inter ſe commiſit, primò omnium occultîs cum Sturla Sigvati filio conſiliis agitatis, ut diſpergere qvôvis modô, exiliisqve, non morte (abhorrebat enim à crudelibus conſiliis) principes mulctaret, qvó per illum totâ inſulâ potiretur. Neqve Rex ex illo tempore cæptum conſilium remiſſiùs executus eſt, ut in ipſa pleniùs hiſtoria demonſtratum. Certè & complura mutandarum rerum indicia præcurriſſe prudentioribus obſervata ſunt; rarus Dei metus, rara ædium ſacrarum ac ſacerdotum reverentia, extracti templis ad ſupplicia hoſtes, cives ab operibus ruſticis in factiones vî avocati, perjuria uſitata, latrocinia, cœdes, incendia qvovîs temporis momentô, metuenda. Idqꝫ adeò, ut ſi vel maximè nullus exterus hoſtis, nullus libertatis inſidiator extitiſſet, hæc tamen ſola ſufficere abunde potuiſſent, non ad libertatem modò tollendam, ſed fatalem inſuper reîpublicæ, totiqve adeo iſti genti, ruinam ultimumqve exitium inferendum. Sacerdotum inſuper

ſuper fraudes, legum contemptus, & id genus ſcelera, ad immodicam gentis ſibiq; ipſi exitioſam libertatem tollendam Deum provocârunt; ut qvi hâc â majoribus, etiam patriæ agrorumqve avitorum jacturâ, redemtâ, ſibiqve per tot gradus ſucceſſorum annorumqve ſpatia, qvaſi per manus traditâ, uti amplius neſciverunt, in aliorum tandem tutelam tranſlatîs rebus, damnum libertatis, pacis optimæ ac ſecuritatis ſolatiis, propitio magis Deô, in hunc usq; diem ſub piis clementibusqve Regibus penſarent; id jam unicè exoptantes, ut, ubi nunc eſt imperium, ibi perpetuò conſiſtat, vigeat, floreat; excipiatq; hujus ſeculi tempora ejusdem Auguſtiſſimæ domûs poſteritas, ad finem mundi perennatura.

HISTORIÆ RERUM NORVEGICARUM PARTIS QVARTÆ

LIBER SEXTUS, DE MAGNO HACONIS FILIO, LEGUM EMENDATORE COGNOMINATO.

CAP. I.

MAGNUS QVO STATU REGNUM ACCEPERIT. EJUS AD REGEM SCOTIÆ LEGATIO. RELIQUA ISLANDIÆ PARS IPSI SUBJICITUR.

A Prima hominum memoria ad hæc usqve, in qvibus jam describendis versamur, tempora, haud unqvam meliore statu aut majore rerum omnium affluentiâ regnum Norvegicum floruit, quàm cùm, Hacone rebus humanis exempto, suscepit illud Magnus, nominis ejus, ut se ipsum professus est, haberiqve voluit, Qvartus, cum tamen septimus eorum, qvi id gesserunt, Regum, revera exstiterit. Primus enim inditum sibi â poeta Sigvato Islando nomen hoc in Norvegiam, imò, ut opinor, septentrionem intulit ille S. Olafi filius, ex pellice qvidem natus, sed fortunæ indulgentiâ, non solum patrium nactus imperium, sed & florentissimo Daniæ regno eidem adjuncto auctus; animo qvoqve invicto, & morum svavitate verè Magnus. Idem deinde in ejus memoriam suscepit filius patrui ipsius Haraldi Strenui, seu Imperiosi, Magnus secundus dictus. Tertius hujus fratris filius exstitit Magnus Nudipes appellatus. Qvartus ille est, cui â calamitoso eventu Cæci cognomen fuit. Qvintus Haraldi Gillii filius, cui qvadrans Norvegiæ obtigit, parvô tempore superfuit. Necqvarto felicior Sextus, Magnus Erlingi filius, primus Regum Norvegorum Coronâ exornatus. Septimus hic noster est, hoc idem, cum Baptismô initiaratur, no-

 men

men â parentibus consecutus. Qvos verò ex præcedentibus ex numero Regum expungi voluerit, cum se Qvartum scriberet, haud facilè divinare qveo. An illum Erlingi filium, qvòd factionis studiis, non jure, regnum adeptus fecerit? qvem tamen hostis Sverrir Regem non agnovit modò, sed & semper appellavit, regnum qvoqve cum illo partiri paratus, temporis necessitate exigente: & si illum, qvem, qvæso, alium? Forte Cæcum illum, qvod regnô exciderit? Fateor qvidem extrema in illum fortunæ licuisse, memoriam tamen ejus abolere Regiumque sceptrum ac nomen eripere ipsi, qvamvis soliô deturbato, factumqꝫ infectum reddere non licuit. An duos illos, Haraldi Imperiosi filium & Cæcum illum, qvod non totius regni, sed dimidiæ tantum partis Reges fuerint, inter Monarchas censeri noluerit. At sic qvoqve nec anni imperiorum Magni Primi, Haraldi Imperiosi, Olafi Pacifici, Magni Nudipedis, qvibus non soli regnârunt, ad calculum referendi essent. Sed esto, uti libuit, qvartus. In eo hoc inprimis memorabile est, qvod imperium secus qvàm antecessores ejus acceperit, sine cæde, sine sangvine, non solum à turbis liberum, sine competitore; sed & opibus abundans, ac undiqvaqve felicissimum, nec modo qvoad provincias singulas integrum, sed accessione aliarum, Islandiæ puta Gronlandiæqve, auctum, & ad polum ipsum arcticum in septentrionem extensum, famâ legationibusqve in cæteras orbis partes, Asiam nempe Africamqve, inclytum.

Curato patris funere, de statu publico solicitus, nihil antiqvius habuit, qvam ut controversiam cum Rege Scotiæ, pace, cujus unicè studiosus erat, finiret; etenim pacis artibus excultus, parta iisdem tutius conservare nemineqve ulteriusqꝫ turbante augere, qvam ancipiti Martis fortunæ ac discrimini committere, prudens maluit. Legationem itaqve ex Senatorum consilio ad Regem Scotiæ anno a morte patris proximo misit, Christi millesimo ducentesimo saxagesimo qvarto, non qvod (ut *Buchananus* scribit) cum advenisset (nec enim pedem ex Norvegia movit) res magis qvàm ratus erat desperatas conspicatus esset, nec (id enim pariter fictum) qvòd auxilia domô ante vernum tempus non speraret. Sed (qvod facilius *Lyschandro* in suâ Gronlandia metrica memoranti credo) qvod rei militaris minus gnarus fuerit; nec de instabili insularum tam remotarum possessione, unde parum lucri, uti in Magno Nudipede dixisse meminimus, cum ingentibus civium suorum impensis ac onere, certare voluerit. Mannia præsertim, si Buchanano fides, â Scotis in deditionem accepta, (scribit enim Alexandrum Scotiæ Regem navibus circummissis Manniam insulam inter Scotiam & Hiberniam medio fere cursu sitam recuperasse, ea lege, ut insulæ Regulus, qvoties opus esset, decem naves longas ad Regem mitteret, Rex verô eum ab hoste externo defenderet,) forte etiam insulanorum studiis â Magno alienatis, cum ab eo par præsidium rebus turbidis atqve â patre sperare neqvirent. Hanc animorum, Mannensium nempe, inclinationem alias insulas secuturas visas idem author tradit; id qvod â vero non abhorret. Morte enim Regis Haconis spiritus sumsisse Scotos, suisqve rebus istam occasionem accommodasse, cum classis maxima pars in Norvegiam missa nondum rediisset, facilè qvivis perspicit, imminutasqve Hæbudensibus res, animos deinde alienatos, auxiliis non adventantibus, hincqve pacem cum Scoto festinatam conditionibus tolerabilibus, dum metus aliqvis Scotis â Norvegis esset; qvas verô deserti omninò, non impetrâssent. Non tamen statim inter Reges pax coaluit: in annum tertium, legatis interim pluribus intercedentibus, disceptatum. Notant Annales Codicis Flat: ad hunc annum, fratres Nudipedes ex Scotia ad Regem

Ma-

Magnum veniſſe, procul dubio â Rege Scotorum legatos. Tutior Magno poſſeſſio Islandiæ viſa, inſulæ ab aliis terris remotioris, qvam ut de ea ſangvine, vel ſumptibus certandum metueret, in qvàm nulli externorum Principum non jus modo, ſed ne qvidem qvod in ſpeciem prætenderent, haberent. Qvippe ab Norvegis ipſis, qvi primi eam vacantem occupârunt, in ditionem redactam. Ne qvid igitur ad plenam ejus deditionem deeſſet, cum anno priore, dum pater in expeditione Scotica verſaretur, proceres Oddenſes partem illam qvadrantis auſtralis, qvæ flumini Thorſa ad orientē adjacet, abdicato ſuo jure, ceſſiſſent; hoc qvoqve anno totum qvadrantem Orientalem, in univerſalibus inſulæ comitiis, Ormus Ormi Svinfellingi filius, poteſtate ab omnibus Sidæ incolis accepta, in ditionem Regis Magni, præſtito fidei ſacramento, tradidit. Nec tunc ullus ampliùs procerum reſtabat ſui juris; omnia tutelæ Regis imperioqve ſubjecta erant: domicilia, agri, aqva, termini, delubra, utenſilia, divina humanaqve omnia ipſius ſucceſſorumqve Norvegiæ Regum poteſtati, certis tamen pactorum legibus, dedita.

Hoc qvoqve anno Thorvardus Thorarini filius, ut ſuperiori anno patruo ſuo Epiſcopo Brando juratus promiſerat, in Norvegiam profectus eſt, ſublatusqve e medio Thordus Andreæ filius, fortè novarum rerum ſuſpectus; nam inter eum & Comitem Giſſurem malè ſoporata odia recruduerunt, novas inſidias Thordo ſtruente, nec talibus ſe abſtinente, etiam tum, cùm hyemem in domo Comitis tranſigeret: qvod qvamvis huic ſuboluiſſet, diſſimulatione tamen dolorem excuſſiſſe fertur. Jam verò in auſtralem qvadrantem digreſſus Giſſur, cum ad amicum Einarem Ormi filium Gardas Alftaneſenſium divertiſſet, miſſus â Rafno Oddi filio Olafus ipſius pater monebat, ut ab inſidiis ſibi Thordi præſertim caverent; qveſtus ſimul, fratri Rafno crimini olim hoc datum, qvòd inſidias Comiti non aperuiſſet, cum incendiū immineret; cum tamen, qvantum qvidem licuerat adverſus partem alteram ſibi tam arcto affinitatis nexu junctam, ſeriis monitis ſaluti ipſius conſuluiſſet. Comes acceptam ſibi monitoris fidem & induſtriam ad præſens diſſimulans, parcè nuncium excepit: qvi operam viſus ſibi perdidiſſe, mox diſceſſit. Comes inde in territorium Arneſenſe profectus, Drumboddſtadas deflexit ad Jonem Skumi filium filiæ Giſſuris Gladi maritū. Inde patre ejus Giſſure Glado aliisqve comitatus ſecundum fluvium Hvita eqvitabat: ibi phalangem magnā hominum appropinqvantē videt; ſubſiſtit itaqve Comes, advenas contemplatus, mox, qvinam eſſent, agnoſcens fugā cum ſuis conatur evadere. Erant autem Andreæ filii, Eyolfus de Skarde, Brandus de Skogis, Magnus & Agnar. Thordus autem ſe ſubduxerat, hôc conſilio, ne, ſi qvenqvam ê comitatu Giſſuris in via offenderent, hoſtilis incurſus ſuſpicio præberetur, cujus ipſe Dux ſtatim habendus eſſet. Verùm occidendi Comitis negotium Hildiglumo cuidam datum erat, & eqvus ad id rara velocitate traditus. Filiis autem Andreæ propius jam advectis, Comes eductum vaginâ gladium Eyfararnaut in orbem rotat. Hildiglumus haſtam in eum torqvens veſtem qvidem ſecabat levi Comitis vulnere, circa papillam, cujus manu ad ictum langvente, Sæmundus Haraldi filius ſecurim ambabus manibus in humeros ejus dejecturus, offenſo eqvo, â Comite aberravit. Hunc verò Giſſur Gladus ab alio latere, ab alio Haukus Svarti filius, ſtrictis utrinqve gladiis maſculè tutabantur, donec ſimul eqvis in flumen extra vadum compulſis, ac transnatantibus, in ulteriorem ripam pervenerunt, curſuqve celeri prædium Tungam, ubi fratris Comitis filius Klængus

gus

gus, ecqvid tanta festinatione periculum fugiat? *Persequuntur me*, Giffur ait, *affines tui*, jussitqve templum subitò aperiri, cujus fores arcis cistisqve admotis obstructæ. Ingressus Comes ilico Giffurem Gladum ad exciendos ê vicinia colonos mittit. Jamqve advenerant Andreæ filii, cum Asta Klængi uxor stipite fratris Eyolfi caput ferit, ictus autem galeam incidens minus nocuit; comprehensaqve â comitibus plura non potuit conari.

Klængus valde affines suos dehortabatur a vi Comiti, præsertim illo in loco, inferenda; qvam & ipsi tum intentare desistebant; qvamvis non deessent, qvi svaderent, ut templum effringerent, facile jam capi Comitem posse; verum illi sive templi reuerentia, sive stupore qvodam mentis, maluerunt alloqvi Comitem, deqve pace agere, ingressiqve vestibulum colloqvium cum eò habuerunt. Is nihil adeo grave intercessisse ait: extraxitqve ostentatione compositionis tempus, donec auxilia accurrerent; qvibus advenientibus, conditiones, qvas antea accepturus videbatur, vocare in dubium cœpit. Ista mora saluti fuit, tum enim confluentibus agmine vicinis, Andreæ filii numero viribusqve inferiores in eqvos insilientes fugâ sibi subitò consuluerunt; qvidam fugato Comite magnam rem præstitam existimabant: Thordus autem miratus fortunæ prudentiæqve discrimen in Comite & fratribus suis: *Eqvidem*, ait, *minores longè injurias ac delicta vindicare Comes solet*, *quam hæc sunt*; *hic itaque nobis haut diu commorandum*, *citò enim aderit.* Igitur in remotiora mox recesserunt, culta incultaqve mansionibus per vices distingventes. Comes interea ê septentrionalibus provinciis sub pœna perduellionis colonos evocat, septingentisqve collectis ad Thordum perseqvendum egreditur, villas ubiqve & prædia ejus populatus. Is verò tum cum fratribus suis & universo comitatu in montibus latebat; cumqve de rebus suis dissererent, prædixisse fratribus fertur, certum brevis sibi vitæ mortiqve vicinæ signum fore, si fidem aliqvando Comiti haberet. Ferunt etiam, cervicem aliqvando pruriisse, ac rogasse eum sociorum suorũ unum, Simonem Halli filium, ut scalperet: qvi ungvibus diu lacerans, cum nihil tamen efficeret: *non est*, inqvit Thordus, *talis hæc prurigo*, *quam tu extinxeris.* Jamqve per internuncios res ad compositionem deducitur, Thordusqve fratribus suis ac comitatu magno stipatus Giffurem accedit, postqvam ipse Comes formulam securitatis pronunciasset. Hic verò tum simul pernoctarunt, & Thordus qvidem in templum cum triginta suorum se contulit.

Mane seqventis diei Comes suos arma capere jubet: mox exeuntes templo circô inclusos armis nudat, secumqve trans fluvios proficisci jubet. Cordatiores in comatatu Comitis mirari, fidem deditis non præstari. Arnius qvidam eo die â latere Thordi eqvitabat, eum Thordus interrogavit, qvem finem rebus suis Comitem facturum putaret? Ille benè sperare jussit. *Non ita*, ait Thordus; *omnes quidem fratres meos ac socios vita donabit*; *me vero occidet.* Nocte exacta, Comes omnes ad arma ire jubet, se omnes fratres istos occisurum pronuncians, ut & Sæmundum Haraldi filium; verum multis pro ipsis deprecantibus vita cuncti donati sunt; solus autem Thordus neci destinatus, dictitante Comite, non esse, qvod ullus pro eo intercedat: aut enim sibi, aut illi jam moriendum. Bis elabi tentabat Thordus, semel cum per diem eos intereqvitaret, iterum cum ad supplicium duceretur. utrumqve frustra. Sub mortem, ut condonaret sibi Comes delictum, postulat. Condonaturum, cum mortuus esset, respondit alter; ministeriô deinde presbyteri, cujus compos fiebat, absolutus, cervice scabello applicato, feritur. Comes vulnus statim manibus contrectans iterari ictũ jubet;

jubet. Atqve ita Thordus, nepos Sæmundi Oddenſis, Jonis pronepos, Lopti Presbyteri ex Thora Magni Regis Nudipedis filia abnepos, Sæmundi Polyhiſtoris trinepos, ſupplicio vitam finivit: an crimine perduellionis notatus fuerit, neſcio, ſuſpectum conjicio; nam occiſo Giſſure novum ſtatum convellere proclive erat, videturqve Regi Magno & ſuæ qvoqve ſecuritati & patriæ qvieti ejus morte Giſſur conſuluiſſe. Hoc anno Wormius Petrũ Epiſcopum Bergenſem & Aſchatinum miſſos in in Scotiam, tractatum de pace, tradit; id qvod tum judiciô Regis & Conſiliariorum, qvi in Orcadibus fuerant, decretum; Regem vero Scotiæ damna, qvæ regnum ejus magna paſſum fuerit, reſtaurari voluiſſe, ideôqve pacis mentionem ſegnius admiſiſſe. Irrita itaqve fuiſſe legatio videtur. Eodem tempore Epiſcopus Islandiæ Brandus & Halfdanus Sæmundi Oddenſis filius in Islandia deceſſerunt.

CAP. II.

HACON ARCHIEPISCOPUS CREATUR. STURLA THORDI FILIUS IN GRATIAM REGIS MAGNI SE INSINUAT. HISTORIAM SCRIBIT, INTER SATELLITES RECIPITUR.

Annô, qvi hunc proximè ſecutus eſt, 1265. Pontifex Maximus Clemens Qvartus (qvi Urbano Qvarto poſt qvinqve menſium intervallum ſucceſſit; fueratqve olim miles & uxoratus filiarum duarum pater, propriô nomine Gvido Fulconius dictus,) poteſtatem eligendi Archiepiſcopum in locum Einaris in qvatuor cœnobitas contulit; Abbates nempe cœnobiorum, Lyſenſis & Holmenſis, Priorem prædicatorum Nidaroſienſium, & cuſtodem domûs ordinis fratrum Nudipedum. Hi elegerunt Haconem Epiſcopum Osleyenſem. Hic qvoqve eſt annus, qvô Sturla Thordi filius tantam Magni Regis gratiam ſibi conciliavit, ut eum potiſſimum eligeret, ad res geſtaqve patris ſui Regis Haconis memoriæ mandanda. Dignus eſt nobilis ille Scriptor, cujus ad tantam dignitatem aditum ordine proſeqvamur: id qvod ſecundum Hiſtoriæ Sturlungorum ductum facere non gravabimur.

Sturla ê portu auſtralis Islandiæ Eyris, poſtqvam graviter eum Comes Giſſur increpuerat, ſolvens, Bergas, ubi tum Rex Magnus morabatur, pervenit, nactusqve patronum Gautum de Melo, eô conciliatore Regi cōmendabatur; ità ut in Regiam navem, cùm Rex in orientē tenderet, reciperetur. Qvòd autem valde pecuniæ inops ex patriâ exiiſſet, menſā ſatellitum regiorum tantiſper fruebatur, conſeſſoribus Thorere Munno, id eſt, *Broncho*, & Erlendo Maga, ſeu *ventre*, qvibus minùs acceptus hoſpes erat; de veſpere tamen hiſtoriam aliqvam juſſus narrabat, qvâ mirè adſtantes omnes delectabantur. Die poſterô, repugnante ventô, detenti ſunt; ubi tum Rex inter prandium dapes ê menſa Regiâ ad Sturlā miſit: qvô exhilarati ſimul conſeſſores, ſi id in uſum verteret, cōmodiorem futurum ducebant, qvàm ſperaverant. Veſpere cœnâ peractâ, Regina acceſſit; poſtulavitqve, ut geſta giganteæ fæminæ Huldæ narraret; qvibus in longum tempus expoſitis, lætata gratias egit. Omnes ê promptitudine

lingvæ, ordine narrationis, dictionis elegantiâ, fortè etiam interspersis sententiarum ponderibus, facilè conjiciebant, virum esse sapientem & disertum. Rex verò tacens subrisit; observabat autem Sturla vultum ejus â pridiano in hilariorem mutatum. Audacior itaq; factus, se carmine eum patremqve ejus celebrâsse professus est, petiitqve, ne gravaretur illius recitandi copiam sibi fieri. Regina enixè eum comendans, insignem poëtam perhiberi, lepidissimum carmen procul dubio allaturum, rogat, ut Rex aures præbeat. Rex id, qvod sibi dedicâsset, recitari jubet. Recitatum nemo impensiùs, qvàm Regina laudabat, poëtamqve ipsum multîs laudibus extollebat. Rex audivisse se, qvòd versus facere possit, respondit. Inde Sturla, Rege Reginâqve salutatîs, in contubernium suum rediit. Sed nec seqventi die ventus ad votum spirabat. Istius ergò diei vespere, anteqvam cubitum Rex iret, accersitus venit; qvæsivitqve, si qvid haberet Dominus suus sibi imperandum. Rex cyathum vino repleri jussit, ac propinans Sturlæ, cùm parùm bibisset, poculum porrexit, hâc formulâ: *vinum amico propinandum.* Sturlá tanto honore, ut par erat, gavisus; *tantus,* inqvit, *cælitus dimissus favor præ omnibus mihi expetendus.* Rex perennaturum promittens, *libet*, inqvit, *carmen, quod patri meo fecisti, audire.* Qvo relectô, omnes in laudes ejus effusi, venam poëtæ celebrabant, gestis tanti Regis haud inconvenientem, maximè omnium Regina. Insertumqve est hoc poëma, si non universum, at certè magna ejus pars, vitæ Regis Haconis: indeq; versus, ad qvorum fidem toties provocamus, depromti sunt. Rex ipso Pontifice Romano pöetam meliorem videri dixit. Exinde Rex causam adventûs ejus in Norvegiam qværit, qvi candidè singula, qvæ se inter & Rafnum inciderant, exponens, *probè tamen scire*, ait, *hostium sese calumniis ad Regem ejusque patrem præter merita traductum; ad eum tamen ut unicum suum omniumque commune præsidium confugere: sortem universam suam ab ejus clementia dependere.* Rex parcè ad hæc respondit, *auditum sibi jam carmen ejus; poetamque primarium videri, præmium fore jus hospitii apud se tutum & pacatum jus: parenti, si quid in eum peccaverit, ipsi integrum relinqui, se verò pro eo, quantum posset, apud illum intercessurum.* Regina tum gratias Regi egit, adjectô, optimum virum Sturlam videri. Inde Rex subsidia ipsi, unde aleretur, prospiciens, liberaliter eum sustentavit. Regina verò insigni gratiâ complexa, aliis, ut idem facerent, exemplô author fuit, tanto brevì Sturlæ incrementô, ut ad intimam familiaritatem consiliaqve secretiora admitteretur, ac historiæ Regis Haconis, ex optimatum, qvi rebus interfuerant, relatione, suo arbitriô concinnandæ munus ei demandaretur. Cùmq; ex Islandia iterum reversus esset, ipsius Regis Magni vitam jussus est conscribere; traditaqve ad hoc documenta chartacea, actaqve & instrumenta, qvorum incorruptam fidem seqveretur. Sed periit, qvantum scio, insigne opus istud. Hinc pauca adeò ex multîs, qvæ hôc Rege magna & memorabilia acciderunt, ad notitiam nostram pervenerê, Annalibus saltem parcè, pro more ipsorum & instituto, notata. Uxor deinde Sturlæ cum filio Thordo ê patriâ adveniens in gratiam mariti magnô, præsertim â Regina, honore culta est. Filius Nidarosiæ ministerio Ecclesiastico admotus, Regi deinde, qvoad vixit, â confessionibus fuit. Mortuus annô seculi octuagesimo tertiô, aliis qvarto. Sturla satelles ordinis superioris, mox dapifer Regius, creatus est. Qvantus is honor fuerit, cùm ex legibus aulicîs patet, tum verò apertissimè conspicitur in Sancto Magno Orcadum Comite, qvi juvenis illud ministerium Regi Magno Nudipedi præstitit.

CAP.

CAP. III.
TRANSACTIO INTER REGEM MAGNUM ET ALEXANDRUM REGEM SCOTIÆ, ET EJUS EXEMPLUM.

AD hunc annum 1266. Annales anepigraphi vetustiores, ut & mei MSS. seqventia referunt, factam nempe pacem inter Magnum Norvegiæ & Alexandrum Scotiæ Reges, per legatos Norvegos, Episcopum Henricum (ut habet *Wormius*) Dominum Ascatinum, Regis Cancellarium (Is primò presbyter, deinde Regius Scriba, seu Cancellarius, factus est: novissimè, annô 1269. Episcopus Bergensis constitutus) & Andream Nicolai filium, liberum Baronem; conditionibus hîs; Nimirum, ut Hæbudas universas Manniamqve cum omnibus insulis, qvæ Scotiæ ab austro & occidente adjacent, exceptîs Orcadibus & Hetlandiâ, Scotus teneret; proximis verò qvatuor annis qvatuor millia marcarum argenti signati, singula millia in singulos annos, præterea ab hoc anno, qvô pax convenit, Regi Norvegiæ singulis annis in perpetuum centum marcas argenti qvoqve signati Sterlingorum penderet, adjectâ anathematis pœnâ, si qvis pacta violaret. Festi D. Laurentii vespere pacificatio isthæc Regis Magni jussu Bergîs in cæmeterio ædis Servatoris promulgata est. Exemplum ipsum *Arildus Hvitfeldius Hist. Dan. Parte Tertiâ* ad annum 1426. exscripsit: qvod etiamnum in Archivis Serenissimorum Daniæ Regum reservatum, & à nobis in *Historia Orcadensium pag*: 199. exscriptum, hìc qvoqꝫ inseratur.

In nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti. Anno post natum Deum 1266. *feria sexta post festum S. Pauli & Petri, in templo Fratrum prædicatorum ad Portam hæc transactio & contractus factus est, ad finiendos tumultus, controversias, lites & simultates; qvæ de Hæbudis & mannia jureqve in eas exortæ diu tenuerunt: transactumqve est inter potentissimum & Serenissimum Principem ac Dominum, Magnum Qvartum, Dei gratia Norvegiæ Regem, per præclaros Legatos ipsius Dominum Ascatinum Cancellarium & Dominum Andream Nicolai filium liberum Baronem, qvi huc missi fuerunt cum plena potestate, ab una parte; Alexandrum Tertium eadem gratia Scotiæ Regem, per ipsius Clericos regniqve potentes, qvi coram hic comparuerunt, ab alia parte; hoc modo: Qvod Rex Norvegiæ Magnus, ut pacis & justitiæ cultor in Dei laudem honoremq; mutuæq; pacis & concordiæ stabilimentum cædes ad præveniendas, & homicidia, in gratiam Alexandri Scotiæ Regis cessit ei Manniam cum aliis Hæbudis, qvæ in oceano occidentali & australi sitæ sunt, cum omni jure qvod majores ejus ab antiqvissima memoria habuerunt, aut ipse ejusqve successores in perpetuum habere possint, per ante memoratos legatos suos Dominum Ascatinum suum regniqve Norvegici Cancellarium, & Andream Nicolai filium, suum liberum Baronem, plena potestate instructos ad utrosqve Principes conciliandos, concordiam reducendam & contractum instituendum, tam de possessione qvam pretio: qvi insulas prædictas Alexandro Tertio transcripserunt, cesserunt, tradiderunt, cum omnibus reditibus, juribus. servitutibus, nullo excepto, etiam pleno in Manniam Episcopali jure* (nam potestatis eminentiam habebat Archiepiscopus) *Ecclesiæ tamen Nidarosiensi jure & privilegiis in Episcopi & Manniæ Ecclesiam illibatis. Exceptis præterea Orcadibus & Hetlandia, qvæ imperio Norvegiæ reservata sunt, cum reditibus, proventibus, clientelæ jure, ideoqve populi*

pulus omnis prædictarum insularum majorum minorumqve, qvæ in ditionem Scotiæ Regis translata sunt, in posterum legibus Scoticis vivant, Scotico jure utantur, & secundum eas judicentur; nec ullus eorum postulabitur de iis qvæ in Regem Scotiæ aut ejus subditòs commiserant, dum Regi Norvegiæ subjecti erant, nec hæreditate vel possessionibus mulctabuntur, sed libere his sub imperio Regis Scotiæ fruantur, pari cum aliis civibus ejus jure libertateqve ex omni parte: nisi qvid in posterum commiserint, sic enim secundum Scotiæ leges punientur; qvod si populi illi sub Rege Scotiæ habitare velint (vult forsitan dicere, migrare in Scotiam) *erit id illis liberum, qvod si aliò migrare cum bonis suis malint, libere bona cum pace cum bonis suis migrabunt nec inviti detinebuntur. Rex Scotiæ Alexander pacis justitiæ & concordiæ studiosus in vicem talis cessionis se suosqve hæredes in æternum obligavit ad solvendas Regibus Norvegiæ in singulos annos, octavo die post festum natale Iohannis Baptistæ in templo Sancti Magni, Orcadensi Episcopo aut ei, quem in suum locum constituit, tradendas aut etiam ibidem deponendas Regis commodo, aut Canonicis in Regis usum reddendas, centum marcas Sterlingorum probatæ monetæ, Romano valore, inque Anglia, Gallia, & Scotia usu receptæ, qui vicissim justam apocham reddent. Præterea quatuor millia marcarum Sterlingorum intra quatuor proximos annos octo diebus à die Johannis Baptistæ evolutis, Anno* 1267. *quartam unam cum centenario primi anni, anno* 1268. *alteram quartam cum secundi anni centenario. Anno* 1269. *tertiam quartam cum tertio centenario. Anno* 1270. *ultimam quartam cum quarto centenario annui reditus, & deinceps in æternum ad prædictum diem & locum quotannis centum marcæ solventur. In firmiorem horum securitatem prædictus Cancellarius & liber Baro juramento animam Regis sui (de cujus consensu ipsis constabat) suamque obligârunt, Porthæ ad fratrũ Prædicatorum templum tactis evangeliis. Consimiliter Rex Scotiæ Adamum Comitem de Gorek & Robertum Meynes suam suorumque hæredum animam animarumque salutem juramento obstringi fecit in prædictorum legatorum præsentia. Adqve majus stabilimentum pars utraque se in decem millium Sterlingorum pœnam sine juris processu obligarunt, si pactis non staret aut contractum rumperet, pace tamen permanente. Magnus Rex Norvegiæ & Alexander Rex Scotiæ se præter hæc ultro jurisdictioni Romanæ subjecerunt, ita ut post unicam interpellationem sine ullo juris processu aut judicio, qvi a pactis recesserit, nec implere velit, de qvibus convenit, anathemate feriri possit; donec decem millia marcas in pœnam solveret, salvo principali contractu, nullaqve ex parte imminuto. Pars item utraque dolis litibusque renunciatis, vim omnem derogarunt omnibus privilegiis restitutionis in integrum omnibus tabulis, qvæ inter ipsos eorumque majores intercesserunt, omnibus Pontificiis diplomatibus acceptis vel acceptu possibilibus, legibus civilibus aut canonibis, quarum vi talia cessionis instrumenta, apochæ & extrema pacta, subverti vel aliqvatenus debilitari possint. Transactum qvoqve inter principem utrumque, ut mutuæ offensiones, læsiones, sive inter eos aut eorum majores regna vel Ecclesias attinentes perpetuæ oblivioni mandentur, Captivi omnes ab utraque parte ex prænominatis insulis dimittantur. Si alterius Regis hostis ad alterius regnum fugerit, is eum non ibi sustinebit nisi ad tempus quo in gratiam eum reducere possit; quod si gratiam Domini sui ei conciliare non possit, intra annum & diem eum à se removebit; Sed nec perduellionis reus ab alterutro recipiatur. Præterea si quæ navis subditorum Regis Norvegiæ in territorio Regis Scotiæ naufragium fecerit, licebit ipsis merces vel per se ipsos vel alios extrahere, easqve cum nave retinere, vel aliis vendere pro arbitrio, quandiu mercium extrahendarum laborem curamque non abjiciunt. Si quis spoliat aut injuriâ tales naufragos afficit, plectatur ut pa-*

pacis turbator, inobservato si vel maximè obstiterit. Si quis hujus pacis turbator in alterius regno inventus fuerit, aliis in exemplum punietur. Hujus contractus duo exempla extant, unum complicatum, quod penes Regem Norvegiæ servabitur, cui appenso præter Regis Scotiæ sigillum Venerandi Gamalielis de S: Andrea & Johannis de Glascoa Episcoporum, Domini Alexandri Cimyn de Buchon, Patricii de Dumbar, Vilhelmi de Mar, Adami de Gorch Comitum; & Robarti de Meyners sigilla. Aliud exemplum ejusdem contractus traditum est Regi Scotiæ, sub Regis Norvegiæ Venerandorumqve dominorum patrum sigillis, Petri de Bergis, Thorgilsis (Thorkeli habet; sed perperam) *Dei gratia Episcoporum, Gautii de Melo, Gamalielis Johannis filii, Finni Gauti filii, Andreæ Nicolai, & Cancellarii Aschatini.*

Addit præterea *Pontanus*, convenisse simul, ut Margareta Alexandri filia, qvatuor annorum puella, cùm per ætatem cōmodum esset, Haconi Magni filio, ex Ingibiorge Divi Eirici Danorum Regis filiâ, nuberet. At hic *Pontanus* annales Scotorum, qvos citat, secutus vehementer hallucinatus est. Si enim vetustas nostratum memorias inspexisset, facilè deprehendisset, Haconem Magni filium tunc in lucem editum non fuisse: cujus natalem diem infra anno 1270. sedulò annotatum invenies.

CAP. IV.

ÆDIFICIA CURA REGIS MAGNI PERFECTA. COMES BYRGER MORITUR. PACTA INTER REGEM MAGNUM ET COMITEM ORCADENSEM. REX MAGNUS LEGES EMENDARE INCIPIT. CLARORUM VIRORUM MORTES. EIRICUS REGIS MAGNI FILIUS NATUS.

CIrca hæc tempora valetudinarium leprosorũ, in honorem omnium Sanctorum, Rex Magnus Bergis in intimâ sinûs margine fundavit, templumq; lapideum ejusdem domûs, qvod pater ædificare cæperat, hôc annô perfectum, consecrari curavit. Parvo inde intervallô novum ipse templum exstruxit, qvod S. Catharinæ dedicavit. Etiam valetudinarium leprosorum amplificavit. Nobilis hic annus morte Comitis Sveciæ Byrgeris, qvi Dux *Pontano*, Byrger Jarl Svecis dicitur; qvod tamen vocabulum Comitem significat. Illum Sturla noster carmine, qvod Flock, seu *alam*, vocant, duodecim versibus constante, celebravit, Comesq; Regis Magni, cùm ad limites regni iret, in conventu solenni exhibuit. Donatus ob hoc pyxide nauticâ, qvam vulgò *compassum* appellant, baldakino involutâ, tunicâqve media sui parte ex baldakinâ, media Scarletô constante (*Scarletum* coccinum vertunt interpretes) & caparone (capitis tegmento, Gallicè *Chaperon*, Belgicè *Capproen*) Invitatus qvoqve domum à Svecis, liberalibus promissis, & generosorum eqvorum & pecuniæ satis sperare eum jubentibus. Verùm is Comitis benevolentiam gratiarum actione prosecutus, impetratam nuper à Rege Magno redeundi in patriã veniam excusabat. Rex Magnus, qvi præsens ipse erat, his auditis, se avertens subrisit; neq; enim id Sturla tum qvidem ab eo expetiverat; qvod tamen ipsi eâdem æstate permissum legimus. Obitus qvoqve Regis Manniæ Magni in hunc annum refertur. Etiam Sighvatus Bödvaris filius, Thorgilsis Skardii frater, qvo-

qvorum patruus Sturla noster fuit, circa XXII. Septembris in mari Mediterraneo Hierosolymâ reversus vitam finivit. Is Hallvardum Gullsko ex Islandiâ secutus, Regem Haconem, qvo cum in expeditionem Scoticam profectus est, fide rebusq; strenuè gestis adeò sibi conciliavit, ut eum Rex magnis honoribus se aucturum promitteret, si incolumes ambo in Norvegiam redirent. Mortui Regis funus in Norvegiã deinde cum cœteris prosecutus, majore in honore apud Regem Magnum, qvàm ullus popularium suorum, fuit. Sed ex desiderio Regis Haconis mœroris im̃odicus, cùm veniam redeundi in patriam non impetraret, fastidiretqve Norvegos, qvorum neminem sibi parem arbitrabatur, sacram peregrinationem instituit: in qvâ, ut diximus, extinctus est.

Annô 1267. qvintô Januarii Dominus Johannes, Canonicus Nidarosiensis, retulit Româ pallium, Archiepiscopi insigne, qvô investiendus erat Episcopus Osleyensis Hacon. Id munus â Clemente Pontifice injunctum Episcopo Petro Bergensi & Thorgilsi Stafangriensi. Dominicâ Palmarum Rex Magnus Nidarosiam ingressus est. Festô autem Cœnæ Domini, qvod tunc in diem Tiburtii & Valeriani incidit, Episcopi memorati Archiepiscopo illam sacræ dignitatis vestem, qvàm pallium vocant, circumdederunt, præsentibus Rege Magnô, Reginâ Engilbiorge, Olafo Gröndlandiæ Episcopo, & Gautio Episcopo Færeyensi. Andreas Episcopus electus Osleyensis & Jorundus (Georgius) Holensis (qvæ septentrionalis Islandiæ diœcesis est) eôdem anno inaugurati; qvem ipse deinde Archiepiscopus Hacon obitu suo Norvegis memorabilem reddidit. Hìc qvoque annales anepigraphi notant, qvod *Codex Flat*: non habet, nimirum mortuum Laurentium, Archiepiscopum Sveciæ. In locum Archiepiscopi Haconis festo Simonis & Judæ electus Johannes, seu Jon Rufus, Canonicus Nidarosiensis. Obiter qvoqve memoratur, Margaretam Regis Haconis viduam Reinium (in cænobium, credo, â patre institutum) concessisse. Annales *Flat*: tunc Olafum Regis Magni filium fatô functum perhibent: chartacei octavo Cal: Maij id accidisse referunt. Natus erat hic anno seculi LXII.

Cæterum postqvam insulas Hæbudas & Manniam, ut dictum est, Rex Magnus a regno alienavit, nec jam in occidente præter Orcades & Hialtlandiam iisqve subjectas insulas imperio Norvegico reliqvum esset, novum cum Comite Orcadensium Magno Gilberti filio conventum fecit, cujus Hirdskra, seu jus Aulicum Norvegicum, meminit, cap. 14. Attamen nullum hujus exemplar mihi adhuc visum est, nec Jano Dolmero, qvi jus illud vertit, notisqve utilissimis illustravit. Periisse illud cum ipsa Magni vita â Sturla conscripta facilè existimaverim. Jamqve regnum â civibus discordiis juxta ac externorum Principum insultibus liberum, vicinorumqve Regum Daniæ Sveciæqve amicitiis & affinitatibus firmatum, opibus insuper & rerum omnium, inprimis com̃erciorum, proventu cumulatissimè florens, qvæ frænos luxuriæ licentiæqve injicerent, leges inprimis reqvirebat. Etenim hæ antea satis qvidem multæ, Principum qvoqve tot annorum spatio stitutionibus haud parùm auctæ, nimiâ canonum formularumqve varietate oneratæ, indigere reformatione videbantur. Tres autem codices in usu erant potissimum; Uplandorum, qvæ Heidsævenses appellantur, ab Halfdano Nigro; Frostatingenses Thrandorum, & Gulathingenses Bergensium Leges, ab Hacone Adalsteini alumno latæ, præter Vikenses (adjicit Wormius particulares alias minutiorum terrarum Coronæ juris dictioni subjectarum.) Singulas S. Olafus recognovit, prudentiorumqve curæ ac emendationi subjecit, & resectis superfluis, abrogatis impiis, alias Divino cultui

tui accomodatas, subditisqve utiliores restituit, idqve per singulas memoratas nomarchias, qvas suffragio deinde civium submisit. Hoc verò anno Gulathingenses de integro latæ, ipso Rege præsente, civibusqve donante, cum mandatô ac privilegio perpetuitatis promulgatæ publicè probatæqve sunt.

Qvod ad Islandicas res attinet, invenitur hoc anno Jörundo, seu Georgio, Episcopo Holensi, permissum, ordinem Canonicorum Holis instituere; & præterea festi natalis tempore inter Episcopum & Comitem Gissurem convenisse, ut Comes, rebus secularibus abdicatis, in seqventem æstatem vitam monasticam ordini Canonicorum monasterii Videyæ inscriptus amplecteretur, statimqve vestes ordini huic præscriptas assumeret. Jam enim satietas eum rerum humanarum cepit, subiitqve anteactorum pœnitentia; vitæ igitur strictioris sanctitate dum cœlestes minas avertere Numenqve Divinum propitiare cogitat, ecce repentina eum mors occupat, 2. idus Januarii, anno, qvi hunc proximè excepit, millesimo ducentesimo sexagesimo octavo. Multa in hoc viro memorabilia fuerunt, inprimis, qvòd ad illud fastigium dignitatis pervenerit, ad qvod nemo in patria ejus unqvam, vel ante, vel post eum evectus est; opportunam id temporis occasionē nactus, dum Regi in subjicienda patria sua lenocinatur cujus fructum, ut oportuit, ipse primus videtur degustasse, tædio enim præsentis status, an metu futuri, imperio honoribusqve sponte se abdicâsse videtur, dumqve suam senescere auctoritatem, juniorum increscere, Regis autem voluntate omnia geri, apud qvem, ut juvenem, juniores prævalituros facile perspiciebat, annos undesexaginta natus decessit. Mirum in tota ætate honorum ejus fortunæqve statis temporibus incrementum est observatum. Undeviginti annorum dapiser Regis factus est; undetriginta in conflictu Aurligstadensi, fusis hostibus Sigvato & Sturla, insignem victoriam gradumqve ad cætera fortunæ ornamenta obtinuit. Undeqvadraginta natus erat, cum Romam adiret; undeqvinqvaginta, cum Comitis dignitate ornatus est; decimus inde annus ei fatalis fuit. Omnes itaqve honores, omnia decora, decumana qvasi fortuna illi decimabat. Anno proximo Rex Magnus Liodhusæ (Ladosa) cum Valdimiro Sveciæ Rege colloqvium habuit. Wormius de limitibus regni actum tradit. Fatis præter Comitem Gissurem abrepti memoratur Dugall Hæbudarum Rex, Sigvardus Episcopus Islandiæ Skalholtinus, & Gautius Episcopus Færeyensis. Appetente festo Natalitiorum, Jon, seu Johannes, Archiepiscopus jam inauguratus rediit, dieqve nativitate Dei celebri primam in æde Christo dicata Nidarosiæ missam celebravit. Mortuus qvoqve hoc anno est Clemens Qvartus Papa, 29. Novembris, Viterbii, &, qvòd Romam nunqvam ingressus esset, Viterbii sepultus: secutum interregnum annorum duorum & mensium novem, qvod Cardinalis in eligendo altero haud consentirent. Nascitur tum Eiricus Regis Magni filius, qvi regno post parentem præfuit. Codex legum Uplandensium & Vikensium a Magno reformatus, omnium, qvi provincias istas incoluerunt, suffragiis recipitur. In Islandia Andreas Sæmundi Oddensis filius moritur. Thorvardus Thorarini filius secundò, & Ormus Ormi filius itidem in Norvegiam leguntur profecti.

CAP. V.

LEGES FROSTATHINGENSES ET GULATHINGENSES CORRECTÆ. RAFNUS ODDI FILIUS. EQVES AURATUS CREATUR. NATUS REGI HACON FILIUS. CÆNOBII BERGENSIS CONFLAGRATIO. MORS REGINÆ MARGARETÆ. LEGES ISLANDORUM EMENDATÆ, ET AD EOS MAGNI REGIS LITERÆ.

ANnô MCCLXIX, qvi fatalis Epiſcopo Orcadenſi Henrico exſtitit, Rex Magnus & Archiepiſcopus Johannes in publico Froſtathingenſium foro conſpiciebantur; ubi tum Regi ab omnibus ordinibus poteſtas obſoluta, leges Froſtathingenſes pro arbitrio, qvoad ſtatum politicum, emendandi, juraqve itidem Majeſtatis conſtituendi, ad cōmunem imperantis & ſubditorum utilitatem data. Qvod qvamvis jure ſuo is facere potuiſſe videatur; exceptionem tamen, ut priùs in acceſſione ad regnum, admiſiſſe ſucceſſores conſtat, Regesqve ſemper deinceps in leges juraſſe. Cæterùm & populus Islandiæ Regem ſuum legibus ſuperioribus etiam fundamentalibus videtur ſolviſſe. Sed cùm fidei ejus ſubditi ſalutem ſuam & poſteritatis cōmiſiſſent, ipſe, ne fide ab ipſis vinceretur, æqviſſimas leges tulit; contentus rigorem præteritarum clementiâ & lenitate temperare. In comitiis memoratis dies judicialis Froſtanæ curiæ ad diem Botolfo ſacrum transfertur. Undecim canones codex Gulathingenſis ad calcem recenſet, qvæ ſuperiorum rigorem mitigabant. Primô, mulctas, qvas pater duabus partibus im̄inutis ad trientem deduxit, Magnus, dodrante ſublato, ad qvadrantem redegit. Ex verberum qvoqve mulctis qvædam remiſit. Tributa ad menſam regiam feſtô Natalitiorum à ruſticis ferri ſolita, membrum videlicet unum de qvolibet animale, qvod in domeſticos uſus mactaretur, omninò ſuſtulit. Multi ad hæreditatem vocati, qvi priùs arcebantur. Homicidæ poteſtatem partem mulctæ â propinqvis ſuis in ſuum ſubſidium exigendi derogavit, ſolumqve, qvod ſolus cōmiſerat, occiſi hæredibus ſatisfacere juſſit. Ex bonis, qvæ ob graviora crimina (Nidingsverk) fiſco ceſſerunt, ea, qvæ ad læſi ſatisfactionem debebantur, præcipi mandavit; reſiduum fiſco reſervari. Imò talium criminum condemnatorum liberis tenerioris ætatis aut infirmioribus, qvàm ut ſe ipſos ſuſtentare poſſent, qvantum ad alimenta reqvireretur, relinqvi, qvoad ætas lege definitâ increſceret, aut valetudo remitteret; ſed & creditoribus ſatisfieri voluit. Violatoribus pacis domeſticæ pœna duplô, qvàm priùs, major irrogata; occiſi hæredibus ſatisfactio dupla, vulnerato aut verberato par. Furum qvoqve pœna mitigata, definitâ magnitudine furti, qvâ bona furis fiſco adjudicantur, cùm antea levioris furti eadem pœna eſſet.

Inaugurati hôc annô leguntur Arnius Thorlaci filius, Epiſcopus Islandiæ auſtralis Skalholti (qvod tamen veniales literæ, ab eo Bergis, annô 1280. Eccleſiæ S. Svithuni Stafangrienſi 9. Cal. Auguſti datæ, ad annum ſuperiorem referunt, cùm eundem annum Pontificatûs ejus duodecimum numerent) & Færeyarum Erlendus. Rafnus Oddi filius tum ex Islandia in Norvegiā profectus eſt, unà cum Ormo Ormi filio (Etenim Arngrimus

ad

ad hunc annum iter hoc refert, consentiente *Editione Danicâ*) & ille qvidem eqves auratus à Rege creatus est; ambo verò simul Præfecti Islandiæ constituti. Natus & hôc annô Giffur Gallius, in memoriam Comitis Giffuris nomen hoc adeptus. Hyems, qvæ insecuta est, Regi Magno Tunsbergæ transacta? In eâ civitate IV. idus Aprilis anno millesimo ducentesimo septuagesimo nascitur Regi Magno filius Hâcon, Divina providentiâ regni hæres destinatus, post fratrem natu grandiorem id suscepturus. Circa idem tempus Orcadum Episcopus Petrus inauguratur. Tum qvoqve fratrum Nudipedum cænobium Bergis incendiô conflagravit. Regina Margareta Ducis Skulii filia, Regis Magni mater, ultimum diem clausit, meritò inter felicissimas prædicanda, tanto marito filioqve Rege inclyta: nisi paterna crudelitas & eam secuta digna impiis molitionibus calamitas secundarum rerum seriem turbâsset. Junxit idem annus funeri ejus Gautiū de Melo, fide & rerum gerendarum scientiâ insignem, Regibusque â consiliis intimum; nec non Petrum Præsulem Bergensem. Hujus mox Præsulatus Cancellario Ascatino cum infula Episcopali oportunè commissus, viro qvippe gravi, inqve publicis negotiis, jam longo tempore, & Archivis regni versatissimo. Ormus Ormi Svinfellingi filius Islandiæ præfectus dum patriam repetit, naufragio periit; solus itaqve Rafnus Oddi filius præfecturam totius insulæ cum eqvitis titulo gessit; nec, post Comitis Giffuris obitum, qvi prior eô gesserit, reperitur.

Proximam hyemem Rex Magnus Bergis degebat. Verùm cùm percepissent Islandi, qvantâ industriâ, felicitate, & æqvitate legum Norvegicarum codices Rex ipse reformaverat, selectis præcipuè ex singulis, qvæ ad usum communem maximè spectarent, ipsi qvoqve expetebant, ne vel tantæ gratiæ populum itidem suum exsortem sineret: qvibus is commotus, curam hanc in se pio parentis animo suscepit. Scribit autem Arngrimus Rerum Islandicarum *Lib. III.* ipsos Islandos hunc codicem, qvem ei miserunt, ex veteri corpore juris consarcinasse. Reformandi vero potestatem qvamvis Regi fecerint, id tamen ad ordinem & concinnitatem saltem referendum est: nam res ipsas vel subjectas materias mutare non licuisse, vel inde constat, qvod qvæ de Regi debitâ subditorum obedientia habentur, omnia prorsus non mutata & primæ obligationi respondentia legantur, qvâ nempe hic Magnus unà cum patre Hacone sanctè promiserat, se leges Islandicas incolis inviolatas servaturum. Non igitur licuit reformatori res vel materias mutare, sed concinnare tantùm: uti qvoqve Arngrimi verba sunt. Verum cum is codex ultimo demum vitæ Magni anno, cum supremo judice Jone in Islandiam missus, annoqꝫ post mortem ejus publicè approbatus receptusqꝫ sit, per longum tempus videtur ista emendatio durasse; nam qvi interea codex in Islandiam missus est, Gulathingensis forte fuit: parum enim ab Islandico differt, in qvibusdam præsertim titulis valde eidem consonans. Qvantâ autem curâ desideriis subditorum Rex piissimus satisfecerit, qvantoqve honore gentem illam coluerit, testatur ipsius in eundem codicem Præfatio: qva verò æqvitate juris rigorem temperaverit, Cap. XVII. *de æquitate*, tit: *de homicidiis*; qvæ licet nostratibus satis obvia sunt, doctis tamen extra patriam nostram non item. Haut igitur operam lusero, si utrumqve Latinitate utcunqve donatum his interseram, cum ad monstrandum studium pietatis, qvô præcipue Rex ille flagrabat, vigilantiamqve pro subditorum commodo; tum ut eorum animis, qvi nostra minus nôrunt, iniqvam conceptam opinionem de gentis hujus, illis præsertim seculis, barbarie excutiam.

Magnus Dei gratiâ Norvegiæ Rex, Regis Haconis filius, Regis Sverreris pronepos (summum enim decus visum est, tanto Rege prognatum esse: nec amplior titulus aut Norvegis gratior nepotibus illustrandis adhiberi poterat) *omnibus in Islandia Dei suisque amicis salutem. Nostis quod viri gentis vestræ nobilissimi identidem nobis indicaverint, cum relatum vobis sit, nos plurimos legum codices in regno Norvegico prudentum consiliis emendasse, vos qvoqve petiisse, ne vester codex istius emendationis exsors fiat. Id quamvis alias nobis curæ esse debuisset, tamen multo magis, cum de providentia nostra tantam fiduciam conceperitis, ut arbitrio nostro eum universum commiseritis, potestate facta resecandi supplendiqve, quæ nobis ex optimatum judicio viderentur. Quo jam sedulo relecto, observavimus passim, quæ longo verborum circuitu describit, paucioribus exprimi posse, alibi vero declarationem desiderari, ubi obscurior est, quam ut rudiores sensum assequantur. Tanto operi quamvis nos impares agnoscamus, conscribi tamen curavimus codicem hunc, quem qualemcunque vobis per supremum judicem Jonem mittimus, gratiæ Domini nostri Jesu Christi confisi, freti denique eorum consiliis, qui interfuerunt. Qvo vero sciatis rationem, quare titulos ita, ut se invicem excipiant, digesserimus, hanc accipite. Titulum de judiciis præmisimus ipsi codici; nam oportet prius judicium constitui, nomina judicum cognosci, judices adesse, juramenta absolvi, securitati publicæ caveri, occasionemque turbarum imperata attentione amputare, quam processus juris instituatur. Prima pars agit de Christiana religione, quo cognoscatur, eam esse fundamentum & principium omnium bonorum sacræque Ecclesiæ libertatis & obedientiæ, præsidesque Ecclesiæ justitiæ duces & lumina. Pars altera de jure Regis agit, quo discat populus, Regem corporalibus sicut Episcopum spiritualibus a Deo præfectum. Pars tertia de hominum securitate* (antea inscriptus erat titulus ille de Homicidiis: id vero ingratum visum, qvasi vel solô nomine talibus facinoribus homines instruerentur: placuit itaqve, qvia nemo lædi debet, de Securitate inscribi) *agit, quod inter Christianos pax maximè commendata esse debeat. Qvarta de conjugiis & hæreditatibus tractat, qvod ad successionem hæreditariam plurimum reqviratur legitima generatio. Qvinta jus retractus complectitur: nam cui hæreditates obvenerunt, ei inspectio incumbit, ne allodia aliena detineat, noscatque viam sua repetendi. Huic connectitur pars sexta de locationibus & conductionibus; qui enim secundum leges agros acceperunt, eos quoque secundum leges locabunt. Excipit hanc pars septima, de emptionibus & venditionibus, nam res mobiles eodem modo quo agri jure persequendæ sunt. Huic connexa pars octave de re nautica; iis enim, qui commercia navibus exercentes rem agere volunt, regulas emptionis & venditionis ut sciant, necesse est. Pars nona furta coercet, nemini enim suum legitimè qvæsitum auferri debet. Agmen claudunt Regiæ constitutiones, nam quicunque Rex Legum inspectioni præficitur, majorum exemplis haut minus solicitus erit de consolandis subditis, mitigatione & juris emendatione, quam coercendis puniendisque delinquentibus. Hæreditates, retractus, homicidia, adeoque omnia, quæ inciderunt,* (ante has leges promulgatas) *secundum illas leges judicentur, quæ tunc in usu erant, cum enatæ sint, si nec deinceps compositæ fuerint. Si quæ deficiant, ut æquo animo feratis petimus, gnari occupationes varias, & virium, non voluntatis, defectum obstitisse imo etiam si hæc cura minore cum periculo nobis incumberet, minusque nos tangeret, quàm ipsi nobis conscii sumus, ab ea sæpius tangi atque torqueri. Qvod si opera hæc nostra aliquid emolumenti allatura sit, id, quicqaid est, Domino nostro Jesu Christo in totum debetur; cujus sit nomen benedictum in secula seculorum. Amen.*

Jam

Jam capitis de temperamento juris rigore (qvod Domacapituli dicitur, estq; Sectionis de Securitate cap: XVII) sensum subjiciam. *Qvando quidem*, inqvit, *Lex passim delinquentes secundum leges judicari, mox etiam puniri, præcipiti accuratè judicibus dispiciendum est, an innocenti injuria facta sit, an merito, idqve parvo, sed tamen aliquo, an magno nec, tamen facto æquali, an tanto, ut sufficientem causam læso præbuerit, eumque excusabilem reddiderit; deinde an reus satisfactionem læso obtulerit, an nullam, vel, quod gravissimum, postulatam negaverit: denique an læsus magistratum, cui vindicta innocentium mandata est, de jure suo asserendo sollicitaverit. Ideo autem judicium est constitutum, ut ibi delicta eorumque causæ examinentur, sententiaque secundum circumstantias, per judices assessoresque secundum conscientias temperetur, prout Deo in extremo judicio rationes reddituri sunt. Non autem rabularum more causas decident, quibus formula hæc in ore frequens; nihil præter leges judicamus. Enim vero scient, sibi rationem reddendam, sive noxios absolverint, sive minus justè puniant, aut etiam in dignos clementiâ gravius animadvertant. Et extant quidem exempla satis multa, quæ ultiones Divinas expertos ostendunt, qui levius quam per erat sontes puniverint: gravius tamen punitos constat, qui supra merita pœnam intenderunt. Ideoq; in re dubia judices semper leniora sequantur. Hæc autem mediocritas subtilis, haut facili æstimatione obtinetur, quô vero subtilior, eô beatior, qui assequitur; metam nimirum, quam quatuor sorores judiciis omnibus præscribunt, quo Deo hominibusque satisfiat: sunt autem Clementia, Veritas, Justitia & Patientia. Clementia observanda, ne ira odiumve subrepat. Veritas, ne falsis allegationibus locus detur. Justitia, ne judicium injuriâ pervertatur. Patientia, ne præcipitetur sententia. Hæ sunt cautiones in omnibus judiciis necessariæ, quæ quatuor ex causis perverti solent, metu scil: ejus, de quo sententia ferenda, aut avaritiâ, ubi munera sperantur, aut gratiâ, cum amicis favetur, aut odio ejus, de quo judicandum. Malè ergo agitur, ubi prioribus genuinis sororibus exhæredatis, hæ spuriæ adoptantur, displicebitque hominibus talis sententia, Deo vero maximè. Qvo igitur sæpius titulus hic relegitur, hoc melius judicia administrabuntur, præsertim in causis gravioribus. Sed & adhibendus minister Ecclesiæ capite aut membris plectendis, ante sententiæ executionem. Turpe enim factum est execrandum; homo autem diligendus, anima vero proximè secundum Deum.*

Patet ex his; qvàm sedulò caverit Magnus, ut meritis pœnæ (ubi gratiæ locus non est) respondeant, nec supplicii gravitas magnitudinem delicti excedat. Certè qvæ fusè Juris consulti subtiliusqve de pœnis tractant, paucis observanda proponit.

CAP. VI.

BERGÆ ÆDIFICIIS ET EMPORIIS AUCTÆ. CODEX LEGUM IN ISLANDIAM MITTITUR: ET SENSIM APPROBATUR. CONFLAGRATIO STAFANGRIENSIS. ISLANDORUM IN NORVEGIAM ADVENTUS.

HOc Anno Andreas Nicolai filius, dignitate Baro (is qvi unà cum Conciliario Aschatino legatus ad regem Scotiæ Alexandrum Tertium, pactionem illam de Hæbudis & Mannia confecit) die S. Antonii Confessoris peregrinationem

nem in terram ſanctam ſuscepit: qvem tum digreſſum Seliâ, cum ſacris miſſæ interfuiſſet, ſacerdos ſecutus fertur, Mauritius nomine, teſte Abſalone Petri filio, hoc ipsũ, ubi de pactione in Scotia agit, memorante. Adhunc qvoq; annum refert Joh. Laurentii Bibliopola Hafn. in ſua Norrigia Illuſtrata, Germanis mercatoribus ſedem comerciorum, qvam Stapulam vocant, Bergis fundare permiſſum, merceſq; omnis generis importare atq; diſtrahere, non verò pari, atqve illic, in aliis urbibus libertate. Hac lege tamen, ne civium Juribus exteri illi officerent, aut eorum damno uſum comerciorum ſuo comodo interverterent: certumqve anni temporis ſpatium ipſis eſt definitum, inter feſta nimirum crucis vernum & autumale. Verùm lucri dulcedine guſtata hyemem qvoqve uſui ſuo adjecerunt. Poſtulati igitur â civibus lata ſententia prohibentur civium ædes ultra ſex hebdomadas conducere, cives etiam vetantur in longius tempus locare: tres evehendis tamen, totidemqve invehendis mercibus inſuper conceſſæ. Proceſſu vero temporis Vandalicæ civitates impetrarunt privilegia hybernandi, ſedemqve commerciorum firmam ſtatuendi (*Contoir* vocant). Tunc pons univerſus ædificiis ſtratus eſt: cumqve miniſtrorum defectu laborarent, arceſſiverunt ê Germania diverſi generis opifices, qvos ſingulis miniſteriis adhiberent, qvi deinde in privilegiorum comunionem juraqve ſunt recepti; ea tamen lege, ut cujuſcunqve Germaniæ urbis civis, qvi mercaturam illic exerceret, curatorem rerum ſuarum ibi conſtitueret, domoqve exſtructâ annuas manſiones & penatum qvaſi ſuorum ſimulachra figeret, qvò ſic commodius ille merces a domino ſibi miſſas mercibus indigenis commutare mutataſq; remittere poſſet. Iſti Curatores patresfamilias dicti ſunt: atqve ita ex inqvilinis tanqvam propriæ civitatis cives facti. Hæc ſunt principia communitatis illius, qvæ poſtea in magnas opes excrevit: jam vero noſtris temporibus, fato humanarum rerum ſeneſcens, inqve dies imminuta caſum ſenſim atqve interitum minatur. Nomina domuum, qvæ etiamnum in ponte extant, hæc olim principia agnoverunt. Bratten ab Hallvardo Bratto nomen ſortita, Leppen Lodini Leppi, legati in Hiſpaniam cum Chriſtina Regis Haconis filia miſſi, memoriam ſervat. Gullsko Hallvardum Gullsko celebrat. Finnegardus â proceribus de Finneya nomen invenit. De cætûs hujus origine ſatis in præſens, de progreſſu aliô locô dicendum. Plura etiã Part. I. Lib. II. in deſcriptione Norvegiæ ex Petro Claudio Undalino deſumpta extant. Anno MCCLXXI. convenerunt Bergis Rex & Archiepiſcopus; qvid autem egerint, non traditur. Miſſi tunc in Islandiam a Rege cum Codice legum novo, nec tamen eo, cujus præfationem exhibui, Thorvardus Thorarini filius, Sturla Thordi filius & Endridius Bongull; priores duos codicem illum collegiſſe conſcripſiſſeqve Arngrimus tradit. Nec tamen ſtatim idem ſuffragiis approbatus, ſed Titulus tantùm primus, Thingfarar Balkus, qvi de fori judicialis conſtitutione tractat; & ſecundus Thegnskyllda, qvi mutuam Regis & ſubditorum obligationem continet, cum duobus capitibus tituli de Hæredit: liberorum legitimorum & de adoptione. Hoc etiam tempore Olafus Epiſcopus Grönlandiæ iterum eò profectus eſt. Qveni & Kyriali in Halogiam infuſi crudeliter ſæviiſſe perhibentur. Initio feſti, qvô exhibiti mundo Redemptoris memoria celebratur, ædi SS. Apoſtolorum Bergenſi Rex Canonicos Præpoſitumqve præfecit. Hoc anno I. Septembris die Cardinales Pontificem pronunciant Theobaldum Vice-Comitem Placentimum, qvi cum Edvardo Anglo abſens erat Ptolemaide, & ſeqventi tandem anno in Italiam venit: ſedit annos IV. menſes IV. Gregorius Decimus appellatus. Anno MCCLXXII. flagra-

gravit incendio Stafangria. Ex Islandia in Norvegiam navigârunt Episcopus Arnius, Rafnus Oddi filius, Thorvardus Thorarini filius, & Sturla Thordi filius, tunc supremus insulæ judex. His auctoribus mutatione legum Islandorum facta, abrogatur Codex LL. antiqvus, Gragaas dictus, compilatus ex Norvegico illo homonymo, qvem Magnus Primus, idemqve Bonus, aliis qvoqve Potens cognominatus, conscripsit. In ejus locum novus tantum titulus de Hæreditate, præter capita duo de eodem argumento, superiore anno recepta, substitutus, ab Islandis haud est admissus. Id qva causâ sit factum, etiam si nusqvam notatum invenio, licebit tamen in re obscura divinare. Eqvidem perplexitate nimia anxieqve qvæsita subtilitate, qvalis haut scio, an ullibi gentium in usu sit, vel unqvam fuerit, territam gentem proceresqve existimo. Qvid autem Legislatorem moverit ad illas subtilitates ferendas, siqvidem non est hujus loci inqvirere, peculiari Dissertatione, dudum qvidem elaboratâ, aliiqve fortè operi commodiùs inserendâ, qvodammodo eruere sum conatus.

CAP. VII.

REGIS MAGNI VALETUDO. IDEM DIGNITATEM INTER FILIOS DIVIDIT. COMPOSITIO INTER REGEM ET ARCHIEPISCOPUM DE JURE ECCLESIÆ NIDAROSIENSIS: EJUS EXEMPLUM, ET REGIS AD PONTIFICEM LITERÆ.

HOc anno Rex Magnus in adeò gravem morbum incidit, ut, desperatâ salute, sacro oleo ab Archiepiscopo Ascatino ungeretur. Recuperata deinde sanitate Tunsbergæ hyemabat. Anno MCCLXXIII. notant Annales visum in Norvegiâ Cometam. Ad hunc annum refertur adulterium & incestus Regis Valdemari Sveciæ Regis cum uxoris suæ sorore Judita, sacra virgine. Circa mediam Quadragesimam Rex Magnus & Sveciæ Rex Valdimarus Sarpsburgi convenerunt, sumptibus Magni: qvibus & comitatus omnis Sveciæ Regis alebatur. Eodem anno Rex Magnus parentem Haconem imitatus, filium suum Eiricum Regem pronunciavit, alterum vero filium Haconem Ducem regni creavit. Fatalis & hic annus fuit Comiti Orcadensi Magno, qvem Gibbonis filium Annales, Gilberti Jus aulicum, vocat. Redierunt tunc in Islandiam Episcopus Arnius, Rafnus Oddi filius, & Thorvardus Thorarini filius; atqve hi duo Bergis ad societatis ac fidei sacramentum sibi invicem præstandum â Rege adacti, præsentibus Archiepiscopo Jone, seu Johanne, multisqve aliis præcipuæ nobilitatis viris, toti Islandiæ præficiuntur. Reversis iis, Episcopus Islandiæ Jörundus, seu Georgius, in Norvegiam proficiscitur. Seqvente Martini festo, Rafni Oddi filii & Sturlæ Nomophylacis rogatione, titulus omnis de hæreditate, publico ordinum suffragio, est receptus. Inter Regem Magnum & Archiepiscopum Jonem controversia, de jure Ecclesiæ Nidarosiensi supremo in regnum Regesqve, â Magno Erlingi filio olim concesso (cujus in vita Magni hujus Erlingii ad annum Christi MCLXIV. mentio facta est) composita. Compositionis exemplum Bergis hoc anno scriptum, unà cum alio, litera-

rum ad Honorium Pontificem Romanum missarum, tale in Membrana Latine scriptum habetur.

In nomine Patris & filii & Spiritus Sancti. Amen. Ut certitudo præsentium det verum in perpetuum & evidentiam & memoriam præteritorum, sciendum est, quod cum venerabilis pater Johannes Nidrosiensis Archiepiscopus fuisset ad regimen Nidrosiensis Ecclesiæ superna dispositione vocatus, reversus â sede Apostolica, munere consecrationis recepto, tanquam sponsæ Christi in parte sollicitudinis fidelis procurator effectus, incepit inquirere, prout scivit & debuit, de juribus & libertatibus & privilegiis ad eam pertinentibus, & cognovit sibi fuisse in prædictis omnibus per obreptiones contrarias, multipliciter derogatum, jure communi, videlicet quod causæ fere omnes ad Ecclesiam pertinentes per exactores & ballivos laicos, ex parte regni, secundum leges patriæ scriptas, vel consvetudines, prætermissis jure canonico & Ecclesiasticis judiciis, tractabantur libertatibus; quod multos homines liberos habebat & obtinebat Nidrosiensis Ecclesia; exceptis illis, qui in curia Archiepiscopi, & in fabrica ipsius ecclesiæ continuè laborabant. Privilegiis siquidem omnibus sibi â qvibuscunque concessis detractum fuerit multipliciter, ut creditur, non utendo: & præcipuè privilegio â Magno quondam, ut dicitur, Rege Norvegorum, in ea parte, qua continebatur, quod præfatus Rex donavit se & regnum suum beato Olafo Regi & martyri, & in signum perpetuæ subjectionis præcepit coronam suam post decessum suum & omnium in regno sibi succedentium offerri præfato martyri Nidrosiæ in Ecclesia cathedrali, necnon & cuidam constitutioni antiquæ patriæ, forte per eundem Magnum editæ, quæ innuit Regis Norvegiæ debere eligi, & in electione Archiepiscopum & Episcopos regni inter cæteros electores vocem præcipuam obtinere, tandem receptis literis apostolicis pro congregatione consilii generalis, inter cætera continentibus, quod unusquisque prælatus notaret articulos, quos in sibi commisso regimine reformatione & correctione perpenderet, indigere. Deliberavit prædictus pater Archiepiscopus prædictos articulos, tanquam correctione dignos, Romano pontifici prænunciare. Verum tamen, quoniam de iis posset discordia inter regnum & Ecclesiam provenire, multis animabus & corporibus nocitura, præfatus pater Archiepiscopus prius ipsos Domino Magno Dei gratia illustri Regi Norvegiæ explicat, supplicans ut inter se de prædictis taliter ordinarent, quod cederet ad honorem Dei omnipotentis & utilitatem Ecclesiarum, ipsorum & totius sibi commissi populi salutem. Verum licet prædictus Dominus Rex assereret sufficientes rationes ad respondendum præfatis articulis se habere, si super iis coram justo judice contendendum, & maximè contra electionem & oblationem coronæ, de quibus vix posset probari, Nidrosiensem Ecclesiam possessionem pacificam habuisse, & novum genus exactionis videri poterat, illud ab eo exigi, quod non fuerat hactenus acceptatum vel consvetum, & præcipue quoniam de subjectione regni sui agebatur, quod ipse per parentes & antecessores suos asserebat, se jure hæreditario liberum suscepisse, & sic illud proponit per Dei gratiam suis hæredibus & successoribus dimittere post se liberum & quietum. Verumtamen ex solitæ benignitatis affectu, quem ad honesta quæque & maxime circa matrem Nidrosiensem ecclesiam hactenus habuit & adhuc habere dignoscitur, volens eam sibi fore pacatam, & amplioribus libertatibus & privilegiis suis temporibus decorari, tanquam pacis amator & cultor justitiæ post multos tractatus hinc inde habitos super prædictis; interveniente consilio & consensu Episcoporum & Baronum, & Canonicorum Nidrosiensium, & aliorum, prælium duxit componendum prædictus Rex illustris cum Archiepiscopo anno Domini 1273 in festo Sancti Petri ad vincula in civitate Bergensi in hunc modum. Videlicet quod

quod prædictus Archiepiscopus, pro bono pacis & commodo ecclesiæ & animarum procuranda salute renunciavit, nomine Nidrosiensis Ecclesiæ pro se & successoribus suis canonice intrantibus in perpetuum omni juri, si quid in prædicta electione Regum, subjectione seu oblatione coronæ habebat vel habere poterat, tam in petitorio, quam in possessorio, nomine prædicti privilegii seu legis, vel quocunque alio modo sibi competere videretur, dum modo supersit aliquis, qui legitimè possit & debeat jure hæreditario succedere: si vero nullus inveniatur successor legitimus, Archiepiscopus & Episcopi inter cæteros nobiliores & discretiores Regis electores in electione tum votum primum obtinebunt. Præfatus autem Dominus Rex renunciavit pro se & hæredibus & successoribus suis in perpetuum omni jure, si quid in auditione causarum ad Ecclesiam spectantium hactenus habuerat: inhibens firmiter universis exactoribus & legiferis Regis, tam propinquis quàm remotis, per totum regnum, ne de ipsis causis præsumant judicare, vel prætextu alicujus consvetudinis, quam retroactis temporibus habuerat prædictus Rex, vel habere visus fuerit, se aliquatenus intromittant, sed per judices ecclesiasticos tales causæ de cætero liberè dirimantur, ut sunt omnes causæ clericorum, quando inter se litigant, vel â Laicis impetuntur; matrimoniorum, natalium, juris patronatus, decimarum, votorum, testamentorum: maximè quando agitur de legatis ecclesiis & piis locis & religiosis, tuitione peregrinorum visitantum limina Beati Olafi, vel aliorum Sanctorum & eorum causa: item possessionum Ecclesiarum, sacrilegii, perjurii, usurarum, Symoniæ, hæresis, fornicationis, adulterii & incestus. Item denuo concessit Dominus Rex, & firmitèr obsignari mandavit, quod â prædecessoribus suis est concessum, scilicet ut semper sit licitum Archiepiscopo & Episcopis in capellis â Regibus fundatis vel dotatis, sicut & in aliis capellis suæ provinciæ, idoneas instituere sine ipsorum & aliorum laicorum assensu vel præsentatione personas. Item concessit, quod in electione Episcoporum vel Abbatum Nidrosiensis provinciæ nulla vis, nulla potentia, nulla auctoritas Regis vel Principis interveniat, nec favore præpositorum quisquam officium ecclesiasticæ prælationes obtineat, nisi quem ipsi, ad quos electio pertinet, vacanti ecclesiæ scientia & moribus judicaverint aptiorem. Item denuò concessit, quod Regibus non liceat approbatas patriæ leges & scriptas sine consensu Episcoporum & sapientium consilio, & pænas pecuniarias, tum in clericis, tum in laicis, contra antiqvam consvetudinem in ecclesiarum seu Clericorum dispendium immutare. Item qvod liceat archiepiscopo & ejus successoribus emere aves, grafalcones, austures & griseos, sicut ab antecessoribus suis est hactenus observatum. Item annuit & concessit, quod in dandis decimis, de terris & mansionibus suis leges omnino seqvantur canonicas sanctiones. Item qvod XXX. lastæ farinæ mittantur ad Islandiam ex parte Archiepiscopi, qvando sibi visum fuerit, illis præsertim temporibus, quibus id patriæ patietur ubertas, propter hoc in aliis rebus precandi ibi licentia non negata. Item concessit dicto Archiepiscopo vectigalia de una navi singulis annis de Islandia ad suam diæcesim veniente, prout in litera sua super hoc continetur. Item concessit denuo & mandavit omnes peregrinos limina beati Olai & aliorum Sanctorum visitantes devotionis causa, tam advenas qvam indigenas, cum D. qværere tempus sit, tum pacis in eundo & redeundo firma securitate potiri: qvi vero inventi fuerint ipsos indebitè molestare, juxta qvod culpa requirit, per judicem ecclesiasticum pæna debita castigentur. Volens autem insuper prædictus Dominus Rex ecclesiam Nidrosiensem amplioribus beneficiis, quam hucusqve habuerat, suis temporibus honestare, domino Archiepiscopo & suis successoribus pro se & suis hæredibus in perpetuum homines ab expeditionibus Regiis & vocationibus & attractionibus navium, & specialiter de tri- buto

buto, quod vulgaliter leydanger appellatur, concessit liberos & immunes, ita quod quidam ex iis centum, qui Sculteſveynar appellantur, â prædictis ſint immunes, cum duabus aliis perſonis, qvas ipſi ad hoc de ſua familia duxerint eligendas. Cæteri vero cum ſecunda perſona prædicta gaudeant libertate. Item cuilibet Epiſcoporum, videlicet Asloenſi, Bergenſi, Stavangrenſi, Hamarenſi, ſecundum modum prædictum, concessit homines qvadraginta, niſi forte domino Regi, Archiepiſcopo & Epiſcopis propter gravem reipublicæ neceſſitatem, vel regni defenſionem, viſum fuerit aliter expedire. Cuilibet eccleſiarum plebano dictorum epiſcopatuum, ſive in rure, ſiue in civitatibus morentur, concessit, qvod cum duabus perſonis de ſua familia â dicto tributo, quod vulgariter dicitur Leydanger, ſint liberi, & unus familiarum, qvem ſibi plebanus magis noverit neceſſarium, ab expeditionibus regis ſit quietus. Item concessit, qvod ſi homines Archiepiſcopi injurati fuerint, ſibi ad invicem in navibus vel comitatu dicti Archiepiſcopi exiſtentes, tunc judicio ipſius Archiepiſcopi ſtare debent, ab eo ſecundum qvod culpa popoſcerit & ſibi videbitur puniendi, & ad ipſum in talibus caſibus multa pro transgreſſionibus debita pertinebit, dummodo mors vel membrorum mutilatio de talibus injuriis non fuerit ſubſecuta, in quo caſu per dominum Regem vel ſuos judices ſunt prædicti homines judicandi. Si vero alibi qvam in præfatis locis deliqverint, tunc poteſt læſus reum, non obſtante fori exceptione, ſub qvo maluerit, Regis vel præfati patris judicio convenire. Verum tamen de mulcta pro talibus extorta medietas ad Regem & medietas ad Archiepiſcopum pertinebit. Item concessit qvod ſub prohibitione â ſe vel ſucceſſoribus ſuis facta ſuper emptionibus vel venditionibus, vel rebus de loco ad locum transferendis non intelligantur Epiſcopi, clerici vel etiam Laici in eorum negotiis agendis ſpecialitèr conſtituti, cum Archiepiſcopi & Epiſcoporum aſſenſu, dum modo regno vel neceſſitati rei publicæ mora diſpendium, ſev periculum, non generat in præmiſſis. Item concessit, qvod liceat domino Archiepiſcopo habere unum hominem in curia ſua, qvi cudat denarios, prout litera ſua ſuper hoc confecta atteſtatur. Hanc autem compoſitionem inierunt ſæpe nominati, Dominus Rex illuſtris, & venerandus pater Archiepiſcopus, præſentibus venerabilibus patribus, Domino Thurgillo Dei gratia Epiſcopo Stavangrenſi, Andrea Asloenſi, Aſcatino Bergenſi, & iſtis Baronibus regni, Brynjolfo, Rogvaldo, Andrea Gregorii, Elivo de Nauſtdal, Andrea Plut, Aslaco Gus, Bernone Erlingi, Thorio Cancellario Domini Regis, & Syvato, Halldano Syvardo, Torfinno, Odoeno, canonicis Nidroſienſibus, & aliis viris prudentibus & diſcretis. Renunciantes in hoc facto omni exceptioni doli mali, fraudis actionum in futurum & ſpecialitèr reſtitutioni in integrum & omnibus literis inter ipſos & prædeceſſores ſuos hactenus habitis vel obtentis, & omnibus indulgentiis & privilegiis Apoſtolicis impetratis & impetrandis, & omni alii remedio juris canonici & civilis, per quæ prædicta compoſitio & finalis concordia poſſet impediri, ſev modo aliquo irritari, ſalva tamen in omnibus Apoſtolica auctoritate; hoc adjecto, qvod ſi Romanus Pontifex hanc compoſitionem conſentire noluerit, eam per ſuas literas confirmando, ſalvæ ſint, tam Domino Regi prædicto, quam Archiepiſcopo actiones & defenſiones ſuæ, quæ ſibi in præſenti competere dignoſcuntur. In cujus rei teſtimonium, una cum ſigillis domini Regis & Archiepiſcopi, prænominati Epiſcopi & barones ſigilla ſua duxerunt præſentibus apponenda. Datum apud prædictam civitatem, anno & die prædictis: regni vero Domini Magni Qvarti Dei gratia illuſtris Regis Norvegiæ undecimo; conſecrationis vero venerabilis patris Iohannis Nidroſienſis Archiepiſcopi anno ſexto.

Sanctiſſimo in Chriſto patri ac Domino, ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſum-

summo Pontifici, Magnus Dei gratia Rex Norvegiæ cum filiali obedientia pedum oscula beatorum. Sanctitati vestræ sit manifestum, quod amicabili compositione, quam vobis transmittimus confirmandam, inita inter nos & venerabilem patrem Iohannem *Dei gratia Nidrosiensem Archiepiscopum & litera confecta super ea, invenimus articulum, qvi seqvitur, prætermissum, videlicet qvod Episcopi, Abbates, seu clerici, cum ipsi regalia non habeant, in expeditionem ire cum Rege, vel ad hoc qvicqvam de suo expendere minime compellantur, nisi forte necessitas tam gravis immineat, qvod dyæcesano Episcopo & sapientioribus & discretioribus ecclesiasticis viris communicato consilio fieri permittatur, propter qvem articulum nolumus qvod tota litera super prædicta compositione confecta iterum scriberetur, maximè cum plures ex baronibus nostris, qui prædictæ compositioni & interfuerant & sigilla sua apposuerant, recessissent, sed ipsum in præsenti litera sigillo nostro sigillata duximus inserendum, supplicantes qvod ipsum una cum aliis in litera vestræ confirmationis nominatim & specialitèr exprimatis. Datum annò Domini MCCLXXIII in festo assumptionis beatæ Mariæ.*

CAP. VIII.

DE MILITIBUS IN USUM REGIS CONSCRIBENDIS, EX JURE AULICO.

Librarii incuriâ annum regni Magni undecimum pro decimo substitutum Jus aulicum corrigit, cap. 35. nec id in exemplaribus Codicum LL. ab eo latarum novum; Archiepiscopi autem anni ab electione numerati sunt, tam hic qvam in alio exemplò Tunsbergæ scripto, qvod infra, qvantum qvidem huic adjectum est, legi potest ad annũ MCCLXXVII. Hujus anni hyeme Rex Magnus constitutionem novam de conscribendis militibus fieri curavit: cujus exemplum ex Juris aulici Cap. 35. interprete *Jano Dolmero*, hoc modo se habet.

Rex Magnus Haqvini filius edicto promulgato anno a nato Christo 1273 imperii vero 10. omnes satrapas suos, Stallarios, Nomarchas & officiarios ex Vigia & Oplandia ad se convocavit, qui hieme circa festum Pauli (certatim) accedentes, tres postmodum septimanas apud ipsum sunt commorati, interea vero temporis acti sunt & subsignati, qvi subseqvuntur, articuli, eâ, quæ Deo & Regi debetur, fide observandi.

(1) Si qvando Rex adversus quoscunq; sive suos sive regni hostes, justè repellendos, bellico apparatu indiget, & adhibito in testem Deo & judicantibus probitate & sapientia eminentissimis regni viris, incumbens id necessitas reqvirit, actutum obstrictus erit qvivis satrapa & Præfectus provincialis, 5. viris armatis ex qvibuslibet 15. marcarum reditibus Regi succurrere, vel pluribus qvoqve pro redituum copia, propriâ commeatus & vestitus impensâ, non vero regiâ, sustinendis.

(2) Qvivis deinde Præfectus provincialis, Regi militem adversus hostes cogenti, ex Præfectura sua suppetias laturus, 6. viros, 3 mensium spatio militaturos, proprio impendio armabit, eâdem planè armaturâ, qvâ Purpurati, Emissarii & Lychnuchi utuntur, & plures præterea transmittet, prout facultas cujusqve suppetit, & rerum necessitas in regno & extra adurget.

(3) Cogendi vero sunt milites: Ex Valdresia & Haddingiora 40 viri armati, Romericæ australis media parte 12, borealis media parte 12, Hedemarcæ au-

 stra-

li parte 10, boreali parte 12. Hadafylcæ præfecturæ exteriore parte 10, inferiore parte 12. Guldbrandsdalliæ qvalibet parte 8. Osterdaliæ quacunque parte 5. armati.

(4.) *De cætero, Præfectus provincialis â Rege præfecturâ donatus, in qva negotia & munia ejus expediet, instrumentum commissionis & instructionis, appenso sigillo, confirmatum â Rege excipiet, ad cujus normam se conformabit. Forma autem literarum talis esto.*

Omnibus amicis Dei has literas visuris vel audituris, etc: amabiliter â Deo & gratia nostra. Notum erit vobis omnibus, Dominum meum N. hanc meæ curæ & inspectioni præfecturam N. demandasse: cujus beneficii remunerator sit ipse Deus. Ego vero ipsi vovi & adjuravi, qvod libens ex summis viribus & facultate mea præstabo, tanqvam exactam Deo Omnipotenti rationem redditurus. Primo scilicet Domino ac Regi meo N. fidelitatem meam clanculum & aperte probabo, nec juramentum sive ipsius sive proprium meum, subditis, qvibus me præfecit, datum, irritum reddam. Ego omnibus ex ignorantia delinqventibus, ad sectam aliqvam deflectendo, gratiam & misericordiam, ponderatis causæ condionibus, concedam: malos vero & contumaces qvemqve pro merito facinorum, debita afficiam pæna. Præterea fundos & prædia ejus conductoribus æqvabili prætio locabo, non donis me corrumpi passus, nec amicitiæ qvicqvam tribuens. Exactam vero rationem illi viro reddam, cui id negocii Rex committit. Subseqventium qvoqve causarum (qvæ sigillatim recensebuntur) rationes benè expediam; qvas Domino ac Regi meo addixi, Præfecturam & provinciam hanc ab eo suscipiens: vovensqve insuper Deo fidem meam & Domino ac Regi me fidelem, submissamque observantiam, omni conatu exhibendam. Scriptæ sunt hæ literæ anno â nativitate Domini nostri J. C. N. imperii Norvegiæ Regis N.

(5) *De reliqvo si qvis præfectus provincialis animadvertit facinorosum qvendam in aliam satrapiam transfugisse, tenebitur ejusdem loci Satrapa literis commonefactus eundem remittere hominem, aut debita pæna, ut superius est memoratum, afficere. Si vero transfuga, testium comprobatione facinoris expiationi adjudicatur, actutum publica donatum pace Regius præfectus ad Regem transmittet, & juxta testimonia ad causam illam spectantia adjunget: qvæ ea, qvâ Deo in extremo die responsurus, fide conqviret. Cæterum si testes expiationem hanc concesserint, reus carceri mox includendus est, & â Regio satrapa ad præstitutum aliqvem locum ablegandus, qvi proximè nominabitur.*

(6) *Omnes accolæ Sverdsburgenses, ab australi parte deprehensi, Kongbellam transferentur, qui vero a boreali parte Valdingsholmiam: qvi circa Cambartum reperiuntur, omnesque Rommenses & occidentales Dramsæ accolæ, Opsloam remittentur. Cuncti deniqve â fluvio Dramsa in Tellemarchia, & in omni parte occidentali versus pagum Ryggier intercepti Tunsbergam deducentur. Omnes vero Oplandenses, Romerigensibus exceptis, in proximis castellis custodientur.*

(7) *Sententiâ vero latâ de qvodam ob delicta sua capitali pæna afficiendo, subornabitur â Præfecto, hujus facti rationem Deo reddituro, qvi facinorosum illum ê medio tollet: id enim muneris sangvinis necessitudine juncti non exseqventur, municipali Norvegiæ lege interdicente.*

CAP.

CAP. IX.

CONCILIUM LUGDUNENSE. ACTUM DE RECUPERANDA TERRA SANCTA. PARTICULA CORONÆ SPINEÆ DOMINI BERGAS TRANSFERTUR: LECTIONES IX. EX BREVIARIO NIDROSIENSI HUC SPECTANTES. TEMPLUM A MAGNO FUNDATUM. AB ISLANDIS AD EXPEDITIONEM SACRAM SUBSIDIA POSTULANTUR. GRANDO INSOLITÆ MAGNITUDINIS. VALDEMARI SUECIÆ REGIS A FRATRIBUS OPPUGNATI CLADES ET FUGA.

ANno MCCLXXIV. Gregorius Decimus Papa Lugduni in Gallia Concilium celebrat, ipsis Kal: Maji, qvod duravit ad diem usqve XXII. Julii. Interfuisse huic Episcopos qvingentos, Abbates & Prælatos ad mille, Annales memorant. In hoc concilio leges promulgatæ sunt de electione Papæ, qvæ tamen processu temporis paulùm sunt immutatæ. Alfonsus etiam Castiliæ Rex, cui imperium ante oblatum fuerat, persvasus â Pontifice, cedit id Rodolpho Habsburgensi, & societas initur terræ Sanctæ recuperandæ: cui qvidem bello Papa sex annorum decimas ecclesiasticas assignat. Legati etiam Imperatoris Constantinopolitani adfuerunt, qvi obedientiam Pontifici Romano polliciti sunt, tantummodo non auxilia Baldvino profugo administrarentur. Generales peccatorum remissiones omnibus ad eam expeditionem cruce signatis datæ. Ad hoc Concilium ex Norvegiæ regno venerant Johannes Archiepiscopus Nidarosiensis, Andreas Episcopus Osloensis, & Ascatinus Bergensis, qvi eodem anno domum redierunt. Habetur in Ms. exemplari chartaceo, qvod alibi non invenio, scilicet Archiepiscopum die Dominica, qvæ festum omnium Sanctorum præcedit, naufragium ad sinum Eidsvogum, qvi Bergas ab aqvilone respicit, fecisse. Retulit idem secum particulam coronæ Domini nostri, missam Regi Magno a Philippo Rege Galliæ. Hæc festo ipso Theodori, qvod nono die Novembris colitur, jussu Regis Magni cum processionis honore â S. Apostolorum æde factæ recepta est, ipso Archiepiscopo missam solenniter celebrante; de qvo Breviarium Nidarosiense novem Lectiones hoc tenore habet.

Lectio I. *Regnante in monarchia Norvegiæ illustri Rege Magno Qvarto, qvem pater misericordiarum large devotionis benedictione prævenerat, reqviem dedit ei de inimicis, non solum ad circumjacentes provincias, verum etiam in longinqvas fama bonitatis ejus ac devotionis percrebuit.*

Lectio II. *Congratulans in Domino ejus fame & devotioni Philippus Rex Francie filius Ludovici Regis deliberavit, se cum instinctu Spiritus Sancti, qvid dignum offerret fraternitati Regiæ ad devotionis affectum ampliandum. Accidit Deo disponente, qvod de consilio generali Lugdunis celebrato, sub Domino Papa Gregorio Decimo, vir Deo devotus Dominus Iohannes Archiepiscopus regni Norvegie cum nunciis dicti Regis Magni ad fines suos repatriandi gratia Parisias transitum habuissent.*

Lectio III. *Qvo comperto, computans hoc Rex Philippus nutu Dei factum, propositem conceptum adimplevit. Inito cum qvibusdam ex discretioribus con-*

consilio, particulam unam ex spinea corona Domini fecit in sui presentia per virum religiosum secari, & in christallo transparenti locari, qvam christallum forma angeli opere argentario venusto decore fabrefacti inter manus tenere videtur.

Lectio IV. *Imitatus est in hoc artificio angeli coronæ reliqvias tenentis, Rex Deo devotus doctrinam Evangelicam Dominice passionis insignia angelico ministerio cunctorum tunc aspectui presentanda, cum venerit filius hominis cum angelis suis in Majestate, tunc apparebit signum filii hominis, id est, crucis Christi, cum suis insignibus, luculentior radiis solis.*

Lectio V. *Acta sunt hæc Parisiis ad honorem Domini nostri Iesu Christi & memoriam passionis ejus, Anno ab incarnatione Domini ducentesimo septuagesimo qvarto, in die Sancti Nicolai Confessoris & Pontificis in curia Regis, ipso presente. Hic est dies, in qva veneratio Dominice passionis, crucis, corone ac omnium reliqviarum, qvarum ibidem preclara & felix copia est, solenni officio ac indulgentia peccatorum locum illum ipso die freqventantium celebratur.*

Lectio VI. *Cum autem predicte reliqvie ad civitatem Bergensem venissent, in ecclesia chatedrali reponuntur, postea ad ecclesiam duodecim Apostolorum processionaliter sunt delate: sed cum propter nimiam intemperiem aeris pluvieqve inundantiam, translatio illa bono modo fieri non posset, illucescente sexta feria, qvinta die ab illa, qva primo Bergis venerant, serenitas & tranqvillitas aeris rediit; & sic reliqvie sunt reverenter collocate, Deo sic disponente, qvi in sexta feria pro nobis coronatus & crucifixus est.*

Lectio VII. *Cum autem reqvisitum fuisset pro signando in Kalendario translationis hujus die, compertum est, qvod ipso die habetur memoria illius preclari miraculi, qvod non longe ab Antiochia apud civitatem Berittum contigit, de iconia, in qva Dominice passionis opprobria per Judeos renovata sunt, ut ex cronicis haberi potest, anno Domini septingentesimo qvinqvagesimo.*

Lectio VIII. *Et qvia miraculum istud à multis ecclesiis, etiam Rome, in ecclesia Sancti Salvatoris recolitur; Christo enim odibiles Judei, qvorum multitudo copiosa in Beritto fuit, propter studium legis Mosayce, qvod ibi vigebat, qvandam iconiam passionis Dominice in domo qvadam vicina scolis eorum à qvodam Christiano neglectam invenerunt, qvam primò pedibus in detestationem Crucifixi conculcantes, cuncta in ea dominice passionis obprobria iteraverunt.*

Lectio IX. *Cumqve ventum esset secundum ordinem obprobriorum Christi, ut latus lancea perforarent, confestim ex latere sangvis & aqva ubertim profluxit. Et suppositam per eos ampullam implevit, qvo Rome in ecclesia Sancti Salvatoris à Judeis conversis ad fidem per istud miraculum cum isto sangvine tradita, hodierna die conservatum, & solenne festum in memoriam Dominice passionis, ac in hujus miraculi venerationem, qvinto Idus Novembris agitur.*

Annô 1275. Rex Magnus Bergis in viridario suo fundamenta templi posuit. Marcus qvidam Episcopus Hæbudensis inauguratur. Missæ tum sunt ab Archiepiscopo Johanne literæ Papales in Islandiam, qvibus subsidia in bellum sacrum poscebantur. Rex Magnus Bergis cum Regina & filiis suis in Thrandiam profectus, comitiis Frostensibus interfuit. Sub festum Apostolorum Petri & Pauli pervenit Nidarosiam; festô autem visitationis D. Virginis foro Eyrensi novos dignitatum titulos filiorum suorum publicè promulgavit, posteriore S. Olafi festo, qvod die secunda Augusti celebratur. Inde Bergas profectus est. Festo Laurentii grando insolitus in provinciâ Thrandiæ Skaune inter Orcadalum & Gauardalum ceci-

cecidit, cujus qvædam grana qvindecim uncias pependiſſe (Stodis aura) ſcriptum invenitur: tactæqve eodem plures Thrandiæ partes. Tradunt qvoqve Annales noſtri com̃uni conſenſu, hôc annô circa mediam æſtatem Valdemarum Sveciæ Regem à fratribus ſuis Magno & Eirico, auxiliis regis Daniæ Eirici ex parte adjutis, impugnatum, magnâ clade acceptâ cum filio ſuo Eirico trium annorum puero in Norvogiæ provinciam Borgarſyslam ad Erlingum Alfi filium fugiſſe, relictoqve apud hunc filiolo, dum Sveciam repeteret, cum uxore Sophiâ à fratribus captum: imperioqve abdicato, Sveciam fratribus ceſſiſſe: paulò pòſt fratrem Valdemari Eiricum fato functum, elapſoſqve è cuſtodia Valdemarum & Sophiam fugâ Ragnhildisholmam ad Kongahellam deveniſſe. Hæc qvidem ità in chartaceis extant memoriis: membranaceæ in eo conſentiunt, qvòd Valdemarus à fratribus ſuis hôc annô fugatus Norvegiam petiviſſet, rediensqve in Sveciam regno fratribus ceſſerit, indeqve fugâ Kongahellam pervenerit. In annorum enim ſerie & geſtorum ordine à Scriptorum Svecorum teſtimoniis haud parùm hìc noſtri recedunt.

CAP. X.

PONTIFICUM MORTES. PRIMA MAGNI EXPEDITIO. ACTUM DE CAUSA VALDEMARI SVECIÆ REGIS, SED FRUSTRA. BREVIS DE EA DISQVISITIO. REX MAGNUS NORVEGIAM REPETIT. QVINAM EX FAMILIA VALDEMARI EUM SECUTI.

SEqvitur annus tribus Pontificibus Romanis funeſtus, ſeculi ſeptuageſimus ſextus. Obiit enim Papa Gregorius Decimus, IV. Idûs Januarii, qvi dies feſtô Pauli Eremitæ celebris eſt. Succeſſit ipſi Petrus Tartaſcenſis, natione Burgundus, Innocentius Qvintus dictus, ſecundum noſtros, die Beatæ Agnetæ ſacro inauguratus (poſterô die id Calviſius ſcribit factum) ſedit menſibus qvinqve, mortuus 22. Junii. Suffectus in ejus locum Octobonus Genuenſis Ligur, dictus Hadrianus Qvintus, poſt dies qvadraginta moritur, 18. Auguſti. Eum Petrus Ulixiponenſis Luſitanus excipit, qvi Johannes 20. aliis 21. appellatur, Dominicâ, qvæ feſtum crucis præceſſit, conſecratus: vir eruditus, qvi multa in re medicâ ſcripſit, ediditq́ *theſaurum pauperum*: & is menſes octo ac totidem dies Pontificatum geſſit.

Inter Danos & Svecos magna certamina bellaqve interim tenuere. Horum Rex Valdemarus nuper ſolio dejectus Bergas ad Regem Magnum venit; eâdemq́ æſtate Rex uterqve Norvegiæ & Sveciæ ad Gautelfam in rupe, ab eqvis Hroſſaberg dicta, conveniunt, de controverſia inter fratres acturi; qvæ tamen illo tempore componi neqvibat. Hâc ipſa æſtate feſto S. Olafi Rex Magnus Magnum Comitis Orcadenſis Magni filium Comitē in parentis locum creavit. Eâdem Thorgils Epiſcopus Stafangrienſis ſupremum diem clauſit. Seqventi annô Magnus, qvæ priore non ſucceſſerant, perficere conaturus, ad limites regnorum profectus, primam illam poſt obitum patris civibus expeditionem indixit; motus tum Principum vicinorum diſſidiis mutuis, tum affinis Regis ignominia damnoqve intolera-

lerabili provocatus, provisurus insuper, ne qvid inde detrimenti ad se suosqve subditos redundaret. Centum sexaginta naves ad confinia regnorum eduxit, Kongahellamqve ad festum Albani Martyris 21. mensis Junii provectus, triduum ibi moratus est; qvò tum Rex Valdemarus cum uxore Sophia & filio Eirico, qvinq; jam annos nato, delatus in Ragnhildisholma consedit, Regina Engilborge cum filiis Rege Eirico & duce Hacone Tunsbergæ relictâ. Proximo die Jovis post festum S. Johannis Baptistæ Rex universam classem Kongahellâ solvens, ad Hrossaborgam (aliis Hrossabergam) navigat, splendido nobilissimorum virorum comitatu stipatus. In eo fuerê Archiepiscopus Johannes; Episcopi, Andreas Osloensis, Ascatinus Bergensis; Satrapæ, Erlingus Alfi filius, ejusqve filii Alfus & Finnus, Eylifus de Naustadalo, Andreas Pauli filius Plyttus, Biarnius de Giskio, Gautius de Tolga, Cancellarii: hi qvoqve Stallarii, Olafus de Steine & Vigleifus, Audunus Hugleiki filius, Prior provincialis, Akius de domo Prædicatorum, Ormus Signifer, multiqve alii ordinis Ecclesiastici & secularis viri præcipui. Rex Valdemar cum universo eorum, qvi se ex Svecia secuti erant, numero. Norvegiæ Regi Magno se adjunxit, ut & legati Regis Daniæ, Johannes Episcopus Burglaviensis, Tochius Aarhusiensis, Henricus Prior Anderskogensis, Johannes Parvus de Scania, Johannes Reiginmadæ filius, Ulfi Drottseti nepos. Accesserant eodem tempore ad Regem Norvegiæ Comes de Ravensburgo & Dominus Jacobus, Nicolai Comitis Hallandiæ filius; hujus pater Nicolaus filius fuit Nicolai de Hallandia, Regis Valdemari filii. Navis tum ingens illa, qvam Rex Hacon ædificârat, inqve expeditionem occidentalem olim duxerat, Kristsud, seu *Christi navis*, appellata, Kongahellæ relicta est, qvòd grandior esset, qvàm ut contra æstũ Bagensem eniti sine periculo posse videretur.

Feriâ hebdomadis sextâ Dux Sveciæ Magnus, cui fidem Sveci dixerant, advenit, inq; Haberga Regem Magnum adiit, splendido procerum comitatu comitatus, qvorum hæc nomina referuntur, Archiepiscopus Upsalensis Folkius, Episcopi, Henricus de Lincopia, Eiricus de Skaris, seu Skarö, Aunundus de Nericia, præter alios benè multos. In tentorio Regis Valdemari & fratris ejus Magni conditiones propositæ sunt. Magnus enim Sveciæ Dux se pro Rege gerebat; qvippe coronatus ab Archiepiscopo Folkio, ipso Pentecostes festô: nec ad conventum accedere volebat, nisi Eirico Valdemari filio, qvantumvis puero, præsente. Eum igitùr Rex Magnus secum trans flumen Hnydingabergam ducens, coram Rege Valdemaro Duceqve Magno de pacificatione cœpit agere, dexterâqve intercessione & gravissimæ orationis Svadâ haud alienos â pacis conditionibus fratres eò deduxit, ut arbitrio optimorum virorum causæ decisio comitteretur. Lectus ab utrâqve parte Rex Magnus, ut rigorem justitiæ æqvitate temperaret, datiqve â singulis partibus octo primarii viri ad causas accurato examine perpendendas, Regisqve Magni labores in hoc sublevandos. A Valdemaro Archiepiscopus Nidarosiensis Johannes, Ascatinus Episcopus Bergensi, & Johannes Episcopus Burglaviensis, Henricus Prior Anderskogensis, Dominus Johannes Parvus, Erlingus Alfi filius, hujusqve filius Alfus, ut & Olafus de Steine. A Duce Magno alii similiter constituti, Archiepiscopus Upsalensis Folkius, Episcopus Henricus Lincopensis, Eiricus Episcopus Skorensis, Aunudus Episcopus de Nericia, Dominus Jonas, seu Johannes, Philippi filius, supremus judex Asgautus, Ulfus Karis filius, Bödvar Ulfi Fasii filius, & Karl, seu Carolus, Morscus. Hic decem ex parte Ducis Magni numerantur, cùm tantùm octo debuerint nomi-

nominari. Qvod si error sit, eum aliô exemplari, præter hoc unum, destitutus corrigere nescio.

Cùm itaqve ad tractationem esset ventum, Rex Valdemarus postulabat restitutionem in regnum; ibi se æqvo publicoqve coram judicio, de qvibus postularetur, responsurum; nec sententiam refugiturum pollicitus. Idem ab adversariis, qvi se indicta causa, absqve prævia cognitione, regnô privaverant, poscebat. Id verò illi, qvi â partibus Ducis Magni lecti erant, omninò abnuebant. Offerebant autem Valdemaro Helsingiam & Vermiam, omneqve territorium ad occidentem lacûs Væneris, & Stiklaburgum, cum trecentîs marcîs in annuos reditus pendendîs. Magnus verò Norvegiæ Rex regnum ei integrum & illibatum omninò restituendum urgebat; cœtera omninò repudianda: *atroces injurias* dictitans, *cùm eum inauditum, nec qvidem criminis accusatum, nec convictum, armîs invaserint, civibusque ac subditis ejus crudeliter occisis, ipsum denique cum Regina captivum duxerint, regnô spoliaverint, ad iniqvas & erubescendas conditiones coegerint, multisque aliis gravibus contumeliis tam verbis quàm factis affecerint, quodque maximum, filio à successione remto, alium Regem utroque vivo surrogaverint; cùm tamen judicio eorum, quippe Princeps Rexque, haud obnoxius esset. Tantas tam intolerandas injurias contumeliasque jam ludibrio oblationis provinciarum paucarum etiam cumulari.* Idem omnibus, qvi â Valdemaro delecti erant, unanimi consensu visum: sine igitur compositione discessum est.

Eqvidem Sveci vix satis idoneas causas memorant, qvæ vel fratri Magno jus ad bellum Regi inferendum, vel subditis ad eum deserendum, regnô removendum, aliumqve in ejus locum substituendum, jus dederint. Id enim ridiculum, qvod de contemtu fratrum, mulierculæ instinctu, affertur exemplum: majoris enim hoc Ducem proceresqve levitatis arguit, qvàm ipsam Reginam, qvam mimæ, qvàm Reginæ similiorem *Johannes Magnus*, & fortasse haud falsò, scribit. Etenim illa sibi Regiqve marito, cujus potens videbatur, vano hoc contemtu majorem contemtum peperit; fratribus autem cumulatiorem gloriam: ad qvam morum exqvisitissimorum decore, aularum splendore, optimorum ministrorum delectu indies grassabantur; qvam hôc unô rectè senitentibus videntur maculâsse, qvod scommata muliebria, licèt generosis animis gravia, odiumqve fratris non satis sani, atqve ideo minùs metuendi, indignius ferrent, qvàm offensæ ratio postularet. Certè, qvantum scio, nemo ad justas belli causas, ne inter eos qvidem, qvi pari jure potestateqve nemini obnoxii sunt, talia retulerit. Taceo, qvòd isti ipsi fratres Regi insuper subjecti erant, qvod ad ordines attinet. Jam tum hominibus satis persvasum, Norvegiæ Regis Magni responsum, Norvegorumqve consensus arguit, qvàm non liceat subditis de Rege sententiam ferre. In manifesto qvidem & gravissimo crimine deprehensus est, dum violato matrimonii, affinitatis, summi fastigii & Ecclesiarum sanctiori jure, uxoris sororem eandemq; Regiam dicatamq; Deo virginem, polluit. Sed nec David doli, insidiarum, cœdis, præter adulterium, convictus, à subditîs, ne ab ipsis qvidem cœsi propinqvis, ideò postulatus perhibetur, nedum regno amotus. Certè Sveci parciùs hæc referunt, qvàm brevissima annalium nostrorum compendia: qvod suspicionẽ præbet, haud ex omni parte sincerè cum Valdemaro actum esse, qvam qvoq; pii aliàs fratris ejus Magni propositum auget, cùm postea pœnitentiâ fortè adductus, totum ei regnum restituere paratus erat; fecissetq;, nî ab Episcopîs & senatoribus, qvi fortè malê sibi conscii, factorumqve pœ-

nam metuentes, qvò sibi meliùs consulerent, perpetuo carceri Valdemarum includendum censebant, causas novas allegando, qvod postqvam regno renunciaverat, idem denuò turbâsset; uxoreqve repudiatâ, vagas libidines sectatus esset: cùm tamen, ut ex præcedentibus apparet, ipse Valdemarus cum iis inter cœteras injurias etiam de hoc expostulaverit, qvòd se ad regnum abdicandum vî adegissent. Cœtera, qvæ deinde perpetrârat, nihil ad hanc qvæstionem faciunt. Conjugem aversatus videri poterit, qvòd sibi tanti mali causa exstitisset. Jam ad Regem Norvegiæ Magnum redeundum. Is feriâ qvintâ cum Rege Valdemaro universoqve comitatu in Ragnhildisholmam digressus, die Dominicâ comitia Kongahellæ celebravit. Die Martis ad Eidseyas, insulas ab isthmô nomen sortitas, navigat; inde cum omni classe Tunsbergam, seqventibus Sophiâ Sveciæ Reginâ cum filio Eirico, duabusqve filiabus, Ingibiorge, qvæ nupsit postea Gerhardo, Comitis Holsatiæ filio (fortè Gerhardo Tertio, Gerhardi Secundi filio) & Catharinâ. *Johannes Magnus*, hîs omissis, alias duas, Richesam, qvæ Primislao Pomeraniæ Duci, postea Poloniæ Regi, nupserit, & Marinam, qvæ maritum sortita fuerit illustrem Principem de Sevenholt. Bodolfum hunc *Hvitfeldius*, Lodolfum *Lyschander*, appellat. Verùm cùm utriusqve nuptias celebratas in oppido Nicopensi, cumqve luculentissimâ dote, à patre acceptâ, Regia & sumtuosissima pompa ad terras maritorum suorum deductas tradat, plures Valdemarum filias habuisse, licèt *Johanni Magno* ignoratas, vel hinc constat. Sophiæ præterea, qvam & nostri & Svecorum Scriptores tacent, Pontanus matri superstitis meminit. Paulò pòst Rex Valdemarus in Daniam navigavit.

CAP. XI.

REX MAGNUS CLERUM NOVIS PRIVILEGIIS DONAT. COMITIA PER REGNUM REX CELEBRAT. PONTIFICIS OBITUS ET SUCCESSOR. REX AULICOS NOVIS TITULIS ORNAT.

INterea Rex Magnus qvæ ad Archiepiscôpi Cleriqvè avaritiam, gurgitem qvamvis inexplebilem fundoqve carentem, nec regni opibus satiabilem, qvantum tamen in se esset, supplendam, superioribus privilegiis, literis transactionis insertis, hæc qvoqve adjecit, ac Tungsbergæ promulgari fecit, verbis, qvæ ad calcem superiorum apposita isto modô leguntur. *Transactum qvoqve de decimis per universam Norvegiam, exceptis diæcesi Hamarensi, Raumarikia & Soleyis, hoc modo, ut decimas integras nulla ex parte imminutas de annuo canone solvat, quisquis locaverit ædes aut agros, instrumenta ad cerevisiam pertinentia, molas, balnea, furnos, silvas, ahena coqvendo sali, retia vel tragula; qvi vero conduxerit, detractis impensis lucrum deciment. In navibus autem hic ordo servetur; nave ex omni parte velis instrumentisqve instructa, de partibus duabus lucri decimas locator solvat, triens in impensas reputabitur, idqve â prima navigatione & deinceps in perpetuum; decimabitur qvoqve qvicqvid vaccæ lucri important, qvinqve nummorum solidi* (peningar) *appensi in singula capita, vel in tot pecudes, oves puta & capras, qvæ uni vaccæ æqvipollent, solvetqve locator in eadem parœcia, ubi con-*

conducuntur, aut rerum ejus curator, sed eorum defectu conductor, detrabetque de canone. Caseus autem, qvi ex lacte, qvod die Veneris, qvi festum Johannis Baptistæ præcedit, provenit, pauperibus, ut antea obtinuit, dabitur; de prædiis autem tamiacis, qvæ non locantur, unjus diei lac omne in caseum conversum vice decimæ lacteæ, feriæ scilicet sextæ ante festum Sancti Olafi memoriæ consecratum, decimabitur, & lana universa ex ovibus, qvæ in insulis incultisqve pascuntur: fructus præterea arborum, & legumina, minora juxta ac majora. Solventur etiam decimæ usitatæ, qvæ seqvuntur ex singulis frugum generibus, siligine, tritico, cannabe, lino, rapis, pisis, piscibus qvoqve arefactis, phocis, balænis, canibus marinis, oleo ex piscium jecinoribus liqvefactô & idgenus aliis, qvas navium gubernatores singuli pro sua parte pendant. provideantque, ut nautæ quoque universi, secundum proportionem sortium, qvæ navi ipsisque evenerunt, ita deciment, ne portiones, Regia, littorea, aut in navticas expeditiones deputatæ, aut aliis qvibusvis jure debitæ, minuantur, prout id jurejurando confirmare parati sunt, etiam si hæc ante statum decimas recipiendi diem præcepta fuerint; præcipue vero curabunt, ut qvæ decimantur, in usum vertant eorum, qvi â parte Dei hæc recepturi sunt. Decimæ de arefactis piscibus Archiepiscopo debitæ ex piscaria depromentur: tot præterea pisces, qvot lex mercatoribus singulis imposuit (De hoc loco consuli poterit Jus Canonicum, seu Christinrettr Tit: de decimis) *Decimabuntur qvoqve proventus omnis venatuum, sal, excisi rupibus lapides molares, merces laborum omnium, operumque fabrilium, picis vasculum qvodlibet vicesimum, fori talentum qvodqve vicesimum, secundum justam proportionem. Qvod si dissensus de uno vel altero loco hac transactione contento intervenerit, duo viri ad ejus interpretationem, alter â Rege, alter ab Archiepiscopo, constituantur: qvi si invicem conciliari neqveant, liberum iis erit tertium deligere, standumq; erit iis, qvæ simuli vel pars eorum major concluserit. &c.*

Atqve ita Archiepiscopi Eysteini astutus conatus in subjiciendo sibi ac successoribus suis Regno, Regibus vero in perpetuâ Sacerdotii clientelam redigendis, in tantum profuit; ut renunciatione criminis meritiqve in Reges pessimi insidiosa libertati Regiæ privilegia permutarent successores, aliòqvin de suo nihil omnino cedentes. His Tunsbergæ peractis, Rex festo Claræ, duodecimo nimirum die mensis Augusti, Osleiam profectus est, ibiqve festo Ascensionis Beatæ virginis peracto, transita silva Krokensi, in Hringarikiam movit; lustratis mox Hadalandia & Thotnia Hringsakrum pervenit, inde Hamarem, deinde Husabyam provectus, per lacum Miors ad flumen Vernam. Hinc Eidzvöllum delatus, publicum ibi conventum habuit. Mox Romarikiam transvectus Osleyam redit: vespere autem festi nativitatis Beatæ Virginis Tunsbergam, trasmissoqve sinu, præcedaneâ festi Michaelis vesperâ, Sarpsburgum venit, ubi comitia celebrata. Dominica proxima Cancellarius Regius Thorer nuptiarum solennia celebravit. Festo reliqviarũ (qvod erat III. Id: Octobr.) Tunsbergã Rex reversus, seqventem ibi hyemem degebat. Paulò ante reditum ejus Regina Sophia Tunsbergâ cum filio suo Eirico in Daniam profecta est, cum legatis Regis Magni Auduno Hugleiki filio Stallario, & Guttormo Gidæ filio; relictis ad Reginã Engilbiorgem filiabus Ingibiorge & Catharina. Superiori æstate structura palatii illius magni Tunsbergæ, qvod castellum lateritium appellatur: columnis suffulti, ad austrum triclinii latioris (Breidastofa) ad finem perducta est. Notatur ad hunc annum obitus Guttormi, Comitis Birgeris filii naturalis, ut & Pontificis Maximi Johannis, Viterbii ad 20. Maj: qvi oppressus ruinâ palatii inter rudera vix sexta die inventus est. Suffectus die vicesi-

mo Novembris Johannes Cajetanus, qvi Nicolai Tertii nomen aſſumpſit, ſeditqve annis duobus & menſibus novem. Deceſſit & Aſcatinus Bergenſis Epiſcopus. Hoc anno Arnius Epiſcopus Stafangrienſis creatus eſt, uti ex transactione nuper memorata, cui interfuit, patet. Eiricus Rex Daniæ in Weſtro-Gothiam infuſus, bellum Svecis intulit. Dicitur & circa hæc tempora Rex Magnus titulos procerum honorarios immutâſſe, Satrapas, Barones ac Eqvites, utrosqve communi Dominorum vocabulo nominibus præfixo appellari jubens. Attamen ex literis transactionis primis patet, ante annos qvatuor hos titulos introductos, nam & Barones appellatur, qvi eis ſubſcripſerunt; ſed poterant iſti illo honore peculiariter tunc ornari, qvi poſtea omnibus ejusdem ordinis communicatus eſt. Qvid Thelamarkenſibus cum Rege interceſſerit, non invenio: ad hunc tamen annum in gratiam recepti dicuntur. Ex Islandia Rafnus Oddi filius, Thorvardus Thorarini & Sturla ſupremus Judex hoc anno in Norvegiam profecti ſunt.

CAP. XII.

BELLUM INTER DANOS ET NORVEGOS, REGIS MAGNI MORS ET ELOGIUM.

ANnô MCCLXXVIII. Narſius Epiſcopus Bergenſis, Thorfinnus Hamarenſis creati memoorantur. Rex Magnus ad Gautelfam profectus ſcribitur. Hîc noſtri qvoqve Annales, â Svecis diſſentientes, receptum in regnum Valdimarum tradunt. Ingimar qvidam in Gothia, procul dubio Danus ille, cui Rex Magnus Lodulas ſororem ſuam collocavit, a Folkungis occiſus. Sveci inſtinctu Danorum Norvegis bellum minantur. Hinc non abruptè Danorum Annales memorant bellum inter Danos & Norvegos exortum, qvod *Pontanus* his verbis recenſet. *Quo præſertim*, inqvit, (agit enim de actis hujus anni) *inter Norvegiæ Regem Magnum & Daniæ Ericum ſimultas exorta; qvæ in apertum tandem bellum erupit. Suſpectabat enim Eiricum Magnus, quaſi is Reginam & conjugem ſuam Ingiburgam, Divi Eirici filiam, qvæ ipſi hæreditate paterna hoc in regno erant relicta, poſſeſſionibus ac bonis fraudaret: cum ê contra Rex Eiricus ea â Duce auſtralis Jutiæ eſſe repetenda demonſtraret. Hæc belli haut tralaticii cauſa memoratur; qvod tamen â chronologis adeo ſtrictim & paucis eſt indicatum, ut terra an mari ſit geſtum, aliaqve ejusmodi omnino ſiluerint, hoc uno ſolum addito, apud Schanoram ſcilicet eſſe pugnatum, & ex Norvegis uno conflictu circiter millia qvinqve deſiderata, remanente etiam penes Danos victoria.* Pontano in his prorſus conſentit *Hvitfeldius*, ad hunc ipſum annum legendus. Sed de iis apud noſtros Annalium conditores (alia enim de Regibus, poſt Haconem Haconis filium, documenta non habemus veteri lingva conſignata) altum ſilentium. Ex inſtigatione tamen Danorum, Svecos cum Norvegis committere volentium, apparet inimicitias exortas eſſe, forſitan etiam bellum, qvod pro Annalium modo Dani annotarunt.

Anno MCCLXXIX. Kiriali, qvi & Careli appellantur, Thorbiornû Skaunem Regis Magni qvæſtorem in montibus capiunt, triginta qvinqve co-

Comitum ejus occisis. Thorvardus Thorarini filius in Islandiam rediit, cum uxore nobili Ragnhilde, Satrapæ Brynjolfi Jonis vidua, qvam in Norvegia duxerat, ut & Rafnus Oddi filius, jam vexillarius Regis factus. *Wormius* ejus intercessione qvædam Islandorum gravamina abrogata, etiam tributorum, tradit: magnisqve muneribus â Rege dimissum, multas una cum Domino Thorvardo constitutiones in Gronlandiam ad pacta cum Patre Regis instituta novo consensu confirmanda, apud *Argrimum* & *Wormium* lego. Optabilis in primis hic annus Oddo Thorarini filio, ante viginti qvatuor annos mortuo, affulsit; jam enim eum uterqve Islandiæ Episcopus Jörundus & Arnius anathemate solvunt, ossaqve ejus ad templum cathedrale Skalholtinum deferri ac cæmiterio condi curant: qvam inde reqviem liberationemve â pœnis consecutus fuerit, solis forsan Episcopis, præterea nemini, retulit. Annó MCCLXXX. Jon Nomophylax novum legum codicem in Islandiam sibi â Rege traditum invexit; qvo ipso anno Rex, sarcina corporis depositâ, ad Spirituum bonorum sedes commigravit. Islandiæ eqvidem possessionem tam is qvàm insequentes per eum Reges lucrati sunt, sed cum æterna, ut videtur, memoriæ suæ ac gloriæ nominis jactura: cum nulli ex ea gente ipsorum deinceps acta, sive pristino familiaritatis usu, indeqve gestorum notitiâ, destituti, sive amissa libertate remissiores facti, literis prodiderint.

Sed nec tantùm qvidem de tanto Rege nobis compertum est, ut ubi sepultus sit, aut ubi mortem oppetiverit, indicare possit. Obitum sanè ipsius & initium regni filii ejus Eirici Hvitfeldius & Pontanus ad 1280. annum referunt. Vult autem Eiricus Upsalinus, octogesimum primũ ei fatalem fuisse. Mihi omnium Islandorum Annalium consensus pluris est, cum haud probabile sit, eos in tanta præsertim re potuisse hallucinari. Diem 28. Aprilis fatalem ei videor invenisse. Diem 9. Maij catalogus Calendarii emortuales dies continens ei assignat. Qvâ corporis statura, qva membrorum proportione, qva formâ oris fuerit, licèt parùm hæc nôsse referat, nusqvam scriptum reperitur. Ac nescio qvid gravius bonis Principibus accidere possit, qvam memoriæ ad posteros jactura, cum famam, debitasqve meritorum gestorumqve laudes, inter uberrimos laborum fructus excelsiores animi semper posuerint, qvæ eos qvoqve in pericula mortemqve ipsam animant; qvemadmodum Alexander Magnus in mediô mari fluctuans & tantum non submersus: *quam multa*, dicebat, *Athenienses, patior vestri præconii causa! Omnes enim omnium virtutes tantas esse, quantas eas videri voluerint eorum ingenia, qui unius cujusque facta descripserint*, tam *Salustius Crispus* qvàm *M. Cato & A. Gellius* in literas retulerunt: ut testatur *Vopiscus*. Fuit qvidem Magnus ingenio miti, affatu facilis & benignus, pacificus, & pacis inter vicinos Principes componendæ studiosissimus; civilis administrationis peritus, rei autem militaris non item. De regno qvidem, ob servatæ pacis studium, unde bonorum omnium affluentia, legesqve reformatas, optimè meritus: an & ob alienationem Hæbudarum, non affirmaverim. Tutius qvidem pensio â Scotis promissa, qvotannis absqꝫ ullo metu percipi poterat, reditibus insularum major, vel certè haut minor, si fides servata esset; sed vicino metu sublato, ea qvoqve cessabat: qvam frustra deinde posteri, nisi armis repetere vellent, exspectarent.

Hinc Majestas Norvegica primò apud exteros imminui cœpit. Rectè enim *Claudius Lyschander*, occasu patris ejus Haconis occidisse qvoqve pristinam Norvegiæ gloriam, sensimqve statum regni inclinêsse, nec unqvam deinceps in integrum restitutum ait. Qvod vero idem tradit, Grönlandiam

qvo-

qvoqve ſub ipſa obſeqvii initia obſeqvium exuiſſe, ſtatim jam imperium adepto Magno, nec multum ea de re ſollicito, mihi, unde habuerit, ignotum eſt: adjicit verò, permiſſum Eirico Daniæ Regi, cognomine Glippingo, ſuis impenſis eam, ſi placeret, vindicare. Qvippe viſum Eirico, Regis Magni affini (ſororem enim patruelem ejus Ingibiorgem Magnus duxerat,) ad dedecus Daniæ & Norvegiæ, detrimentumqve propinqvorum ſuorum, filiorum Magni, ſpectare, ſi nuper imperio Norico acqviſita provincia, ut temerè deficiens, importunè ſic relinqveretur; claſſem itaqve eum copiasqve magnas illuc miſiſſe; qva territos Gronlandos obſeqvium Daniæ Eiricoqve Regi juraſſe, cenſum item & tributa, qvæ Magno negaverint, nave, qvæ ad avehenda hæc venerat, vacuâ remiſſâ, Danis ſtatim reddidiſſe. Et hoc qvidem ad annum ſeculi ejus ſexageſimum tertium refert, vultqve contigiſſe ſub Epiſcopo eorum Olafo, qvi eodem hoc anno, qvô Rex Magnus, vitâ exceſſit, defectionemq; illam vel in odium Epiſcopi, vel occulto ejus inſtinctu, factam exiſtimat. His verò ab Eirico geſtis, Magno ejusq; poſteris Gronlandiæ poſſeſſionem reſtitutam. Verum, quàm hæc non conſiſtant, ex dicendis patebit: Olafus enim Epiſcopus Grönlandia, non ab Archiepiſcopo Einare nec anno 1246. uti ille tradit, inauguratus eſt, ſed ab Archiepiſcopo Sigurdo, Anno 1246. annoqve ſeqvente in Diœceſim ſuam profectus. Anno autem MCCLXII. in Islandiam vectus, ibi annum vertentem ſubſtitit. Tum tres in Islandia Epiſcopi conſpiciebantur. Atqve hic annus eſt, de qvo loqvitur *Lyſcander*; proximô verò anno in Norvegiam navigavit. Cæterum annus, qvem memorat, ſexageſimus tertius, qvô hæc contigiſſe vult, ultimus erat Haconis Magni patris: neqve tum qvidem ipſo in oppugnandis Scotis occupato, tantũ Magno erat auctoritatis, ut provinciam anno priore deditionem & obſeqvia per legatos Regis deferentem alienare poſſet. Hæc igitur ut abſurda & fictitia jure rejicienda cenſeo. Memorato ſuperiùs anno ambo ex Islandia Epiſcopi Jörundus & Arnius in Norvegiã appulerunt. Fatalis & hic añus fuit Nicolao Tertio Papæ, qvi 22. Augusti deceſſit, menſesqve fere novem ſedes vacabat. Inter geſta Magni maximè memorabilia hoc eſt, qvòd Jus Aulicum compoſuerit, ſed qvo anno, non invenio: poſt ſeptuageſimum tamen tertium conſcriptum conſtat. Id ipſum certè idoneo ſatis eſt teſtimonio, qvo ordine, qva cura, qvo decore res Norvegica adminiſtrata fuerit: qvô vel opinio illa barbariei, Norvegis iſtis ſeculis imputatæ, ſatis convellitur, & tamen ſi leges tam civiles qvam canonicæ hic conſcriptæ aliæqve conſtitutiones non ſuppeterent (qvorum tamen ſufficiens copia) pietatis & juſtitiæ in ea gente ſtudium abundè commendatur.

HISTORIÆ RERUM NORVEGICARUM PARTIS QVARTÆ

LIBER SEPTIMUS,

DE EIRICO MAGNI FILIO, VULGO CLERI OSORE DICTO.

CAP. I.

EIRICI CORONATIO. RECEPTUS CODEX LEGUM ISLANDICARUM. REGIS EIRICI NUPTIÆ. EPISCOPORUM NORVEGORUM OBITUS. COMITIA NIDAROSIENSIA. JOHANNIS ARCHIEPISCOPI ET REGINÆ MARGARETÆ MORS. CONSTITUTIONES DE PRÆDIIS ECCLESIASTICIS.

MAgno, ità ut diximus, mediò virtutum curriculo, cum nondum ætatis XLII. abſolviſſet annum, rebus humanis exempto, filius natu major EIRICUS XII. annos natus ſucceſſit. Hic ordine nominis a Blodöxio Secundus, paulò mitius cognomen ab odio in Eccleſiaſticos conſecutus, Presbyterorum ſeu Cleri Oſor appellatus, Regiô qvidem titulô, vivô adhuc parente, jam dudum decoratus erat. Eodem annô ab Archiepiſcopo Johanne & ſeptem præterea Epiſcopîs coronatus, ſolenni jurejurandô ſe ordinibus regni, præcipuè autem Eccleſiaſticis, obligavit, hâc formulâ, qvæ poſtea in Regum coronationibus diu in uſu fuit: *Profiteor & promitto coram Deo & Sanctis, amodò pacem & juſtitiam Eccleſiæ Dei populoqve mihi ſubjecto obſervare, Pontificibus & Clericis (prout teneor) condignum honorem exhibere, ſecundum diſcretionem mihi à Deo datam; atqve ea, qvæ à Regibus Eccleſiæ collata ac reddita ſunt, ſicut compoſitum eſt inter eccleſiam & regna,*

indelibiliter observare, malasqve leges & cvnsvetudines perversas, præcipuè contra Ecclesiasticam libertatem facientes, abolere, & bonas condere: prout de consilio fidelium nostrorum melius invenire poterimus.

Hic *Pontanum* à *Buchanano* & Scriptoribus Scoticis seductum video, dum Magno non Eiricum, sed Haconem, qvem Haqvinum appellat, statim successisse, sibi, mox & aliis, persvasum vult, eò qvòd Margaretam Regis Scotiæ Alexandri Tertii filiam genuisse ex Hangonano Norvegiæ Rege filium apud illos legisset; qvos verò in errorem ductos haud mirum, qvòd Haconis nomen Norvegiæ Regibus multis, & ei, qvi hunc nostrum secutus est proximè, comune fuerit: Eirici ante trecentos annos semel tantùm ad hunc usqve, qvem describimus, Norvegis illo honore cultum, nec post hujus tempora indigenis Regibus usurpatum. Sed potior esse debuit nostrorum Annalium fides, tot membranis testata. Etenim hi omnes tradunt, Eiricum à patre vivo Regem constitutum, Haconem verò Ducem, ut suprà in vitâ Magni memoravimus. Necessariò itaq; ut natu major & Rex pronunciatus, fratri minori & Duci in successione prælatus est. Summo etiam consensu omnes testantur, eum Magno parenti successisse, actaq; ejus per singulos annos digerunt; qvod & ipse *Hvitfeldius* jure probavit, & in annalibus regni Daniæ secutus est. Hôc annô Jörundus Episcopus Islandiæ in patriam rediisse scribitur.

Anno 1281. Romæ post diuturnas contentiones tandem eligitur Papa Simon Turonensis Gallus, die 24. Januarii; coronatur autem die 23. Martii, ipsâ Dominicâ Lætare, Martinus IV. appellatus, & Paschatis festô sex Cardinales creat. Islandi fidem obseqviumq; Regi Eirico & Duci Haconi jurant, Lodino Leppo & Jone nomophylace id exigentibus. Codex LL. superiori annô per Jonem illuc missus, exinde Jonis codex appellatus, publicô jam suffragio approbatus & receptus est. Rafnus Regis signifer & præfectus in Norvegiam ex Islandia trajecturus vi ventorum repellitur. Thorvardus autem Thorarini filius, præfectus alter, eâdem æstate eò pervenit. Notant communiter Scriptores nostri ad hunc annum nuptias Regis Norvegiæ Eirici, tredecim annos nati (malè enim *Edit: Dan:* novendecim annorum facit) cum Margaretâ Alexandri Tertii Scotiæ Regis filiâ. Idem qvoqve *Hvitfeldius* testatur & *Wormius*.

Anno 1282. Nidarosia incendiô conflagravit. Rafnus ex Islandia ad Regem in Norvegiam profectus est. Archiepiscopus Johannes, Andreas Episcopus Osleyensis, & Thorfinnus Hamarensis, Norvegiâ excessisse nostris Annalibus memorantur: in diuturnum exilium actos à Rege *Arngrimus* perhibet. Qvibus etiam ad curiam confugientibus, Martinum & Honorium Papas pro magno habuisse negotio adjicit, ut per literas cominatorias Regem in officio continerent. Cœterùm Rex Eiricus fraudibus, insolentiâ, atqve avaritiâ cleri, qvi patri noxia Regibus privilegia vaferrimè extorserat, irritatus, nihil contra jusjurandum, illi in coronatione datum, facere sibi videtur visus, etiam si potentiam illam sibi suisqve formidandam tempestivè infringeret. Inter enim malas & perversas consvetudines (qvas abolitorum se promiserat) haud imeritò tantam tam inconsultam indulgentiam reputabat, eamqve jurisjurandi partem gnaviter executus est, ut mox dicetur. Verùm Archiepiscopus Johannes Romam, ut decreverat, non pervenit; eôdem enim annô Scaris in Vestro-Gothia animam efflavit. Comitia tum, freqventissimo hominum concursu, Nidarosiæ habita traduntur, procul dubio de jure Ecclesiarum. Verùm qvàm imprudenter sibi consulant illi, qvi occasionibus intenti, ea tantùm qværunt,

runt, qvæ in præſens conducunt, futurorum ſecuri, vel hoc Epiſcoporum exemplô docemur; brevi enim rerum ſuarum emolumento gaviſi, mutatô Rege, majora ſibi damna accerſiverunt.

Annô 1283. corpus Archiepiſcopi Johannis Nidaroſiam delatuum ibiqve ſepulchro eſt conditum. Annales Flat: tradunt, ſanctum eum opinione vulgi habitum: procul dubio, qvòd ambitionis & avaritiæ Eccleſiaſticæ ſignifer, extortîs priori Regi im̃unitatibus, emolumentîs ordinem ſuum cumulâſſet. Extincta & Regina Margareta, relictâ filiâ ſibi cognomini, unicâ Scotiæ hærede; mater verò Regina amiculum pretioſum cathedræ Holenſi in Islandia teſtamento legavit: qvod Epiſcopus Jörundus in ſuperhumerale convertit, indito in perpetuam memoriam Reginæ nomine. Ad hunc annum refert *Hvitfeldius* obitum Vizilavi Ducis Pomeraniæ, qvem accidiſſe in Norvegia die Thomæ Apoſtoli apud Regem Magnum tradit: in Regis nomine, uti apparet, lapſus. Redierunt hôc anno in Islandiam Dominus Rafnus Oddi filius & Dominus Erlendus; & hic qvidem cum ſupremâ leges interpretandi poteſtate, ille cum mandato, ut laici prœdia Eccleſiaſtica adminiſtrarent; ità enim ante deditionem more erat receptum. Tùnc verò omnium & ſingulorum juribus cautum eſt, cùm id ipſum antea jure fundationis & dotationis majores eorum obtinebant, adqve poſteros eodem jure tranſmiſerant. Nihil itaqve iniqvitatis habet, ſi novum cum Archiepiſcopo, qvod pater iniverat, pactum, juſtiori, qvod cum Islandis antea (qvo & deditionis conditiones continebantur,) factum erat, prævalere Rex noluerit. Certè etiam laicis idem in Eccleſias Norvegiæ multîs in locîs jus erat, qvô illos ſine cauſa, tantùm in gratiam clericorum, privari, parùm ex æqvitate eſſet. Hinc tamen illi cognomen Oſoris miniſtrorum Eccleſiæ (qvod *Arngrimus* Græcô verbô μισόκληρον vocando feliciùs ſe exprimere poſſe putavit,) neſcio, an juſtè, obvenit, ab ipſis qvidem Clericis impoſitum: neq; id mirum, cum Pontifices Regibus graviſſimo hoc dederint crimini, ſi vel clericorum opibus inviderent: qvemadmodum & Johannes XXIII. hæreticos & ipſo facto excommunicatos pronunciavit, ſi qvis neget Chriſtum & diſcipulos habuiſſe aliqvid proprii, & qvi diſcipulis vendendi, donandi, teſtandi, acqvirendi, ſuopte ingenio jus adimerent, ex eo qvod ad religionem euntes in alterius arbitrium tranſirent. Thordus Sturlæ filius, Magno Regi à confeſſionibus, hôc anno vitam cum morte commutavit.

CAP. II.

REX EIRICUS DANIS BELLUM INFERT: ILLUSTRIUM VIRORUM MORTES. LUES IN ISLANDIA. NOVA TERRA INVENTA. DE PIRATA ALFO ERLINGI FILIO. VALDEMARUS DUX SLESVICENSIS CAPTUS. EIRICI DANIÆ REGIS CÆDES.

ANno MCCLXXXIV. Eiricus Rex Norvegiæ jus ſuum, poſtulatæ nimirum ſæpius dotis maternæ, vi repetiturus, claſſem inſtruxit, ferrôqve & flammis Daniæ oras populatus, borealem præſertim Jutiam infeſtavit, ac Skagæ maritimo vico in favillas redactô, maximam præterea incolis cladem intulit. In Islandia qvædam Eccleſiarum latifundia, imperante

Præfecto Rafno Oddi filio, laicis reddita. Annales vestutiores Regio mandato ademptam Episcopis dispensationem prædiorum Ecclesiasticorum, laicisqve traditam, referunt; certe non alia de causâ, qvam qvæ superiore capite nobis memorata. Hoc qvoqve anno Sturla Thordi filius judicis se officio abdicavit, ne causis inter Ecclesias & laicos cognoscendis alterutram partem offendere teneretur; id qvod Episcopus Arnius prudenter factum, promeriturumqve eum ista moderatione cœli favorem, judicavit. Eodem anno Sturla, nocte, qvæ festum S: Olafi secuta est, septuagenarius vitâ excessit; qvæ dies & natalis ei olim, vitæqve jam ultima fuisse legitur; sepultus est in prædio suo Stadarhole ad ædem Apostoli Petri, qvem inter omnes Sanctos præcipua veneratione coluit; vir, si qvis alius, prudens, constantiqve fortunâ ad finem usqve vitæ usus. Magnus qvoqve Orcadum Comes hoc anno supremum diem clausit; ut & Petrus insularum illarum Episcopus. Annus hic in Islandia hominibus pecoriqve infestus fuit; multi morbo absumti, adeo ut prædia haud pauca cultoribus vacua desererentur. Sophia Regis Sveciæ Valdimari conjux hoc anno *Pontano* mortua perhibetur: qvam repudiâsse maritum Scriptores Sveciæ etiam post hunc annum meminerê.

Anno MCCLXXXV. Martinus Qvartus Papa, cum sedisset annis qvatuor, mense uno, moritur die 25. Martii, ipso Resurrectionis Christi die. Hic tanto odio Germanos est prosecutus, ut sæpe exoptaverit, se ciconiam aut lucium esse, illos autem ranas vel pisces. Succedit ipsi, die secundo Aprilis, Jacobus Sabellius, ex nobilissima familia Romana oriundus, qvi annos duos & totidem menses sedit, dictus Honorius Qvintus. Episcopus Hamarensis Thorfinnus in Flandria mortuus est, Andreas autem Osleyensis Româ cum literis Papæ rediit. Hæ sunt comminatoriæ illæ; qvarum mentionem *Arngrimus*, facit: qvas qvia authenticas non habemus, ex Islandica versione ita in Latinum transtulimus.

Honorius Pontifex, servus servorum Dei, filio in Christo carissimo, Illustrissimo Norvegiæ Regi Eirico salutem & Apostolicam benedictionem. Magister Petrus Mediolanensis filius noster dilectus, & Sacrosanctæ Ecclesiæ Cancellarius, nobis præsentibus dixit, vivo beatæ memoriæ Pontificè Martino antecessore nostro se accepisse literas quasdam sub ejusdem Pontificis nomine conscriptas, hac formulâ. Martinus Pontifex servus servorum Dei, filio in Christo carissimo, illustrissimo Norvegiæ Regi Eirico salutem & Apostolicam benedictionem. Quandoquidem Regia dignitas justum judicium diligere tenetur, oportet ita præviâ discretione agenda digerat, ne opus sit aut arguere aut castigationis severitatem addere, sed ut omnes Regiæ actiones laudabiles sint & Deo gratæ, æquitati & justitiæ amicè consentientes. Reverendus frater Andreas Episcopus Osleiensis & Thorfinnus Hamarensis, non saltem ex sua, sed & omnium aliorum ejusdem Archiepiscopatus Episcoporum, Priorum & Clericorum S. Nidarosiensi Ecclesiæ personâ, retulerunt nobis, quæ inter beatæ memoriæ Archiepiscopum Nidarosiensem Johannem & illustris memoriæ Regem Magnum patrem tuum acta sunt; nimirum ut idem Rex & præfecti regni ejus leges transmutârint, antiquas bonasque in regno isto usitatas abrogando, novasq; & inauditas constitutiones reponendo: quæ ut jam notum est, SS. Ecclesiæ libertatem & tutelam nimis everterunt, præ primis vero privilegia ab illustris memoriæ Rege Magno Erlingo Ecclesiæ Nidarosiensi data, qvibus inter cætera ipse se regnumque suum in potestatem S. Olafi tradidit, & in testimonium se defuncto coronam suam successorumque omnium in templo Nidarosiensi S. Olafo suspendendam debitè præcepit. Relatum etiam nobis est, antiquas leges tenuisse, ut quoties Rex creandus sit, Archiepiscopi alio-

liorumque Episcoporum suffragia plurimum in illa causa possint. Similiter ne præfecti præsumerent sibi arrogare potestatem decidendi dijudicandique ea, quæ ad Sanctæ Ecclesiæ curatores jure pertinent; quæ tandem unà cum cæteris controversiis inter Archiepiscopum & Regem patrem tuum in litem venerunt; sed intercessione bonorum virorum amicabile pactum inter illos firmabatur, super omnibus controversiis, cum assensu Episcoporum, Canonicorum, aliorumque SS. Ecclesiæ prælatorum, nec non Baronum regni Norvegici, qui ex utraque parte juramenta præstiterunt, fore ut contractus iste inter Archiepiscopum & Regem, omnesque eorum legitimos successores, inviolatus servaretur. Quin & ad nos delatum est, Regem patrem tuum eundem servasse, & per regnum suum quoad viveret, firmiter servari præcepisse. Sed cum tu post illius mortem XVIII. ætatis anno coronareris, præsentibus & consentientibus tutoribus tuis, jurasse te SS. Ecclesiæ libertatem juraque illibata, ut & prædictum contractum, servaturum. Postea iidem tutores & Consiliarii tui, qui in fœdus hoc jurarunt, obliti salutis suæ, datam fidem perniciosè violaverunt, ausi leges quasdam dicto fœderi adversas introducere, latis insuper contra Ecclesias earumque curatores libertati haut parum inimicis legibus, abrogatis prioribus illis bonisque, in regno usurpatis. Hæ autem universæ constitutiones præceptaque ab iis in regnum hoc modo introducta, sub tuo nomine firmiter teneri servarique mandarunt; quæ cum ita essent, Archiepiscopus tutorum atque Consiliarorum horum maleficiis summa ope obnitebatur; ideoque cum Episcopis, suffraganeis, Prælatisque Ecclesiæ forum celebrans, inter alia ad morum emendationem constituta legem Divinam & Pontificalia decreta promulgavit contra SS. Ecclesiæ libertatis eversores, monuitque sedulo, ut Divinæ hæ leges ab omnibus servarentur, utque Episcoporum quilibet in sua diœcesi ad minimum semel quovis anno eas publicari curaret. De his autem prædicti tutores procuratores & Consiliarii dixerunt, Archiepiscopum aliosque Episcopos nova & infanda inducere, in tuum regnique tui ingens gravamen, atque ideo ad sedem Apostolicam provocarunt. Verum licet Archiepiscopus quosdam horum multoties moneret, omitterent mores statutaque SS. Ecclesiæ libertati repugnantia, & quamvis testatus sit, hos talia contra Ecclesiam audentes actu ipso a Pontifice excommunicatos; illi tamen nihilo minus hæc & similia monita exsecrandâ temeritate contemserunt. Sed & Archiepiscopus duos præcipue tuorum procuratorum, Bernhardum nempe de Gisko & Andream Pluckum dictum, anathematis fulmine percussit. Verum licet Episcopus, quæ ipsius officii erant, impigrè exsequeretur, illi tamen in Christianorum communionem admissi sunt; sed & cæteri tutores & Consiliarii his non assentierunt modo, sed & alios homines ad convictum eorum adegerunt, & præter omnia hæc eosdem alios qve propter notoria scelera excommunicatos magis magisqve honoribus & gloriâ afficiebant, Andreæ item Plucki (qvem diximus) in diris sacris demortui corpus, reliqvi tutores & consiliarii Bergis in tuo sacello humari fecerunt. Nec minus Archiepiscopus te tuosqve diligenter monuit, ut talibus adversus Sanctas Ecclesias oneribus & coarctationibus abstineretis; oravit, ut Ecclesiis Ecclesiasticisqve ablata restitueretis, leges & statuta a vobis inventa, passimqve contra Ecclesiæ libertatem sævientia, ex libris & documentis vestris sedulo deleretis, aut ad minimum talibus in posterum contra Ecclesias earumqve curatores exercendis publicè renunciaretis. Tu vero tuiqve tutores, procuratores & consiliarii, his talibus monitis auscultare contumaciter neglexistis. Postea Archiepiscopus sui suarumqve Episcoporum ac suffraganeorum nomine prudentes legatos ad sedem Apostolicam misit, secundum provocationem à tuis factam. Sed & tu ipse ad nos legatos misisti. Ut vero causa hæc partiumqve legati nobis primum sistebantur, commendavimus illos his Cardinalibus, Reverendo fratri nostro Ar-

Archiepiscopo, filiisque nostris dilectis Sanctorum Marcellinæ & Petri presbytero & S. Mariæ in Malata Diacono, ut legatis examinatis ad nos de utraque parte referrent. Postquam vero dicti legati multa coram Cardinalibus egissent, inter alia postulavit, ut legatum in Norvegiam, mitteremus, ad revocanda onera iniquasque conditiones ab Episcopis aliisque Ecclesiasticis tibi tuisque; ut ipse dicebat, per universum regnum impositas, secus se hanc provocationem non magni facturum jactitans. Atque ita hac legatione haut satis peractâ, consiliarii tui pravam suam voluntatem justitiæ & rationi præferentes, Ecclesiasticos, Episcoporum, præpositorum & Clericorum vicarios, captos in vincula conjecerunt, ut & laicos, qui in Episcoporum servitium juraverant, harum utrosque spoliaverunt & bonis omnibus nudatos proscripserunt, scelera sceleribus cumulantes. His injuriis contra jus Divinum exercitis adactus (Archiepiscopus) *iis obniti studuit, pro officii sui ratione, post justas ad tuos admonitiones; ii vero malevolè, contemptu Divinæ Majestatis, ipsum Archiepiscopum, ut & Andream Episcopum Oslejensem & Thorfinnum Hamarensem, exilio damnare & sedibus expellere, &, qvod excelluit, omnibus bonis nudare, ausi sunt, solum modo qvod Episcopi contractum, de qvo prius, servandum urgerent, nec se aut alios, ut par erat, obligare vellent, at servandas leges & statuta S. Ecclesiæ libertati manifestè repugnantia. Archiepiscopus reliqvique Episcopi aliqvantisper exilium, qvod memoravimus, tolerârunt; is vero sedem suam Archiepiscopalem repetiturus naturæ debitum solvens mundo excessit; qvod ut factum est, Conciliarii tui legatum suum ex curiâ mandato tuo revocârunt, ausi res Ecclesiis Ecclesiasticisqve damnosas. Hæc propter venerunt ad nos dicti Episcopi, submissè rogantes, ut in corde nostro inopi ipsorum vitæ compateremur, paternaqve providentia ulterius exilium, dignitatisqve episcopalis opprobrium, averteremur. Jam cum hæc omnia, qvæ enumeravimus, si verum fateri volumus, Deo ingrata, Regiæ saluti noxia, tuoqve honori valde perniciosa sint, monemus & præcipimus Serenitati Regiæ, injungentes tibi sub remissione peccatorum tuorum, ut accuratè perpendas, non decere Majestatem Regiam ut ita tegeras, aut alios se gerere patiaris adversus Ecclesiasticos intra regnum tuum, qvemadmodum hactenus obtinuit, cum debeas ministros illos Dei honorare, & decente benevolentiâ causam illorum defendere.*

Hoc anno, nimirum MCCLXXXV. Adalbrandus & Thorvaldus Helgii filii novam terram, e regione Islandiæ occidentem versus, invenerunt. An fuerit illa, qvam Veneti fratres Zeni Nicolaus & Antonius circiter centum post annos descripserunt, cujus Rex Zichinnus fuerit, disqvirere nihil attinet: totum enim illud scriptum commentitium existimo; cujus vanitatem *Arngrimus* ex parte monstravit, in Specimine Islandiæ, Partis Secundæ membro Secundo. Florebat hoc tempore pirata famosissimus, Alfus Erlingi filius, cujus pater Erlingus Baro ac præfectus Borgarsyslæ fuerat: ad qvem Valdimarum Sveciæ Regem confugisse ad annum LXXV. memoravi, qvemqve *Pontanus* ferum & indomitum vulgo dictum, *Johannes* autem *Laurentius Wolfius* gratiosum & mitem dominum appellatum perhibet. Hic non modò Danorum, sed etiam Frisiorum Teutonumqve, circumqvaqve littora infestabat, &, magnis undiqve prædis coactis, Norvegiam locô receptaculi habebat. In eum triginta circiter majora navigia, Coggones vocant, suis sumtibus mercatores Vandalici armaverant, sed dum hi Alfum circa Øresundam per aliqvot septimanas præstolantur, ille Balthicum ingressus sinum prædas pro more egit, direptôqve Callenburgo, munito admodum in his oris oppido, ac modo Danis, modo Teutonibus divexatis, ingentia ad suos spolia retulit. Tum Jacobus qvoqve Hallandiæ

diæ Comes Regem Norvegiæ respicere, & secreta cum eo consilia miscere cœpit, eqvestris jam ante militiæ dignitate ab eo ornatus. Anno proximo MCCLXXXVI. Alfus a Rege Eirico, cum altero qvodam, nomine Auduno, forsitan illo Hugleiki filio, Comes creatus est. Alexander Scotiæ Rex socer Regis Eirici vivis exemptus est. Andreas Episcopus Osleiensis Jörundum, seu Georgium, Hamarensem, & Dolgfinnum Orcadum Præsulem inauguravit. Legati Regis Tartarorum in Norvegiam veniunt. Gudmundus Halli filius in Islandiam ad delectum in expeditionem Regiam agendum missus, vestium Regiarum præcipuas, qvas Rex Eiricus S. Joni, seu Johanni, Holensi Antistiti voverat, attulit. Cum enim adversis ventis in expeditione qvadam detetentus, multos Divos votis neqvicqvam invocâsset, svasore hoc eodem Gudmundo, huic tandem diu supplicabat. Cumqve venti repentè conciderent, ipse Gudmundus magnâ numinis hujus fiduciâ velum attolli jussit. Mox aura ad votum mutata carbasa ita qvidem impulit, ut qvarto post die Rex optato portu potitus sit; qvi hunc deinceps Divum magnâ religione coluit. Vestes in dalmaticas exinde conversæ, in Episcopali Holensi sede reservabantur. Cæterum â Gudmundo tunc omnes, qvi aulicorum seu satellitum Regiorum dignitate ornati erant, in Norvegiam, civium qvoqve provincialium multi, evocati. In Islandiæ provincia Borgarfiordo cum conventus qvidam haberetur, hasta stans in äere conspecta est. Valdemarus Slesvicensium Dux, qvi superiore anno, cum paratus jam ad trajiciendum in Norvegiam esset, ut ibi nova adversus Regem Daniæ Eiricum regnumqve ejus fœdera iniret, Helsingöra captivus abductus, & ad Seburgum Sellandiæ arcem in custodiam missus erat; hoc anno, ubi menses plures detentus esset, medios se interponentibus Hermñao Episcopo Sverinensi, Johanne Saxoniæ Duce, Gerhardo, Johanne atqve Adolpho Holsatiæ Comitibus, aliisqve, vinculis liberatur; interqve alias conditiones promittit, se nulla cum qvoqvam in Regis aut regni detrimentum fœdera sociaturum, &, si qvæ ejusmodi inita fuerint, iis properè renunciaturum esse; nec sibi possessiones ullas aut bona, qvæ ad filiam S. Eirici Ingibiorgem Norvegiæ, ad Sophiam Svecorum Reginam, earumqve sorores aut hæredes spectent, retinendas esse, sed iis, qvæcunqve intra Ducatum suum habentur, libenter cessurum. Eodem anno circa feriam, ut vocant, qvintam post Calixti festum, publicari Comes Hallandiæ curaverat codicillos, qvibus significabatur, Ingibiorgis Reginæ nomine Petrum Capellanum, Sophiæ vero Reginæ Svecorum vice Lidekium & alios S: Eirici bona ac hæreditates in æqvas portiones, tam Reginarũ qvàm suorũ ratione habitâ, partitos esse; actumqꝫ haut dubie, occasione ejusdem divisionis, de pace & concordia inter regnũ utrumqꝫ Daniæ & Norvegiæ componenda. Qvod vero hic addit *Pontanus*, Magnum Norvegiæ Regem ad conficiendas filio illustres nuptias cum Ingiburga Regis Eirici filia, tum etiam mandata dedisse, sed nuptias exinde successum haut sortitas, sive ob Ingiburgæ præmaturum obitum, sive qvòd essent inter sese sangvinis necessitudine propinqviores, non, uti putat, controversam rem istam facit, sed vanitatis omninò arguit; siqvidem suprà ad annum millesimum ducentesimum octogesimum obiisse Magnum notatum est. Attamen cùm hoc tempore uxore viduatus sit Eiricus, ipsum sibi conditionem istam pacturum fuisse, à vero non abludit. Cœterùm sicut in *Pontano* error hic, ut alibi observatur, ità in *Crantzio* non error tantùm, sed annorum ingens hiatus animadvertitur, dum Magnum ipsum ejusqve parentem & filium Haconem nusqvam in Chronicis suis agnoscat: qvod certè qvid aliud arguit, qvàm Crantzium scribere de igno-

ignotis voluisse: qvæ verò scriberet, non habuisse? totum enim istud, qvod de regnis septentrionis volumen compilavit, non nisi ex vulgaribus atqve tùm satis obviis scriptîs congestum esse. Voluntas tamen conatusqve Scriptoris laudandus, qvòd ea, qvæ haberet, aptè digesserit, sua singulis regnis impertitus. *Anni finis* (pergit *Pontanus*) *finem etiam vitæ optimo Daniæ Regum imposuit. Die enim 22 Novembris, qvi festum Ceciliæ proxime antecessit, conjurati, in qvibus præter superius indicatum Stigotum aliosqve etiam Hallandiæ Comes Jacobus habebatur, commorantem in pago Finderup, extra Viburgum, ab itinere aut venationibus fessum & jam qvieti redditum inopinatò invadunt, ac, datis identidem ictibus sex & qvinqvaginta vulneribus contrucidant. De iisdem hoc insuper divulgatum ora omnes personîs ac larvîs habuisse occultata, ac factâ resumptâqve de novo conspiratione, qvâ se vel ad omnia eo nomine subeunda patiendaqve paratos dictitarent, in cædem unanimes irruisse. Hoc patratum circa vigesimum nonum regni ejus annum.* Surrogatus in occisi Regis locum filius ejus, nomine Eiricus, ab usitata Danis particula Menò, qvam verbis suis ut plurimum adjicere solitus est, cum vel affirmatum vel negatum qvicqvam vellet, Menvid appellatus; vix duodecennis regno administrandò admotus.

CAP. III.

INQVISITUM DE PERCUSSORIBUS REGIS DANIÆ. QVI PROSCRIPTI A REGE NORVEGIÆ RECEPTI. ALFUS ERLINGI FILIUS: SVECIÆ REGIS AD EUM LITERÆ; ALIÆ ALFI AD REGEM SCOTIÆ.

SUb festum Pentecostes anni MCCLXXXVII. Neoburgi publicis comitiis de percussoribus Regis inqvisitum, cœdisqve rei pronunciati Jacobus Hallandiæ Comes, Mareschallus Stigotus, Nicolaus Hallandzfar, Petrus Porsius, Petrus Jacobus, Nicolaus Canuti, Ago Cacius, Ranno Jonæ & Arvidus Benedicti, atqve ideo ut publici regni hostes proscripti; bonaqve eorum fisco adjudicata sunt; qvi in Norvegiam profugi, â Rege Eirico, ob detentum patrimonium Danis infesto, recepti; mox datô obseqvii Norvegis prolixè addicti fideiqve sacramento, arcem Konghellam, loco opereqve munitissimam, tutum rebus afflictis asylum impetrarunt: ipsi verò interea Hunehalsam, quæ sita erat in parte boreali Hallandiæ, aliaq; ad Jac: pertinentia municipia, vallo & fossis muniverunt. Hoc inter Danos & Norvegos belli initiũ fuit, qvod ingenti utriusqve clade, integrum propemodum novennium durâsse legitur. Fatalem vero hunc annum habuerunt, Pontifex maximus Honorius Qvartus, tertiô Aprilis die exstinctus, â cujus morte sedes Romana mensibus decem vacavit; & Ingibiorgis Regina Norvegiæ, Regis Eirici mater, nec non Andreas Episcopus Osleyensis. Præterea dominus Hallkell Augmundi filius, a Comite Alfo Erlingi F. cæsus. Hinc Alfus cum sociis facinoris omnibus proscriptus; qvorum tamen ducentis sexaginta deinde occisis, ipse fugâ in Sveciam elapsus, & monasterium pro asylo nactus, hoc modô periculum evasit. Meminit ejus *Eiricus Upsalensis* àd annum MCCLXXXIX. Hallkelemqve hunc Attelum appellat: Alfum verò, (qvem Alverum Erengiselson vocat,) in Sveciam fugisse,

se, Norvegorum persecutionem, ibiqve coram Rege Magno flexis genibus veniam petentem gratiæ Regis se submisisse scribit. De eodem *Johannes Wolfius* in sua Norvegiâ illustratâ hæc scripta reliqvit: *Huc Alfus Comes Tunsbergensis, Clemens appellatus, sub Rege Eirico, ejus nominis tertio* (secundo rectiùs dixisset) *floruit, vir potens, audax, milesque strenuus, historiis cantilenisque, in ejus memoriam factîs, abundè id testantibus, & quidem Regio genere oriundus; Regem enim Eiricum, qui ipsum Comitem creaverat, propinqvum suum appellat.* Itaqve is, Dominô Hallkele occisô, tum qvidem in Sveciam profugit; qvod autem tantâ in bellîs fortunâ ad hoc tempus usus sit, ut Scotos, Anglos, Danos, & civitates Hanseaticas, parvâ nautarum manu continuò exercuerit (ut cantilena illa sonat: *Ex austro Teutones far polentamque navigantes vehunt: queîs Alfus, in freto Oresundensi excubans, singulis eos spoliat*) Ad ultimum magiæ malarumq; artium est accusatus, tanqvam qvi tantas res haud sine Dæmonum ministerio effecisset. Id verò sapientiores longè aliter interpretabantur, successum qvantumvis prosperum supra ejus prudentiam & fortitudinem non adeò æstimantes. Qvàm prosperè autem cuncta gesserit, vel inde patet, qvòd ipse Rex Sveciæ Magnus Ladalas epistolam ad eum hâc formâ scribere dignatus sit; perinde ut Amasis Ægypti Rex Polycrati Sami tyranno, qvem fortuna peperisse videbatur olim; cui nec hic Alfus absimilem exitum sortitus est. Exemplum epistolæ Regis Sveciæ tale est: *Cùm te Deus tantâ gratiâ fortunaverit, ut magna nominis tui fama longè latèque per multa regna regionesque sparsa, magno tuos amicos gaudio, hostes autem haud ficto terrore & formidine impleverit, nos tibi svademus, ut nihil temerè & absque deliberato consilio aggrediaris: ipse enim nôsti, illa demum felici exitu claudi solere, quæ circumspectâ providentiâ inchoantur: ne tua gloria, quam famæ præsidio ingentem adeptus es, aliquo incommodo minuatur; & quamvìs omnia jam ad votum tibi fluant, rerum tamen ordo, ut omnia circumspectè agas, poscit.* Consilium certè amicum, ne ex fortunæ blanditiis spiritus nimìs extolleret: qvemadmodum Atheniensis ille Timotheus, qvi animô elatiore uno dicto fortunam adeò irritavit, ut continuò recedens nunqvam in posterum redierit. Dixisse autem fertur: *hoc ego feci, non fortuna.* De exitu Alfi postea dicam. Ad pacis studia pactaq; & fœdera servanda propensum, ad arma, nisi exigente necessitate, non processisse, eâdem verò provocatum animô intrepido bella gessisse, patet ex epistola ejus ad Regis Scotiæ Senescallum, qvæ talis: *Meritò miramur, vos subditorum nostrorum naves in Scotia detinere, nullo in vos commisso; cùm tamen Serenissimus Angliæ Rex non permiserit Germanis, nostris hostibus, nostras naves in Anglia pignorare; idque jure amicitiæ, quod inter nos & eum intercedit. Jam postquam pax inter nos & illos coaluit; placuit, ut singulæ partes sua retinerent: neque enim aliter pax stare poterat. Cùm autem nobis relatum sit, vos unam nostratium navium in urbe vestrâ Barvig falsis tantùm delationibus persvasos detinere; petimus, ut in posterum desistatis ab injuriis in nos committendîs, idque jure amicitiæ mutuorumque inter nos pactorum. Id nisi feceritis, scitote, Norvegiam adhuc non ità debilitatam esse, ut vestris se permittat urgeri calcaribus.* Hôc annô Tunsberga incendio arsit. Episcopus Jörundus & Præfectus Thorvardus Thorarini filius ex Islandia in Norvegiam profecti sunt. Festô Tiburtii, sc. 14. April: Rex Eiricus & Dux Hacon Bergîs navigârunt.

CAP. IV.

EIRICI AD REGEM DANIÆ LEGATIO ET EXPEDITIO. REDITUS IN NORVEGIAM. REGIS DANIÆ DE PACE IN NORVEGIAM LEGATIO IRRITA. ITERATA EXPEDITIO. RAFNI ODDI FILII MORS. PRÆDIA ECCLESIASTICA LAICIS IN ISLANDIA ADEMTA.

ANnô 1288. vigeſimô ſecundo Februarii Papa eligitur Hieronymus Aſculanus, vocaturqve Nicolaus Qvartus. Seqventi deinde qvadrienniô Eccleſiam recturus Jörundus, ſeu Georgius, Epiſcopus Hamarenſis, acceptô Romæ palliô, fit Archiepiſcopus Nidaroſienſis. Thordus Epiſcopus Grönlandiæ creatur. Epiſcopus Jörundus & Thorvardus præfectus in Islandiam redeunt, & cum iis Olafus Stallarius. Excedunt autem ex eadem inſulâ Epiſcopus Arnius & Præfectus Rafnus Oddi filius, nomophylax Dominus Erlendus, & Dominus Olafus Rangeidæ filius. *Hoc annô ineunte* (verba ſunt *Pontani*, conſentientibus Annalibus Danicîs) *Eiricus Norvegiæ Rex noviter inaugurato Danorum Regi Eirico bellum indixit, datis ad eum codicillis, quibus maternum hæredium ſibi denegari querebatur, addito nonnihil de Comite Jacobo, cæterisque regni extorribus, quaſi injuriâ affectis, & quibus cauſæ ſuæ legitimæ defenſio permiſſa non eſſet. Quinto deinde à feſto D. Petri die Helſingoram cum claſſe appulit, eratque jam ante, exortâ de ſubito tempeſtate, ejectum in litus Culborni Catterichii navigium, quorum qui in terram ſalvi pervenerant, cuſtodiæ traditi capitis mox pœnam ſubierunt. Ipſe Rex alterâ ſtatim ab appulſu ſuo luce, factâ in terram exſcenſione, Helſingöræ oppidum igne injecto totum exuſſit; cives atqve indigenæ receptum habuerunt in arce Flonderburgo. Inde datîs vento velîs, Hafniam petiit, magnoque univerſos terrore perculit, ſed in terram deſcendere auſus haud fuit. Mox inſulas vicinas Venem & Amagum invaſit; direptîsque, qui inhabitabant, tectis prædiisque eorum ignem injecit. Hîs deinde relictîs, myoparones aliquot petere Schanoram juſſit, ac prædas agere, quòd ibi locorum præcipua tum regni negotiatio atque opes eſſent, ob halecum capturam. Præerat myoparonibus Corteneus Cruter; ſed haud ſine ſuorum clade regreſſi ſunt, trucidatis è Norvegia ſeptuaginta circiter; extorres ab altera parte in ſinum, qui hodie adhuc Balthicus dicitur, vulgò de Belt, irruptione cum navibus ſimiliter armatis facta, non ſimplici vice regnum infeſtum reddiderunt. Mareſchallus Stigotus, deſtructo Bratingburgo, Samſoam deprædabatur; inde cum claſſe tota profugi verſus Tornsbergam prope Corſoram vela facientes, ubi Eiricus Menved Rex at plurimum agere erat ſolitus, urbem ac templum incendio defædarunt. Nec aliud fatum fuit Schelſöræ, cujus urbeculæ, quæ ſupererant, tenues adhuc reliquiæ in favillas ſimiliter verſæ. Hinc Falſtriam ingreſſi, Nicopiam, ubi diripuiſſent, igne perdiderunt. Norvagi eodem tempore cum parte ſuæ claſſis circa proximam Lalandiam appellentes, ubi in terram eorum perplures ad prædas faciendas eſſent egreſſi, ab indigenis ferè omnes aut capti, aut peremti fuerunt; ſed Nicopiæ non contenti ignem injeciſſe, etiam arcem obſidione premere inſtituerunt. Verum Stigotus, facto mox procinctu, unà cum Othone Heſtecornio ad Regem Norvagiæ, qui juxta Amagum adhuc cum claſſe præcipua conſiſtebat, enavigavit*

vit

vit; ubi haud diu morati junctis viribus Grönsundam petierunt, arcemque Stegensem continuâ diei ac noctis oppugnatione ità infestarunt, ut nec repugnantium alacritatem, nec cladem suorum, pensi habuerunt. Pertinebat tum locus ille dotis nomine ad Rugiæ dynastam Vizlaum; atque inde Stubbecopiam adnavigatum, quam cùm totam incendissent, die, qui Mariæ sacer fuit, versus Norvagiam vela verterunt. Eiricus autem Daniæ Rex, missis extemplò in Norvagiam legatis, amicè petebat, ut bello, quod erat motum, amabili quadam compositione sopitô, sangvini innocentium parceretur: se in mora haudquaquam futurum, quin maternum ejus hæredium, quod suæ esset potestatis, ipsi quàm primum redderetur; partem autem ejus penes australis Jutiæ Ducem Valdemarum haberi: seorsim verò id expetebat, ne causam extorrium suam faceret, hominum parricidarum, & qui laudatissimæ memoriæ parentem suum Eiricum Regem immeritissimè trucidassent. Verùm Norvagus pactionibus aurem præbere noluit, nisi extorres iisdem quoque includerentur. Hinc anno sequente, sc. 1289. die Johanni Baptistæ sacro. Norvagus, cui se extorres conjunxerant, denuò cum classe armis virisque hostiliter instructa in mare progressus primùm in Alburgenses, atque inde in arcem oppidumque Svineburgi, impetum convertit; eoque direpto ac flammis fœdato domum versus navigationem instituit, cùm antea Lalandiam partim devastâsset, partim ad tributum pendendum coëgisset. (Nostri hoc in annum seqventem referunt) *Extorres verò, qui eadem cum classe accesserant, hærere interea ac subsistere circa insulas Balthici sinûs Hielmû ac Sproam easque communire cœperunt, ut inde facto assiduè in regni districtus atque incolas procinctu, eos undiquaque infestos haberent.* Hæc *Pontanus.*

Ad eundem annum MCCLXXXVIII. menſe Martio, notat Eiricus Upſalenſis Lib. 3. *rapuisse Dominum Folchonem, filium Domini Algoti legiferi Vestrogothorum, Domicellam Ingridem, filiam Domini Sventopolk, desponsatam Domino David Torstenson de Dacia, & cum ea fugisse in Norvegiam. Hac de causa mense eodem captum esse Dominum Algotum patrem ejus & Dominum Roricum fratrem illius. Alios autem fratres duos, Dominum Petrum Cancellarium, & Carolum, fugisse in Norvegiam, & illic à Rege Norvegiæ esse susceptos. Circa idem tempus captum esse Dominum Valdemarum, quondam Regem Sveorum, & in castro Nycopensi inclusum.* Hæc *Johannes Magnus Lib. XX. Cap. VIII.* hîs verbîs explicat: *Iisdem quoque temporibus vixit in Svecia nobilissimus ille Prutenus Svantopolchus; cujus magnifica beneficia in Cathedralem Ecclesiam Nicopiensem, imò in totam Ecclesiam Svecanam, collata, etiam hodie cum summa laude memorantur. Hujus Svantonis filiam Ingridem quidam Folco, Algothi Vestrogothorum legislatoris filius, raptam ad Norvegiam duxit: ob qvod facinus amici & consangvinei ejusdem Folconis multis periculis vexabantur. Captus enim pater Algothus & frater Roricus, multa incommoda tam à Rege Magno, quàm à patre virginis Svantopolcho, sustinuerunt, cæterîs cognatîs in Norvegiam elapsis, & à Norvegiano Rege conservatis.* Parùm tamen *Eiricus Upsalensis* in anno ſeqvente à ſe diſſentit, dum ità ſcribit: *Eodem annô liberati sunt à captivitate Dominus Algotus & Rorecus filius ejus; Carolus autem frater ejus Roreci in Lindö decapitatus, ubi rapuerat Ingeridem domicellam; Rorecus verò fugit in Norvegiam, ubi & mortuus est.*

Hôc anno Thordus Epiſcopus Grönlandiam repetit: qvi & Rafno Oddi filio Islandiæ Præfecto fatalis exſtitit, ex vulnere lethali in expeditione Danicâ acceptô, cùm Eiricum Regem ſeqveretur, mortuo. Epiſcopus Holenſis Islandiæ Jörundus in patriam redux, ex mandato Archiepiſcopi Jorundi prædia diæceſis Skalholtinæ eccleſiaſtica laicis adimit, qvippe authòritate Archiepiſcopi Epiſcopo Arnio conceſſa. Rolfus qvidam in

Islandiam miſſus, ut viſam inde novam (cujus *Arngrimus* Lib. 3. meminit, & nos infrà ſeqv: Cap:) terram inqvireret.

CAP. V.

REX EIRICUS INSULAS POPULATUR ET REGNUM SCOTICUM AFFECTAT. EJUS IN ANGLIAM ET SCOTIAM LEGATIONES. RESPONSUM ANGLIÆ REGIS. MAGNI SVECIÆ REGIS MORS ET SUCCESSOR. STIGOTUS IN HIELMO SEDEM FIGIT. HROLFUS AD TERRAM NOVAM INQVIRENDAM MITTITUR.

QVartâ Paſchatis feriâ anno 1290. Rex Eiricus triumphantis ſpecie coronam geſtabat, prædâ fortè qvàm victoriâ ê Dania reportatâ elatior. Hôc qvoq; annô eadem iterum aggreſſurus ad Corſuram claſſem appulit; eâ verò fruſtra tentatâ, in Nicopiam ad Holbecham arma vertens, captam utramqve & direptam in cineres redegit. Neq; ampliùs hìc moratus, feſtinatô itinere in Norvegiam rediit; non, ut credunt Scriptores Danici, ob hæraditatem filiæ ſuæ Margaretæ, in Scotico regno poſt obitum avi Alexandri Tertii repetendam: cùm jam à morte Regis Scotiæ qvadriennium integrum effluxiſſet: ſed morte potiùs filiæ Margaretæ, qvæ noſtris annalium conditoribus hôc anno vivîs exceſſiſſe memoratur, revocatus. Cœterùm de hæreditate regni Scotici litem qvidem movit Eiricus Norvegiæ Rex, exiſtimans, ad regulas legum Norvegicarum ſucceſſionem Scoticam dirigendam; ſine dubio, qvòd filia ipſius Margareta in Norvegia nata eſſet. Hanc itaqve ſolam avi Alexandri defuncti ex aſſe hæredem eſſe voluit. De hîs *Pontanus*, *Arnoldum Hvitfeldium* & annales domeſticos, etiam ſcriptores Scoticos, ſecutus, ſeqventia ſcribit: *Injecimus ſuperiùs de obitu Regis Scotorum Alexandri, qui Margaretæ Norvegicæ avus fuit. De eo apud noſtros Scoticosque authores hæc reperi: Alexandrum ſc. poſtquam mortua eſſet Margareta Anglica, ex qua Margaretam item filiam ſuſceperat, nuptam, uti antè indicatum, Regi Norvagorum Haquino, aliis eſt Eirico, qui ex eâ filiam genuit, Margaretam etiam nomine, eundem mox, non uxore tantùm, ſed liberis etiam omnibus, orbatum, Joletam filiam Comitis Druidum conjugem accepiſſe, & intra annum vertentem ab equo lapſo excuſſum, fractîs cervicibus interiiſſe, non procul ab Knighorno, ſolâ ex ejus proſapiâ ſuperſtite hac, quam dixi, nepte Margareta Norvagica. Hæc igitur à morte avi, cùm unica regni Scotici hæres eſſet, mirum haud eſt, reductâ quàm celerrimè è Dania claſſe domum feſtinaſſe, ut indicavimus, ad res ſuas componendas Norvagum. Apud Scotos autem extincto eum in modum Margaretæ avo, conventus ordinum Sconam indictus, ut ibi de novo Rege creando & ſtatu regni componendo ageretur. Edvardus autem Anglorum Rex, gnarus ſuæ ſororis neptem, Regis Norvegiæ filiam, unam ex Alèxandri poſteris eſſe ſuperſtitem, eandemqve regni Scotici legitimam hæredem, legatos ad eam depoſcendum filio ſuo uxorem in Scotiam miſit. Hi cum in conventu procerum multa de utilitate publica, qvæ hoc matrimonium eſſet ſecutura, diſſeruiſſent, Scotorum animos ab ea affinitate non alienos invenerunt. Nec odia vetuſta unqvam commodius aboleri poſſe videbantur,*

tur, qvam si uterqve populus honestis & aeqvis conditionibus in unum coiret: igitur de matrimonio facile est conventum. Adjectæ tantum, utraqve parte approbante, conditiones, ut Scoti tantisper suis legibus & magistratu uterentur, donec ex eo matrimonio liberi nascerentur, qui regni potentes essent. Quod si fortè nulli procrearentur, aut nati ante legitimam regno ætatem decederent, tum regnum Scotorum ad proximè è regia stirpe propinquos transiret. Rebus ità compositîs, legati in Norvagiam missi, viri illustres, & qui summæ prudentiæ apud suos illis temporibus habiti; qui cùm in Norvegiam appellerent, intellexerunt ante adventum suum diem obiisse Margaretam: itaque mœsti re infectâ domum redierunt. Nostri Annales in itinere, & jam suscepta in Scotiam navigatione, circa Orcadum insulas defunctam injiciunt, cùm annus ageretur Christi Servatoris supra millesimum ducentesimum nonagesimus primus, (consentit *Knygton* de eventibus Angliæ, p. 2468.) *Nec moratus Norvagus, cùm accepisset, Edvardum Angliæ Regem, veluti judicem, vel arbitrum potius, à Scotis electum, & ipsos, quem ille juratus Regem pronunciaret, accepturos, suos etiam in Scotiam legatos misit, Andium Harangerum, Henricum Prestium, Pontificis Romani Capellanum, nec non Petrum Algothum, viros omnes eo tempore nobilissimos, ut coram Edvardo causam Regis sui agerent. Existimabat enim Norvagus, secundum jura sui regni, omnium, qui competitores essent, se proximum Scotici regni hæredem censendum, quòd filiæ suæ Margaretæ, quamvìs defunctæ, jus atque hæreditas proximè in se, utpote parentem ejus, recidisset. Petebat præterea à regni Scotici proceribus reditus totius regni quadriennales, ab obitu sc. avi Alexandri usque ad discessum filiæ suæ Margaretæ, regni Scotici legitimæ atque unicæ post avum hæredis. Repetebat similiter impensas, quas ejus nomine, dum apud se esset, & postea, fecisset, cùm ipsam instructâ cum classe transmissurus in Scotiam esset. Qui & Scotiæ indigenas universos centum millium librarum mulctâ afficiendos judicabat, quod non continuò & statim ab avi obitu promti volentesque filiam suam Margaretam regni hæredem Reginamque proclamâssent. Et præter hæc* 700. *insuper marcas Sterlingicas sibi adhuc deberi asserebat, ex dote uxoris Margaretæ Alexandri filiæ, quæ omnia summo jure ad se pertinere, vî præsertim syngrapharum, quas inter Regem Alexaudrum socerum suum & se confectas haberet. Rex, auditîs legatîs, responsi locô quærere cœpit, quo jure aut modo sibi attribuerent Scotiæ regnum, quòd defunctâ sine liberis Margaretâ in aliam stirpem esset devolutum. Responderunt illi, se ulteriora, quàm dixissent, nisi convento priùs Rege ac hero suo, quæ adferrent, non habere: quod ipsum cùm iterum tertiòque ad causam dicendam vocati referrent, Rex Edvardus pronunciavit Johannem Balliolum, qui Davidis Hamtintonii neptem natu majorem tum adhuc superstitem uxorem teneret, exclusô Brussiô, qui ex nepte ejusdem Davidis natu minore erat progenitus, secundum patriæ morem, quô, qui gradu propior est, jure etiam potior habetur, Scotiæ legitimum ac verum Regem habendum. Sententiâ eum in modum pronunciatâ, Norvagos deinde, quod ad cætera ipsorum postulata, quæ regni successionem non attingerent, ad ordines regni remisit* Hanc eorum legationem, de qva tamen Annales, qvos vidi, Scotici silent, referunt pleriqve ad annum à Natali Dn. 1292. Ego verò ad hunc annum referendam existimo, vel ideò, qvòd reditus regni qvatuor annorum à morte Alexandri ad obitum filiæ suæ Eiricus postularet; neqve enim post excessum hujus legatio de successione differri poterat; tametsi satis constet, bienniô pòst Johannem Balliolum Edvardi Angliæ Regis judiciô, Regem Scotiæ pronunciatum. Verùm dum Eiricus oppida Daniæ depopulatur, rebellium Danorum fa-

ctio, terrâ mariqve grassata, Medelfurtum & alia loca diripit partim, partim injectîs ignibus exussit. Scanienses, qvem eodem tempore dicti rebelles interceperant, Alfum Erlingi filium, qvi teste *Eirico Upsalensi* latenter è Svecia fugerat, captum Helsingburgum deportârunt, latâqve per Davidem Thorsteinium Satrapam Drottsetum, seu regni vicarium, sententiâ, rotæ impositum neci dederunt, magnum fortunæ inconstantiæ documentum. Obiit circa hæc tempora Rex Sveonum Magnus, postqvam regno annos tredecim præfuisset. Eum comendant non tantùm pulcherrimæ, qvibus patriam emendavit, leges, sed etiam rara animi pietas, qvâ verbi Divini præcones proseqvebatur; sumopere nimirum contendens, ut de eo *Gothus* scribit, ut nec Dani, nec Tevtones, nec aliæ vicinæ gentes, ipso in Christi Ecclesiam liberaliores prædicarentur. Tradunt qvoqꝫ scriptores Svetici arbitrum eum delectum fuisse inter Reges Daniæ & Norvegiæ, utrosqve homine Eiricos, in causis gravissimîs, qvæ inter eos tum agitabantur; qvas verò Magnus in oppido Calmariensi ità deciderit, ut uterqꝫ Rex justè judicatum fuisse fateretur. Huic Magno filius Byrgerus successit, tum annos vix undecim natus, secundum verò *Eiricum Upsalinum* novem tantùm; ideoqꝫ & Thorgyllus, Regius dapifer, regno interim gubernando â patre Magnô designatus, donec ipse Byrgerus accrescente ætate maturus imperio haberetur. In Dania verò Mareschallus Stigotus, inter rebellium Duces haut postremus, eodem hoc tempore insulam Hielmum ità munimentîs firmam reddiderat, ut ibi in omnem eventum certum parricidæ refugium haberent. Est ea insula exigua qvidem, sed loci naturâ & per se admodum firma; tum & comoda omnibus, qvi è sinu Balthico Norvegiam petunt, nam & portum situs ipse facit, & aqvæ præterea dulcis scaturigines habet, ac deniqꝫ loco edito è mari extans ad vim circumqvaqꝫ avertendam perqvam est oportuna. Cùmqꝫ identidem jam atqve indies à Danis Norvegorum incursiones metuerentur, eâ occasione urbis qvoqve Hafniensis pomæria præsidiis firmata, novîsqꝫ propugnaculîs munita memorantur.

Hôc annô Rolfus ad inqvirendas novas terras missus, delectum in Islandia habuit eorum, qvos itineris socios sibi adsciscеret; prudenter qvidem, me judice, qvocunqꝫ tandem impedimento successum rei frustrante. Vicinior enim Islandia istis terris, qvàm Norvegia est, faciliùs qvoqꝫ comeatus & alia navigationi necessaria suppeditabit, qvæ breviore hinc intervallô, repetitis itineribus, peti possunt, cùm contrà pars aptissima anni longinqvis navigationibus dilabatur. *Arngrimus* hæc ad annum superiorem refert: cujus hac de re sententiam ex *Crymogeæ L. III.* excerpere haut pigebit. *Annô 1285. visa est nova insula ab eo Islandiæ latere, quod Lybonoto opponitur, ad quam insulam investigandam Rolfo quidam à Rege Eirico missus est, anno 1288. qui anno 1289. ad istam navigationem suppetias ab Islandiâ exegit, anno 1295. mortuus. Nec contigit in annales nostros referri de nova illa terra quicquam ulteriùs, repertane sit & occupata, an secus, nisi quòd à terræ istius vel plurimum forsan inquisitione Rolpho prædictus cognomen traxerit Landabrolfr: unde conjicere vix queo, quænam sit illa Frislandiæ insula, nisi fortè illam esse putemus, quæ hodie à quibusdam Frislandia dicitur, ad qvam Nicolaus Zeno Venetus anno 1280 (alii anno 1380) naufragium fecisse perhibetur; De qvare Johannis Myritii verba hæc sunt. Est & Frislandia insula quoque (cum Islandia) in hoc oceano sita, cujus apud neotericos Geographos nulla fit mentio, præterqvam unum Nicolaum Z. Venetum, qvi anno Christi 1380 variis diutinisque in hoc oceano jactatus procellis, tandem naufragus ad hanc insu-*

insulam Frislandiam appulit. Hic tradit hanc insulam Regi Norvegiæ obedire, majoremque esse Hibernia, ejusque primarium oppidum ejusdem esse cum insula nominis, incolasqve ut plurimum piscationibus rem facere; capitur enim in ejus portu tanta omnis generis piscium copia, ut inde multas onerent naves. Myritius in opusculo Geog: anno 1590. edito.

Hanc Frislandiam Rumoldus Mercator in sua Europa delineavit. Nisi autem Mercator & forsan alii hanc Frislandiam in suis Mappis delineassent. &, si conjecturæ hic aliqvis locus, ego illam Zeni Frislandiam crederem esse Islandiam, & eum in lingva adeò peregrina similitudine nominis falsum, & ad Islandiæ litora naufragum factum esse. Cur autem id existimem, ex ipsius narratione duo me movent, prius, quamvis levius, de piscium copia, quæ & incolis sufficiat, & extraneas multas naves oneret: nam iisdem ferè verbis Isl: pisatum Scriptores tradere solent. Alterum, quod si illa Frislandia aliqua talis extaret, non tamen Historiæ rerum Norregicarum est consonum, quæ insulam in isto mari Island. Norveg. Regi subjectam præter solam Island. nullam agnoscit: nam Grönlandia Regibus Norvegiæ olim parens versus Lybonotum magis sita, ut situ, sic nomine, multùm ab Islandia differt. Terram verò Landa-Rolfoni quæsitam existimarem esse Vinlandiam, olim Islandis sic dictam, de qua alibi; insulam nempe Americæ, è regione Grönlandiæ, quæ fortè hodie Estotelandia. Sed cùm Rumoldus, & si qui alii, Frislandiam suam non solùm commemorent, sed etiam à situ utroque describant, promontoriorum, sinuum, & habitationum, aliorumque locorum propriis nominibus appositis; verisimile est, eos alia, quam Zeni illius narratione, ad rei cognitionem niti: quorum idcirco sententiam in dubium vocare non magnopere conor. Quod si ista Frislandia talis sit, & Islandiæ quàm aliæ terræ vicinior, eandem Landa-Rolfoni quæsitam statuemus.

Hôc annô Nidarosiæ Episcoporum conventum habitum esse Annales tradunt.

CAP. VI.

RESTITUTA CLERICIS ISLANDIS DE PRÆBENDIS PRIVILEGIA. PAX INTER REGEM ET EPISCOPOS INITA. REGIS EIRICI NUPTIÆ. PACTA INTER NORVEGOS ET GERMANOS. QVARTA REGIS EIRICI IN DANIAM EXPEDITIO. DE SOPHIÆ DUCIS UXORIS GENERE. PAX ET EJUS CONDITIONES INTER REGES. CONVENTA INTER ARNIUM EPISCOPUM ET LAICOS ISLANDIÆ.

EX Norvegia anno MCCXCI. rediit Arnius Skalholtensis Episcopus, jure præbendarum ecclesiasticarum clericis restituto: id enim gratiæ apud Regem meruerat, per aliqvot annos aulam ipsius sectatus, qvòd præbendarum jus postea per decretum Regium declaratum, atqve in hunc modum confirmatum legitur; *ut laici tantum earum ecclesiarum potestatem & jus haberent, quarum ipsi fundos dimidios, vel ultra, possiderent, reliquæ omnes in Episcoporum manu & potestate essent. Datum Agvalldznes in festo exaltatæ S: Crucis, anno MCCXCV. per manus Finnonis & Jonæ, hujus amanuensis, illius Secretarii.* Hic annus ut inter Regem & Episcopos Bergis concordiam reduxit, ita inter Archiepiscopum Jörundum & Canonicos Nidarosienses eandem turbavit.

Anno

Anno MCCXCII. Nicolaus Qvartus Papa, cum sedisset annos IV. mensem I. moritur qvarto Kal. Aprilis. Ab ejus morte, propter continuas Cardinalium in eligendo novo Pontifice dissensiones, sedes Pontificia vacat annis II. mensibus III. Sancti Thorlaci Episcopi Islandiæ diœcesis Skalholtinæ ossa scrinio solenniter imponuntur. Redierunt in Islandiam Episcopus Jorundus, Dominus Thordus Halli filius, Dominus Petrus de Moi, & Christophorus Vilhelmi filius, cum literis Regiis, qvibus laicis prædia Ecclesiastica & possessiones eodem jure recipere & retinere permittitur, qvod in ea habuerunt, anteqvam in ditionem regni Norvegici concesserant. In Islandia multi tum temporis in expeditionem Hierosolymitanam cruce signati. Dominus Thorer Episcopi filius corpus Comitis Alfi Helsingburgo Tunsbergam transtulit.

Hoc eodem anno Dux Hacon Regis frater constitutionem de ovibus Færeyensium, novem regulis comprehensam, condidit, hancqve ipsis per antistitem Færeyarum Erlendum transmisit, qvi *Annalib: Flat:* Anno MCCLX. *Hvitfeldio* LXX. inauguratus est. Eam verò constitutionem observandam Serenifs: Daniæ & Norvegiæ Rex CHRISTIANUS QVARTUS Anno MDCXXXVII. die 24. Febr. Anderskovii confirmavit. Unde facile colligitur, insulas istas in divisione regni Haconi, sed ducali tantùm titulo, regendas obtigisse. Hìc clarifs: *Debes* duos qvidem notat errores, in dicta constitutione Haconis hodie occurrentes: sed neutrum pari felicitate emendat, nullâ suâ cupâ. Interiit namqve avtographum veteri lingvâ conscriptum, cujus tamen partem Codicis Norvegici versioni, Anno 1586. descriptæ, adjunctam ad manus habeo. Sed ab istius lingvæ ignaro exaratam, atqve ideo corruptam: qvæ tamen nullo negotio a perito restitui potest. Cæterum annus, qvo primùm hæc data est, in apographo corruptissime suffixus legitur: & mirum, cum confirmaretur, non fuisse correctum. inscribitur MXL. Ducatus Haconis XIX. Errorem *Debes* facile Cap. IV. p: 196. observavit, non item feliciter emendavit: paulo enim post cæsum Carlem Mærschium hunc, qvem vitiosè præfert Diploma, annum subsecutum notat, duodecim scilicet annorum intervallo. Cæsus enim erat Karl Anno MXXVIII. Deinde recte notavit, Haconum nemini Ducatum in Norvegia præter hunc contigisse. In eo autem lapsus est, qvod annos Ducatus ipsius cum annis regni fratris Eirici confudit. Existimavit enim, Haconem tunc primò Ducem creatum fuisse, cum frater Eiricus in regnum patri Magno, Anno nimirum MCCLXXX. succeffit: verùm nescivit (neqve enim hoc scire poterat) Magnum se vivo Eiricum Regem, Haconem Ducem, Anno MCCLXXIII. creasse: id qvod Annales nostri unanimi consensu testantur, ab eo igitur anno calculus Ducatus ejus subducendus est, inciditqve tum 19. in annum salutis MCCXCII. non, ut ille putat, nonagesimum nonum. Hæc verò ipsa qvoqve annus, qvô inauguratum constat Episcopum Erlendum, valde confirmat, de qvò, si placet, index Episcoporum Færeyensium ad calcem *Færeyarum nostrarum* inspici poterit. Alterum verò mendum Cap. VI. p. 274. ab eo notatum apparens tantum est, non reale: nam ex contextu ab interprete haud satis intellecto promanavit. Articulum enim qvintũ ita exposuit, ut *si quis in communibus pascuis ovi alterius, possessore inscio, suam impresserit notam, id clanculum seu dolo fecisse existimetur, possessori secundum sententiam judicum multam pendat, regi vero tres argenti uncias, si ovis unciâ æstimetur: sin minoris, habeatur vir minor.* id qvod *Debesium* offendit, qvod culpæ minori major pœna sit irrogata, nimirum existimationis labes. Verum authenticum Huinnstu habet, notamqve aliqvam, (nec tamen ut talium

lium convictus protinus infamis & intestabilis habeatur) significat, censoriam forte virgulam, qvâ ob illatam sibi fortè in posterum injuriam tantæ satisfactionis capax non censetur, qvantæ cum integer esset & criminis ejusmodi purus. Illustrat hunc locum codex legum Norvegic: Christiani Qvarti. *Mannhelge-Balk* Cap. XXV. & *Tiufe-Balk* Cap. XI. item vetus codex Gulathing: *Mannhelge-Balk* Cap. XXIX. & *Tiufe-Balk* Cap. XI. ubi de surreptione canis, felis, cultri & zonæ, rerumqve intra unciam valoris, agitur, qvæ nec furti nomine censentur, sed leniori voce Hvinnska notantur: quorum manifestus damnatus duas Regi uncias, unam possessori pendere tenetur, adjecto titulo, qvô *vir pejor* appellatur, id est, minus honestus.

Anno MCCXCIII. Rex Norvegiæ Eiricus Isabellam Scotam, Domini Roberti filiam, neptem Comitis Roberti de Brus, uxorem duxit. *Wormius* Prussiæ Ducis filiam fuisse tradit, unamqve ex ea filiam sustulisse. Annales Flateyenses corruptissimè Brunsvicensis (pro Brus) Ducis filiam habent; vetustissimos ego fidem mereri opinor, qvi è Scotia advenisse volunt: atqve ità Roberti Carictæ Comitis filia, non neptis, fuisse videtur, sororqve Roberti Brusii, qvi exinde in Scotia regnavit. Etiam hoc anno laici in Islandia, mandante præfecto Thorvardo Thorarini filio, prædia Ecclesiastica receperunt. Missi in Islandiam Dominus Petrus de Heidio, aqvilonari qvadranti præpositus, & Dominus Lodinus de Backio, exulatum eodem profectus. Fatalis Marescallo Stigoto perduellium principi hic annus fuit. Eodem anno Dux Hacon Heidmarkiæ & Thotniæ insulis qvædam privilegia impertivit, qvorum hic est sensus. *Hacon Dei gratia Norvegiæ Dux, Regis Magni Coronati filius, omnibus Heidmarchiæ & Thotniæ incolis Dei suamque salutem. (I.) Præfectos nostros prohibemus mulctam nostro nomine sumere, priusquam læso satisfactum sit. (II.) Ne iis, quæ ad causam dicendam citati sunt, veniam domi remanendi concedant. (III.) Ne præfecti aut Satrapæ ullum ad nomophylacem citent, nisi is in eadem provinciâ, quâ citatus, resident. Sed nec sic quidem, nisi civis pronuncialis antè legitimè in foro competenti appellatus causam dicere noluerit. (IV.) Ne indictæ hactenus pro verbis maledicis mulctæ mitigentur, cùm ex talibus maleficia & homicidia ut plurimum oriantur, præcipuè in conventibus & conviviis. (V.) Si malevoli & contumaces innocentes opprimant, & læsus se ipsum ante juris processum ulciscatur, nec ultio læsionem exsuperet, ultor innocens censetor. Si verò ultio gravior sit, quàm pro delicti quanititate, clementiâ & judicio nomophylacis & virorum prudentum satisfactio temperetur. (VI.) Rustici in eadem provinciâ nati, si prudentes sint & bonis moribus, Satrapæ ad defensionem plebis creentur. (VII.) Nolumus eos, qui juramentum nobis præstiterunt, avarorum & vafrorum more, plebem legis imperitam technis ullis decipere. (VIII.) Peracto foro generali, senatus-consulta & novæ constitutiones publicè à præfectis & Satrapis recitentur, sub remotione ab officio, si hæc omiserint. (IX.) Viarum publicarum insessores & circumforanei, qui equos viatoribus eripere solent, si vulneribus aut plagis, nec tamen ad mortem, afficiuntur, inulti sunto, nec satisfactio à vulnerante exigitor. Custodiuntur hæ literæ fideliter Hamræ, anno Christi 1293. Ducatûs verò nostri 14.*

Qvæ in expeditione qvartâ Eirici Regis in Daniam hôc annô gesta sunt, cogimur scriptoris Danici verbis, nostrorum destituti memoriis, enarrare. *Conventus prope Varbergam*, inqvit *Pontanus*, *decretus, in loco, qui Grodera dictus est: quò licèt Regum uterque Daniæ Norvegiæque dictâ die ad pacem feriendam convenirent, parùm tamen aut nihil, quod ad sarciendam amicitiam faceret, peractum memoratur; nam & Rex statim Norvagorum,*

comparata classe, armis virisque instructissima, quæ expeditionem ejus navalium in Danos quarta fuit, mare vicinum ingressus, maxima indigenis detrimenta intulit; nec tamen ipse, nec qui ei conjuncti semper adhærebant, regni perduelles, in terram tum egressi fuerunt, sed naves quascunque negotiatorum aliorumque obvias sibi habuere adorti, iis captis vel spoliatis, nautis etiam vel cæsis, vel necatis, ac navibus igne subinde injecto, multiplex damnum regno dedere.

Anno MCCXCIV. Cum sedes Pontificia biennium jam & III. menses vacâsset, eligitur Papa Petrus de Murone, die 5. Julii: qvi voluit se Celestinũ V. vocari. Is, qvia homo simplex erat & genere vitæ eremita, persvasus â Benedicto Cajetano Pontificatu se abdicat, cum Cardinales qvosdam creasset & legem tulisset, licere Pontifici, si vellet, Pontificatu se abdicare. Facta est hæc abdicatio die 13. Decembris, cum sedisset menses qvinqve & dies septem. Electus in ejus locum, vespera nativitatis Christi, ipse Benedictus Cajetanus: qvi postea Bonifacius VII. dictus, sedit annis 8. mensibus novem. Inter prima ejus opera hoc fuit, qvod Celestinum iterum in eremum tendentem ceperit, & toto biennio in captivitate detinuerit.

Vislaus Rugiæ Princeps Hisingiam hoc anno incendit. In Islandia ante festum Gregorii terræ motus ingens non modò villas concussit, sed etiam flumen ingens, nomine Ranga, alveo proprio emotum, aliò transtulit; aqvæ etiam fontanæ in Flagbiarnarholto per universos octo dies lacteum sibi colorem visæ circumdedisse. Rex Daniæ Eiricus Hisingiam cum copiis qvibusdam ingressus, partem Norvegis subjectam eodem, credo, Visislafo duce, igne delevit, moxq; Hallandiâ septentrionali, ditione Jacobi Comitis, direptâ, Hunehalsum & alia munimenta obsidione cinxit, nullô tamen in præliis successu. Sub idem tempus vir magnæ dignitatis Rasmus Jonis filius captus in potestatem Danorum pervenit.

Hoc anno vir qvidam, nomine Thrandus, cognomento Fisilier, in aula Eirici inter peregrinos artifices, qvorum haud pauci tum ibi erant, versabatur. Is festi Natalitiorum tempore jussus qvoddam militaris specimen edidit crepitu pœnè horendo (herbrest vocant) qvi vehemens adeo & acutus fuisse perhibetur, ut pauci illius vim sustinerent: mulieres enim gravidæ hoc audito abortire, viris genua succidere, & variè alii affici solebant. Hunc Laurentius Kalfi Kaggii filius, qvi postea diœcesis Holensis Episcopus factus est, familiarem sibi fecit; qvi prius qvam hunc ludum ederet, monuit eum ut digitis aures obturaret, ne soni istius vehementâ nimium percelleretur. Ad illum verò edendum res tantùm qvatuor reqviri, eidem exposuit, ignem nimirum, sulfur, pellem vitulinam, & stupam; usum autem in bello egregium præstare, ut cum improvisus intonaret, hostes attoniti protinus in fugam se verterent. Et hoc qvidem artificium, ante inventas bombardas paucis notum, præter horrorem subitum nihil vulneris aut damni dedisse videtur; dignum tamen memoratu, qvod sine nitro tantum efficere potuerit. Idem hic Laurentius Dominum Petrum de Eidio, septentrionalis Islandiæ qvadrantis præfectum, in Norvegiã comitatus, postqvã cum eo apud Regem, qvi tunc Bergis degebat, convivio sæpius exceptus esset, cunctisqve in aula eruditionem suam probâsset, ad Archiepiscopum Jörundum profectus est, inter qvem tum & Canonicos Nidarosienses lis ingens vigebat, nam & hi identidem ab illo ad Pontificem Max: provocantes, non desistebant ei negotium facessere. Ideoqve Archiepiscopus viris Ecclesiasticis, præcipue tamen legum peritis, usus erat. Unum tum erat nactus, nomine Johannem, natio-

natione Flandrum, qvi Lutet. Parisiorum & Aureliæ studuerat, virum juris, supra omnes, qvos tunc Norvegia habuit, peritum, atqve hoc nomine Archiepiscopo apprimè utilem; minus tamen qvàm rerum ipsius status postulabat, cum Norvegicæ lingvæ rudis animi sui sensa explicare vulgo neqviret. Latinè enim & Gallicè & Flandricè loqvebatur. Oportunè igitur Laurentius, vir Latinè doctus & in patria lingva eloqvens, id temporis ad Archiepiscopum accessit, commendatus ab Episcopo Holense Jörundo. Cumqve specimen eruditionis suæ carmen à se in honorem Hallberæ Abbatissæ Reinestadensis Latiali sermone compositum exhibuisset, laudavit qvidem illud Archiepiscopus, sed simul hortatus est, ut omisso pöeseos studio juri Ecclesiastico operam daret: *An nescis*, inqviens, *quòd versificatura nihil est nisi falsa figura*? Cui alter respondit; *non te, Domine, latet, quod versificatura nihil est nisi maxima cura.* Mox Archiepiscopus accersito Johanni Flandrio eum commendavit, utqve juris Canonici scientiam illi qvàm maximâ posset diligentiâ traderet, præcepit, magnum opere præmium magistro pollicitus. Mox conversus ad Laurentium: *Tu vero*, inqvit, *quare rubras vestes geris, Ecclesiasticis prohibitas*? Cui ille, *quia nullæ mihi aliæ suppetunt.* Accersens igitur famulum Archiepiscopus, submissâ voce jussit illum nigras afferre: qvi paulo post reversus, egregias, qvibus ipse Archiepiscopus usus erat, retulit, iisqve jussit ut festis diebus uteretur; pecuniam autem apud œconomum sumeret, ad alias cæruleas in usum qvotidianum emendas, rubras autem famulo suo dare mandavit, sede præterea ei, nempe in sella œconomi, proxime Johannem Flandrium assignatâ. Sæpius deinde ejus operâ in dissidiis canonicis, cum ingenii ipsius alacritatem & fidem satis perspectam haberet, usus est: inqve amoris, qvo eum proseqvebatur, documentum, Dominica Lætare anno MCCXCVI. ædi S: Olafi, qvæ tunc vacabat, ultrò eum præfecit. Inserenda hic nobis est Constituto Regis Eirici, & fratris ejus Ducis Haconis, Anno MCCXCIV. Tevtonibus data:

In nomine Domini, Amen. Nos Eiricus Dei gratiâ Rex Norvegiæ, & Hacon eâdem gratiâ Dux Norvegiæ, notum facimus universis, qvod veniente ad præsentiam nostram apud Tunsberg circa festum Pentecostes sub anno Domini 1294, discretò viro & honesto, Johanne Runesse, nuncio & procuratore civitatum Lubec: Rigæ & Tevtonicorum in Visby, inter nos & subditos nostros & dilectos nobis cives Bremenses ex parte unâ, & prædictas civitates, nec non & civitates Campen, Staveren, Wismer, Rostock, Stralsund, Gripsvoldt, Stetin & Tangelem ac earum incolas ex altera, taliter exstitit placitatum, qvod causæ contra nos & subditos nostros motæ, qvæ propter aliqvorum absentiam, actorum videlicet, vel reorum, ad præsens discidi non poterant justo modo apud prædictam villam Tunsbergensem, qvoad illos, qui sunt ex parte australi Lidandisnesiæ ac Bergis, qvoad illos, qvi ex parte altera commorantur, circa festum Beati Johannis Baptistæ proximò futurum tractari debent, & legitimè definiri. Promisit nobis insuper suprascriptus procurator & nuncius, nomine procuratorio civitatum prædictarum, qvod nobis & subditis nostris ac civibus Bremensibus debet justitiæ complementum fieri super causis & querimoniis, quas habemus contra dictas civitates, vel earum aliqvas, aut aliqvam, sev incolas earundem, qvandocunque consules civitatis contra quam, vel contra cujus incolas, movebuntur qverimoniæ, fuerint reqvisiti. Debet insuper inter prædictarum civitatum ac Bremensis civitatis incolas, sicut inter nos & ipsas civitates, esse vera concordia & stabilis amicitia, ubicunqve convenerint; fruiqve debent hinc & inde libertatibus & immunitatibus, qvas hactenus ullo tempore libe-

liberius habuerunt. Ad hæc compositionem Calmarniæ factam inter nos & supraſcriptas civitates firmiter obſervare volentes, & inviolabiliter eandem tenore præſentium confirmamus. Volentes inſuper dictarum civitatum incolas univerſos, qvi regnum noſtrum mercandi cauſa tanqvam hoſpites duxerint frequentandum, amplioribus privilegiis munire de gratia ſpeciali, ut cognoſcant ſe ad noſtra beneplacita eò fortius obligatos, eisdem infraſcriptas gratias decrevimus liberaliter concedendas, in primis qvod cum ad civitates vel villas forenſes regni pervenerint, licitè poterint ad pontem applicare, Balivi Licentia non petitâ. Debent tamen eadem die vel ſeqventi proximâ, poſtquam ad pontem applicaverint, inſinuare balivo noſtro, quas & quales res apportaverant, ac res easdem transferendi de navibus infra domos licentiam petere, quæ non debet eis aliqualiter denegari. Hoc adjecto, quod Balivus noſter res illas, quas nobis credit neceſſarias, primitus emat infra triduum juſto pretio, & ſolvat pretium tempore debito pro eisdem. Qvod ſi Balivus non fecerit infra triduum, vendant poſtea liberè cuicunque. Poſtquam autem infra civitatis & villæ forenſis diſtrictum, qui Takmark dicitur, pervenerint, debent res ſuas venales ibidem vendere, alioquin easdem ducere poterint, quocunque voluerint extra regnum & infra, non tamen ut intra Bergas verſus partes boreales, niſi hoc alicui de ſpeciali gratia concedatur. Item de qualibet nave annonam deferente, adq; civitates vel villas forenſes regni veniente, dabitur unum melius talentum annonæ in eadem exiſtente pro telonio, quod procurator noſter eligendum duxerit, excepto flore tritico, quod Flur in Norico nuncupatur. Debent etiam eſſe liberi de trahendis navibus, niſi noſtris. Si quis autem infra regnum Norvegiæ deceſſerit, bona ſua debent hæredi vero & ejus procuratori legitimo reſtitui, ſuper hoc teſtimoniales patentes civitatis literas deferenti, de qua fuerat, qui deceſſit, infra annum ſc: & dimidium poſt diem obitus decedentis. Item ad oſtendendum arma ſua, vel ad ſequendum fures ad patibulum, (ſic ſeculi mos erat) *vel alios damnatos ad mortem, non tenentur. Item pro ſolutione, quæ dicitur Leidangur, immunes debent eſſe, qui ante feſtum nativitatis Dominicæ cum navibus ſuis ſunt ad viam expoſiti, & de ſuis mercimoniis penitus expediti, quod ſi poſtea vi tempeſtatis compulſi fuerint moram contrahere in aliqua civitatum vel villarum regni, nihilominus immunes eſſe debent â tributo, dummodo mercantiam ſuam emendo non exerceant, vel vendendo. Item merces ſuas in domibus civitatum vel villarum forenſ: reponere valent, ubi eis videbitur oportunum, dummodo non alienent easdem alibi, quam in locis ad hoc ſpecialitèr deputatis. Item naves proprias locare poterunt aliis ad loca licita, ſicut præmittitur, navigandas, nec ad conducendum naves aliorum aliquatenus compellantur. Item ſi quis ab aliqvo ſuper cauſa pecuniaria, vel levi crimine, pro quo pecunia ſolet ſolvi, per modum illum impetitur, qui Takſetning in Norico appellatur, poteſt illud Tak ferre cum domeſtico & duobus compatriotis ſuis, navem propriam habentibus juxta pontem, ad recedendum minimè præparatam, quæ ad cautionem ſufficit pro quantitate petita vel emenda, ſecundum qualitatem terminis exhibenda. Item ad nocturnas vigilias & excubias non tenentur, nec in ciſta cujuspiam debet fieri ſcrutinium, niſi contra eum de falſo probabilis oriatur ſuſpicio, vel de furto. Præterea volumus, quod pondus appellatum pundari in publico loco ſub fida cuſtodia ponatur, ut ad illud eis liberè pateat aditus, ſi aliqva voluerint ponderare, ac in eadem haberi debet gravitate, ſicut ab antiqvo fuerat, & in legibus continetur. Item ſi naufragium paſſi fuerint, infra terminos regni noſtri res ſuas per ſe vel per alios colligere valeant, & rebus ipſis & navibus uti pro libito voluntatis, donec easdem res & naves abdicaverint voluntarie, vel habuerint pro dere-*

derelicto. Item si quis nautarum delinquit, puniatur ipse legitimè, sed non alii innocentes pro eo, nisi quatenus puniendi sunt illi secundum leges patriæ, vel loci consvetudinem, in quo delictum comprobatur esse commissum, qui judicio scientèr subtraxerint deliquentem, vel defensaverint violentèr, nec privatæ personæ delictum alicui civitatum imputabitur, nisi justitiam facere neglexerit requisita. Quisquis etiam pro causa aliqua fuerit accusatus, quæ contra ipsum legitimè nequeat comprobari, debet, si poterit, cum personis idoneis, consimilibus quoad statum & conditionem, incusatis, quæ veritatem rei, de qua quæritur, magis creduntur agnoscere, secundum arbitrium Legiferi, prout delicti qualitas exegerit, se legaliter expurgare. Alioquin in purgatione deficienti pœna conscripta legibus infligatur. Item in causa criminali vel civili, quando actor intentionem suam fundare voluerit, & testes producere, non nisi bonæ famæ & idoneæ personæ in testimonium admittantur. Hæc itaque omnia & singula superius expressa talitèr duximus concedenda, si libertates omnes ab eisdem civitatibus concessæ hominibus nostris, necnon & compositiones inter nos & dictas civitates factæ, ab eisdem firmitèr observentur, & quatenus de injuriis damnisque nobis & subditis nostris, cæterisque fautoribus nostris, ab incolis dictarum civitatum illatis, cum requisiti fuerint, satisfactum fuerit cum effectu. In horum igitur testimonium & evidentiam pleniorem sigilla nostra præsenti privilegio sunt appensa. Præterea, si quis mercatorum in Norvegia merces emptas à Tevtonis, datis arris, quas vulgaritèr vocant festepening / *secum eodem die, quo emerit, non asportat, licitum est ei, cujus illæ merces fuerunt, eas vendere postea cuicunque, exceptis his, quæ ad usus nostros necessariò sunt emenda. Datum Tunsbergæ anno supradicto, in Octavis Beatorum Petri & Pauli Apostolorum, anno regni nostri quinto decimo.*

Huic subjiciemus alium Contractum, (ut vocatur) inter Tevtones & Norvegos initum, hoc modô:

Omnibus has literas inspecturis, vel audituris, Prætores, Senatores, populusqve urbium Lubecæ & Rigæ, Germaniqve urbis Visbuæ incolæ salutem. Notum facimus omnibus, qvòd seqventem amicam compositionem sanciverimus, inter potentissimos Principes, Eiricum Dei gratiâ Regem Norvegiæ, & Haconem eâdem gratiâ istius regni Ducem, & eorum subditos, & incolas urbis Bremensis ab una parte, & ab altera prædictas urbes, ut & illas, qvæ mari adjacent, Rostochiam, Stralsundam, Gripsvoldam, Campos Staverniamqve, anno Domini 1294. tempore Pentecostes, per Jonam Ladenasium Senatorum Prætorumque Lubecensium legatum, urbiumqve reliquarum legatos, huc missos, qui eundem pacificum contractum literis suis sigillis obsignatis confirmârunt in hunc modum. Prædicti Principes Rex Duxqve Norvegiæ, eorumque subditi, urbisque Bremensis incolæ, qvotiescunque vel omnes prædictas urbes vel earum unam, vel plures, vel eorum incolas unum, vel plures, lite conveniunt, coram istius urbis Senatoribus jus suum consequentur, interqve incolas & cives urbis Bremensis firma & constans amicitia, paxque mutua, qualis olim, permanebit. Pacificum igitur contractum, qui Calmarniæ inter regnum Norvegiæ & nostras urbes coaluit, inviolatè servari volumus, & his sequentibus confirmamus, ut Norvegi, qui commerciorum causâ nostras urbes adeunt, hîs privilegiis proinde gaudeant. Primò, ut merces suas in domos urbis, ubi placet, exponant, ne tamen alibi vendant, qvàm legibus definitum est. (2.) Naves suas cuilibet locare permissum est, nec ad alias conducendas adigantur. (3.) Si quis Norvegus judicio ob mulctam pecuniariam ex delicto minùs gravi conveniatur, hospitis sui duorumque Norvegorum, qui naves in proprietate habent, nec navigationi accincti sunt, fidejussione, ne compedibus constringatur, se liberabit, & si con-

si constrictus fuerit, eximetur, tali satisdatione accepta. (4) *Quod si Norvegi intra urbium nostrarum jurisdictionis terminos naufragium fecerint, integrum iis erit, navem mercesque liberare, donec dereliquerint.* (Sensus est, semel derelictas ex intervallo repeti non posse) (5) *Excubiis agendis non teneantur, nec scrinia eorum absqve evidenti causa invisentur, ni falsi aut furti grandis suspicio intervenerit.* (6) *Si quis mercator deliquerit, solus multam luet, pro singularum urbium consvetudine, nec ad alios pœna transeat, nisi deliqventem subduxerit, aut temerè propugnaverint.* (7) *Si Germanus quisquam â Norvego merces, arrâ datâ, emerit, nec eodem die avexerit, possessor post unius diei intervallum impunè vendet.* (8) *Nemo peculiariter apud Regem, aut Ducem Norvegiæ de quoquam postulabitur, ni tergiversatio juris reddendi interveniat. Ex nostra parte hæc omnia bona fide præstabuntur. Hæ literæ sigillo urbis Lubecensis obsignatæ sunt.*

Anno 1295. exorta iterum inter Regem Eiricum & Ducem Valdemarum lis magna, qvòd existimabat Rex illam procerum concessionem, qva Duci Alsa, Arra, Fimbria, aliæqve regni insulæ, cum regni tutor declararetur, transcriptæ fuerant, minus ex æqvo ac bono factam, & standum potius parentis sui, qvam de ea controversia tulerat, sententiâ, eiqve occasioni haud defuit Rex Norvegiæ, unà cum regni perduellibus, sicuti nec ipse Valdemarus: sed facto confestim inter se fædere, ac junctis viribus, de novo minitari Daniæ cæperunt. Frater etiam Ducis Valdimari, Dux Langelandiæ Eiricus, ductâ in conjugem Sophia, qvæ matris Norvegiæ Regis ex sorore neptis erat, nata scilicet ex Sophia Danica & Valdimaro Sveco, qvem mortuum in custodia constat, firmiori se eorundem amicitiæ innexuit. Hanc Sophiam me non latet authores domesticos Valdemari Svetici viduam asserere, matrisqve Norvagiæ Regis sororem. Sed id qvomodo potuerit, cùm eâ, ut ipsi fatentur, defunctâ, nova post ejus obitum connubia Valdemarus contraxit? Inter memoriæ itaqve hoc sphalmata habendum, & pro Sophia vidua Valdemari filia substituendum, etiam in tabulis Ducum Slesv: geneal. Et Islandorũ Annales tam Flat: qvã vetustiores, papyracei qvoqve, qvos ad manus habeo, disertis verbis Agnetam eam nominant, & materteram Eirici Norvegiæ Regis faciunt; qvicqvid *Pontanus* hic divinaverit. Illam qvidem *Celeberrimus Lyscander Stemmatographiæ R.D. p.229.* nunqvam nupsisse asseverat: verum haut minor mihi, qvam *Pontano*, de Sophia Regis Valdimari vidua dubitatio oboritur, qvi nempe illa, monialem qvippe, ducere Dux Eiricus potuerit. Suspicor fuisse Sophiam, cujus in nostris Annalibus mortem adhuc notatam non invenio; nam ex Episcoporum literis ad Magnum Seciæ Regem, Valdimari fratrem, qvas *Eiricus Upsalensis* Lib. 3. pag.70. exhibet, planum est Valdemarum eam repudiasse. Nihil igitur obstat, qvò minus iterum nupserit, illud enim de morte ejus *Hvitfeldio* & *Pontano*, sed in annis dissentientibus, observatum, mendum forte est. Eqvidem & nostræ sententiæ adstipulatur *Lyscander Gen. R. D. pag. 232.* In seqventibus narrationem *Pontani* perseqvor.

Valdimarus Dux tempori serviendum ratus, nec diu deliberatione habita, cum classe armata in mare prodiit. Et Rex vicissim civibus non modo sed & monasticis etiam hominibus, censu indicto, classem similiter eduxerat, quæ Ducis copiis in freto, quod Grönsundt appellant, obviam facta oppressit, ac pessundedit universas. Valdimarus vero occasione belli, quod immineie existimabat, Gotorpium antea disjectum exædificare de novo ac fossis circumqua-

qua

qua incingere, additis etiam vallorum propugnaculis, curæ habuit. At Rex assidue tum Hisingavelæ agebat, ubi amicabilis inter ipsum & Regem Norvagiæ conventus erat indictus. Qvo tamen tempore aut loco, quia res componi in totum nequiit, induciæ hyemales pactæ, ut sub annum nimirum proximum Egeholmæ prope Schels-öram ad pacem firmitèr ac semel constituendam conveniretur. His induciis comprehensi sunt à parte una Rex Eiricus ejusque frater Christophorus, cæterique amici ipsorum ac subditi; à parte vero altera Norvegiæ Rex cum sociis ejusdem ac subditis. Dum autem eæ induciæ durarent, liberum esset unicuique ad causæ suæ defensionem testimonia conquirere, commeare per alterutrius regna ac territoria, in iisque negotiari ac commercia exercere, exceptis perduellibus. Rex Norvagiæ ut possidet, ita quæque bona ac hæredia materna possidebit, quæ autem ulterius ad se pertinere judicabit, de iis secundum leges ac statuta regni municipalia pronunciabitur. His infrascriptis Comiti Jacobo, Nicolao Canuti, Petro Jacobi, Nicolao Hallandzfar, aliisque eorum sociis, cujusque status ac conditionis sint, qui è Dania in Norvegiam, quamcunque etiam ob causam, profugerant, sicuti & defunctorum hæredibus, liberè intra Daniam commorari permittebatur; tantum ut ii, qui rei pronunciati erant Regiæ cædis, caverent, ne in Regis aut Ducum Christophori ac Valdimari conspectum progrediantur: si tamen id casu contigerit, tum ex consanguineis ipsorum duodecim jurejurando testarentur, studio ac deditâ opera factum non esse. Bona eorum in fiscum redacta Rex restitui curabit. Norvagiæ Rex sibi servabit Hielmum ac Huneshalsam. Captivi utrinque dimittentur, nova propugnacula nulla excitabuntur. Nulla etiam vectigalia extrordinaria, sed tantum consveta, exigentur. Eiricus Dux Langbenius, frater Valdimari Slesvicensis, bona quæcunque in regno Daniæ sunt sita, pertinentia ad conjugem ejus Sophiam, quæque illi hæreditate obvenerunt, ex Regis Erici sororibus Juditha & Agnetha, ea cuncta recipiet. Si quis alius in easdem possessiones aliquid prætenderet, cum eo jure agere tenebitur. Eiricus autem australis Hallandiæ Dux Canuti Ducis filiam, quæ ad ipsum spectant, tutò tenebit, cætera vero inter Regem & eum de bonorum possessionibus controversa per arbitros decidentur. Si quis agere cum Rege velit de hærediis Reginæ olim Svecorum Sophiæ, ea lis secundum jura ac leges patrias instituenda. Hæc ita fore ac sanctè servatum iri promiserunt, Ferrandus (Jörundus) Archiepiscopus Nidrosiensis, Nerva Bergensis, Amundus Opsloensis, Episcopi; itemque Equites, Bernerus de Berkerö, Thoro Haquini, Johannes Benolphus, Isacus Gauterius, Erlandus Amundi, Vedmundus Erlandi, Bernhardus Ludovici, juris civilis professor, Guttormus Gidius, Johannes Rognvaldi, Gullachus Wilhelmi, Torvaldus Tonius, Erlingus Davidis, Johannes Ivaris, Thorlachus Skenkius, Erlandus Arninus, Sigurdus Lorelom, Egmundus Sigurdi, Esbernus Rinchii, Andreas Levi & Effvindus Islachi, aliique. Datum apud Hegnes-gaffvel 1295, Dominica prima post festum beati Mattæi Apostoli. Similiter & cum Valdemaro Slesvicensium Duce reconciliatio tum inita: hac tamen conditione, ut secundum sententiam a Rege olim Eirico Glippiig latam, cujus summa in rebus ejus videri poterit, regno redderet Alsam, Arram, & Fimbriam. Erant & aliæ de bonorum divisionibus inter Regem & Valdimarum ejusque fratrem Eiricum controversiæ, quas omnes arbitrorum sententiæ ac præsertim Gerhardo Holsatiæ Comiti dijudicandas permiserunt.

Notant Annales Islandici, Arnium Episcopum Skalholtensem cum laicis pactionem fecisse de prædiis Ecclesiasticis, stabilem illam qvidem, nec ullo unqvam tempore violandam. Cœterùm obiisse hôc annô scribunt præfectum Islandiæ Thorvardum Thorarini filium, & Rolfum, Landa

daRolfum, ſeu *terrarum inquiſitorem*, appellatum, qvod novam, ut diximus ſuprà, terram inqvireret; has tamen mortes annales alii in annum ſeqventem referunt. Aula Archiepiſcopi Nidaroſiæ ipſâ nativitatis Chriſti noƈte conflagravit.

CAP. VII.

MONASTERIA IN ISLANDIA EXSTRUCTA. THORGILS SVECIÆ PROREX. CONVENTUS TRIUM REGNORUM. ACTA IN COMITIIS FROSTENSIBUS INTER REGES. EIRICI NORVEGIÆ REGIS MORS.

ANno MCCXCVI. peregre ex Islandia abeunte Erlendo Nomophylace, Theodorus qvidam Codicem Legum in cuſtodia habuit. Qvô etiam anno monaſterium Mõdruvallenſe ibidem in boreali qvadrante, auſpiciis Jörundi Epiſcopi Holenſis, alterum qvoqve monalium cœnobium Stadi Reinisneſiæ, fundantur. Hoc anno Philippus Pulcher Galliæ Rex legatos ad Regem Eiricum miſit, de ſanciendo cum eo contra Edvardum regem Angliæ, qvo cum tunc bellum gerabat, fœdere: qvô convenit, ut Eiricus Anglos ab altera parte, ab altera Philippus, infeſtarent, qvo facilius illi opprimi poſſent. Ad hujus rei confirmationem miſſus ab Eirico Pariſios propinqvus ejus & libellorum ſupremus Magiſter, Audun Hugleichi filius. Teſtatur *Abſalon Petri*, retuliſſe ſibi nobilem virum Eiricum Roſenkrantzium de Valsoe, ſe inſtrumentum, qvo hæc paƈta continebantur, integrum & incorruptum cum appenſis ſigillis integris habuisſe, idqve Sereniſſimo Regi beatiſſimæ memoriæ Chriſtiano Tertio tradidiſſe. Eodem tempore de conjugio inter Ducem Norvegiæ Regis Eirici fratrem & Iſabellam, natam ex illuſtriſſima Comitum Juliacenſium familia, reginæ Johannæ propinqvam, inſtituendo, aƈtum perhibet.

Thorgils regni Svetici Drottſetus, ſeu Prorex, Regis Sveciæ filiam (Magni, credo, Ladalaſi) duxiſſe in matrimonium dicitur, duasqve partes Careliæ deviƈtas Chriſtiana religione imbuiſſe, regnoqve Sveciæ adjeciſſe. Id conſilio & prudentia Epiſcopi Aroſienſis faƈtum *Johannes Magnus* indicat: qvem deinde hujus Thorkilli (Sic eum appellat) perſecutione coaƈtum, Nidaroſiam Norvegiæ metropolim exulatum commigrâſſe tradit, ex mærore ibi poſtea exſtinƈtum. Duodem cives provinciales in Islandiæ diœceſi Skalholtina, qvorum agrorum poſſeſſiones ad eccleſias pertinerent, jurejurando publicè pronunciarunt. Septentrionali Islandiæ qvadranti præfeƈtus Gudmundus qvidam Skaldſtiklius.

Celebratas deinde Helſingburgi maxima cum ſolennitate Regis Eirici cum Ingiburga Sveonum Regis Byrgeri ſorore nuptias *Pontanus* refert: atqve inde trium regnorum, Daniæ, Sveciæ & Norvegiæ, Regum ſub feſtum D. Johannis, in loco, cui Sommerſtadium eſt nomen, conventum habitum, ibiqve de certa pace cum Norvago ineunda traƈtatum; ſed rem ſucceſſum non habuiſſe: inducias interim, qvæ anno antecedente paƈtæ fuerant, integrum biennium prorogatas. Anni etiam hujus tam acrem brumam fuisſe memorat, ut vaſtus ille oceani ſinus, qvi eſt inter Norvagiam & Schagæ promontorium, ita gelu conſtriƈtus ſit, ut ingens populi multitudo Ansloâ

sloâ in adverſam Cimbricam Cherſoneſum per glaciem pedes transmitteret.

Anno MCCXCVII. inter Archiepiſcopum Nidaroſiæ Jörundum & Canonicos Nidaroſienſes anno 1291. exorta controverſia tandem compoſita eſt, auctoritate ipſius Romani Pontificis. Res tota ita ſe habet, ex hiſtoria Laurentii Epiſcopi. Diſſidium inter Archiepiſcopum Jörundum & Canonicos ita auxit, ut in perfectum odium verteret; præcipui ejus adverſarii fuerunt Sigvatus Laudius & Dominus Eylifus, qvi poſtea Nidaroſienſis ſupremus antiſtes factus eſt, & Dominus Audunus Rufus, qvi deinde Epiſcopus Holenſis fuit. Hi ad Max: Pontificem Bonifacium provocando id effecerunt, ut ipſe Archiepiſcopus ad cauſam coram illo dicendam citaretur: ipſeqve mandato obtemperans Pariſios usqve profectus eſt, ubi cum diuturno mòrbo affligeretur, cauſam ſuam per legatum egit. Hic auctoritate in integrum reſtitutâ annum vertentem domo abfuit, deinde Nidaroſiam rediit. Interea Laurentius, qvi poſtea Epiſcopus Holenſis factus eſt, ibi remanſit, concredito ſibi officiô ad ædem S: Olafi fideliter functus; qvi reditu Archiepiſcopi lætus, jam ei longè acceptior qvàm antea evaſit, qvod ejus & Eccleſiæ partes, eo abſente, ſtrenuè tutatus fuiſſet: aucto itaqve honore eum ſuper oblationes S. Olafi titulo pœnitentiarii conſtituit. Arnius presbyter Helgii filius in Norvegiam profectus, Præſulatum Skalholtenſem obtinuit. Rex ipſe in comitiis Froſtenſibus præſens multas conſtitutiones promulgavit, auctoritate præſertim & conſilio Archiepiſcopi Jörundi, qvi & Regis Eirici novo exemplo Comes factus, homagium ei præſtitit; videtur enim auctoritatem Archiepiſcopalem, eccleſiarumqve jura, non ſatis adverſus Eiricum tueri, niſi hoc modo delinitum, potuiſſe. Hic annus Ingibiorgi Regis Eirici filiæ natalis exſtitit.

Anno MCCXCVIII. nihil memorabile geſtum legitur, niſi qvod expeditionem in Daniam factam Annales Islandici obiter notent, tacentibus eam Danis; partemqve reliqviarum S. Magni Orcadum Comitis in Islandiæ Epiſcopalem ſedem translatam. Eiricus Abbas cænobii Michaelis Bergenſis obiit. Etiam Nomophilacem conſtitutum Thorlacum; & Cometam viſum iidem memorant. Apud alios verò & invenitur, in Norvegia deceſſiſſe Arnium Thorlaci filium, Epiſcopum Skalholtenſem, qvi Bergis ad monaſterium ſepultus traditur.

Anno MCCXCIX. citati per Dominum Sturlam ex Islandia duodecim ſatellites Regii advenerunt. Dux Hacon uxorem duxit Evphemiam, ut noſtri Annales habent, Vitzlavi Comitis Rugenſium neptem ex filia. Circa hoc tempus (*Pontano* iterum memorante) iterum cum Norvago agi cœptum, indictusqve Preſtholmiæ in Hallandia conventus; qvò tamen accedere perduellibus haut cocenſſum. Antea refert idem auctor inter Regem utrumqve Hafniæ ad pacis promotionem decretum fuiſſe operà Berneri Birkeri & Odderi Haglai, Norvagorum eqvitum. Qvod ipſum interea, dum ad ulteriora agenda progrederentur, pro firmo ac rato habitum. Hoc vero, de qvo dictum, Præſtholmienſi conventu ſalvum conductum datum Eirico Norvegiæ Regi ac Duci Haqvino. exceptîs ſuperiùs indicatis perduellibus. Qvibus, ut & Duci Eirico Langebenio, Ducis Slesvicenſium Valdimari fratri, accedere haud propius qvàm circa Helgöam conceſſum. Hocqve inſtrumentum obſignârunt unà cum Rege Dux Rugiæ, Vitzlaus Dux Hallandiæ, Ericus Canuti, Ago Satrapa, Nicolaus Laurentii. Olafus Tagonis, David Paper, Petrus Jonæ, Olaus Tagonis, Petrus Nicolai Toslandus, Hamundus Lille. Joſephus Magni, Johannes Nicolai, Nicolaus Brock &

Ingvardus Hiort. Qvi & addito sacramento ratum hunc salvum conductum & sine fraude fore declararunt; & si Rex Daniæ Eiricus hoc pactum violaturus foret, impunè infamem posse proclamari, subditos ejus à sacramento fidei ei præstito liberos futuros, bona hæreditaria ejus omnia, mobilia atqve immobilia, fidejussoribus sub hypotheca obligari, donec aliter iis satisfieret. Præterea omnes Regis Norvegiæ causas & prætensiones pro justis habendas, nec objectiones Regis Daniæ admittendas. Utqve ejus cum fidejussoribus suis excommunicandi, sine prævia admonitione, Archiepiscopo Thrandensi & Capitularibus jus esset, ipsamqve deinde excommunicationem in Dania, Norvegia, & Svecia publicandi. Amundium Danzium ad hunc paciscendum tractatum non propius qvam Aaburem accessurum esse: compositionem Hafniæ factam cum Lenhardo de Birkerö & Oddo Huglæsonio Principum nomine firmam futuram. Hunc salvum conductum Johannes Arosiensis & Johannes Roskildensis Episcopi obsignarunt.

Hoc anno Eiricus Norvegiæ Rex diem supremum obiit Tunsbergæ, referente *Wormio* & veteri Libro Chartaceo, qvi penes me est: at qvo lethi genere, qvove die, incertum. *Annales Flateyenses* Sextum Idus Julii; *Vita Laurentii Episcopi Holensis* VI. Idus Junii habet; forsitan perperam, librarii vitiô, nam Membranaceo exemplari destituor. Tertium Idus Junii *Wormius*, *Hvitfeldius* octavum Idus Maji, *Calendarium* vetustissimum, qvod celebrium virorum *emortuales* tantùm *dies* annotat, tertium Idus Julii assignat; cui ideo majorem fidem habeo, qvod per singulos menses singuli dies digesti sint, inqve mense hic *Codici Flat*: die verò *Wormio* consentiat; qvorum alterum in mense, alterum in die errâsse suspicor. Nec, ubi sepultus sit, literis proditum est. Extant constitutiones qvædam Islandis ab ipso datæ, ut & commerciorum pacta inter Bergenses & Germaniæ civitates ab illo confirmata. Etenim utroqꝫ illum cum civitatibus Hanseaticis bellum gessisse, Lubeca nimirum, Rostochia, Vismaria, Stralsunda, Gripsvaldia, Rugia, & cum Germanis Visbyensibus, magnisqve eos cladibus per Comitem de Tornsbergo Alfium affecisse, pacem demum inter eos per Magnum (Ladalas) in provincia Gullbierum-Herad factam, prædictus *Absalon Petræus* in sua Norvegiæ descriptione testatur. Qvam licet pacificationem non habeamus, constat tamen ex seqventi instrumento, arbitrum fœderis delictum esse. Regem Sveciæ Eirico enim adhuc regnante, Dux Hacon fœdus qvoddam Calmariense confirmavit, cujus exemplum hoc est: *Hacon Dei gratia Dux Norvegiæ, Magni Regis coronati filius, omnibus præsentes literas inspecturis Dei suamqve salutem. Notificamus vobis, qvod Magnus Rex Sveciæ fædus inter Norvegos & Vendicarum urbium incolas Calmariæ, anno anativitate Domini MCCLXXXV. regni sui duodecimo, festo omnium Sanctorum, per eorum legatos arbiter delectus, hunc in modum sancivit; nimirum, sive Norvegi ad septem Vendicas illas urbes ad Norvegos merces transportent, utrisqve liberum sit, omnis generis merces, quæ istis in terris proveniunt, cöemere, cumqve rusticis & peregrinis pariter ac civibus urbanis, pari cum indigenis jure, negotiari, nec, qvæ emerant, exportare prohibentur, nisi hoc omnibus in universum tam exteris, qvi merces important, qvam indigenis, simul interdictum fuerit. Nec Germanis septem istarum urbium civibus interdicatur, nec Norvegis intra illorum urbes, qvovis tempore pro more indigenarum merces promerentes comparare. Si tamen intra naves, qvæ exportata non sunt, nec Norvegi in Germania, nec Germani in Norvegia cöemunt. Cum autem sæpe accidat, ut ex paucis verbis magnus dissensus, ex dissensu contentio, ex contentione periculum, pacisqve omninò oblivio provenire soleat, hic qvoqve cautum est, ne Germanus Norvegum, nec Norvegus Germanum, verbis irrisoriis lacessat: qvod si fiat,* haut

haut aliter quam cum indigenis & civibus erit procedendum, intraqve menſem, ſi reus legitimè in jus vocatus fuerit, ſatisfactio fiat. Præterea ad firmiorem pacem amicitiamqve ſtabiliendam omnia privilegia, quæ Rex Norvegiæ Eiricus ejusq; majores Germanis communicarunt, inviolata manebunt, hoc adjecto, qvod liceat illis loqui, reſpondere, migrareqve qvò voluerint: hoc eſt, legibus Norvegicis judicabuntur, ſive coram qvæſtore, ſive alibi conveniantur. Si Norvegus Germanum, aut Germanus Norvegum injuria afficiat, legibus & bona conſuetudine decidatur; qvod ſi qvis in alterum factiones colligat, populares ejus nec conſiliis nec factis eum juvabunt; ſi tamen qvis convincatur, malis iſtis hominibus ſuppetias vel opem præſtitiſſe, centum libris Colonienſibus appenſis multabitur, atqve adeo ut is, qui paci ſtudebat, nihil damni ſentiat.

Qvo anno vel die Dux Hacon has literas dederit, non reperitur in codice Valkendorfiano, qvem nimirum *Walckendorfius* anno 1560. exſcribi curavit, exſcriptumqve donavit conſulibus urbis Bergenſis, feria hebdomadis qvinta poſt feſtum Purificationis, ut in perpetuum in curia urbis reſervaretur, qvô cives eorumqve poſteri cognoſcere poſſent, qvæ inter ipſum, ut Regiæ Majeſtatis vicarium, & mercatores Germanos ſtapulæ Bergenſes opificesqve fuiſſent acta: unde hæc aliaqve nos transſcripſimus.

CAP. VIII.

PRIVILEGIA BERGENSIBUS AB EIRICO DATA, ARTICULIQUE CODICIS GULATHINGENSIS CORRECTI.

SUnt & qvædam privilegia Bergenſibus ab Eirico data: ubi notandum, qvod Eiricum Magnum ipſe ſe appellet, non qvidem a geſtorum magnitudine, ſed qvemadmodum Svenus Eſtritius Daniæ Rex, alio nomine Magnus, dum baptiſmo initiaretur, dictus eſt, & Sverir Magni nomen aſſumpſit; ita & hic noſter eos imitatus fuiſſe cenſendus eſt. Exemplum tale eſt.

Eiricus Magnus Dei gratiâ Norvegiæ Rex, & Regis Magni filius, omnibus Bergarum incolis & civibus Dei ſuamque ſalutem.

Novit Deus & omnes boni viri, qui nobiscum quotidie converſantur, nos majori affectu vos, qvàm ullam aliam regni noſtri urbem, proſecutos eſſe; verum qvamvis debitum nobis obſeqvium variis modis præſtare tergiverſati ſitis, id tamen aliis qvam ipſis auctoribus imputare nolumus: atqve ideo ſeqventia privilegia vobis impertimur. Primò ut univerſus Clerus, Regisqve jurati miniſtri, penſiones in expeditionem (qvæ Leding appellatur) *contribuant, oneraqve urbis penſionibus de ædibus ſuis juxta ac alii civis ſuſtineant, ſecus poſt qvinqve noctes iis excedant; ultra qvas ſi manſerint, tribus marcis Regi multentur, & manu facta expellantur. Severè præterea peregrinos pariter ac indigenas prohibemus in factiones coire, turbas excitare, leges ſibi aut novas conſvetudines condere: id idem noſtro judicio nemini præter Regem, idque ex optimatum conſilio, licet; qui vero iſtius convicti fuerint, capital fecerit, bonaque ejus omnia Regi cedant. Vetamus præterea ne quis peregrinus ædes in margine urbis, aut in publicis extruat, niſi id ex peculiari gratia noſtro diplomate indultum fuerit, & tamen omnia urbis onera ſecundum leges ſuſtinebit. Senatores urbis his privilegiis ſublevamus, ne in expeditiones ire aut tributa ad eas conferre teneantur, quo*

magis commodis urbis invigilare possint. Datum anno regni nostri 15to. Cancellarius Bardus Eirici filius obsignavit.

Multa qvoqve in codice Gulathingensi correxit: exstant enim ibi viginti septem articuli his verbis coagmentati:

Eiricus Magnus Dei gratiâ Norvegiæ Rex coronatus, Magni Regis filius, omnibus societatis Gulensis incolis Dei suamque gratiam. Existimamus vobis multisque aliis regni nostri civibus præsertim sapientioribus, constare, codicem legum ab illustri Domino Rege Magno patre nostro conditum in quibusdam locis non omnia, prout necessitas exigit, liquidè explanare, superantque plures controversiarum loci quam spes sit, tantillo libro explicari posse. Cum itaque nobis ex officio incumbere agnoscamus, leges juraque populi exacta diligentia inspicere & emendare, quosdam articulos in præsens, adhibitis in consilium viris optimis, ordinavimus, quos in foro Gulensi publicatos literis his inseruimus, vobisque mittimus: sunt autem sequentes. Primò ut illi tantum presbyteri ad præposituram admoveantur, qui paræcias non habent, nec privatas confessiones audiunt. Secundò ut paræciæ cujusque cives probitate & divitiis juxta conspicui bonorum Ecclesiæ curatores custodesque rerumque ad sustentationem ejus deputatarum constituantur, nec id presbytero inscio, reddantque rationes Episcopo, aut, eo remotiore, Canonicis, duodecimo quoque mense. Tertiò ut tributum Sancti Olafi in qualibet parræcia vendatur, nec extra eam deportetur, si iis, qui percipiunt illud, vendi placet. Quartò Præfecti, Curatores, quos Lensmenn *vocant, præter duos in singulis provinciis non constituent, nisi plures præfecti uni provinciæ præsint, tum enim singulis præfectis unus curator permittitur. Quintò ut satellites Regii (*Handgengnir menn*) & presbyteri, perinde ac alii ad expeditiones,* Leidangur *dictas, inque naves pecunias conferant. Sextò ut ante nuptias ter in templo destinatum conjugium indicetur; nam si post tales publicationes liberi suscipiantur, ii quidem legitimi erunt, etiam si postea impedimentum aliquod intervenerit, quo minus illud conjugium licitum fuerit. Septimò vetamus ne quis adigatur, ut juramento se obliget ad ducendam in uxorem concubinam suam, si cum ea consueverit, postquam, prævia confessione, absolutionem acceperat. Octavò sedulò observabitur, ut sigillum societatis Gulensis sub tribus seris custodiatur, nimirum nomophylacis, præfecti, & parræcialis pastoris, nec aliis rebus adhibeatur, quam causis in foro Gulensi decisis, nisi regni necessitas incidat, quam sapientiores hoc postulare censent, aut tales ibi literæ recitentur, quæ ibi & statim obsignandæ sunt. Nonò ut quilibet juvenis quindecim annos natus idoneus testis habeatur, satisfactionemque suo nomine capiat, si quid ei destinato nocitum fuerit, præstetque ipse, si alios læserit. Decimò, ut si quis ad Regem legitimè intra regnum citatus absque sufficiente causa non comparuerit, aut ejus vicarius, duabus marcis Regi multetur, ni causam suam domi cognitioni nomophylacis aut præfecti obtulerit, actor autem repugnaverit: in illo enim casu multam evadet, quamvis illo tempore non comparuerit. Undecimò placuit, ut donationes in diversos collatæ, sine titulo doni lege definiti, in posterum ratæ sint, donec quadrantes decimasque* (istæ enim donationes legibus sustinentur) *æquent; quod si plus donatum fuerit, singulorum portiones secundum donorum proportionem minuantur, exceptis, quæ pro animæ salute donata sunt. Sustinentur & dona quæ quis sanus nulla ægritudine laborans testibus consciis donavit & tradidit; si tamen prudentibus in fraudem hæredum factum non videatur. Duodecimò ut si quis domicilium aliò, ubi ignotus est, transtulerit, literis nomophilacis aut quæstoris, aut aliorum præcipuorum virorum, se muniant, quæ testentur eum virum frugi esse. Decimo tertiò, si quis agrum allodialem retracturus, citat in judicium eum, qui alienavit, eundem possessorem existimans, is vero clanculum,*

quo

quo actionem eluderet, distraxit, tenebitur possessorem profiteri, secus istius anni canonem solvet. Decimoquartò, qui signum seu indicem conventus aut fori detinuerit, unciam pro quolibet cive, qui in illo tractu, per quem ordinarium iter erat, impeditus in conventu non comparuerit, solvet. (15) *Creditor debitori diem a citatione decimum qvartum, præsentibus testibus, ad solvendum præfiniat: si nec tunc solvatur, rem, quando libet, executioni mandet, testesque secundum leges producat; quod vero definito tempore solvi convenit, si ad eum diem repetitum fuerit, nec redditum, cum velit, extorqueat.* (16) *Mensuræ pondera, ut ubique ex legum præscripto æqualia sint, sedulo curandum.* (17) *Ne uxor possessiones, quas pater filio suo uxorem ducturo, aut filiæ nupturæ, donat, si præsens, datas sciat, nec apertè repugnaverit, in posterum mortuo marito aut ejus hæredibus repetere liceat, nisi plus donatum fuerit, quam leges permittunt; tunc enim, quod superat, secundum proportionem singulis dematur.* (18) *Conclusum est, ut si maritus agros uxoris suæ aut utrique communes vendiderit, ut emptor, & eo mortuo ejus hæredes, testium fidem suo periculo per proximos viginti annos conservent, qui testentur uxoris consensu distractos; exinde testium cura liberabitur.* (19) *Ut retrahentes agros aut ædificia, sive Ecclesiastici sint, sive laici, causam coram nomophylace aut præfecto agant, qui eam justè decidat.* (20) *Si citatus ad præfectum vel ab ipso vel actore ad causæ examen sine sufficiente causa non comparuerit, multabitur selibra argenti: dimidia Regi, dimidia actori cedat. In talibus autem citationibus spatiorum viarumque ratio habenda, ne citatus tempore nimis angusto excludatur; examinabitque præfectus accurate causam, sive unus eorum sive uterque compareant, decidatque, si decidendo sit; qvod si gravior est, quam pro illius captu, examinabit nihilominus quam exquisitissimè, scribatque totam ad Regem vel nomophilacem, sine partium onere aut mercede: postea nomophilax sententiam dicet, licet testes non adsint.* (21) *Ad declarandum locum codicis de hæreditate, qui ubi, nepos ex filio, vel ejus pater, uterque legitimus, soli cum filia concurrunt, nepotem ex æquo cum filia admittit, sciendum, si plures nepotes unius viri filii cum ea concurrant, omnes in portionem patris sui admitti, quam deinde inter se in capita dividunt, etiam allodia.* (Hoc solùm casu jus repræsentationis hoc primum tempore introductum est.) (22) *Cavendum, ne præter leges ex rebus inanimatis usuræ exigantur, magno enim periculo pauperes gravantur.* (23) *Accuratè præfecti observabunt, ut ubi de gravioribus delictis, quæ capitis aut membrorum aut similem pœnam exposcunt, judicandum est, ut duodecim viros prudentes, nec sanguinis nec affinitatis, aut ullo legibus aut moribus vetito nexu, obligatos, alterutri partium legant: qvi postqvam seorsim sententias contulerint, alios accedant, qui deinde omnes simul manuum plausu sententiam confirment.* (24) *Monemus præterea, ne quis in judicium ad suffragium ferendum à legitimo judice delectus mandatum temerè detrectet; nam quò magis jurisdictioni cavetur, innocentium securitati consulitur. Selibra argdnti mulctabitur, qvi absque sontica causa in hoc deliquerit.* (25) *Si uxor infra vigesimum ætatis annum maritô orbata fuerit, aut maritus nondum viginti annos natus uxore,* (qvod ex Islandico codice supplendum; patet enim ex contextu hìc omitti, cùm de pluribus sit sermo, seqvaturq; numerus pluralis) *tam bonorum propriorum, quàm alienorum, si ad ipsos legitimè deferantur, idonei curatores erunt, nî aliis curaturam tradere malint.* (26.) *Si infirmus* (isto nomine intelliguntur, qvicunq; invalidi, ac se ipsos sustentandos, sive senio, aut pueritiâ, aut morbo sontico, vel qvâcunq; causâ, debiles sint) *citra jus ad alium translatus fuerit, omnes expensæ præstentur ei, ad quem translatus erat.* (27) *Conductor non tenetur præstare damnum ædificiorum, quod ruinâ montis, delapsi sabuli, aut tempestatis vi acceptum est, si antea ædificia secundum leges curaverit & conservaverit.*

CAP.

CAP. IX.

CONSTITUTIONES ET PRIVILEGIA ISLANDIS A REGE EIRICO DATA. EJUS ELOGIUM.

Eodem tempore hæc ipſa, qvæ retuli, Islandis qvoq; præſcripta ſunt. Qvædam etiam regulæ apud eos productæ; nonnullæ his adjectæ: qvas nec apponere integras pigebit: (*I.*) *Filius naturalis adoptatus æſtimationem patris ſequitur, nî ſatisfactione ob illatas matri injurias defectu eorum, qui ei lege præferuntur*; (præferuntur autem liberi legitimi, pater, avus paternus, ut ex ſucceſſionis ordine manifeſtum eſt.) (*II.*) *Filius naturalis natu maximus ſuccedit in prædium principale patri, ſi pater, poſtquam natus eſſet, matrem ejus legitimo conjugio ſibi ſociavit, etiam ſi aliam uxorem interea duxerit, & ex ea liberos ſuſceperit.* (Non igitur novum decretum ordines Scotiæ in comitiis ad Sconam ſanciverunt, cum, Roberto Secundo rogante, præteritis liberis ex Regina Evphemia natîs, primogenitum ex Eliſabetha Mora, concubinâ Regis, Johannem, poſtea Robertum Tertium dictum, ante contractas cum Regina nuptias natum, prætulerunt, poſtqvam matrem ejus Rex in legitimam uxorem duxiſſet: tametſi illa qvoqve, dum Rex conjugio Reginæ alligatus erat, alium maritum haberet, tradente *Buchanano Lib. IX.* de qvo facto in utramqve ſententiam diſputatum eſt; licèt communis opinio in contrarium vergat, eò qvòd in puncto matrimonii contracti demum legitimatio exoriatur) (*III.*) *Si quis, dum exulat, procreat ex legitimâ uxore liberos, ii ad ſucceſſionem non admittuntur, niſi pater poſtliminio reſtitutus fuerit.* An regula decima ſeptima ſeqventi producta ſit, non diſputo; talis enim eſt: *Si maritus vendit agros uxoris ſuæ ſine illius voluntate & conſenſu, tenebitur illa id viris ſpectatæ famæ intra quinque annos ab alienatione indicare, idque ſe invitâ factum proteſtari; cæteroquin ſpe reſtitutionis excidit, nî metu mariti omiſerit.* Regula viceſima qvarta hac adjectione producitur: *ſi enim lectus in judicium ſententiæ aliorum ſubſcribere noluerit, juramento proprio ſibi aliter non conſtare, à mulcta liberabitur.* His ſubjicio qvasdam Regis Eirici conſtitutiones, Islandis proprias.

Eiricus Dei gratiâ &c. Omne jus Canonicum, cauſæque inde dependentes, ſecundum veterem conſvetudinem procedant; non verò per excommunicationem ab Eccleſia, aut interdictionem miniſterii: nomophylaces enim conſtituti ſunt, ut tam de cauſis Eccleſiaſticis, quàm aliis, judicent.

Alia habetur talis:

Eiricus Dei gratiâ &c: Notum vobis volumus, quòd inter nos & Epiſcopum Skalholtenſem Arnium, ità ex conſilio Archiepiſcopi Jörundi de ſedibus ſacerdotalibus, prædiisque Eccleſiarum convenerit, ut ſedes iſtæ Skalholtinæ diæceſis, quæ templa in proprietate habent, ſub directione Epiſcopi maneant. Iſtæ verò, quas laici totas, vel dimidiâ ex parte, proprietatis jure tenent, ipſi dirigant, impendantque presbyteris, quantum primus fundator ordinavit, nec ultra. Viſitabitque Epiſcopus Skalholtinus ſingulis annis ſingulos inſulæ quadrantes diæceſi ſuæ ſubjectos, nec prius in aliam Eccleſiam redibit, quàm circumluſtrata univerſa diæceſi, nec prius incipiat, quàm feſto Apoſtoli Petri, producatque in autum-

autumnum, quoad ſpatium quadrantis vacat. Sex Presbyteri cum Epiſcopo jurarunt hanc compoſitionem in eo & ejus ſucceſſoribus in æternum duraturam. Hæc ut pro legibus habeatis, imperamus; qui verò prævaricatus fuerit, iram noſtram & pœnam, imò diras Dei indignationemque, ſibi accerſet.

Alia itidem hôc modô:

Eiricus, Dei gratiâ Norvegiæ Rex, & Hacon eadem gratiâ Norvegiæ Dux, filii Regis Magni &c. Continuas plebis querimonias hìc & alibi, poſtquam à morte patris noſtri nos indigni in imperium ſucceſſimus, ſæpiùs & crebrò cognovimus, quod præpoſiti & clerus eam in decimarum aliorumque onerum impoſitione præter priſtinum morem gravaverit: à nobis igitur poſtulavit, ut inter ſe & illos ità moderaremur, ne nimiis exactionibus opprimeretur. Cùm itaque omnium noſtrum ſubditorum neceſſitatibus ſubvenire teneamur, vobis notificamus, nos cum Archiepiſcopo Jörundo aliisque regni hujus Epiſcopis contraxiſſe, ut ſecundum jus canonicum vetus, cauſæ de decimis, mulctîs, atque adeò omnibus, quæ ad perſonas Eccleſiaſticas pertinent, decidantur, utque vetus conſvetudo in exactionibus oneribusque iis debitîs in uſum revocentur, nimirum, quæ obtinuit, antequam compoſitio inter Illuſtrem Dominum patrem noſtrum Regem Magnum & Archiepiſcopum Johannem fieret. Imperamus igitur, ut omnes & ſinguli, cujuscunque ſtatûs & conditionis fuerint, omnia, quæ ſacræ Eccleſiæ ejusque miniſtris, jure conſtituto, conſenſuque debentur, contribuant, prout gratiam de nobis demereri cupiunt. Satellitibus autem noſtris ſingulis, ut accuratè provideant, ne plebs exactionibus oneretur, præter eas, quæ inter nos & Epiſcopos convenerunt, ne ulli parti vis aut injuria fiat. Nôrunt enim omnes, quod haud minùs Eccleſiæ penſonisque Eccleſiaſticis patrocinari, quàm laicis ad juris ſui executionem obligemur. Meminit *Arngrimus Crymogeæ Lib. III.* conſtitutionum hujus Regis, ad Islandos miſſarum, ad annum 1297. hîs verbîs. *Conſtitutiones & leges Islandorum eorundem rogatu Rex Eiricus alias mutavit, alias auxit, quæ in ejusdem ad Islandos diplomatis exemplari leguntur congeſtæ: cujus tale exordium. Eiricus Dei gratiâ Norvegiæ Rex, Magni Regis filius, omnibus Islandiæ incolis S. Thorlacus nomophylax veſtras veſtram nobis petitionem expoſuit, de codice LL. Islandicarum alibi mutando* (Nota hìc obiter, qvàm non fuerint primâ illâ legum confirmatione, à Magno hujus parente factâ, contenti Islandi, ut etiam eandem curam à filio ſuſcipi voluerint) *quocirca has ſequentes conſtitutiones in veſtrum bonum ſancire volumus. Concluſio; Actum regni noſtri annô XV. hoc eſt, Chriſti* MCCXCV. (qvod, qvantum ad annum attinet, cum Annalium fide non convenit; etenim 1297. datæ videntur) Continet autem prima illa conſtitutio articulos LII. Secunda ejusdem Thorlaci curâ & rogatione impetrata, VIII. Sed cùm maxima eorum pars Codici legum gentis ejus idoneis locis inſerta ſit, pars qvoqve tantùm ſoli Islandiæ propria pertractet, iis hìc exſcribendis ſuperſedemus.

Plura de Eirico non occurrunt; tanta tamen illa taliaqve, qvæ hactenus perſecuti ſumus, ſeu foris, ſeu domi ſpectentur, ſunt, ut facilè appareat, eum in numero optimorum Principum habendum. Qvæ enim cum Danis geſſit, haud temerè videntur ſuſcepta, cùm detenta toto patris tempore materna bona fuerint: nec ludificari ſe eos diutiùs pati potuerit. Immaniſſimi tamen ſceleris, cœdis nempe Regiæ, patrocinium, etiam exemplô perniciosum, ſuſcepiſſe diſplicet; at innocentiæ hoc opinione factum, qvis dubitet? iniqvo judiciô oppreſſos authores exiſtimâſſe, cùm neqve ſe familiæ jurejurando, nec alio modô cauſam ſuam defendere permiſſum ipſis ſecundum jus patrium fuerit, ut *Hvitfeldius* author eſt, eumqve interpreta-

pretatus *Pontanus*. Supplices autem recipere, iniqvè oppreſſos erigere, adeò Regium eſt, ut illius cauſâ Reges regnaqve inſtituta ſint. His tamen nexus inſuper ſangvinis mutuæqve amicitiæ uſus acceſſit. Severitate in Clerum nimiâ, ſed ejus inſolentiâ provocatus, peccavit; an tam graviter, ut *Claudius Lyſcander* in ſua Gröolandia metrica vult perſvadere, mihi non conſtat; neqꝫ, qvid inter Comites & Biörnum Erlendi filium Eccleſiaſticosqve intervenerit, alibi notatum invenio. *Lyſcandrum* hoc inveniſſe, uti non dubito, ità parùm ambigo, qverelas iſtas ab ipſis Eccleſiaſticis in literas relatas. Certè nihil non æqvum ineſt conſtitutionibus, qvas de rebus Eccleſiaſticis Eiricus fecit. At, inqvies, pacta illa inter parentem & Archiepiſcopum Johannem, tot diras minantia, qvibus Regis procerumqꝫ animæ obligabantur, rumpere non erubuit? Hoc tamen ipſum fortaſſe religionis ejus ſinceritas, certè verò rerum civilium peritia, excuſabit: neqꝫ enim ſuperſtitione purgatorii aut mortalium in manes imperii opinione imbutus videtur fuiſſe. Novit qvoqve, ſucceſſorem talibus anteceſſoris conventis in ſui regniqve damnum minimè obligari. Utilis certè regno Princeps fuit, qvi uno eodemqve tempore vim inteſtinam oppreſſit, & externam propulſavit, & ſalutaribus latis legibus, regnum nullâ ſui parte im̃inutum, imò florens, ſicut acceperat, aut opibus auctius, in fratrem ſucceſſorem tranſtulit. Obiit annô ætatis 31. regni 19. Liberos, præter unam filiam Ingibiorgem, nullos reliqvit.

HISTORIÆ RERUM NORVEGICARUM PARTIS QVARTÆ

LIBER OCTAVUS, DE HACONE SEXTO.

CAP. I.

REX HACON SEXTUS CORONATUR. RUPTÆ PRIORES INTER REGES INDUCIÆ. COMITIA INSTITUUNTUR. SALVUS COMDUCTUS FACTUS. CONFLAGRATIO HECLÆ OMNIUM MAXIMA. TERRÆ MOTUS IN ISLANDIA. ALIA QUÆDAM EX ANNALIBUS.

DEfunctô jam Eiricô, cùm nulla superesset proles mascula, ad fratrem Haconem, antea â Parente Magno Ducem constitutum, imperium devolvebatur. Is statim eodem anno, festo omnium Sanctorum, coronam suscepit; qvam Nidarosiæ ipsi, unà cum Regina Evphemia solenni ritu inaugurato, imposuit Archiepiscopus Jörundus. Non dici potest, qvantâ hoc festum celebritate ac magnificentiâ peractum sit; ad qvod non solùm Proceres omnes regni & cujuscunqve dignitatis viri ex provinciis Norvegiæ, sed & ex peregrinis terrîs haud pauci, eô certè splendore, qvô vix major in septentrione fuerat visus, confluxerunt. Via omnis, qvæ à litoribus usqve ad sacræ ædis ostium ducit, plumatîs vestibus, baldacino ac pannô pretiosissimo instrata erat. Convivium deinde Hacon magnificentissimum præbuit, multaqve privilegia Ecclesiis & pauperibus impertivit. Fertur etiam, eodem tempore ipsum simultates qvasdam inter Archiepiscopum & Canonicos obortas composuisse; qvas tamen illi statim post discessum Regis acerbiùs renovârunt: qvæ verò causa harum aut materia fuerit, nusqvam hactenus annotatum inveni.

Anno 1300. festo coronæ Domini, (qvod feriâ sextâ post octavam resurrectionis Dominicæ celebrabatur) Rex Hacon Osleyæ publicè coronam gestare visus est. Hôc anno obiit Episcopus Johannes Cragius, cui Florentius, suffragiis omnium ritè electus, successit. Et statim idem circa tempus induciæ, qvas inter Norvagum & Daniæ Regem Eiricum Somerstadii pactas suprà injecimus, ante diem ruptæ fuerunt, occasione perduellium, qvibus pace bellum potius videbatur: qvamvis Norvagi in Danos, Dani in extorres, qvos dixi, causam rejiciendam existimarent. Sed mox Eiricus Langelandiæ Dux se medium ac pacatorem suâ sponte obtulit, profectusqve in Norvegiam ad consobrinum uxoris suæ Haqvinum, assumtis Henrico Clerico & Canuto Mulenio Eqvite, de pace cœpit agere Fenecolbiæ, hunc ferè in modum: *Reges utrique Corsoram convenirent circa Mariæ ascensionem. Atque ibi, si Eirico Menved ità videretur, se paratum Haquinus dicebat, causam suam duorum aut trium virorum principum arbitrio permittere (modò idem Eiricus faceret) & quod illi pronunciarent, id ratum firmumque mansurum. Arbitri, qui negotio præficiendi essent, præstitô sacramentô, sanctè pollicerentur, se neque ira aut studio, sed veri solius ductu, quod esset justum ac æqvum, pronunciaturos. Eorum si quem mori contingeret, ante finem actionis, in ejus locum alius, sed prius facto similiter jurejurando, acceptoque salvo conductu, admitteretur. Durante autem tractatione Rex Norvagiæ, nec non Jacobus Hallandiæ Comes, aliique è Dania extorres, eorumque hæredes, aut cuicunque id suo nomine concredituri forent, bonis suis, quemadmodum iis ante exortum bellum frui atque uti consveverant, uterentur ac fruerentur. Inde Norvagiæ Regi Haquino publicæ fidei literas transmisit Daniæ Rex Eiricus; quibus significabat, liberum ac tutum ei esse cum satellitio suo aut comitatu centum personarum Schels-öram accedere, ac vicissim ad classem, quæ juxta Engholmiam consisteret, regredi; exceptîs parentis sui percussoribus, eorumque sociis, qvos nec occurrere sibi concedebat. Hæcque omnia juramentô obfirmans, promisit hunc salvum conductum sine fraude fore; si verò violaret, impunè infamem posse proclamari, cum omnibus suis fidejussoribus, ejus subditos à juramento fidei ei præstito liberos futuros. Præterea omnes Norvagiæ Regis causas & prætensiones pro justîs habendas, nec instantias Regis Daniæ admittendas, eumqve cum fidejussoribus suîs excommunicandi, sine prævia admonitione, Episcopo Ripensi jus esset, etiam imperandi, ut alibi anathemate feriatur, qvoad Regi Norvegiæ plenè satisfactum fuerit, idqve solius ejus, nec plurum testium, juramentô: omnia ejus bona hæreditaria, mobilia pariter ac immobilia, Regi Norvegiæ tantisper oppignorata erunt, donec ei satisfieret. Pro hîs fidejusserunt, Dynasta Rugiæ Vitzlaus, Dux Christophorus Regis frater, Dux Valdemarus ejusque frater Ericus, Laurentius Tyginus, Jonas Litleus, Olaus Tagonis, Johannes Barti, Christianus Pætz, Nicolaus Lendius, Petrus Jonæ, Petrus Nicolai de Tossing, Canutus Mullij, Asbiornus Akij, Nicolaus Höe, Nicolaus Ubbinus, Josephus Magni, Petrus Mullij, Nicolaus Hassius, Amundius Lillius, Petrus Tyginus, Sævidus Voldemarus Rossius, Petrus Egetheside, Eiricus frater Ducis ex Jutia, Godikius & Tummius Blackius. Verùm ad rem ubi ventum, neque in Regis Norvagiæ neque extorrium causâ conveniri ad vota Regum potuit. Itaque conventus ille sine magno emolumento solutus est.* Hæc omnia Scriptoris Danici verbîs enarrare opus fuit, cùm nostri, qvos habemus, Annales saltem Reges in Hallandia convenisse, induciasqꝫ in triennium pepigisse, indicent.

Tunc decantatissimus ille in Islandia mons ignivomus Hekla qvintùm, ut in priscîs majorum fastîs annotatum est, ignem evomuit, tantâ qvidem vî

vi ac fragoris vehementiâ, ut prodigio ſimile incendium & longè ſuperioribus truculentius videretur; ruptus enim mons ingentem illum, qvi, qvoad inſula ſupereſt, viſitur, hiatum fecit. Evoluta magnæ molis ſaxa igne percocta planè ac toſta, qvaſi ex officina fabrili igniti extra cavernam carbones evolabant, qvorum colliſione fragor ingens in morem tonitruum in remotiſſimîs aqvilonis atqve aliis inſulæ partibus audiebatur. Candentia fruſta, tanqvam tormentô emiſſa, tectum villæ Næſrholt exuſſerunt. Ventus ab Euronoto flans, tantum tamqve atrâ caligine denſatum arenæ ac cineris imbrem in ſeptentrionalem qvadrantem vehebat, ut interea, dies, an nox eſſet, diſcerni neqviret; univerſus verò tractus inter Vatzkard & Oxarheidem arenâ obductus eſt. Poſtridie ventîs iterum acta, paſſim vias obtexit, & multos iter facientium ſeduxit: uſum inſuper piſcandi tenebræ prohibuerunt, nemine ſcaphas piſcatorias expedire toto biduô tentante. Mediâ æſtate hæc contigerunt; neq; unqvam brumales noctes diebus iſtis atriores viſæ. Ejus qvoqve anni feriâ Chriſti natalis ſextâ tantus Islandiam terræ motus concuſſit, ut ædificia villæ Skardis conciderent; urna, qvæ ex metallo ê lacunari pendebat, eidem illiſa frangeretur, duæq; ciſtæ, aliqvo intervallô diſtinctæ, tanto motu inter ſe comitterentur, ut in minutiſſimas partes diſſilirent. Infeſtus & pecudibus annus, annonæqve gravis. Circa hæc tempora mulier qvædam Germana in Norvegiã venit, ſe Eirici Regis filiam ex Margareta Scotica natam profeſſa, ſed ab Ingibiorge Erlingi filiâ primîs annis venditam, & extra regnum deportatam. Deſponſa tum Regis Eirici filia Joni Magni filio, Orcadum Comiti, memoratur: non, ut Wormius credit, Ingibiorg, qvæ Valdemaro Finnlandiæ Duci, Birgeris Sveciæ Regis fratri, nupſit, ſed alia, cujus nomen, ut & matris, Scriptoribus ignoratur.

Hôc eodem anno, poſt exactum Nidaroſiæ Regiæ coronationis feſtum ac diſceſſum inde Regis Haconis, ſopita inter Canonicos lis recruduit, per integrum deinde annum duratura. Archiepiſcopus qvidem conſiliis & authoritate eos ad meliorem mentem reducere tentabat; verùm tantum abfuit, ut hîs qvicqvam proficeret, ut civibus cunctis ſtatim omniqve ludi literarii cœtu in ſuas partes pertractis, qvibus ipſe Abbas Holmenſis ſe aſſociavit, eò res deducta ſit, ut ne unus qvidem eſſet Eccleſiaſticorum, qvi mandata Epiſcopi, qvæ Canonicis diſplicerent, aut exeqvi vellet, aut auderet. Interim qvodam die Archiepiſcopus literas, â Johanne Flandro compoſitas, Laurentio tradidit, cum mandato, ut eas poſtridie feſtô celebri in templo Servatoris coram Canonicis recitaret, qvibus præcipuæ eorum trigæ ſacris interdicebatur. Ad qvod ille reſpondit: Verenda Dominorum mandata eſſe, ſeqve, qvod injungeretur, dum in ejus miniſterio eſſet, impigrè executurum; qvanqvam certus eſſet, accenſam adverſus ſe odii ſcintillam in ingentem hinc flamam exerſuram. Die craſtinâ poſt peracta ſacra, cùm totus Canonicorum cœtus in choro conſiſteret, pulpitum chori conſcendens Laurentius, exacrabile hoc carmen clarâ voce intonabat, qvô Domini Eylıfus, Audunus Rufus, & Sigvatus Landius, anathemate varias propter cauſas feriebantur, &, nî templo excederent, ſacra peragi vetabantur. Hîs auditîs, Sigvatus Landius reſpondit; *non eſt, quod tam alta voce clames, Islande; verba enim tua ſatis percipimus.* Mox ſuas qvisqve ædes repetebat. Ex eo die Laurentius â vi infeſtâ eorum atqve inſidiis ſecurus nunqvam, exire foras haud ſuſtinuit; & aliqvando egreſſum fortè, effuſa ludo literario turba ingens in platea perſecuta eſt, ad januam usqve ædis Servatoris: ubi jam illum comprehenſuri, cùm extre-

mam ejus vestem lacerâssent, accurrentes Archiepiscopi ministri, qvorum auxilium invocabat, manibus furiosorum ipsum eripuerunt. Multòqve plura sunt, qvæ â Scholasticîs eorumq; sociis perpessus, in Historia, Islandicè scriptâ & suprà citatâ, legitur.

Verùm Archiepiscopus Jörundus, cùm sentiret se excommunicationis fulmine exacerbâsse magìs, qvàm correxisse, deq; ulteriore progressu prorsus desperaret, annô seqvente 1301, datô ad Regem Haconem supplice libello, ut ipse causam præsens cognoscere & authoritate Regiâ eos coërcere dignaretur, postulabat; id qvod & haud ægrè impetravit, cùm primum locum gratiæ apud Regem iis temporibus teneret. Rex igitur haud multò pòst Thrandiam magno cum Ecclesiasticorum, ut & laicorum, comitatu ingressus, statim Archiepiscopum ipsum cum omnibus ejus adversariis civibusqve urbanîs & provincialibus, ad Concilium, in æstivo palatio celebrandum, convocavit. Venerat eò cum Rege insignis qvidam artium Magister, nomine Akius, qvi in exteris longo tempore studiis operam dederat, vir doctus atq; disertus. Is ad concionem habendam â Rege delectus, ante ejus solium stabat, propterqve ipsum pluteus collocatus. Sedes hoc ordine erant dispositæ: Rex & Archiepiscopus in solio simul considebant, â latere Regis eqvites regniqve proceres, ab Archiepiscopi autem suffraganei, Abbates, Canonici, & presbyteri; plebs tota in pavimento stabat: ibi qvoq; Laurentius inter eos, qvi Archiepiscopo adhærebant. Erectis jam exspectatione cunctorum animîs, Akius submissiore paulò voce silentium imperavit, mox Latino sermone verba habuit; primùm, qvomodo principes tam Ecclesiastici, qvàm Politici, adversus subditos gerere se debeant, ostendendo. Id cùm longâ oratione executus esset, conversâ in patriam lingvam oratione, haud minore facundiâ de officio subditorum & obseqvio erga magistratum perorabat: haud bonum solum & justum, sed etiam durum & difficilem honorandum, Apostoli Pauli verbîs confirmans, qvi seditionem idololatriæ comparaverit. Inde acrius in Canonicos invectus, qvantam illi pœnam promeruissent, Archiepiscopo se opponentes, exaggerabat. Conclusit demum, eos corporali pœnâ â brachio seculari, ɔ: potestate Regiâ, plectendos; adeòqve argutè differendo causam eò deduxit, ut ingentem iis terrorem incuteret. Cùm jam finem fecisset Akius, ipse Rex exsurgens, Romanâ primò lingvâ, deinde vernaculâ, concionatus, tandem edixit, duas illis conditiones patere; cùm enim essent â communione Ecclesiæ ab Archiepiscopo remoti, aut ipsis totâ Norvegiâ subjectisqve provinciis cum sociis omnibus atq; asseclîs exulandum, aut ad genua Archiepiscopi procidendum protinus, eiq; causæ suæ cognitionem ex consilio Regis & senatûs permittendam; nec sine supplicio aliqvo ex hoc ipso concilio excessuros, nî imperio Regis extemplò parerent. Itaqve illi, præsenti animadverso periculô, vim Regiam metuentes, sine mora submissis genubus Archiepiscopi se arbitrio dediderunt. Postridie lis omnis composita est, parte utrâqve mutuam pacem & securitatem paciscente, duravitq; biennium inviolata hæc pactio, qvo tempore Laurentius sine ulla molestiâ apud eos, in magna verò apud Archiepiscopum gratiâ, eôdem, qvo prius, fungens Pænitentiarii officiô, vixit.

Hôc ipso anno nata est Regi Haconi filia Ingibiorg. Mulier tunc illa, qvæ pro Eirici Regis filia se gerebat, viva supplicio ignis necata est, ejusq; maritus decollatus, & statim deinde, *Absalone* teste, combustus. Fertur tamen, eam â nonnullîs mox inter Sanctos habitam, ædemqve sacram exstructam, nomini ejus ac honori nuncupatam. Verùm falsò huic plebis

bis errori obviam ſtatim iverunt Proceres regni Eccleſiaſtici & ſeculares, publicô judiciô vetantes, ne qvis cultus maleficæ, dignum omninò ſupplicium paſſæ, exhiberetur. Teſtari hoc carmen, de eâ hîs ipſis temporibus compoſitum, ab aliis edocti ſumus; nobis enim illud necdum contigit videre.

Bergîs Regi hanc hyemem exactam ſcribunt. Miſſi Dominus Alfus de Kroko & Dominus Svenus Langius in Islandiam cum mandatis Regiis: his adjuncti nomophylaces duo à Rege conſtituti, Lodinus de Backio & Bardius Hognii filius, uterqꝫ Norvegus. Deceſſit circa hæc tempora Cancellarius Bardus. Circa feſtum Michaelis cometa nautis in Islandiam navigantibus viſus eſt, reliqvîs ſtellîs major & obſcurior, qvi caudâ deorſum directâ, à cæcia obliqvè in ſeptentrionem ferebatur. Idem etiam in auſtrali Islandia circa initium Octobris obſervatus. Lokuland qvidam hoc tempore Hæbudas infeſtâſſe ſcribitur, qvi fratre ſuo adoptivo Jone cum uxore duobusqve filiis occiſo, circiter qvinqve virorum millia, tria verò puerorum puellarumqve, crudeliter interfecit.

CAP. II.

EXEMPLUM HOMAGII REGI HACONI AB ISLANDIS PRÆSTITI. ACTUM DE BELLO NORVEGICO. BIRGER SVECIÆ REX CORONATUR. CONSTITUTIO REGIS HACONIS DE ADMINISTRATIONE REGNI, REGE PUPILLO, SIVE DE JURE TUTELARI.

ANno MCCCII. Haconi in Islandia homagium præſtitum eſt, conditionibus iis, qvas *Arngrimus* qvidem memorat, ſummatimqve exſcripſit; ſed anni, qvô hoc factum erat, ignarus. Id nos, qvantum fieri poteſt, ad verbum interpretabimur:

In nomine Patris, Filii, & Spiritûs Sancti. In comitiis generalibus communi ſuffragio populus Islandiæ ſatellitibus regiis ſequentia manuum ſtipulatione ſpoſpondit. Offerimus illuſtri Domino Regi Haconi Coronato noſtrum plenum ſtudium & ſubjectionem, ſecundum codicem legum, quem beatus Rex Magnus huc miſit; in quem nos quoque juravimus. Sacramenta etiam, quibus nos regno obligavimus, ſanctè ſervabimus, ſecundum pactorum articulos, qui inter Regiam majeſtatem & cives regionis noſtræ interceſſerunt; quorum primô tenebimur ad cenſum annuum, mercedemque judicum viginti ulnas, ſecundum codicis præſcripta, omnemque obedientiam pactorum limitibus præſcriptam præſtare; ſi tamen privilegia, quæ civibus noſtris in horum vicem, regionis noſtræ paupertatem, incolarumque neceſſitatem conſiderans Rex promiſit, conſequamur: ut nimirum indigenæ tantùm nomophylaces provinciarumque præfecti conſtituantur; ut naves mercenariæ, utilibus nobis mercibus onuſtæ, huc quotannis, uti convenerat, mittantur, ſex nimirum, niſi ſontica cauſâ interveniente; ne cives noſtri præter leges extra patriam evocentur: inde enim multiplex damnum ſenſimus, ità ut in poſterum idem ſuſtinere haud poſſimus. Sed nec ulla mandata, quæ nos, præter pacta, onerant, paupertati terræ noſtræ tolerabilia agnoſcimus; metu enim maximè Dn: noſtri Jeſu Chriſti conſentire prohibemur, ut quicquam de eleemoſynis iis, quæ Dei gratiâ ad animarum noſtrarum ſalutem erogavimus, detrahatur. In-

primis Dn: Haconem Regem Coronatum omnesque probos viros obsecramus, ne oneribus nos præter legum præscripta aggravent. Faxit Dn: noster Jesus Christus, ut hoc nostrum consilium cedat ipsi Deo in laudem, filio ejus Jesu Christo in gloriam, Regi Norvegiæ, omnibusque fidis ejus consiliariis in honorē, nobis in pacem & levamen.

Extat & aliud instrumentum, an & ejusdem anni? qvod ità sonat, *Arngrimô*, paucîs injectîs, vertente:

In nomine S. Trinitatis. Amen. Ex communi & rato omnium nostrûm consensu, obsequium nostrum honorando semper Regi Coronato Haquino benignè & promtè deferimus, iis conditionibus servatis, quæ antea inter Regem Norvegiæ & Islandos in transactionem ex pacto adscita fuerant; tributum enim annuum & reliquam audientiam legibus circumscriptam haud inviti præstabimus, si modo privilegia nobis vicissim concessa obtineamus. Primum, ne quis nostratum ad peregrinum tribunal trahantur, nisi judicium nostrorum supremorum in foro generali auctoritate & sententiis excedere jussi. Secundò, ut Nomophylaces & præfecti, ac judices provinciales (Sysſumenn) *non nisi indigenæ & inquilini constituntur* (id ipsum in RR. & Principum inauguratione alias nationes diligenter cavisse animadvertimus: cujus rei utilitatem & necessitatem res ipsa loqvitur.) *Tertium est de mercibus advehendis, quibus maximè indigent incolæ, sex navibus quot annis, ni prægnans necessitas obstet. Quartum, de hæreditatibus Islandis in Norvegia forte obtingentibus, a Norvegis non obstinate retinendis, legitimo hærede, etiam post quantumcunque temporis intervallum, poscente. Quintum, ne Islandi portoria solverent. Sextum, Islandi in Norvegia constituti jure & privilegiis fruerentur juxta cum optimis. Septimum, ut Rex Islandis jura patria sarta tecta conservaret, omniaque sanctè servaret, quæ majores ipsius per literas & diplomata Islandis dedissent. Octavum, ut Rex insulæ Comitem præficiat, quamdiu fidem ei, nobis pacem servat. Nos hæredesque nostri fidem servabimus, quamdiu Rex ejusque hæredes hæc pacta servant: quibus ex eorum parte ruptis, nos quoque à fidei juramento soluti ex optimorum virorum judicio erimus.*

Hoc anno Codex legum Islandicarum denuò Regis curæ ac emendationi, cum plena reformandi potestate, commissus est.

Eodem tempore David Tostenus, plures per annos Satrapæ magistratu apud Scanienses gesto, diem obiisse memoratur, vir ut bello & pace egregius, ita Regi Danorum inter charos præcipuè habitus. Ab ejus statim obitu conventus Svenburgi celebratus, in qvo de regni universo statu, deqve bello Norvagis ac perduellibus interdicto, aliîsqve agitatum. Rex præterea Sveonum Birgerus & ejus conjux Margareta, Eirici Regis soror, Regiæ Majestatis diadema in Ostrogothia & portu Sudercopensi susceperunt, ubi & frater Regis Valdimarus, militiæ insignibus decoratus, matrimonium cum filia Turgilli Canuti consummavit; qvod tamen postmodum, sive qvod offensæ inter socerum & generum essent exortæ, sive etiam, qvod *Gothus* tradit, ob cognationis spiritualis propinqvitatem, rescissum est. Eiricus tum qvoqꝫ, eorundem principum frater, ad Haconem Norvegiæ Regem Ansloam, literîs ac nunciis invitatus eòdem, cum illustri procerum comitatu concessit, exceptus à Rege & Reginâ ac præcipuis regni virîs tantâ liberalitate & magnificantiâ, ut majori vix potuerit. Causam instituti colloqvii Scriptores Svecici silent; alii de connubio inter Ingiburgam Haconis filiam & Eiricum tractatum injiciunt. Hoc qvoqꝫ annô Hacon constitutionem novam de administratione regni, Rege pupillo aut minorenni, Proceribus obeundâ, fecit, hunc in modum.

In nomine Dei, Amen, Patris & Filii & Spiritus Sancti, unius in SS. Tri-

Trinitate Dei. Duodecim viri administrationem regni, post mortem Regis, filio vel quocunque in pupillari ætate successioni proximo existente, regnum hoc ordine gubernabunt. (1) Tres ex illis, tribus quisque famulis, & notario uno; quartus Cancellarius, quatuor famulis & duobus notariis instructus, in aula pupilli semper permanebunt. (2) His quatuor duo Episcopi adjugendi, aurum argentumque coronæ a defuncto Rege relictum unà custodient, sub duobus clavibus: alteram illi, quatuor-viri alteram servabunt. (3) Tertius inter qvatuor-viros vexillarius erit, isque perpetuò in aula Regis. (4) Possessiò reditusque regni omniaque negotia, intra vel extra regnum, Cancellarius cum reliquis Triumviris, in usum regni diriget. (5) Crimina capitalia quam exactissimâ diligentiâ examinentur; nec nisi liquidâ probatione capitis supplicium irrogetur, vel bona fisco adjudicentur. Fisco vero sive mobilia sive immobilia post justas probationes adjudicata, arbitrariæ Regis dispensationi in annum, quo curam ipse regni susciperet, qui vigesimô ætatis definitur, comittentur. Liberum tamen regni administratoribus erit, iis, qui misericordia digni videntur, potestatem intra regnum permanendi in eum annum indulgere, bonis omnibus fisco interea addictis, si ratio causæ id exigat. (6) Dignitates, sive majores sive minores, Rege pupillo, titulis augere fas non erit. (7) Universum aulicum satellitium, quod Rex moriens reliquit, fidem hæredi, duodecim verò tutoribus obsequium, donec administrationem resignaverint, jurabit. (8) Nec stipendia nec provincias in feudum collatas aliqua partis accessione, præter legum aulicarum præscripta, augere licebit. (9) Si moneta ab excessu Regis corrumpatur, penes ipsos erit eam mutare, neque id sæpius aut præter necessitatem, semper tamen ad usum regni eam disponere. Si forte præfecti provinciarum aut eorum curatores vel decesserint, vel crimine aliquo removeri meruerint, isti duodecim administratores, aut quotquot eorum tum in aula exstiterint, prout inter eos convenit, de iis dispensabunt. (11) Illas autem præfecturas, quas Rex ipse ante supremum diem cæpit administrare, illi quoque administrabunt, donec Rex justum ætatis annum attigerit. (12) Quæstor Regius, qui moriente Rege in officio isto fuit, illud proinde toto tutelæ tempore tenebit, nisi talium criminum convincatur, ut ipso jure removeatur: reddetque rationes istis duodecim viris. (13) Octo ex illis duodecim viris, qui semper extra aulam sunt, reliquos quatuor subinde invisent, ut & præfatos Episcopos, tempore prænominato, semel in anno, nisi sæpius opus sit, accurateque universam regni administrationem, tam domi quam foris, observabunt; in isto enim consessu omnes tum gravissimæ regni causæ decidentur; qui si inter se dissident, plurium & seniorum, sibique invicem consentientium, sententia prævalebit. Tum quoque redituum regni, vitæque & actorum quatuor illorum ministrorum, qui continuò in aula versantur, ratio reddetur; thesauri Regis aperientur; & quid singulis annis iis adjectum fuerit, & quicquid custodiæ prædictorum virorum commissum, ob oculos sistetur, valebuntque in mutuo dissidio plurium suffragia. (14) Si quis ex istis quatuor viris decesserit, aut criminis alicujus in regni damnum vergentis convictus fuerit, officio removebitur, substituetur autem in ejus locum alter, ex reliquis octo, quem consensus omnium approbaverit, inque locum duodecimi unus succedet, quem omnes, qui extra aulam sunt, deligunt, ita ut octo sint extra aulam, & administratores in universum duodecim. (15) In primis iis curatoribus, qui extra aulam sunt, curandum est, ut ipsi justos æqvosque se erga omnes exhibeant, inque acta præfectorum provincialium eorumque vicariorum inquirant, ut nihil injustè aut contra leges faciant: qui si alios contra leges opprimant, tenebuntur omnes, in quocunque regni quadrante quisquis eorum constitutus sit, ad examinandam causam, actaque & probationes, sententiamque secundum leges ferendam: qui si decidendo impares inveniantur, ad Consiliarios Regis causa remitte-

mittetur, ibique decidetur. (16) Si quis horum eos persequi, aut jus dicere omiserit, prædicti duodecim, qui in aula Regis conveniunt, communi consensu, tanquam ipse Rex præsens esset, pœnam exsequentur. (17) Summopere autem cavebunt, ne dissidia factionesque regno Consiliariisque perniciosæ exoriantur: id si idoneis probationibus factum constet, pœna in factiosos statim properanda. Cavebunt præterea, ne intestinorum hostium turbæ vel extraneorum improviso emergant. (18) Nullos peregrinos inducant, quoad Rex pupillus est, literis tamen tuti commeatus ab iis impetratis, commercia ex usu procedant, ita tamen, ut ne suspicionem præbeant, damna regno aut insidias strui. (19) Isti duodecim administratores, prius quam administrationem suscipiant, juramentum hac formula præstabunt: In hoc sacra mysteria tangimus, Deumque testem invocamus, quod administrationem hanc regni Norvegici, quæ nobis mandata est, fideliter & sincerè, probè & accuratè, gesturi sumus, ad coronæ gloriam & dignitatem, totiusque regni emolumentum, in quantum ex Dei gratiâ sapimus: singillatim autem, si causis hominum, judiciis aut consiliis, quæ regnum attinent, interfuerimus, sine pauperis aut divitis, necessarii aut nullo nexu devincti, senis aut juvenis, discrimine, causam examinabimus, sententiamque dicemus; nulla munera accipiemus in fraudem justitiæ ad lites dirimendas, sed clementiam clam palamque exercebimus, ad sublevandos, qui iniquè opprimuntur, nec causam tueri suam nôrunt. Nulla munera accipiemus, ad imminuendos aut abrogandos reditus Regios, sed potius inquiremus, sic ubi Regum jus aut bona neglecta sint, omnibusque viribus annitemur ea sub coronam reducere, sive ita propinquus sive extraneus amicus, aut inimicus detineat. (20) Quod si quis horum duodecim eò dementiæ procedat, (quod Deus clementer avertat) ut hoc sacramentum violet, aut fraudis in coronam aut regnum veris testimoniis convincatur, reliqui, qui extra culpam sunt, pari potestate atque ipse Rex eum puniant; sed si quis eorum ad talia connivere aut defensionem præstare deprehensus fuerit, crimine contactus videtur, atque ideo eandem pœnam subibit. (21) Quod si Rex filiam moriens reliquerit, eique conditionem ante mortem quæsiverit, aut illa, Regina matre dispensante, ex duodecim regni administratorum, duorum Episcoporum, procerumque aliorum, in id â duodecim curatoribus advocatorum, consiliô elocanda fuerit, ejus maritus in omni dignitate, ordine, honore, supremum gradum tenebit, quamdiu coronæ & regno fidus deprehenditur, ipsaque cum duodecim prænominatis regni senatoribus unum facit: nihil enim sola, quod ad regni administrationem pertinet, dispensabit, sine istorum duodecim consensu. (22) Quod si Regina supervixerit, â marito filiæ Regis dignitate proxima erit: quæ si ad secunda vota transieret, donationem propter nuptias, seu dotalitium, ad dies vitæ tenebit, quod autem post mortem ejus ad coronam redibit. (23) A morte Regis Regina in fideli eminentium matronarum custodia per proximos decem menses erit, quo certum evadat, uterône ferat, an secus. (24) Rex, dum pupillus est, cum omnibus iis, qui successionis jus in regnum habent, in una custodia, in robustissima domo, donec is ad justam ætatem perveniat, permanebunt. (25) Quicunque se Regem constitui facit, aut jus habere se in regnum Norvegiæ profitetur, sive mas fuerit, sive fœmina, sine illo jure, quod hæreditaria Regum Norvegiæ successio præscribit, a Dei omniumque Sanctorum collegio ipso jure excommunicatus est: in Regem autem capitale crimen commisisse, sive consilio, sive opere id agressus fuerit, censendus est, omnesque, qui consensu, vel actu eum juverint, pace bonisque mobilibus atque immobilibus, quæsitis & in posterum quærendis, excidisse. (26) In veritatis & perpetuum hujus constitutionis stabilimentum, nos ipsi præsentes hoc instrumentum nostro sigillo obsignamus. obsignant & suis appensis Dominus Arbhiepiscopus & præfati Satra-

pæ. Datum Osleyæ a Nativitate Servatoris anno 1302. quartô regni nostri anno. Raudus Petri exaravit.

Mihi tantum apographum, nec id membraneum, ad manus est; cui aliqvid omninò deesse persvasus sum, præsertim cum nulla Satraparum dictorum nomina hic occurrant, id qvod ipsum & alius locus, qvi duodecim administratores in præfinitum tempus congregari jubet, cum tamen nec is hic præfiniatur, arguit; nempe, si nihil aliud, certe prologum huic constitutioni præmissum fuisse.

CAP. III.

VALDEMARI SVECIÆ REGIS MORS. CONVENTUS PRINCIPUM AD GAUTELFAM, ET IN NORVEGIAM PROFECTIO. CLARORUM VIRORUM MORTES. PRIVILEGIA MERCATORUM BERGENSIUM ARCTATA. MAGNUS BYRGERIS FILIUS SVECIÆ REX ELIGITUR. FOEDUS INTER SVECOS ET NORVEGOS RENOVATUR. BELLUM CUM DANIS. CONVENTUS CNEDERUDÆ HABITUS.

IN hunc annum Valdemari Byrgeris filii Sveciæ Regis, Regio dudum fastigio dejecti, mors incidit. Archiepiscopus Jörundus templum Apostolorum, cujus fundamenta Rex Magnus in horto suo Bergîs posuerat, consecravit. Tunc qvoq; vetus Apostolorum templum in usum revocatum scribitur. Annales Regis anepigraphi & mei chartacei referunt, festo Michaelis Gautelfam ad locum, qvi Solbiarg dicitur, Haconem Norvegiæ Regem, Byrgerem Regem Sveciæ, ejusqve fratrem Ducem Eiricum, unà cum Comite Hallandiæ Jacobo & Domino Vizlao, & magno utrinq; procerum numerô, convenisse; arctiusqve tum ibi fœdus inter regna coaluisse. Credibile est hic qvoq; Duci Eirico Ingibiorgem Regis Haconis filiam desponsatam esse, id qvod tamen in Annalibus dictîs haud legitur.

Eodem tempore Eiricus Valdemari filius captivitate liberatur. Audunus Hugleiki filius, cognomentô Heftakorn, Bergîs patibulo suffixus, de qvo obscuræ qvædam relationes circumferuntur. Atq; hic ille est, qvem *Lyscander* in sua Grönlandia metrica ad annum 1280. conciliatorem fuisse nuptiarum inter Eiricum Haconis fratrem ac Isabellam tradit. *Absalon* hunc *Heftakorn* dictum tradit, qvòd in Norvegia eqvos avenâ primus paverit, & prædium Hegranes dictum incoluisse; criminis verò ejus non meminit, saltem anno 1299. in custodiam datum; anno verò 1303. in Nordnesia suspensum, alios autem combustum eum perhibere affirmat. Alius qvidam, Dn: Biarnius Lodini filius, in Ragnhildarholma in vinculîs detentus est. Ad hunc annum notant Annales Johannem (Grandium) Archiepiscopum Lundensem in Norvegiam profugum Regem Haconem Tunsbergæ degentem accessisse, & totam apud eum hyemem comoratum. Hafthoreri cuidam Jonis Ruffi filio Agnes Regis Haconis filia desponsa fertur. Memoratur etiam hoc celebre, qvòd amici Principes ac fœderati hoc tempore in Norvegiam simul venerint, nempe Dux Eiricus, Magni Ladalasi filius, Dn: Eiricus Valdemari Sveciæ Regis filius, Comes Hallandiæ Jacobus, & Dn. Vitzlaus, Rugiæ Princeps, qvi cum Hacone Rege, dum

festum natale Christi agebatur, Osleyæ vixerunt. Convivia tunc Jolensia integros qvatuor dies celebrata legimus.

Seqventi anno, memorante *Eirico Upsalensi*, coronatus est Byrgerus Rex Sveciæ Suderkopiæ cum Regina uxore suâ Margreta; ubi creatus est in militem frater Regis Dux Valdemarus, cujus tunc nuptiæ ibidem sunt celebratæ cum filia Marschalci Domini Thorchilli Knutson. Sed processu temporis propter spiritualis cognationis obstaculum, celebratô inter eos divortiô, separati sunt: in qvarum Regalium & Ducalium solennitate mirificâ Dux Eiricus frater Regis accepit scripta Regis Norvegiæ, cujus filiam pulcherrimam virginem desponsaverat, ut transactâ festivitate coronationis & nuptiarum Regis Birgeri, festinaret ad eum, Aslogiæ existentem, & cum eo duceret festi Natalis Dominici festiva solennia. Dux igitur Eiricus assumtis secum multis nobilibus & potentibus viris, Dominis sc: Amberno Dapifero, viro validissimo, Petro Porse Juniore, Arvidoqꝫ, cum multis aliis famosis & strenuis; cui etiam cum turba magnificâ in Norvegiam transeunti, junxit se Comes de Vardberg, cum multis nobilibus regni Daciæ, sed profugis ob necem Regis Eirici: cui venienti Rex Haqvinus cum tota Norvegiæ Baroniâ occurrens, in multo favore suscepit, similiter Regina. Universa autem populi multitudo ad contemplandum novos hospites congregabatur. Jam enim fama celebris præcesserat de Ducis Eirici venustate & morum honestate multiplici. Postqvam autem cum Rege Haqvino ejusqꝫ consorte, cœterisqꝫ nobilibus regni Norvegiæ, aliqvanto tempore in multa jucunditate moram traxisset, acceptâ licentiâ cum sua nobili comitiva honore illic amplissimo habitus, in patriam est reversus. Horum igitur nobilissimorum Principum, Domini Regis Byrgeri & fratrum ejus, durante concordiâ, multa vigebat gloria & prosperitas regni Sveorum. His consentit *Chronicon rythmicum Svedicum*; additqve, Ingeburgam Regis Haconis filiam tunc sex annos circiter fuisse natam; id qvod, etsi cum Annalibus nostris non convenit, vero tamen similius videtur. Idem præterea Ducem nono festi natalium die Osloâ excessisse tradit.

Ad hunc annum obitum Vitzlai Rugiæ Ducis, Regis Haconis soceri, nostri Annales referunt; Danici autem ad seqventem, diemqꝫ ipsi fatalem festum S. Thomæ assignant. Verùm certiùs rem declarat citatum nuper *Chronicon Suecicum*, qvòd eum Osleyæ statim ægrotâsse, qvintoqve festi die animam exhalâsse; corpus verò demortui in æde D. Virginis ante altare tumulatum refert. Planum hinc evadit, eodem hôc anno Principes bis convenisse, primùm S. Michaelis festo, deinde invitatum Ducem Eiricum, ut dictum est, cum cœteris Osleyam profectum esse; jacta enim priùs fundamenta amicitiæ videntur, qvàm Rex Hacon literis Eiricum ad se invitaret.

Annales Frateyenses cometam Bergis visum ante jejunium Qvadragesimale annotant; at Romæ eundem ante Paschatis festum apparuisse. Careli septentrionales Norvegiæ partes infestabant, ad qvos reprimendos Augmundus Jungedanz cum numeroso milite ablegatur. Evocati tum ex Islandia Dn. Alfus de Kroko, Svenus Langius, Dn. Lodinus de Backio, Dn: Erlendus, & Bardus Hognii filius. In cœnobio Islandiæ Mödruvallis Jorundus Episcopus Holensis exstructum recens templum sacris habitis ac solenni cæremoniâ inauguravit. Dominus Vidkunnus de Biarkeya è vivis excessisse scribitur.

Anno 1303. Bonifacius Papa, cùm recenseret thesauros suos, qvos in anno Jubilæo corraserat, Anagniæ in patriâ sua, in profesto nativitatis Mariæ, die 7. Sept. proditur, capitur, abducitur, & thesauro omni spoliatur: à Vil-

à Vilhelmo de Rogareto, consciis Cardinalibus Columnensibus. Tertio die liberatur, & Romam profectus, mærore animi exstingvitur, die 11. Oct: cùm sedisset annos octo, menses novem, dies octodecim. De eo circumfertur dictum: *Intravit ut vulpes; regnavit, ut leo; mortuus est, ut canis.* Quâ tamen formulâ loqvendi *Baronius* sæpe de aliis etiam Pontificibus utitur: Succedit ipsi qvidam Nicolaus, qvi Benedictum XI. voluit se appellari, seditq; mensibus tantùm octo & diebus septendecim. Obierunt hôc anno Arnius, Episcopus Stafangriensis, & Marcus Episcopus Mannensis, Thorlacus qvoq; nomophylax Konghellensis, Idibus Martii. In Islandiam superiùs nominati Dn. Alfus de Kroko, Dn. Erlendus, Dn. Thordus Halli filius, Bardus nomophylax, & Dn. Svenus Langius, redierunt. Evocantur autem vicissim in Norvegiam Episcopus Holensis Jörundus, Runolfus Abbas de Verio, Dn. Thordus, Dn. Sigvatus, multiqve alii tum aulicâ dignitate insignes viri, tum ex plebe rusticâ haud pauci. Adeò parùm Islandi stipulationibus suis profecerunt. Eodem anno, festô Martini, Bergîs diplomate regio est vetitum, ne peregrini invectas semel intra pomæria urbis, qvæ Tatmart appellant, merces iterum evehant, sed in urbe distrahant, nî arresto detentas perdere, tresq; marcas insuper luere velint; si peregrini post festum Natale in urbe manserint, nec de mercibus pensionem, qvæ Leding appellatur, solverint, cautum, ut merces, unde pensio illa soluta non est, fisco cedant, & tres insuper marcæ in pœnam. Qvi ex piscatura halecum redierint, non soluto teloniô, præter confiscationem totius vecturæ, octo Ortugos & tredecim marcas solvant. Peregrinis etiam vetitum merces navibus absqve præfecti permissu evehere; harum rerum cura sedula Satrapis atq; qvæstoribus injuncta.

Annotatum in Commentariis Danicîs dicit *Pontanus*, qvamvis Svetici hoc Annales omittant, Magnum Byrgeri filium ad imperium in omnē eventum, & si qvid humanitus patri contingeret, unanimi utriusqve Ducis ac procerum omnium consensu electum fuisse, & Mareschallum insuper præter cæteros, arctius se Regi ejusq; in posterum liberorum obseqvio devinxisse. Ac statim deinde Byrgerum, cùm à Daniæ Rege affine suo, qvod metueret, non haberet, vetera cum Rege Norvegorum Haqvino fœdera, Sulbergæ olim icta, renovâsse, & hoc præterea noviter pepigisse, ut mutua utriusqve regni auxilia essent, si alterutri bellum ingrueret. Impensæ qvæ fierent, easqvisqve seorsim toleraret, ita tamen ut loca ac munitiones, qvascunqve hosti præreptum irent, communibus impendiis defenderentur. His interfuerunt, præter Ducem Eiricum & Valdimarum, ex reliqvo senatu Thurkillus Mareschallus, Benedictus Ostergothiæ præses, Thorbornus Ketillus, aliiqve. Cæterum electum in Regem Sveciæ fuisse Magnum Birgeri filium Scriptores ipsi Svetici testantur, & insuper inter Regem Birgerum & ordinem Ecclesiasticum simultates exortas, ob exactiones & tributa Ecclesiis imposita; Regem qvoqve in animo habuisse, Archiepiscopum comprehendere, interqve hæc exactum nuper regno Petrum Vesturaasiæ Antistitem, præcipuè ob minas Mareschalli Thorkilli, Nidarosiam concessisse, ibiqve hoc eodem anno MCCCIII. vitam finiisse in Vite Aqvilonia *Johannes Vastovius* consignatum reliqvit.

Annò MCCCIV. Benedictus XI. cum sedisset menses 8. moritur die septimo Julii, feria tertia. Propter dissensionem Cardinalium nullus Papa eligi potuit: vacavit igitur sedes menses undecim. Decesserunt ex notis hoc anno Eyvindus Episcopus Osleyensis & Narfius Bergensis. In prioris locum ab Archiepiscopo Jörundo suffectus Ketill Stafangriensis; cui deinde Eccle-

Ecclesiæ Helgius Osleyensis præponitur. Arnius Helgii filius in Episcopatum Skalholtensem consecratus est. Rex Hacon censum Romanum in Islandia exigit. Cujus tum incolæ, qvadrantum præsertim Septentrionalis & occidentalis, universalia gentis comitia fastidientes, provinciales curias instituisse, duas qvidem in singulis qvadrantibus, memorantur.

Hoc anno fœdus, qvod inter Danos & Norvagos pactum suprà diximus, ruptum est, occasione præsertim Hallandiæ Comitis Jacobi, cæterorumqve perduellium, qvorum animus inqvies ac fidens amicitiâ Norvegicâ, novas perpetuò bello faces subdebat, insolenter ac turbidè in Danos agendo. Qvocirca Eiricus Rex, imperatâ navali expeditione, Varbergam, Huneshallsam, aliasqve munitiones obsidione circumcinxit, & arma perduellium armis compressit; indictusqve inter Regem utrumqve Daniæ & Norvegiæ conventus; qvi Cnederudæ magnificè habitus: eòqve non Reges modo Eiricum & Haqvinum, sed & Reginas qvoqve utrasqve advenisse Chronologi referunt.

CAP. IV.

DISSIDIA REGIS ET DUCUM SVECIÆ ET BELLUM. HALLANDIÆ COMITATUS HACONI SUBJICITUR. DUÆ REGIS HACONIS CONSTITUTIONES. DUCES SVECIÆ IN GRATIAM CUM REGE REDEUNT. THORKILLI CÆDES. EXULES ITERUM CÆDIS REGIS EIRICI REI JUDICANTUR. PRIVILEGIUM COMMERCIORUM BERGENSIBUS DATUM. GRAVIA APUD ISLANDOS TRIBUTA EXACTA.

Apud Sveones, licèt jam undiqve Byrgerus Rex vicinis Principibus aut fœdere aut affinitate sibi devinctîs ac pacatîs uteretur, tantam tamen in se domi tempestatem concivit, ut ea propemodum universam Regiam domum pessundederit. Invitaverat enim in arcem suam Byrgerum ejusqve fratres, Eiricum & Valdemarum Duces, Thurchillus Mareschallus regni: finitoqve conviviô Rex utrumqꝫ fratrem seorsim avocans, affirmabat, sibi certò constare, peregrè eos & extra patriam proficisci constituisse, & tam in se, qvàm in regnum hostilia machinari; itaqve eos monitos cupere, si abire salvi vellent, ut literis, qvas in hoc paratas habebat, additîs sigillîs subscriberent. Duces in arctum redacti, postqvam ad sui defensionem multa adducere pararent; nihil tamen obtinere potuerunt, sed coacti sunt obsignatîs literîs affirmare & jurejurando promittere, se patriam sine Regis veniâ haud egressuros, in ejus etiam conspectum, nisi vocarentur, non venturos, familiam atqve gravem comitatum non alituros, neqve ullos in Regis aut Reginæ personam, aut qvi ad eos pertinerent, insidias molituros aut adhæsuros molientibus. Hæ literæ datæ fuerunt in arce Thurchilli Aranes; accusatusqve Thurchillus ipse, qvasi earum author, aut Regi consilii istius svasor fuerit, qvòd magno illi postea stetit. Interjectîs aliqvot diebus jussi Duces ad insulam Visingiacam accedere, ut responderent articulis, qvos in ipsos Rex esset prolaturus. Verùm Valdemaro Regis fidem suspectante, solus Ericus exiguo comitatu Regiam accessit, ac ipsum Byrgerum, prout erat singulari comitate atqve eloqventiâ, coram salutavit. Rex autem, posthabitîs omnibus obseqviis ac humanis-

nissimîs ejus verbîs, torvo vultu venientem excepit, & recitari extemplò criminationum aliqvot in ipsum capita mandavit; qvod nimirum, contemto Regis edicto, extra regni limites commeatum evehi fecisset, qvodqve facto per Regis territoria itinere subditos Regios manu armatâ infestâsset, & famulus ipsius alapam ostiario Regis incussisset, qvòd aliqvando in arcem non admitteretur, ac deinde qvod palatium ipsius tantâ esset magnificentiâ exornatum, ipseqve tam freqventem comitatum circumduceret, ut aula Regia ejus comparatione contemtui haberetur.

Qvibus perlectîs, Rex, non admisso Ducis responso, subitò exsurrexit, ac irâ concitus regno eidem interdixit. Duces igitur à fratre proscripti, ad Ericum Daniæ Regem, affinem suum, convasatîs subitò rebus, confugerunt. Sed cùm parùm ibi solatii reperirent, & Ericus Byrgero potiùs, qvàm ipsis, favere videretur, qvòd arctiori inter se affinitate juncti, alter alterius sororem duxisset, relictâ Daniâ ad Haconem Regem Norvegiæ se receperunt, à qvo amicè suscepti, oppidum Konghellæ inter Norvegos & Svecos situm præfecturæ nomine acceperunt, ut esset scil. veluti specula, unde captâ occasione, procursu Svecorum facto, vicinas provincias, Daliam & Vermelandiam, continuîs incendiis ac direptionibus vexarent. Estqꝫ ob id ipsum coactus Byrgerus novum præsidium, qvem Aureum Montem vocant, eò loci adversùs eorundem incursus exstruere: qvo tamen excitato, nihil remissius egerê; ac mox Daliam ingressi, arcem Daleburgum condiderê; undè variis excursionibus editîs, populares undiqvaqve aut fatigârunt, aut abduxerê captivos. Proinde Byrgerus, collecto decem millium exercitu, statuit, expugnato Daleburgo, retrò eos agere, atqve in totum extra regni fines propellere. At Duces, paratîs, qvas habebant, copiis, unà cum milite, qvem auxiliarem ipsis Hacon submiserat, in adversum egressi, Byrgero vicissim exercitum objiciunt. Qvæ dum magno utrinqve molimine fiunt, interponentibus se arbitrîs, ità bellum compositum est, ut Byrgerus receptis in gratiam fratribus redderet, qvæ illis debebantur, & hæreditarias possessiones, ac præfecturas lege pactas cuiqve assignaret.

Jacobus interea Hallandiæ Comes, cùm arces suas & propugnacula, qvæ Eiricus Daniæ Rex validâ militum coronâ circumcinxerat, liberare obsidione non posset, totum Hallandiæ borealis Comitatum Regi Norvegiæ in perpetuum possidendum ac tenendum transcripsit, memor scil: ingentium ac variorum beneficiorum, qvæ ipsi Norvagiæ Reges, durante cum Danîs bellô, toties tamqꝫ liberaliter præstitissent, acceptîs insuper â Duce australis Jutiæ bis mille argenti marcis, pro qvibus idem Norvagiæ Rex fidem suam apud Ducem interposuisset. Hæc itaqꝫ in totum Norvago Jacobus permittens, ac se liberosqꝫ suos ejusdem Regis gratiæ ac favori commendans, illud præterea orabat, ut, si Rex commodâ aliqvâ transactione eundem Comitatum obtinere etiam à Daniæ Rege posset, ut tum meminisse liberorum ejus vellet, qvo scilicet eorum alicui ea præfectura traderetur. Bina autem illa marcarum millia si Duci redderentur, Regem ab omni sponsione fore liberum. Acta hæc Tonsbergi, anno circa festum Divi Suffridi, â Christi nativitate qvinto supra millesimum trecentesimum. Hæc totidem qvoqꝫ verbîs *Pontanus* in *Historia sua Danicâ* enarrat: ex qvibus clarè evincitur, Hallandiam illo qvoqꝫ tempore ad Daniam pertinuisse; secus atqve *Eiricus Upsalensis Lib. III. pag. m. 98.* & *Olaus Petræus* ad annum 1304. notant.

 Inse-

Inserendæ hic duæ constitutiones Regis Haconis, eodem hoc anno datæ: prior hoc modo legitur: *Hacon Dei gratia Norvegiæ Rex Magni filius omnibus Bergarum & societatis Gulensis incolis S. Sæpius ad nos delatum est, quod propinqui eorum, quos nostri præfecti vel justo examini subjiciunt, aut secundum leges puniunt, vindictam tum his, tum illis, qui ad juris executionem promovendam operam conferunt, minentur. Igitur, adhibitis in concilium senatoribus nostris, statuimus, tales nihil differre ab illis, qui satisfactionem exigunt pro iis, quos Rex pro delictis suis secundum leges puniri facit. Cum itaque sæpe compertum sit, tales minas haut vanas fuisse; nosque ex officio teneamur, illam similemque malitiam, quæ quotidie increscit, coërcere; mandamus, ut quicunq; in his deprehensus fuerit, Regiæ custodiæ includatur, donec idoneo fidejussore securitati illius, cui minatus est, de damno & ignominiâ caverit, luatque ob tantam temeritatem Regi quatuor marcas, insuper & dignitatis suæ satisfactionem læso ex sex judicum sententia præstet. Quodsi is, cui minæ intentatæ sunt, damnum aut contumeliam, licèt interjecto tempore, sentiat, prudentibusque is, cui minatus est, ejus rei suspectus habeatur, nomophylacibus nostris & præfectis interdicimus eos ad purgationem admittere, priusquam nos consuluerint; quodsi fecerint, factum ipso jure irritum esto. Comperimus etiam, præter tales alios esse, qui jure procedere, sive aliis cum iis, sive iis cum aliis res sit, detrectent, sed tantùm tumido fastu incedentes, iracundiâ terreant minores, qui legibus se submittunt, etiam oblata justâ in litis impensas cautione, ubi id necessarium est, adeò ut metus causa jure suo desistant. Ad id cum nobis nullo modo connivere liceat, severè mandamus præfectis nostris, ut tales pari ac priores custodia mulctâque coërceant; sed nec ii facilius ad purgationem admittentur, si quid iis eveniat, cum quibus illis lis est. Imperamus itaque omnibus, præsertim verò nostris satellitibus, ut præfectis nostris opem ferant, ad hujus aliorumque mandatorum nostrorum, in præsidium bonorum & justam refractariorum pœnam, executionem. Datum Bergîs, septem noctibus post festum Michaelis, qvinto regni nostri anno. Domininus Akius, noster Cancellarius, obsignavit, Gunnar presbyter exaravit.*

Alia Haconis constitutio de satellitum licentia coërcendâ:

Hacon Dei gratiâ &c. Sæpius instituta de satellitibus nostris querela ad aures nostras pervenit, nimirum quòd multi, eorum nomina solvere, mulctas, quibus damnati sunt, pendere, in jus vocati nomophylaces accedere, testimonia ferre, eaque jurejurando, etiam lege præscriptô, confirmare (præstiti semel nobis jvramenti prætextu, quasi uno illo immunitas à cæteris acqvisita fuerit) tergiversentur: quæ cum justitiæ repugnent, nec nos diutius toleranda duxerimus, sancimus, ut quicunque in posterum tale quid admittit, nec emendat, à nomophylacibus & provinciarum præfectis admonitus, à dignitate & gradu, quem in aula tenuit, remotus, in plebejorum sortem ipso jure recidens, in conviviis & conventibus inter vulgus locum & consortium teneat; si verò deinceps se aulico satellitio ingerat, etiam spe sortis illius in posterum recuperandæ excidat. Præcipimus itaq; præfectis nostris, ut eos sicut plebejos, in sua quisque provincia, in jus vocent, imò ipsis nostris satellitibus, cujuscunque conditionis fuerint, svademus, ut quæ hucusq; deliquerunt, proinde emendent, certò persvasi, sedulam horum exsecutionem in posterum decretam. Datum Bergîs feriâ sextâ, qvæ initium hyemis proximè præcessit, anno quinto regni nostri.

Anno MCCCV. cùm sedes Pontificum vacasset mensibus XI. tandem die qvinto Junii eligitur Papa absens Bertrandus de Gotto-Vasco, Episc: Burgedalensis, qvi vocatus Clemens V. sedit annos octo, menses decem. Hìc statim Cardinales Lugdunum in Galliam evocavit, in qvo regno deinceps

ceps ſedem Pontificiam fixit, ubi ad annos LXXIV. permanſiſſe eam Chronologi tradunt. Cœnobium in inſula Selia hoc anno incendiô conſumtum eſt. Arnius Epiſcopus Skalholtenſis in Islandiam rediit, ſuperiore autumno ante feſtum Criſpini & Criſpiniani, qvod in 25 Octobris incidit, inauguratus. Presbyteris diæceſis Skalholtinæ beneficia eccleſiaſtica reſtituta ſunt. Arnius, Epiſcopus Bergenſium electus, conſecratur. Obierunt Thorſteinus Epiſcopus Hamarenſis & Sturla Jonis filius. Annales Islandici communiter ad hunc annum referunt bellum inter Regem Sueciæ Byrgerum & fratres ejus: Haconem autem dicunt ſupra qvatuor millia in auxilium affini ſuo (qvem perperam Magnum vocant) adduxiſſe; nimis tamen ſerò, pace ante ejus adventum reconciliatâ, poſtea verò Reges Norvegiæ & Sveciæ in teſqvis Gullbergaheidi conveniſſe, ibidemqve pacem inter eos factam: de qvo *Pontanus* ita uberiùs omnia exponens, ſcribit:

Eodem propemodum tempore reconciliatio, quam diximus inter Byrgerum ejusque fratres factam, chirographis ac codicillis Nicopiæ ſignata eſt: in quibus, præſentibus Epiſcopis ac regni proceribus, culpam profeſſi ſunt Eiricus & Valdemarus, quòd ſe fratri oppoſuiſſent, eoque nomine ſe facturos ac omiſſuros ſpondebant, quodcunque ille mandaret, excepto bello adverſus Norvagum gerendo, à quo immunes forent, ſicuti nec juvarent adverſus Danum Norvagos. Cæterùm fratri Byrgero, ejusque conjugi Reginæ Margaritæ ac liberis, fidelem ubique operam præſtarent, ac Ducem Magnum Byrgeri filium jam electum Regem agnoſcerent, & poſt ejus obitum filium ejusdem natu maximum, ac ſic deinceps. Nulla etiam Thurchillum Mareſchallum aliosque ex Regis conſiliariis injuria aut malevolentia proſeqverentur, qvòd Byrgerum ope conſilioque juviſſent. Hæc firma rataque permanſura etiam adſtipulatione Regum Daniæ, Eirici & Haqvini Norvagiæ, nec non Gerhardi Holſatiæ Comitis, ſe obſignata allaturos, intra feſtum natıvitatis D. Johannis Baptiſtæ promiſerunt. Eâque habitâ pacificatione, omnis exinde in Thurchillum Mareſchallum ſimultas invidiaque derivata. Ei imputatum, quod Ducibus perpetuo obſtaculo fuisſet, ac multa, inſcio Rege, ſuâque ipſius authoritate, in regni ipſorumque detrimentum egiſſet, ac licèt pro ſe haud pauca in contrarium adduceret, locum tamen ea habere neqviverunt; nam qvod fieri vulgò ſolet, tranſilire ſepem ſtudebant, qvà erat depreſſisſima. Itaque Byrgerus aurem Ducibus præbens, nec intelligens per Thurchilli latus ſe peti, comprehendi eum in villa Veſtro-Gothorum Lenâ juſſit, ac vinctum in Regiam Stocholmienſem abduci. Ubi cùm detinetur, divortium fecit cum ejus, qvam diximus, filiâ Dux Valdemarus, quaſi ſpiritualis cognatio (quod ſc: in baptismate cum Valdemaro Thurchillus fidejusſiſſet) hoc ipſum poſtularet. At illud vinculum ſi nullum fuerit, cùm nuptiæ contraherentur, nec jam eſſe alicujus momenti potuit, niſi iſtæ aliæqve intervenıſſent ſimultates. Itaque haud multò pòſt Thurchillus, nulla habita meritorum ejus, ac Regi per tot annos navatæ fideliter operæ, memoria, præbere cervicem carnifici coactus eſt. Ejus aliqvandiu corpus levı ceſpite adobrutum jacuit, donec interceſſioni tandem bonorum in monaſterium Minorum ſepulturæ traditum eſt.

Memoratum ſuperiùs, pactiones, qvæ inter Daniæ Norvegiæqve Reges aliqvoties eſſent initæ, iterum ſæpiusqve ruptas, occaſione perduellium, ac præcipuè Jacobi Halandiæ Comitis, qvod minus pacate agens, variis modis inducias interrumpebat. Qvapropter Rex Eiricus, habito Helſenburgi procerum conventu, etiam extorres, datis ipſis fidei ac ſecuritatis literis, convocari eodem curavit, ut ſi qvid etiamnum ad ſui defenſionem haberent, qvemadmodum innuere Norvegiæ Rex Hacon videbatur, id

id publicè proponerent, ac se homicidii in parentem ejus, laudatæ memoriæ Eiricum Regem, perpetrati, reos non esse, liqvido demonstrarent. Itaqve illis non comparentibus, in pleno procerum ac Episcoporum consessu, cui etiam Dux Esthonum Christophorus, Sveonum Eiricus, & Finlandiæ Valdimarus, unà cum Holsatiæ Comite Gerhardo, interfuerê; sententiâ ejusmodi recitatâ, se iterum iterumqve inspectâ perduellium causâ agnoscere ac pronunciare Comitem Hallandiæ Jacobum, Mareschalcum Stigotum, Nicolaum Hallandzfar, Petrum Porsium, Petrum Jacobum, Nicolaum Canuti, Agonem Cacium, Rannonem Jonæ, reos esse cædis Eirицianæ, ac crimen comīsisse læsæ majestatis.

Dani hoc anno Hallvardum Batum, Regis Norvegiæ militem, & qvadraginta cum eo occiderunt. Rex Galliæ scribitur Loculantem obtruncandum curasse, an prædonem illum Hæbudensem, non exprimitur. Sirenes propter australia Islandiæ promontoria, Sudrnes appellata, pluraqve alia monstra visa, & in his illud, qvod Hafstrambr appellatur (de qvo videri potest *Grönlandia* nostra cap: 13.) nautis, qvi in Islandiam vento retroacti sunt, observatum. Dominus Alfus de Kroka in Islandiam rediit, qvadrantibus orientali & septentrionali præfectus, qvi grave statim tributum ab incolis Laicis exigebat, ulnam nimirum integram panni Islandici ex singulis bonis, qvæ pretio erant qvatuor unciarum argenti, prout hodie æstimantur, nomine Regis poscendo, pluraqve alia, qvæ conditionibus tamen pactorum adversabantur. Horum impatientes Septentrionales, in curiis Hegranesia & Oddeyra tumultu excitato, adeo Alfum terruerunt, ut, qvo se verteret, ignarus, paulo post in villa Horgardalensi Dynhagio ex morbo decesserit. Islandis interim, qvi in Norvegia erant, objectum, â popularibus eorum ipsum occisum esse, falsò qvidem, cum ægritudo ipsi finem attulerit.

Privilegium qvoddam commerciorum Rex Hacon Bergensibus hoc eodem anno dedit, cujus sensus talis:

Hacon Dei gratiâ &c: Omnibus præsentes literas visuris vel audituris, Dei suamque salutem. Notum sit omnibus, quòd indigenæ mercatores Bergenses questi sint, nostros præfectos commercia sua impedivisse, insolentibusque oneribus aggravasse. Idcirco propter bonorum virorum intercessionem & fidem & benevolentiam eorum in magna regni necessitate nobis benignè exhibitam, permisimus eis, australes borealesque regni nostri partes provinciasque tributarias navigiis perlustrare, ibique commercia secundum leges & consvetudinem, quæ tempore parentum nostrorum obtinuit, liberè exercere. Prohibemus itaque omnes & singulos, præsertim regionum & provinciarum nostrarum præfectos, aut eorum curatores, illos impedire, contra hoc nostrum privilegium, sub amissione gratiæ nostræ & iræ in ipsos incitatione, præter ordinariam violati mandati mulctam in singulas navigationes. Datum Bergîs, feriâ sextâ post festum Botolphi, sexto regni nostri annô. Christi 1305. Dominus Petrus Eiricius Cancellarius noster obsignavit, nobis præsentibus.

Seqvitur & alia Regis Haconis constitutio de convictu Norvegorum cum Islandîs, ut & qvibusdam aliis articulis.

Hacon Dei gratiâ &c. Nostrates in Islandiam navigantes, si quid deliquerint, ante festum S. Olafi plectentur. Similiter si in eos quis delinqvat, reus læso satisfacere ad præstitutum tempus cogatur: præfectus verò judicii, si cessator hic aut negligentior fuerit, ipse pro reo plectatur. (2.) Mandamus præterea, ut scelerati, ubicunque comprehenduntur, si causa liqvidò examinari possit, ibi & puniantur, aut paræcialibus, qui illos comprehenderunt, reddantur, qu

qui ad vicinos ſuos, illique iterum ad ſuos eos transportabunt, donec loci, in quo deliquerunt, judici reddantur. (3.) *Placet, ut pacta conjugalia propinqui faciant, quorum vis ex lege æſtimabitur. Eorum, qui annos decem cohabitarunt, conjugii prætextu, nec infamiâ, dum vixerunt, adulterinæ aut illegitimæ ſocietatis laborârunt, liberi pro hæredibus ſe gerent, legitimique habebuntur, etiam ſi teſtes ſponſaliorum non vivant.* (4.) *Si pauperes liberos ſuos in paræciis deſerant, permittimus proximis paræciæ rectoribus, ut deſertores comprehendant, liberosque humeris ejus alligent, utque ipſi paræciâ efferant, adigant.* (5.) *Armenta pecoraque caſtrata domi ut oberrent, permittimus, modò id fiat paræciæ rectorum vicinorumque permiſſu.* (6.) *Qvi ſanctiones rectorum paræciarum legitimas transgrediuntur, marcâ mulctabuntur: dimidium regno, dimidium rectoribus cedat, & pauperibus, æquis inter eos partibus dividendum.* (7.) *Una menſuræ ponderumque norma per univerſam regionem in uſu erit, cujus inſpectionem præfecti tam accuratam habebunt, quàm iis curæ erit, ne officiô moveantur.* (8.) *Qvi nec uxores nec domicilia fixa habent, in re tamen aliqva ſunt, pro parte qvisque ſua ex æqvo pauperes ſuſtentabunt, ſecundum rectorum paræciarum diſpoſitionem. Datum Tunsbergæ, anno regni noſtri ſexto, per manus Simonis Thorſteini Scribæ & Akii Cancellarii.*

Subjicitur adhuc una anno ſeqventi Tevtonibus data.

Univerſis præſentes literas inſpecturis Hacon D. G. Rex Norvegiæ ſalutem in Domino ſempiternam. Conſtare volumus præſentibus & futuris, quòd omnia & ſingula, quæ pro bono perpetuæ pacis & ſinceræ concordiæ priùs apud Calmariam vel alibi placitata fuerant & condicta inter regnum Norvegiæ & civitatem Lubecenſem, irrefragabiliter & absque fraude vel fictione qualibet obſervare velimus, confirmemus, & tenore præſentium innovemus. Prætereà ſi legitimè probari poterit, quòd per officialem & alios ſubditos aliqua ſunt oblata dictæ civitatis incolis minùs juſtè; valorem ablatorum paſſis damnum reſtitui faciemus. Volumus inſuper, quòd prædictæ civitatis incolis venientibus ad civitates vel villas forenſes alias regni noſtri, tanquam hoſpitibus licitum ſit ad pontem applicare, etiam Balivi licentiâ non rogatâ. Debent tamen eadem die vel proximè ſequenti, poſtquam ad pontem applicuerint, inſinuare procuratori noſtro, qui deputatus eſt noſtro nomine ſpecialiter ad emendum, qvas & quales res apportaverint &, licentiam petere transferendi res hujusmodi ex navibus intra domos, quæ non debet illis aliqualiter denegari; hoc adjectô, qvòd procurator noſter res illas, quas nobis credit neceſſarias, primitus emat, ſi voluerit, infra triduum, ſicut tunc temporis inter alios communiter ibi valent, & ſolvat precium tempore debito pro eisdem. Qvod ſi procurator noſter infra dictum terminum non fecerit, vendant poſtea liberè unicuiqve. Item ſi naufragium paſſi fuerint, intra terminos regni noſtri res ſuas per ſe vel per alios colligere ipſis liceat, & reficere naves ſuas, ac rebus ipſis & navibus pro arbitrio conſulere, donec easdem res & naves voluntariè abdicaverint, vel pro derelictis habuerint. Ubicunq; etiam ſubditi noſtri cum prædictæ civitatis incolis in mari conveniunt, vel in terra, oportet ut amicè ſe commiterq; utrinqve gerant, ſicut amici veri pariter & fideles, ac qvælibet partium debet alterutram conſiliis pariter & oportunis auxiliis, qvibus poterint, ex juſtitiæ legibus fovere, nec ullo modô impedire. Mandamus igitur Balivis omnibus noſtris, procuratoribus & aliis ſubditis, ſub poena amittendæ gratiæ noſtræ, firmiter & ſeverè, ut in præmiſſis nullam adhibeant malitiam, negligentiam ſive fraudem, niſi paſſis injuriam velint totum damnum integrè & ex proprio compenſare, & ultionem judicii Regii pro tali malitia, fraude vel negligentia, debitam in corpore ſuſtinere. In cujus rei teſtimonium ſigillum noſtrum

præsentibus est appensum. Datum apud civitatem Asloensem sub anno Domini 1366. in festo Beati Barnabæ Apostoli, anno nunc septimo regni nostri.

CAP. V.

HYEMIS RIGOR. DUCES SVECIÆ ITERUM TUMULTUANTUR, FRATREM REGEM CAPIUNT. NORVEGI DANOS FRUSTRA LACESSUNT. VARII IN ISLANDIAM MISSI. REGIS DANIÆ ET DUCUM SVECIÆ. INDUCIÆ IRRITÆ. BELLUM IN VESTROGOTHIA. HACONIS DE EXULIBUS LITERÆ.

ANno MCCCVI. tanta vis ac rigor hyemis fuisse fertur, ut intra omnes insulas Daniæ & Svecia portus cuncti per qvatuordecim hebdomadas & ultra, qvasi in solidos pontes conversi, starent, Rostochiâqve in Daniam iter supra glaciem fieret; Scania qvoqve Sialandiæ tanqvam ponte jungeretur; Gallia verò & Germania gelu tam intensum, qvàm unqvam aliàs Norvegia solet, sustinerent, fretumqve Sundicum glacie ad ulnarum qvindecim crassiciem clauderetur. Totam pœne æstatem seqventem septentrionalia Islandiæ litora adventitia illa glacies obsedit. In Islandia interim cives ac coloni censum ab Alfo indictum in foro universali abrogant. Gissur Gallius virum qvendam, nomine Höskuldum, occidit. Novi tunc in Svecia motus a fratribus Byrgeris Regis Eirico & Valdimaro excitati: qvi non contenti Thorkelli nece, domusqve ejus ruinâ, in ipsum demum Regem ultionem vertunt, captô ad hoc tempore, qvo nuptias celebrant famulorum qvorundam suorum in prædio suo Bielbo in Ostrogothia, unde clam expeditos milites ad Regem insidiis inopinatò circumveniendum emittunt. Hos Duces ipsi medio ex convivio sine mora subseqvuntur, & famam adventus sui prægressi, in Hatuna, olim aula Regum, postea amœniore secessu, Regem cum Regina totaqve familia Regia deprehendunt, ac capiunt: solus tamen Regis filius Magnus, industriâ famuli Arvidi Smalandi elapsus, in Daniam ad Regem Eiricum incolumis abducitur, cæterà honestè habitus. Interea Holmia per Matthiam Ketilmundi auspiciô Ducum expugnatur, totumqve adeo regnum Byrger ultrò Eirico cedit. Circa eadem tempora Norvegi in Danos iterum arma cœperunt movere, egressiqve in terram circa Torneburgum, fortiter â milite, qvi limiti erat appositus, repulsi sunt. Ac mox, cum eos classe sua perseqveretur Jacobus Olai Marescallus, velletqve in hostium navem de subito transcendere, saltu aberrante submersus est. Inde Hafniam appulsi ac simili fortuna usi domum redierunt. Episcopus in diœcesin Hamarensem Ingialdus qvidam consecratus legitur.

Unum adhuc nobis hoc annô ab Hacone Rege promulgatum edictum occurrit, his verbis: *Hacon Dei gratia. Notum sit vobis, proprietarios Vikenses nobis questos esse, prædiorum conductores annuam mercedem detrectare, quam mos priscus & antiqvus Codex Vikensis imperat. Nos itaque per omne Gulense territorium firmiter ordinavimus, consentientibus optimatibus, qui præstò erant, ut mercedes ex nostris, Ecclesiæ privatorumque prædiis, quotannis ante festum Christi Natale solvantur, sub multa unius marcæ, ex tenore legum. Mandamus insuper Nomophylacibus, ut secundum horum tenorem post*

hanc

hanc diem jus dicant; sub ira & offensa nostra, si quis hæc ullo modo violaverit. Osloæ, die Jovis in hebdomada paschali, anno regni nostri octavo, qui est Christi 1306. Annoqve proximo seqventem constitutionem fecit, cujus sensus talis:

Hacon Dei gratia Rex Norvegiæ, &c. Relatum nobis est, quosdam, qui nos subditosque nostros læserunt, satisfactionem legibus & judicibus definitam contumaciter detrectare. Nos autem nullatenus pati in posterum volumus, ut leges juraque Regia regno data, & a populo recepta, ab ullo vel infringantur vel violentur. Mandamus itaque omnibus, qui deliquerunt, ut injunctam sibi ritè satisfactionem læso solvant, intra terminum definitum, aut ad ultimum intra 14. dies, ex quo literas hasce nostras audiverint, nullo habito personarum discrimine. Qui autem adhuc tergiversantur, eos jam his nostris literis proscribimus, & pacis exsortes pronunciamus, mandantes præfectis nostris, ut bona eorum in indicem referant, quò ad ulteriorem nostram censuram reserventur. Datum Osloæ, anno regni nostri nono. Ivar Aslaci filius Cancellarius noster obsignavit.

Anno MCCCVII. mittitur in Islandiam â Rege Ivar Holmus, cum diplomate regio, qvô præfectis provinciarum Islandiæ decem ulnæ (marcam hæ Lubecensem valent) pro singulis rusticorum capitibus (pars nempe dimidia census Regii, lege definiti) indultæ erant, cum partem antea dimidiam caperent. Alter verò legatus Dominus Bardus eodem cum diplomatibus articulisqve aliqvot, qvi legum partes emendabant, missus â Rege venit. Eodem anno scribit *Pontanus*, Regem Daniæ Eiricum, postqvam anno superiore in Sveciam ad auxilium affini suo Byrgero ferendum ingentem exercitum trajecisset, remqve ad annuas inducias deduxisset, qvod tempus Ducibus ad deliberandum concessum est, secundò in Svecos movisse, tum ut anni superioris injurias ulcisceretur, tum ut affinem suum Byrgerum ê captivitate liberaret. Sed tanta tum anni hyems erat, ut morari sub dio vix mortalium qvisqvam posset. Tum & Ducum uterqve, cum jam prope Lingebyam Rex venisset, missis legatis, declarabant se æqvis conditionibus libenter parituros. Ac mox, traditis Regi obsidibus, promittebant, se ad pacem cum fratre faciendam adfuturos sub festum proximum nativitatis Christi, in loco, cui Orknelund nomen erat. Tum hæ pactæ conditiones, qvæ tamen servatæ haut fuere: nimirum ut esset perpetua pax atqve amicitia inter Duces & Regem Sveciæ Byrgerum. Is sibi servaret Borkholmiam, Stegeburgum, Ostergothiam, Verendiam, Gotlandiam, Olandiam & Moream, aliaqve territoria in diœcesibus Lincopensi & Veriensi sita. Ipsi retinerent Ducatus duos, aliaqve ad Sveciæ regnum pertinentia, exceptis Byrgeri Regis paternis hærediis, Reginæqve in dotem concessis. Rex ipse octiduo ante festum nativitatis eodem loci adesset, nec qvisqvam pluribus qvam ducentis personis comitatus accederet: ibi de pace resarcienda seriò ageretur; si eam inire ipsi inter se neqvirent, tum Daniæ Rex â parte sua & Regis Svecorum qvatuor assumeret, Danos duos, Svecos item duos, totidem & Duces sibi adjungerent. Hi octo facto juramento, sententiam, qvæ rata haberetur, junctim dicerent: atqve ita Rex ejusqꝫ liberi incolumes dimitterentur, arcesqve & oppida aliæqve munitiones restituerentur. Actum similiter de bello Norvagico, ut nimirum ab illo tempore ad festum usqve Michaëlis induciæ essent, salvis aliis pactis, qvæ inter Daniam & Norvagiam intercesserunt; id an Regi Norvagiæ probaretur, Duces explorarent, Regiqve Daniæ referrent. Christophorus item Dux (ita in actis reperisse dicit *Pontanus*, qvamvis & ipsum hic præsentem fuisse appareat) ejusqve socii, exceptis parentis ipsius percussoribus, suis per

totam Daniam bonis hæreditariis liberè fruerentur, usqve ad idem Michaëlis festum: ita tamen, ne uspiam se extra suum Ducatum absqve Regis voluntate Dux reciperet. Verum omnia hæc ventis tradita, nec qvidqvam eorum obtinuit, præsertim cum sibi qvisqve novos cudi articulos cuperet: itaqve bellum resumtum, ac tota propemodum Vestrogothia cladibus exhausta ac devastata est. Nec multo etiam post Rex Norvegiæ Hacon exulū patrocinium iterum assumsit, a Sveciæ Ducibus, qvi Eirico Daniæ Regi negotium facessi optabant, indubiè excitatus. Is igitur, promulgato diplomate, tutelam eorum publicè suscepit, cujus exemplum ab *Arnoldo Hvitfeldio* relictum exstat:

Hacon Dei gratiâ, Regis Magni filius, omnibus, qui præsentes literas vident aut audiunt, Dei suamque salutem. Deum virosque regni hujus optimos, qui nobiscum qvotidie conversati sunt, testes advoco, quantâ curâ & sollicitudine laboraverimus, ut pax & concordia inter regna Norvegiæ & Daniæ reduci posset, idque multis itineribus, quibus nos nostrique ministri onerati sumus, ad impetrandam pacem securitatemque viris illis, quos Rex Daniæ cædis patris sui reos peragere conatus est, ad colloquium cum illo testesque comparandos, quibus se de tanto crimine purgare possent. Qvò cùm iter destinarent, literas acceperunt, quibus cognoverunt, constitutis judicibus, se eorum sententiæ submittere se debere, quas in hunc ipsum diem apud se reservant. Inde animadverterunt præreptam sibi legum viam, quæ in Norvegia, Dania, aut aliis regionibus adhuc famâ notis, in usu est. Præterea tantam vexationem vimque infestam passi sunt, ut quidam eorum ne ex foro quidem dimissi sint; cum iis verò, qui inde evaserunt, ne legibus quidem aut jure actum sit, nec aliter, qvàm ut Rex Daniæ aliquot viros delegerit, qui istos tanti criminis reos jurarent, prout ipsi libitum erat; id quod tum Divinis, cùm hominum Christianorum omnium legibus repugnat; quod quilibet ratione præditus facilè perspicere potest. Cùm itaque ab initio, quamprimum criminis istius postulabantur, regno proscripti sint, bona in fiscum redacta, propinqui eorum & famuli cæsi, alii captivi detenti, vique & literis per totum regnum oppressi: nec purgatio criminis admissa, sed via omnis ad jus præclusa, ad Pontificem Romanum appellarunt, ejusque judicio causam omnem submiserunt, cui nos quoque acqvievimus, secundum Regis Daniæ voluntatem: & viros illos apud nos detinere omisimus, ut hoc modo nobis subditisque nostris pacem & securitatem pararemus; tandemque res eò perducta est, ut pax inter nos & Regem Daniæ publicè constituta, interque regna securitas firmata sit, nec tamen adversus nos servata; protinus enim Rex Daniæ castrum nostrum Hielmum contra pacta fæderaque occupavit, diruit, exussit; imò quosdam mercatores Norvegos, qui in Daniam navigarunt, detineri, mercesque iis eripi fecit, partem qvoque ipsorum, qui evadere tum neqvibant, crudeliter affecit; qua de causa, nec pacificatione nos, nec conditionibus cum Rege Daniæ factis, ultra teneri agnoscimus. Omnibus itaque constare volumus, nos Eirici Sveciæ Ducis, futuri nostri generi, nostrorumque Episcoporum & aliorum regni Senatorum suffragio, in clientelam nostram ac Regium patrocinium justamque defensionem recipere cognatum nostrum carè dilectum, Comitem Jacobum, & Dominum Petrum Jacobæum, eorum liberos, omniumque proborum virorum liberos, qui ex Dania ad nos accesserunt, famulos omnes, qui apud eos sunt, omnes denique propinquos: severè prohibentes iis ullo pacto injuriam fieri, aut impedimentum contra leges strui, sub gravissima pæna & vindicta iræ nostræ, aliis in exemplum futurâ, si propinquos nostros virosque tanto studio & propensione in tutelam nostram receptos lædant. Novit profectò cæli Deus & Optimates regni nostri, quotqvot veritatem testari

volunt,

volunt, hos motus, hæc dissidia, quæ nunc longo tempore durarunt, nobis fratribus adolescentibus primordia cepisse, quicquid insipientes quidam ipsi suæ menti contrarii demum perhibeant. Hæ literæ in Thrandia scriptæ sunt, vespere festi Crucis verni, octavo regni nostri annô. Obsignatæ nobis præsentibus, per manus Ivaris Clerici.

Eodem circiter tempore Andreas Hogbyus, Christophori Hallandiæ Ducis satrapa, nomine Ducis cum Jacobo Comite, Petro Jacobæo, aliisqve, qvi cædis Eiricianæ rei habebantur, ita egit, ut si qvid, qvod ad Ducis laudem ac defensionem ipsorum facere posset, haberent, id proferrent, arbitros jam enim Regem Norvegiæ Haconem, & Daniæ Eiricum, futuros esse.

Circa hæc tempora odium & invidia Canonicorum Nidarosiensium in Fratrem Laurentium iterum cœpit erumpere, occultis primùm cuniculis subrepens: cùm enim eum favore & gratiâ Archiepiscopi tutum invictumqve cernerent, novas ei insidias struxerunt, dum remotum ab Archipræsulis inspectione Islandiam per legatos visitandam persvadendo, isti muneri præ omnibus Laurentium idoneum, ut doctum inprimis virum, sincerum ac pium, ad hæc gentis istius civem, jurisqve patriæ & constitutionum peritissimum, dictitabant. Hæc qvidem omnia Antistes, non satis occultis perceptis molitionibus, vera fassus, dictam Laurentio provinciam statim imposuit. Qvâ is modestè admodum susceptâ, defectum ingenii sui, præsertim in concionibus sacris habendis, excusavit, petiitq; ut aliqvis sibi istam officii partem ornaturus adjungeretur; statim Biörnum qvendam Ordinis Prædicatorum nominans, qvem pari secum potestate instrui voluit: negabat enim aliter obtineri ipsum posse. Ad ea respondisse Episcopus fertur: *Equidem hic, Domine, prudentia tua deficit: nec satis tibi jam & auctoritati tuæ consulis: nosti effatum Christi in Evangelio: omne regnum in se divisum desolabitur. Metuendum hoc certè tibi, forte etiàm pœnitendum erit, electô Collega ex Ordine Prædicatorum, quorum fides sæpè & societas fluctuavit.* Canonici autem hanc technam circumveniendo Laurentio idoneam animadvertentes, multis eum precibus induxerunt, ut socium sibi Biörnum æqvatâ potestate adsciscerent: qvod qvamvis concederet qvidem demum Archiepiscopus, majori tamen affectu Laurentium prosecutus est: nam cùm utrumqve summa in Ecclasiasticis potestate instruxisset, soli Laurentio membranas tres puras sigilloqve suo impressas & obsignatas tradidit, permittens ipsi, ut, cum in Islandiam venisset, inscriberet iis, qvod necessitas reqvireret; exactô prius fidelitatis sacramento, ne potestate hac in damnum Ecclesiarum aut hominis ullius fraudem abuteretur, adeò verò occultè rem ageret, ut præter exploratæ fidei duos testem neminem adhiberet. Datis deinde ad Episcopos Islandiæ, Arnium Skalholtensem & Jörundum Holensem, literis commendatitiis, magnâ utrumqve benevolentiâ dimisit. Illi autem, postqvam jam in Islandiam appulissent, ab Episcopo Skalholti Arnio Helgio filio liberalissimè accepti atqve habiti sunt, diutiùs inde apud eum commorati. Hinc Diœcesin Skalholtinam lustratum egressi, qvibusdam verbi Divini ministris certas officii partes interdixerunt, idqve sine ulla Episcopi offensa, qvippe qvi vir miti ingenio minimèqve superciliosо erat. Cum verò in Holensem transiissent diœcèsin, haud æqvè omnia ex voto ibant, qvippe Episcopus Jörundus, F. Biörno sibi conciliato, Laurentium, ut beneficiis sibi dudum devinctum, utpote qvem pauperem olim literis informandum curaverat, minùs honorandum sibi existimavit. Hinc auctoritas Laurentii indies minui, Biörniqve magis augeri cœpta est. Ille autem, his ità distractis, Laurentii solius censuram non ultrà veritus, gnarus qvoqve Canoni-

 cos

cos Nidariosienses, admodum amicos sibi, infensissimos ei esse, operam dedit, ut molestos hos inqvisitores planè à se removeret, remqve eò primum redegit, ut Biörnus in Norvegiam regrederetur, solô tum Laurentio remanente. Hujus igitur auctoritatem, semotô collega, haud multum solidam arbitratus, insuper habere, qvicqvid ille imperaret, cœpit.

At nec ideò omisit Laurentius, qvæ in administratione ejus reprehendenda observabat, ostendere, sincereqve monere, se Archiepiscopo omnia relaturum esse. Tunc aliam eggressus viam Jörundus, amicitiam ipsi suam offerre, &, ut missas faceret simultates istas, rogare; alter verô datam Archiepiscopo fidem etiam, jurejurando confirmatam, excusare, hujus rationem potiùs sibi habendam esse, qvam auctoritatem & potentiam Episcopi, qvâ tamen se facilè subverti posse prævideret. Qvod animadvertens Episcopus, nunciô ad Archiepiscopum & Canonicos cum literis ac muneribus missô, Laurentium calumniatus est, maximè qvòd Archipræsulis sigillo abusus, falsis subscriptionibus mandata ejus corrupisset. Interea, dum hæc in Islandia aguntur, Archiepiscopus Nidarosiæ in periculosum morbum incidit: qvi â pede orsus, ascendendo in alvum inde ad superiora penetravit. Hinc Canonici statim eum ab omni administratione tam ecclesiastica qvàm politica removerunt, nec præter famulos duos & coqvum ministerio ejus permiserunt, cæteris omnibus, qui ei ministrabant, aut negotia ejus rationesqve procurabant, dimissis. Factum hoc anno millesimo trecentesimo octavo; cùm Laurentius brevi postea ipsô Bartholomæi festo ex Islandia solvens, ad Naumudalum Norvegiæ navem appulit, die autem Michaëlis Archangeli in Thrandiam est devectus, qvò jam antea die S. Laurentio sacro F. Biörnus advenerat; apud Canonicis Laurentium pessimis modis criminatus: qvem illi, ut primum terram attigit, per famulos suos horum omnium securum apprehendi, inqve fœdissimum carcerem, Gulbitni appellatum, compingi, nullô ipsi defensionis loco relictô, curârunt. Hîc miserrimè habitum, compedibusqve malefici instar vinctum, nemini concessum erat accedere, inscio prorsus horum Archiepiscopo, qvippe, qvem morbo tum gravi implicitum, omnia, qvæ in urbe totaqve adeò Diœcesi agebantur, celabant, raptô ad se Episcopatûs totius regimine, cujus præcipuæ partes penes Audunum Rufum erant, Sigvato Landio jam defunctô.

Tandem constituto die ad causam coram Canonicis dicendam ex carcere educitur: duo autem erant crimina, qvorum inprimis insimulabatur, qvod nempe sigillo Archiepiscopi & subscriptione præter mandata abusus fuisset, & reditus S. Olafi, olim, cùm iis Nidarosiæ præfectus esset, indignè surripuisset, de qvo tamen lis nulla ei, anteqvam in Islandiam mitteretur, fuerat intentata; recitatæ insuper literæ Episcopi Holensis, qvibus horrendæ calumniæ continebantur, ostensâ misero lenioris sententiæ spe, si sine qvæstione objecta ab Episcopo Jörundo crimina confiteretur. Ad hæc ille respondit, ipsorum qvidem in potestate situm esse, qvæstionem de se, qvam vellent, decernere: ut tamen ea confiteretur, qvorum culpâ vacaret, nunqvam effecturos; qvâ voce exacerbati omnes, non adhuc eum satis castigatum vociferantur. Tandem optionem ei faciunt, censuram officialis subeundi, vel redeundi in Islandiã in potestatem Episcopi Holensis. Is conditionem, qvã asperiorem illi existimarent, se accepturum professus, posteriorem elegit; mox officialis â judicio abreptum in hospitium inclusit, qvod per unicam fenestram lucem immittebat, singulis autem noctibus ferreæ ei compedes injectæ, unde pedes intumuerunt ei, scorbutumqve totô corpore con-

contraxit. Cumqve populares ejus Islandi ad fenestram sæpius accedentes cibaria ei apportarent, clavos ferreos præfigi curârunt, ut â collqvio etiam arcerentur. Accidit autem die qvodam, ut Canonicis insciis, veniam â custodibus accedendi Archiepiscopi ædes, sed compedibus vinctus, impetraret. Vix egressus erat, cùm certiores rei facti Canonici, violenter eum & subitò retraxerunt. Archiepiscopus autem, audito tumultu, cognitoqve, qvid rei esset, valde ingemuisse fertur, qvòd ob fidem tantùm sincerumqve in se studium talia innocens pateretur, qvibus eum eripere adeò non esset in sua potestate situm, ut ne minimæ qvidem rei arbitrium sibi, ex qvo tentari valetudine cœpit, relictum esset; referri interim Laurentio jussit, viriliter omnia ut ferret, spem enim esse, Deum, si vitam ei produceret, causæ ejus justitiam in apertum aliqvando producturum. His perceptis Laurentius valde est recreatus; attamen per totam hyemem in custodia arctiori detentus, egrediendi nunqvam copiam impetravit: rebusqve omnibus spoliatus, libros tantùm suos reliqvos habuit; qvos ei civium suorum astus, eos sibi possessionis jure vendicantium, conservavit.

CAP. VI.
REGIS HACONIS QVERELÆ AD REGEM DANIÆ, ET HUJUS RESPONSUM.

IN Islandia annô MCCCVIII. octodecim villæ terræ motu concussæ corruerunt. Evocatus ad Archiepisopum Norvegiæ Jörundus Episcopus Holensis, mox aliis literis, ab eodem Archiepiscopo per legatum Dominum Grimum missis, remanendi in patria potestatem accipit. Citati qoq; Dominus Laurentius, Dominus Bardus Högnii filius; præterq; hos nomophylax Haukus Erlendi filius & Gissur Gallius. Rex Daniæ Eiricus denuò Gothiam occidentalem invadit & Nicopiam obsidit: sed commeatu interclusus, moxqve seditione suorum graviter periclitatus, post trimestrem obsidionem ab incepto desistit, induciasq; paciscitur. Nostri Annales ad hunc annum memorant, Eiricum Sveciæ Ducem tractum Oleyensem incendiô vastasse; Lidungos autem (incolæ hi sunt tractus Lidensis) contra eum collectos, ad pontem Osleyensem conflixisse, tum plusqvam viginti ex Norvegis cæsos, ex Svecorum autem parte qvot ceciderint, incertum esse: Ducem tamen in Sveciam refugisse. *Johannes Magnus*, his omissis, tradit, Ducem Eiricum Haconem Norvegiæ Regem adiisse, & matrimonii cum filia ejus antea sibi desponsatâ consummationem petiisse. Sed cum ipse Eiricus castrum Varbergense reposcenti Haconi restituere nollet, nec illud affinitatis vinculum perfici tum potuisse; proinde Eiricum, ab Hacone Cungellam reversum, magnificos illos sumptus; qvos ibi pro nuptiarum apparatu magnificè congesserat, liberalissimo convivio consumpsisse. Jamque inter Reges Daniæ & Norvegiæ literæ nuper in exulum gratiam publicatæ odia dissidiaqve vetera renovârunt, resqve ad bella mutuasqve subditorum cædes spectare cœpit. Inventi tamen sunt prius, qvi interponentes se pervicerunt, ut permitteretur Norvego per legatos Hafniam missos, qverelas suas contra Regem Daniæ proponere; qvi ad singula se responsurum recepit. Ibi itaqve de viis consultari pacem perpetuam inter Regem utrumq; regnaq; conciliandi placuit; hinc suas statim qverimonias Hacon hac formâ instituit: *Ante*

Ante omnia satisfactionem postulamus pro singulis, quæ contra pacta in nos admissa sunt, ex quo cum fratre nostro Rege Eirico, & Dynasta Vitzlao comite Hafniam primò adivimus. Sed & nos pariter, si quid ex nostra parte per cives nostros damni datum est, id omne luculentâ satisfactione resarcire parati sumus. Sunt itaque injuriæ, quibus nos magnopere læsos querimur, tales:

(I.) Postquam commeatus ad urbem Alaburgensem inter fratrem nostrum Regem Eiricum & Daniæ Regem ejusdem nominis, nec non utriusque regni subditos, ultrò citroque pactus esset, fidejussoribus Episcopo Vendilæ Nicolao & Arosiæ Johanne, Domino item Davide regni Drottseto, seu Prorege, Domino Laurentio Marscalko, seu supremo militiæ Duce, Domino Aagio Saxonis filio, Domino Petro Nicolai, Domino Jone Andreæ, totquo ex equestri ordine aliis, ut præter duos Episcopos fidejussores viginti quatuor numerarentur. Dominus David Regis Drottsetus Horsnesii Dominum Svenum Frisium, ipsiusque comites, Johannem Pallii filium & Jonem Fotum, cum omnibus, quæ secum attulerant, comprehendit. Jon autem Thinglös, unò ministrorum nostrûm Trugeto Lalio occiso, equos ejus, & quæ ad manus erat, suppellectilem intercepit, alii equas duas equosque itidem bonos, armaturam & alia pretiosa utensilia nostris ministris eripuerunt. Quibus cognitîs, literas ad fidejussores misimus, per interpositam eorum fidem postulantes, ut dimissis captivîs damna resarcirent, proque injuriis satisfacerent. Illi autem his omnibus surdas aures præbuerunt. Postea cùm Svinsundam profecti essemus, accepit nos Gissur Episcopus Fionensis, Dominus Eiricus de Langelandia, Drottsetus David, multique alii equites, qui eum diem securum nobis caverant; hos quoque fidejussores frater noster Rex Eiricus interpellabat, ut, dimissis captivîs, pro læsione satisfacerent; nos quoque fratres, ut causa omnis examini bonorum virorum committeretur, postulantes, pari modo idoneâ cautione satisfactionem obtulimus, si quid per nostros ministros peccatum esset. Sed nihil horum eos movit. Quid? quod & captivi ad Regem Daniæ deducti, omnes ex mandato ejus malè mulctati, & quidem Dominus Svenus, Johannes Pallii filius, & Jon Fotus, crudeli morte sublati sint; id quod famâ passim per omnes ferè terras innotuit. Pro tanto igitur facinore nobis eorumque propinquis & S. Ecclesiæ satisfactionem postulamus, cùm non belli, sed induciarum tempore, commeatus jure publica fide firmato adhuc durante, occisi sint.

*(II.) Deinde cùm propinquus noster Dux Valdemarus missus esset ad Sommerstedheidam, essentque in ejus comitatu nostratium quidam, cautum priùs est pactumque à Rege Daniæ, ut omnes nostri subditi, tam Dani quàm Norvegi, tam intra Daniam quàm extra à vi Regis ejusque subditorum sociorumque tuti essent; nobis autem nostrisque in Daniam delatis, Medalfarti securus ad colloquium Regis commeatus pateret, ad festum S. Virginis posterius, ità ut quicunque non ibi criminum convinceretur, is bona sua Regisque gratiam reciperet, firmâ deinde pace constituenda; id quod Rex publico diplomate ratum fore promiserat, caventibus pro eo Sommerstadii qvinquaginta Eqvitibus, & Medalfarti, loco pacificationi dicato, totidem ex nobilium ordine. Cùm verò ante eum diem minister noster Dominus Otto Kachius aliique unà nobiles viri Viburgum venissent, fiduciâ pactionum securi, ille mox à civibus urbis oppressus, & cum quatuor aliis occisus, terræ profanæ sepeliendus infertur, ubi fures & scelerati homines tumulari solent; frater verò ejus Henricus Assveri filius captus, cumque illo sex nobiles armigeri (*Sex svenne af Vapen*) nec presbyteris magis qvàm laicis parcitum, cùm promiscuè omnes vulnerarentur, omnibus eorum bonîs direptîs. Unus quoque ex iis armiger (*En sven af Vapen*) carceris dolore ad mortem usque excruciatus est, inque campo cum reliqvîs sepultus:*

tus: reliqvi quinque ad Regem Daniæ ducti, qui eis gravissimam pecuniæ summam extorsit, antequam dimitterentur. Nulla pro vulneribus satisfactio, nullum pro mortuis jejunium, nullus templo honor, nullum captivis solatium exhibitum, etiamsi vel maximè induciarum tempore hæc patrata sint.

(III.) *Durantibus induciis Medalfartinis, paceque fidejussione secundum rationem memoratam firmatâ, Dominus Tulius Ebbii filius, ejusq; propinqui multi, Lalius Presbyter cum suis filiis, aliique Regis Daniæ ministri, ad cænobium Aas in Hallandia profecti, præfectum Comitis Nicolaum Jacobi per nuncium accersunt, tutum futurum vi pacificationis inter Reges denunciantes; nec eô contenti, ipsi quoq; patentibus literîs ei & securitati comitum ejus cavent; quibus fisus Nicolaus, comitibus quibusdam assumtîs, ad amnem Visk à latere Munkagaard, ad locum Yderaas, dictum equitans, mittit ad eos, qui quærerent, mallentne se accedere ii, an accessurum se ad ipsos esse? Illis, ut adveniret is, eligentibus, statim pactorum inter Reges fiduciâ, promissæque ab iis per nuperas literas securitatis (quæ nunc quoque exstant) depositîs armis cum insignibus viris ipsos adit; fuerunt autem hi ei comites, Thordus Labæ, Hermannus Plugmog, & Marcus Oveni, armigeri; præter hos sagittarii duo, Petrus & Tilemannus, rusticus item unus, & singulorum famuli, in universum decem & tres. Interea dum Dn: Nicolaus Jacobi filius Tulio Ebbii ejusque fratri Achio Ramno assidebat, hi verò simul ex lagenis Jacobæis potabant, misit Dn: Tulius comitum suorum multos, & inter hos Achium fratrem & Lalium presbyterum ad eos, qvi armati in insidiis erant; hi autem inter amicum colloquium celeriter adequitantes, omnes eos comprehenderunt, duosque sagittarios statim, unà cum misello rustico & quatuor opilionibus, decollârunt, reliqvis captivis in domum Lalii presbyteri missis, præter Nicolaum Jacobi & Hermannum Plugmog, quos ad castrum Hunabals deduxerunt, spe deditionis, cùm Nicolaus præfectus ab iis detineretur; quâ quidem frustrati, arrepto generoso Dni. Stigii Nicolai equo, famulisque aliquot, in superiora provinciæ evecti, rusticum quendam Comitis villicum, nomine Tolfum, in propria domo capiunt; direptâque villâ unà cum spoliis eum avehunt. Hæc omnia facta sunt, durantibus induciis Sommerstadi pactis, dum ad Hegengast interim de pace ageretur. Hîs cognitîs, Comes Jacobus fratri nostro Eirico tantam injuriam questus est, nec non Ducibus Valdemaro & Henrico, aliisque, qui eam cautionem Sommerstadi simul acceperant. Hi Regem Daniæ ejusque fratres datæ fidei admonentes postularunt, ut dimitterentur captivi, bonîsque eorum restitutîs, damna resarcirentur. Quô motus Rex Daniæ agnovit injuriam, literasque obsignatas ad Dn: Tulium, Lalium presbyterum, aliosque eorum socios; dimitterent captivos, bonaq; extemplò redderent. Eodem tempore, promisit Rex Daniæ Eiricus pro se & suis fratribus totaque familia, caventibus Episcopîs tribus, vigintique Equitibus, diplomate publico Episcoporum Eqvitumque sigillîs obsignatô, prædictos captivos unà cum bonîs suis dimissos iri, liberos autem ad causam coram utroqve Rege, cùm convenirent, dicendam sistendos. Verùm his spretîs, Dn: Nicolaus Jacobi contra fidem Regiam, & Hermannus Plugmog, Kalingburgum ducti sunt, capitis supplicium subituri, nî studium nostrum ministeriumque in perpetuum ejurarent; lytron insuper octingentarum marcarum monetæ signatæ Nicolao expressum, Hermanno Plugmog marcæ argenti centum, rustico Tolfo centum quadraginta; quæ tamen cum impensis in trecentas marcas desiverunt. Hanc universam summam Dn: Tulius Ebbii, Lalius presbyter, eorumque socii inter se diviserunt. Marcus Oveni filius sexaginta marcas monetæ Scanicæ pependit. Et hæc quidem inter inducias ad Heginsgast contigerunt.*

(IV.) *Post inducias Hegengastenses, Rex Daniæ, literis in curias omnes pro-*

vinciales missis, mandavit, ut omnia nostra exulumque bona materna ubiqve restituerentur, ipseque Rex, quæ detinuit, fraterque ejus Dn. Christophorus, adeoque singuli, quicquid eorum tenerent, restituerent; frumentô autem triturato, cùm annuus canon pendendus esset, singuli agros possessionesque omnes, reditusqve iterum sibi vendicarunt, qvicqvid in Scania, Sialandia, Fionia, aut Hallandia situm, nimirum Ormislöf, quæ Comitis in Sialandia erat, ipse Rex in suam possessionem redegit, Munkaholmum etiam, possessionem Comitis, Comes Gerhardus sibi vendicavit, reliqva omnia, quæ Comitis in Sialandia erant, Dn. Christophorus; qvædam etiam Regis Ministri sua fecerunt. Hîs durantibus repressaliis, Andreas Tachii filius Dno. Petro Jacobi omnes possessiones, quas in paræcia Vedelöf habuit, eripuit; eripuit similiter Dn. Nicolaus Brock de Hylkio eidem Petro Jacobeo omnia bona, qvæ Nessi in provincia Harboensi habuit, inq; oppido Heingii, omnia insuper, qvæ in Fionia possidebat, possessiones adeò insignes, ut quotannis qvadringentas marcas monetæ penderent: liberorum prætera ejus materna bona, sedecim marcas frumenti, & viginti marcas monetæ abstulit.

*(V.) Etiam contra pactorum conditiones hominibus nostris ea in quibusvis insulis libertas securitasque in continente, quæ promissa erat, à Rege Dan. non concessa. Verùm Thorkell Magni ministros suos in Lesseyam ad negotia qvædam sua peragenda misit, ubi tunc Petrus Pram, Pallius Vagni, Lagius ejus frater, supervenientes, omnes ejus famulos, unumque ejus propinqvum armigerum (*Der af Vapen var*) nomine JonemThord, comprehensos Alaburgum devexerunt, ubi Ivar Benzonius tempore induciarum eum capite plexit, eodemque tempore Thorkeli bona trecentarum marcarum precii eripuerunt. Postea Rex Karlem Achii filium & Hensum Slapermulium in prædium Thorkelis immisit, qui pretium qvadraginta marcarum extulerunt, residua exigendi specie, cùm tamen probare posset, omnium, qvæ postularentur, ante viginti tres annos solutionem factam esse. Nondum finitis Hedinsgaflensibus induciis, Dn. Nicolaus Bruck de Hylkio filiam sororis Thorkelis, proximi curatoris, ipso aliisq; propinqvis invitis, viro cuidam Knuto Fris dicto collocavit, agrosq; Thorkelis in Fionia invadens, adeò qvidem vastavit, ut cùm inde annui reditus centum marcarum monetæ venirent, jam ne una frumenti marca veniat. Exinde Jonas Fris selibram frumenti abstulit in prædio ejus, nomine Dockenes. Idem Jon egregium equitem ex militia nostra in domum suam allexit, pactorum fiduciâ securum: in curiam deinde traductum contra jus & fas fractâ gulâ interimi fecit. Deinde postqvam induciarum dies Balgöæ constitutus est, Dn. Petrus Ebbii, Dni Jacobi Nicolai Blafoti famulum nactus, magnam ei pecuniæ vim extorsit. Die verò ad Fenskalsum determinata, ad qvam nos duo Reges Skelsöræ conveniremus, Dn. Petrus Ebbii tertium Dni Jacobi prædium invasit, universumque exspoliavit, summâ sexcentarum marcarum monetæ inde ablata. Canonici qvoque Viburgenses possessiones Dni Jacobi Klackerop, instrumentô insinuationis, qvod adhuc potest ostendi, ab Eirico hujus Regis patre ipsi datas detinent, donatas sibi eas à Rege hoc dictitantes.*

Ad hæc omnia Rex Daniæ respondit, nihil à se suisqve adversus regnum Norvegiæ commissum: tantùm exules parentis sui percussores occasionem his omnibus præbuisse; qvi pacem exosi, decennales illas inducias aliasq; pactiones injuriis ac cœdibus in Danos perpetratis, identidem interrupissent, idqve articulis aliqvot publicatis demonstrare conatus est, qvos ad verbum ità expressimus:

Hæc Comes Jacobus adversus Regem Daniæ commisit. Induciæ illæ decennales, qvæ Söburgi factæ sunt, in annum tantum alterum durârunt; tunc enim Rex

Rex Norvegiæ Daniam armata manu invasit. Verum Comes Jacobus quadringentas marcas Slavonicas singulis annis ex Hallandia, pensionem nimirum in expeditiones Regias, soli Regi competentes, reportavit. A rusticis quoque Hallandensibus 240 libras induciarum tempore exegit. Idem Comes anno 1300 octingentas marcas Scanicas rusticis expressit. Qvo tempore proscriptis rerum suarum possessio permissa est, undecim prædia, molasque qvatuor, qvæ Sveni Fionboi erant, cum universis reditibus detinuit. Turium Stagium comprehendit, & septendecim hebdomadas detinuit, acceptis demum qvadraginta selibris eum dimisit. Ketillem Batum in Gottestedensi curia comprehendit, captumque tenuit, quod ad Regem provocasset, Jacobo rusticos præter jus gravante. Arvidus Kiorting Biornum Tymbrium ita debilitavit, ut pedibus posthac nunquam incedere posset. Monachos Miotorpenses pacis tempore vicies spoliavit, tantum quia Rex tutelam eorum susceperat. Dn. Petrus Jacobeus pacis tempore Olaum Magni filium, unumque ejus famulorum, captivos duxit. Omnes Domini Simonis Kambi reditus ex quatuordecim villis induciarum tempore in suam potestatem redegit; dirutisque prædii ædibus sex lastas siliginis, Johanni autem Musto quinque pondera frumenti, abstulit. Dni. Petri Egetsidæ prædia omnia reditusque Comes Jacobus invasit, indeque ad quinquaginta marcas Scanicas reportavit. Knutus Skrubus in propria domo cæsus est, famulusq; ejus per Petrum Jacobeum pedibus truncatus. Petrus Nicolai Billengus Knuti quoque fratrem in eadem domo comprehensum spoliavit. Petrum præterea Nydiam ejusq; uxorem in propriis ædibus verberavit, ministrosque ejus captivos duxit. Omnia Nicolai Kunis bona in villa ejus diripuit. Ducem Christianum comprehendit, ejusque bonis violentas manus intulit. Eskillo Frendi filio viginti marcas extorsit. Petrus Jacobeus civibus Nestedensibus duas naves mercesque eripuit: totam Hallandiam tributo submisit, nihil, quicquid auderet, pensi habens. Prædictus Comes Jacobus jam multos annos canonem de viridariis Sveni Fionboi reportavit. A Laurentio Gudmundi viginti marcas Scanicas expressit. Turium Episcopi filium ad Samum exspoliavit. Civibus Halmstadensibus tres naves cum mercibus ademit. Nicolai Andreæ filio merces pelliceas, sericas & subsericas, pretio quadringentarum marcarum, qvæ erant Dni Andreæ, ad Finshofuit promontorium eripuit. Centum marcarum jacturam ipse famulus de suo fecit; ad cæmiterium qvoque Arbusense ollæ pretio duodecim marcarum ipsi ademtæ. Arvidus Knuti filius fratrem Godmarem in propriis ædibus occidit. Civibus Rostochensibus varia sunt erepta, & qvidem Johanni Langio sex marcæ Slavonicæ, Lybko qvinquaginta, Johanni Bremer navis pretio qvinquaginta quinque marcarum, merces nonaginta marcarum; quæ singula Comes Jacobus cum suis asseclis in portu Egholmensi diripuit. Olafi Asveri & ejus fratris bona in Samo pretio qvadringentarum marcarum Sialandicarum Turius Episcopi filius, Mag: Biornus, & Andreas Sigonius spoliarunt. Svenus ad Finshofuit navem pretio centum viginti marcarum; Nicolaus Scanus ad Tossingam aliam sexaginta marcis æstimatam; Assverus tertiam cum mercibus centum marcarum pretio amisit. Rex qvoque Norvegiæ tributa ad incendium villarum suarum redimendum Tossingis exegit; pacisque tempore Dni. Magni Langii villas exussit. Præterea Hamundum Parvum bonis omnibus in Rotenesia exuit. Petrus quoque Parvus ibidem spoliatus, & villicus ejus undis suffocatus. De prædiis Nimensibus respondemus: data illa in fevdum à parente nostro Marscho Stigoto; mortuo autem patre nostro collatio quoque feudi cessavit. De bonis Andreæ Stigi à Domino Nicolao Brock & Nicolao Andreæ ereptis, nobis quidem nihil constat; scripturi tamen ad eos sumus, ut restituant, ni causas prægnantes habeant, cur ea detinenda porrò existimare possint.

CAP. VII.
SIMULTAS INTER REGEM NORVEGIÆ ET SVECIÆ DUCEM. PAX INTER NORVEGOS ET DANOS FIRMATA. EJUS CONDITIONES.

HÆc dum ultro citroqve agitantur, exorta est inter Regem Haconem & Ducem Sveciæ Eiricum haut levis simultas; qvæ novæ exinde pacis inter Danos & Norvegos conficiendæ occasionem præbuit. Nam circa festum S. Olafi Dux Eiricus in Norvegiam profectus in insula Krageröe Regem offendit: cumqve de nuptiis cum filia ejus celebrandis cæpisset Rex, Vardebergam, Cunghellam, aliaqve præsidiaria loca olim ei è Svecia profugienti clientelæ jure concredita reposcebat: sed Eiricus, qvi filiam Regis se accepturum in conjugem sperabat, horum qvoq; possessionem simul sibi pollicitus, hîs verbîs restitutionem abnuebat: *Filiæ tuæ Deus ubique propitius sit; Varbergum hôc annô non accipies.* Itaq; Konghellam reversus, ubi palatium magnificum ad solennia nuptiarum celebranda recèns exstruxerat: ibi omnem nuptiarum apparatum in usum conviviorum convertit, genialiterq; consumsit. Hîs cognitîs, Daniæ Rex Eiricus oblatam occasionem haud negligens, agere cum Hacone in hunc modum cœpit: ut Magnus Byrgeri Sveonum Regis filius Ingiburgam in conjugē duceret, essetq; inter Danos & Norvegos pax perpetua; aliaq;, de qvibus plenè constituendîs dies conventui agendo dicta est S. Barnabæ, locus Isefiorda apud Selandos; sed locus iste postea mutatus, habitusq; Hafniæ conventus, die qvinto ante festum Mariæ Magdalenæ, mense Julio, ubi præter cœtera decretum, *ut immota pax esset inter Regem Daniæ Eiricum & Haconem Norvagiæ.* Eaq; pacificatio ut firmior haberetur, Rex Hacon filiam suam Ingiburgam nuptui traderet, eamq; hæredem pronunciaret Norvagiæ, si nullâ prole masculâ augeretur. Si nec ipse Magnus filios ex ipsâ progigneret, dos esset 600. marcarum argenti, qvantum vicissim conferret Dux Magnus, aut ejus loco suas possessiones pignori traderet. Si verò regnum hærede augeretur, esset dos 800. marcarum argenti, cujus nomine Hacon Eirico Regi fidejussione caveret; Eiricus viciſſim efficeret, ut Rege Byrgero in integrum restituto, filius Magnus patri succeſſor declararetur; Byrgerus vero apud Pontificem ageret, ut accepta ejus (ut vocant) dispensatione, nulla ex cognatione remora matrimonio injiceretur, cum alter alterum in qvartum gradum sangvine contingat. Rex præterea Daniæ Haconi Regi borealis Hallandiæ qvatuor territoria ab amne Etherâ cederet, ſoco maternorum bonorum, qvæ sibi competere intra Daniæ Regnum sita existimaret. Qvod reliqvum istius Ducatus, præter dicta territoria, esset, id Hacon jure clientelari & sub vexillo ac præstito Regi fidei sacramento, acciperet. Qvod ad Regios percussores, de iis hæc statuta: Eiricum Regem in gratiam Haconis Norvegorum Regis conceſſiſſe, ut conjuges ac liberi eorum novem, qvi essent cædis in parentem suum patratæ convicti, acciperent bona tantum materna, cæteris, & qvi illis sangvine juncti sunt, ac unà cum iis ad Norvegos profugerunt, eorumqve conjugibus ac liberis, qvi prius, qvam in Norvegiam abiissent, aut Regi Norvagorum sacramen-

mentum dixissent, bonis suis ob crimen idem multati non essent, regno ac bonis suis tam paternis qvàm maternis ut frui liceret, ac Regi vicissim Danorum ejus modi prædes darent, qvibus satisfactum sibi judicaret. At capita & coryphæi eorundem conjuratorum bona sua vendere tenerentur, ac pretio eorum accepto, regnô exulare: eâ tamen lege, ut uxores & liberi novem eorum, qvi cædis rei damnati sunt, perpetuò Daniæ regnô emaneant, atqve intra triennium distrahant materna bona. De ceteris penes Regem esset statuere, qvosnam eorum frui regno ac bonis suis, & qvosnam extra regnum commorari, ac ipsis, qvod deberetur, ex annuis bonorum ipsorum proventibus solvi vellet. Rex porro Norvegiæ, pacis firmioris ergo, Regi Eirico omnia materna sua bona, ubicunqve locorum ea in Daniæ regno haberentur, cederet, qvàm primum ipsi qvatuor illa territoria ac castra Hallandiæ traderentur; codicilliqvoqve & hypothecæ, qvas Daniæ Rex super iisdem bonis servaret, eæ universæ ipsi exhiberentur, qvò & scire posset, qvinam de iis essent compellandi, & â qvibus reditus exigendi; tenereturqve Daniæ Rex tergiversantes jure ac legibus cogere, donec territoria atqve arces Hallandiæ jam indicatæ eorum vicem ipsius potestati permitterentur. Rex præterea Daniæ Duces Sveciæ hostiliter invaderet, nec pacem cum illis Norvegus faceret, absqve Daniæ Regis assensu; si vero aliqva causa sonticâ ad inducias cum iis feriendas adigeretur, eæ & breves essent, & ita factæ, ut iis qvoqve Daniæ Rex regnumqve comprehenderetur; nullum etiam cum Ducum sociis fædus Norvegus paciscеretur, nisi qvod ipsi & Byrgero Regi esse possit commodo. His si qvid in contrarium Hacon faceret, se Roskildensium Episcopi censuræ atqve anathemati submitteret. Rex vero Daniæ Episcopo Ansloensi obnoxius fieret. Atqvæ hæc ita fore adstipulati sunt Ketillus Stafangriensis, Helgo Ansloensis, Arno Bergensis, & Ingvaldus Hamarensis, Dei gratiâ Episcopi; Dominus Ericus Valdimari qvondam Regis Sveonum filius, Magister Capellarum regiarum, ac nobiles viri, Domini Bernhardus, dictus Bekero, Thorias Haqvini, Svaro Aslaci, Barones: necnon & Domini Thorvaldus Thoresòn, Olaus Eriksòn, Sigvardus de Rondani, Trundo Haldvardi, Sverus de Lauden, Thorias Horsòn, Sigvardus Haraldsòn, Brynolphus Storm, Thrando Gronulfi, Gunarius Thomæ, Byrgerus Thorkilli, Sterkerus Pedersòn, Ivarus Sekeman, Emundus Simonis, Augustinus Arnonis, Andreas Sivardi, milites: ac etiam Haqvinus Thoriæ, Johannes Gulbrandi, Ivarus Arnonis, Brynulphus Egmundi, Egmundus Egmundi, Hacon Egmundi, Petrus Petersòn, Johannas de Seti, Andernus Guthormi, Guthebrandus Guthebrandi, Armigeri. Qvorum sigilla unà cum sigillo Regio eidem instrumento sunt appensa. Convenit præterea, ut eqvites nobiles ducenti septuaginta octo, datis instrumentis obsignatis, promitterent omnia hæc â parte Regis Daniæ rata fore, promisitq; Rex Daniæ, modò tutus commeatus esset, se hæc instrumenta Tunsbergam missurum ad festum nativitatis Johannis Baptistæ, ibiqve per legatos suos aliud avtographum eodem sensu verbisqve â legatis Norvegiæ recepturum; si autem commeatus tutus non esset, conclusum, ut utrumqve instrumentum Hafniam missum, utriusqve Regis curatoribus traderetur: si qvi interea ex Eqvitibus aut aliis Regis Daniæ fidejussoribus vivis excederent, ut alii in eorum locum statim reponerentur.

CAP. VIII.
CONSTITUTIONES REGIS HACONIS DE MAGISTRATUUM MINISTRORUMQVE OFFICIIS.

Hoc eodem anno de magiſtratuum miniſtrorumqve officiis prolixam conſtitutionem Rex Hacon ſancivit, hac formâ:

Hacon Dei gratiâ Norvegiæ Rex, Regis Magni filius, omnibus Dei ſuisque intra regnum Norvegiæ amicis, has literas vel lecturis, vel audituris, Dei ſuamque ſalutem. Notum ſit omnibus, Nos incommodô variorum in cives noſtros imperio, cum nos fratres minores adhuc eſſemus, deinceps quoque, dum variis diſtricti negotiis publicum ſtatum minus quam deceret, aut animus erat, curaremus, commotos, jam univerſum noſtrum patrimonium, regnum nimirum Norvegiæ totum, ſingulasque ejus provincias, adminiſtrandas his literis ſuſcipere, noſtræque directioni aulicum omne ſatellitium præcipue ſubjicere. In tanti autem oneris ſublevationem adſciſcere nobis placuit Aſolfum Aslaci filium, noſtrum vexillarium, nihil imminuta dignitate in illo officio Domini Aunundi Aslaci filii. Hocce noſtrum minus ſigillum tradimus Cancellario noſtro Ivari Olafi, cum quindecim marcarum reditu, & Domino Erlendo Styrkaris, quæſtori ſev theſaurario noſtro, cum viginti marcarum reditu. Jarlis ſev Comitis, Lendzmanni ſev ſatrapæ titulos publicè abrogamus in poſterum; ſolis hi Regum filiis & Comiti Orcadenſi remanebunt; qui vero jam ſatraparum honore ornati ſunt, iis eandem dignitatem & exiſtimationem, quoad vivunt, concedimus. Veros autem perduelles appellamus, quicunque Regi juveni ſuadent, ut plures principes ſeculares in Norvegia conſtituat, quam eos, qui tales ſibi honores generis qvâdam prærogativâ vendicant. Ordinavimus præterea, ut quicunque præfecturam Regis nomine gerit, propriis impenſis centum viros alat, dum Rex in ejus præfectura cauſis inſpiciendis litibusque dirimendis moratur. Onera donaque â præfectis civibus indicta, per univerſum regnum abrogamus, ſecundum codicis legum antiqui præſcripta. Singuli præfecti, quoties hoc Rex imperat, tot viris commeatum armaque miniſtrabunt, quot jus aulicum ſingulis ſocietatibus nauticis præſcribit; (videatur caput *Juris aulici XXXV. Qvocunque tempore Regem adeunt, excubias per provincias ordinabunt, ut tempore patris noſtri obtinuit. Quo vero attentiores fiant, resqve noſtras diligentius curent, ſingulis annis duos conſpicuæ fidei viros in ſingulos regni trientes, quo ipſi accedere neqvimus, miſſuri ſumus; qui accurate examinabunt, qualiter erga ſubditos noſtros ſe gerant: qui ſi moderate plebem tractaverint, & ſecundum leges ad dies vitæ præfecturas gerent, aliisque in ſucceſſione præferentur, ſi tamen nihil contra Regem aut ſubditos noſtros deliqverint. Sciant & omnes præfecti, ſi ad cauſam aliquam jure decidendam compellati facere hoc neglexerint, eaque poſtea ad nos translata, in aula noſtra, aut alibi nobis aut Conſiliariis noſtris præſentibus deciſa fuerit, quod multam inde dependentem nobis vindicaturi ſimus, niſi præfectus, aut ejus vicarius, idoneis teſtibus probaverit, ſe domi eam decidere nequiviſſe, ſive contumaciâ rei, ſive prægnantis alicujus neceſſitatis cauſa impeditum. Veterem quoque Nos morem, quo literas ex aula in ſingulas cauſas, quas jure expedire vobis incumbit, exigere ſoletis, abrogamus, in ſontica eas cauſa exigat. Nomina eorum, qui in ſingu-*

ſingulis præfecturis capite quotannis plectuntur, cauſam, circumſtantias, locum, nomen ejus, qui decollavit, vulnera, locum ſecuritatis, profeſſionem cædis in chartula deſcripta, ſigillisque obſignata, cujuscunque provinciæ præfecti ad nos mittant. Si quis præfectus patitur miniſtros ſuos ſubditos noſtros contra leges gravare, ipſe culpam eorum luat, ni legitimè ſe purgans probaverit, nec conſilio ſuo nec voluntate id factum eſſe, neq; eum, qui fecit, in ſuo deinceps famulitio habere debet. Equites, qui nobis per vices miniſtrant, exquiſiti ſint, & Regi, dum miniſtrant, quam proximi, niſi illis privatim faciat denunciari, ſe miniſterium illorum nolle, qvilibet eorum ſuum famulum noſtris impenſis alendum habebit, cum tamen neminem antea haberent, dum miniſtrarent: non tamen plures, quam memoratum eſt, famuli eis permittentur. Præcipimus præterea, ut nomophylaces unà cum præfecto provinciam obeant, cum de capitalibus ſuppliciis irrogandis agitur, cum duobus famulis, impenſis præfecti ſuſtentandis. Unus præterea Clericus, qui judicia omnia ſententiasq; à ſe confectas ſuo ſigillo muniat, ſecundum formam literarum, officii regulas præſcribentium, quò de violatoribus judiciorum liquidius conſtet; dabitur autem ei pro ſingulis inſtrumentis unus Ort *& quatuor* Ore, *niſi pauper fuerit, qui exigit, ut ſolvere non teneatur. Clericus quoque præfecti tantundem reportabit, pro ſigillo vero neuter quicquam. Cum antea nomophylaci, ſeu ſupremo provinciarum judici, reditus annui quindecim marcarum à nobis dati ſint, adjecimus, ut tantundem ruſtici in poſterum ei pendant, nec ultra exigat; quod ſi in alterutrius partis damnum ſe donis corrumpi ſuſtineat, capite plectetur, ni Rex ei ſecundum rei circumſtantias, cognitâ cauſa, gratiam fecerit. Quo vero nomophylaces plebis neceſſitati facilius ſubvenire poſſint, biduum ad Regem manebunt, cum longo tempore affuerint, reddentque ei, cum maximè vacat, ſingulos articulos in libro conſignatos, quo facilius Rex negotium eorum intelligat. Clerici quoque nomophylacum & præfectorum provinciarum nos adibunt, cum teſtimoniis eorum, qui eos elegerunt, fidemque nobis jure jurando, quod eis præſcribemus, præſtabunt. His patentibus literis diplomata omnia, quæ in majori formâ exierunt, jam quoque revocamus, præter illa, quæ data ſatellitibus noſtris ſunt, quibus domi remanenere iis permiſſum eſt. Quo vero ſingulis conſtet, quanto qvisque literas ſuas redimere teneatur, ſequens diſtinctio tenenda. Pro ſingulis diplomatibus Cancellario dabuntur ex ſingulis ſocietatibus nauticis duo öræ argenti. Pro literis protectionis in optima forma Notario Ortugus, Cancellario ſelibra pecuniæ, pendetur. Pro minoribus protectoriis literis Notario ſemiortugus, Cancellario ad ſummmum marca, Notario dimidia öra. Minuitur autem ruſticis pretium, prout ſatisfactio, Thegn appellata, & ſecuritatis redemptio,* Fridkaup *dicta, minuitur. Pro literis redemptionis ſecuritatis (*Gridabref*). Cancellario duæ öræ, Notario ſemiöra. Pro literis noxam ſeu periculum avertentibus, item confirmationis, tantundem. Pro iis, quæ ſententias ad judicia nomophylacum confirmant, nihil Cancellario, Notario Ortugus, idque pro ſingulis aliis literis. Cùm autem nobis conſtet, ſatellitibus, noſtris fratrisque noſtri minoribus annis, ſtipendia ſua ſoluta non eſſe, quorum alii mortui ſunt, alii adhuc ſuperſtites ſunt; quidam autem eorum præter leges publicas & jus aulicum, penſiones in expeditiones, quas Regi ſolvere tenebantur, talionis loco detinuerunt, aliasque injurias contra juratum obſeqvium fecerunt, nihilominus eos pro officio, nobis immeritis à Deo dato, conſolaturi, remittimus partes illas penſionum, quas in hunc diem ſolvere detrectarunt; præterea in gloriam honoremque Dei, noſtræqve animæ ſalutem, & ut Deus bonum nobis hæredem concedat, in omnium ſolatium, ducentas marcas ſignatas appenſas argenti puri eis damus, ita ut duo Eccleſiaſtici, duoq aulici, quos collegium aulicum ad hoc delegerit, hanc pecu-*

niam

niam accipiant, proque ea necessaria iis & possessiones idoneas comparent. Nos autem ad ædem S. Virginis Osleyæ solum ædibus superstruendis assignabimus, ædesque necessarias exstrui curabimus, in usum eorum, qui ex iis aut sunt, aut debinc futuri sunt, debiles & infirmi, videlicet ministris ædium, mensarum, candelarum, emissariis, qui à promontorio Lindisnesia & monte Dofrinô austrum versus habitant, ut cibus illis & necessaria, in quantum proventus agrorum à nobis datorum, & eorum, quæ ex symbolis ab aulicis in eum usum conferendis comparantur, permittit, deinceps pateant. Conferent autem singuli satellites per manus Regis Norvegiæ (fatemur hunc locum in avtographo obscurum, non satis à nobis intelligi) *equestri dign tate præditi tres marcas antiquas; satellites autem & ædium ministri duas marcas, emissarii & qui à candelis, quique ad mensas ministrant, marcam unam, reliqui quantum Deus animis eorum inspirat. Quod si Deo placuerit in parte regni, quæ à promontorio Lidandisnesia in austrum vergit, animam ad se nostram evocare, prædictum satellitium arma omnia nostra lectumque testamento capiet. Mandamus præterea quæstoribus nostris omnibus, qui Nidarosiæ, Bergis, Osleyæ, aut Tunsbergæ resident, ut singulis nomina nostra solvant, quisque in sua præfectura, stipendium nempe munusque honorarium, quoties in comitatu Regis sunt; sin domi remaneant, solum stipendium: iis autem, qui à candelis, pannum in tunicam, aut æqvale pretium, qvando natalitio festo Regem comitantur: legesque aulicas qvæstores coram iis recitari curent, qvò magis, qvæ sui officii sint, singuli satis cognoscant. Si qvis autem qvæstorum hæc non solvat, idq; nobis postea innotescat, solvat de suo, & tantundem præterea Regi, nisi is, cui debebatur, tantum deliqverit, ut indignus mercede judicio Regis videatur. Mandamus insuper vobis, præfecti provinciarum nostrarum, idqve vi sacramenti fideique vestræ, ut accuratè perpendatis, qvinam in præfecturis vestris maximè idonei ad aulæ nostræ ministeria inveniantur; qvæ si quis ambiverit, præfecti literas commendatitias, aut paræciæ illius Pastoris, aut duorum probæ famæ aulicorum virorum, exhibeat, quæ testentur, quantum agrorum, quantum bonorum mobilium aut immobilium habeat, qvanta in rebus gerendis dexteritate polleat, qvomodo item cum subditis nostris conversatus fuerit. His destitutus nihil proficiet. Si alicujus delicti postulatus domi fuerit, antequam in aulam ascitus est, nihil admissio in aulam ei profuerit: qvin & ob effrontem audaciam punietur. His igitur patentibus literis, qvi hoc modo in aulam irrepserunt, à dignitate removemus, inque plebejorum statum dejicimus. Removemus & ab aulico sodalitio eos, qui nimia paupertate premuntur. Eorum, qui à Lindisnesia in boream veniunt, Bergas, qvi verò austrum versus, Osleyam petant, accedantque vexillarium nostrum, qui eorum statum nobis exponat, ubi de iis, prout Deus nobis inspirat, disponemus. Sciant quoque omnes, qvòd mulctas ob armorum defectum, aut ad eorum reparationem deputatas, non patiamur ullius metu aut favore pro Satraparum aut præfectorum arbitrio remitti; tributum verò armorum duo rustici probatæ famæ colligant, annis qvinque proximè sequentibus, indeque arma coëmant, inque eorum usum, qui deliguntur, conservent. Elapso autem quinquenniô, dodecas provinciæ cedet* (ità exemplar chartaceum, qvod seqvor, habet; Falli Tylftin under sysslu: si literam u in voce Tylftin in r mutaveris, legendum erit, Falli Tylftir undir sysslu, i: *dodecades provinciæ cedent*: scilicet distribuentur in provinciæ partes; fortè ità, ut singulis paræciis seu societatibus navalibus singulæ dodecades obveniant) *pro reparatione viarum semper exigat* (corruptum est exemplar; non enim describitur, qvis exigere debeat, aut unde: præfectum tamen intelligendum statuo.) *Usum vestium, quem præter*

fas

ſas jusque contra noſtras majorumq; noſtrorum conſtitutiones multi in regnum inducunt, planè abrogamus; prohibentes ſingulos alio veſtis genere uti, qvàm nos in aula noſtra ipſi utimur, noſtrosque uti miniſtros ſinimus; qui verò noſtrum hoc mandatum transgreſſus fuerit, ſi miniſter noſter, dignitate & gratiâ noſtra excidet; ſin alius, pœnam pro arbitrio noſtro, uti a nobis deprehenſus fuerit, ſubibit. Atque ità in nomine Dei vos omnes (aulici & ſatellites) *obſecramus, ne regiam Majeſtatem aut Regem veſtrum calumniemini, nec calumniatoribus aſſenſum præbeatis: ipſum potius verbis honorificis propugnate, ejusque miniſtris fideles eſtote, præfectisqve morigeri, & alacres ad pœnas cum illis de noxis ſumendas. Admonemus vos per charitatem, quam Joboli Regis Magni debetis, ut legitimæ filiæ noſtræ Ingibiorgi fideles ſitis, ſi nos Deus hinc nullo alio hærede relicto avocaverit. Reginæ quoque Evphemiæ jura à nobis, patente diplomate, cum Epiſcoporum Optimatumque aliorum conſenſu conceſſa, tueamini, conſtitutionemqve, quam de regni adminiſtratione fecimus, ſecundum diplomatis noſtri formam, quam Epiſcopi proceresqve regni conſenſu ſuo & appenſis ſigillis confirmarunt, conſervetis, qvemadmodum rationem coram Deo in ultimo judicio reddituri eſtis, ejusque miſericordiam exſpectaturi. Actum Tunsbergæ, vigiliâ Botolphi, anno à nato Chriſto MCCCVIII. regni noſtri nono: obſignatum nobis præſentibus. Thorgeir Clericus exaravit.*

CAP. IX.

CONFLAGRATIO TEMPLI SKALHOLTINI. INGIBIORG REGIS FILIA DESPONSATUR. LITERÆ PONTIFICIS AD NORVEGOS ET ISLANDOS. BELLUM INTER HACONEM ET DUCEM EIRICUM. COMPOSITIO INTER DUCES ET REGEM DANIÆ. REGIS HACONIS LITERÆ. INGIBIORG EIRICO CONJUX DATA.

TEmpore hyberno anno MCCCXI. poſt feſtum S. Pauli conflagravit in Islandia Skalholti templum cathedrale; mediam enim circa noctem igne deſubitò correptum, tanto impetu arſit, ut unâ tantùm horâ univerſum in cineres redigeretur; omnes qvoq; campanæ cum libris ritualibus totoq; ferè apparatu miſſali, præter humeralia, qvorum plurima erepta ſunt, & lituos, ipſum etiam ſcrinium, qvô S. Thorlaci reliqviæ erant conditæ, conſumeretur. Hôc anno qvatuor hebdomadibus ante feſtum Tiburtii extremum diem clauſit Jörundus Nidaroſiæ Archiepiſcopus. Suffectus in ejus locum Canonicorum urbis ejusdem unus, nomine Eylifus Kortin. Principiô hyemis Rex Hacon ad limites regni profectus, Ragnhildarholmam & Bagahuſam recuperavit, antea proditione militum ſuorũ amiſſas. Circa idem tempus Laurentius, de qvo prolixam ſuprà narrationem inſtituimus, poſtqvam juſſu Canonicorum flagellis cæſus eſſet, nautis in Islandiam deferendus traditur; qvi compedibus eum, qvibus conſtrictus erat, in itinere ſtatim ſolverunt. Hôc modo igitur in patriam devectus, cùm ex decreto Eccleſiaſtico Epiſcopi Holenſis Jörundi genubus accidiſſet, libertati reſtituitur, variisq; deinde in partibus inſulæ juventutem informando, ſe, qvoad Epiſcopus vixit, ſuſtentavit. Arnius Epiſcopus Skalholtenſis tunc in Norvegiam trajeciſſe ſcribitur. Exortum inter

Ducem Sveciæ Eiricum & Regem Haconem bellum acrius continuatur. Gissur Gallius Regius, tum satelles creatur. Thordus Episcopus Gronlandiæ in Norvegiã iter ingreditur. Qvæ eodem anno inter Haconem Regem Ducemq; Sveciæ Magnum de nuptiis acta sunt, *Pontani* referre verbis libet, qvi pag. 402, ità scribit:

Hoc anno missa ad Regem Norvagiæ Haquinum procuratio, signata Hamræ, ipso die Mariæ Magdalenæ sacro. Ea hujusce erat sententiæ. Ducem Sveciæ Magnum, præsentibus Eirico Daniæ & Byrgero Sveonum Regibus, absolutam potestatem tradidisse Episcopo Viburgensium Petro & Johanni Præposito Roschildensi, necnon Ingvaro Cervino, Hiort populariter dicto, suo nomine postulandi in conjugem Haquini Regis filiam Ingiburgam, omniaque transigendi, quæ ad ejusmodi solennitatem pertinerent. Rex Haquinus his acceptis, advocatâ statim in Ecclesiam S. Mariæ filiâ sua Ingiburgâ, præsentibus matre Euphemia, Helgone Asloensi & Ingvaldo Hamdrensi Episcopi, necnon Erico Valdimari Sveonum olim Regis filio, Johanne Ivaro Cancellario, Bernhardo Berncherde, Aggio, Sveno, Aslacho, Hachio, Thorere Ionæ, Adsere Jonæ, Sveno & Erico, desponsari volentem permisit Magno Duci Ingiburgam filiam, adhibitis ceremoniis ac manuum impositione, per verba, ut loqvuntur, de præsenti; tabulisque ea de re confectis. In uberiorem veri testificationem Regis & Episcoporum procerumque reliquorum sigillum fuit additum. Datæ autem & signatæ eæ tabulæ anno Christi nono supra millesimum trecentesimum; 16 Maij, Mastrandiæ. Interea inter Regem Norvagiæ Haqvinum & Ducem Sveciæ Eiricum mutua damna cladesque continuatæ, Regem Daniæ ad pacem procurandam traxerunt.

Anno MCCCX. rediit in Islandiam Arnius Episcopus Skalholtensis, materiam secum ad ædificium templi, superiore anno exusti, advehens, eam omnem Regis Reginæqve & Optimatum Norvegiæ liberalitate donatam, præterqve hanc nec pauca alia exornandæ basilicæ ab iis adjecta. Hinc tantam qvidem laudem Episcopus tam dextro itineris pii successu consecutus est, ut post Christianæ in Islandia religionis initia haud ullus alter Episcopus iter tam illustre pari felicitate absolvisse visus sit. Literæ Clementis Papæ Tunsbergam ad Eylifum, Archiepiscopum designatum, die Fabiani & Sebastiani, qvi in XX. Jan: incidit, allatæ sunt, qvibus is cum reliqvis Episcopis Norvegiæ ad generale Concilium Ecclesiasticum vocabatur. Missæ & in Islandiam aliæ, qvæ pecuniam in bellum sacrum exigebant, inq; remunerationem munificentiæ generales peccatorum remissiones, & qvidem profusiores, qvàm unqvam antea, publicabant. Archiepiscopus igitur se profectioni ad Concilium accingit. Interim Rex Hacon, exacto natalitiorum festô, haud segniter expeditionem contra Ducem Eiricum parat, Vikam qvoqve flammâ ferroqve propemodum vastantem; cæsus ibi fertur nobilis qvidam, nomine Thordus Thinghöfdius. Hôc qvoqve tempore mittitur in Finnmarkiam Gissur Gallius, ad repetendum censum multis jam annis intermissum: ei Valtyr qvidam Pretta, Pauli frater, comes adjungitur.

Hoc anno feriâ sextâ ante festum beatæ Mariæ Magdalenæ, uti *Pontanus* notat, Eiricus & Valdimarus Sveciæ Duces novum compositionis modum inter se & Daniæ Regem Ericum, Byrgerum Sveciæ, Haconem Norvagiæ, ejusmodi proposuerunt: se nimirum *operam daturos, ut lites ac dissidia omnia inter ipsos tollerentur. Rex autem Daniæ concederet Sveciæ Duci Erico borealis Hallandiæ Comitatum, cujusmodi eum Jacobus tenuerat, in formam præfecturæ. Dux vicissim ei quadraginta militibus mereret, & matri-*

mo-

monium, quod inter Ingiburgam Haconis filiam & Magnum Byrgeri filium instiτutum fuerat, ut promoveretur, adjuvaret; ita tamen, ut filia Nicolai Verlensis, Eirici Daniæ Regis neptis, Sophia Duci in conjugem traderetur. Si qui captivi aut pro iis obsides in custodia adhuc essent, ii demitterentur. Rex Hacon si eandem hanc reconciliationem probaret, tum ipsi Kongella redderetur, missis similiter captivis. Sin vero non probaret, & arcem & captivos Dux retineret, idque nec Rege Danorum renuente, quem sciret haut adversaturum, si antiquos Sveciæ limites Dux tutaretur, & profugos ac percussores parentis ipsius procul ab iisdem amandaret.

His interfuerê præterea Dux australis Hallandiæ Christophorus, & Megapolensium Henricus, Holsatiæq; Comes Gerhardus, qvi & idem probârunt & subscripserunt; excepto Rege Hacone, cujus ratificatio expectabatur. Exemplum totius contractûs Latinum in *Chron. Ryth. Svec. P. II. pag. 6.* extat. Hinc, teste laudato Danorum Historico, Rex Hacon literas evulgari curavit, qvibus super datis Helsingburgi codicillis, inter Daniæ Regem Eiricum & Byrgerum Sveciæ, nec non Christophorum Ducem, Holsatiæqve Comitem Gerhardum & Henricum Megapolitanum, Sveciæqve Duces Eiricum & Valdemarum, suam paulò prolixiùs sententiam declaravit. Et præsertim, qvod ad Christophorum & literas inter ipsum & se antea confectas, docebat, eas nullius momenti esse, & tantùm posteriores se ratas habere. Articulum de limitibus Norvegiæ & Sveciæ intelligi volebat, cujusmodi iidem fuerant temporibus Regis Norvegiæ Magni, ejus nominis Qvarti, & Regis Svecorum Valdemari. Promissum etiam & jurejurando firmatum asserebat â Rege Danorum Eirico, Holsatiæ Comite Gerhardo & Valdemaro Sveco, nomine Erici Sveonum Ducis, eum haud ampliùs Ingiburgam sibi conjugem postulaturum, qvaliacunqve licèt promissa intercessissent. De controversiis, qvæ intercidere inter regna Norvegiæ, Sveciæ, & Daniæ, possint, ità statuebat, ut de iis secundum leges pronunciaretur, ac nihilominus inter eadem regna, Daniæ, Sveciæ, Norvegiæ, immota pax permaneret. Literæ verò, qvibus Eiricus Rex Duces Sveciæ borealis Hallandiæ Ducatu, tradito pro more vexillo, ornare, vel, ut vulgo loqvimur, infevdare videbatur, ità confectæ, ut conditiones ex pactis anterioribus, deqve ducenda Nicolai Verlensis filia Sophia, insertæ essent; addereturqve, concedi ea omnia, salvis prioribus pactis Helsingburgi, præsertim inter Reges Daniæ, Sveciæ, & Norvegiæ initis, feriâ sextâ, ante diem B. Mariæ Magdalenæ.

Circa idem qvoqve tempus Eiricus Sveciæ Dux speratæ suæ Sophiæ, Erico Danorum Regis nepti, *dotem* assignavit 1000. *marcarum argenti puri; Si vero se mori ante eam contingeret, liberum ipsi esset regno excedere; acceptis prius â successore ipsius bis millibus marcarum pro bonis dotalibus: quorum nomine fidejusserunt Episcopus Upsaliensis, Scarensis, Lincopensis & Strangonensis, milites que aurati quatuor & viginti, qui & literas dispensatorias apud Romanum Pontificem se procuraturos addiderunt. Dux qvoque Finlandiæ Valdimarus fratris nomine ea omnia rata se habiturum promisit. Datum Arbogæ 1310. in vigilia Laurentii.* Hæ literæ pactionesqve Regum Daniæ, Sveciæ, Norvegiæqve, & eæ qvoqve inter Sveciæ Duces, & Daniæ Regem initæ, potissimùm cum adhuc inter Regem Haconem & Duces & præsertim cum Erico Duce, de qvo supra memoratum, simultas esset; tum enim Kongellam ab Erico Hacon repetebat, & ad urgendum eum haut procul â Kongella novam arcem Bahusiam excitârat. Ericus ex adverso maximas Norvegis clades inferebat, captâqve Ansloa, Agerhusiam obsedit, & Ha-

conem, qvi collectâ trium millium manu ad arcem obsidione liberandam accesserat, avertit. Et licèt deinde, ubi Ericus valetudine compulsus, in Sveciam se recepisset, & mox sanitati restitutus, ibi qvoqve, qvod eum moraretur, reperiret, Norvegi ad Kongellæ obsidionem redirent, eamqve occuparent; tamen facta exinde cum Daniæ Rege Erico pace, Norvegiam Ericus Dux repetiit, & arcem Kongellæ suam in potestatem vi reduxit, adeo ut, *Pontano* hoc testante, res eò tandem deducta sit, ut Hacon in conjugem Eirico traderet primitus illi pactam Ingiburgam filiam, qvamvis anno antecedente, ut meminimus, Duci Magno Byrgeri Regis filio desponsam; de qvo infra dicetur uberius.

CAP. X.

CONCILIUM VIENNENSE. FOEDUS INTER REGEM NORVEGIÆ ET DUCES SVECIÆ. REGINÆ EUPHEMIÆ MORS. CONFIRMATA PACTIO DE HÆBUDIS. DUCUM SVECIÆ NUPTIÆ, INTERQVE SVECOS ET DANOS COMPOSITIO. MORTES ILLUSTRIORES. SVECICA QVÆDAM.

ANno MCCCXI. Gissur Gallius è Finnmarkia, recepto, ad qvem repetendum missus erat, censu, rediit. Archiepiscopus Eylifus ab ipso summo Pontifice Clemente inauguratur. Concilium Viennæ in Gallia habetur; in cujus prima sessione, die 16. Octobris institutâ, actum est de recuperanda terra Sancta, ut voluntarii milites cruce signarentur; sed qvi nomina huic militiæ dederunt, & magnos fecerunt sumptus, & deinde, cum in Italiam venissent, illusos se animadvertentes, cum pudore ad suos redire sunt coacti. Cæterùm Concilium hoc in seqventem usq; annum durâsse legitur. In Islandia, Dominicâ post festum Natalitiorum, terra movit, cinisqve Dominicâ proximâ passim per insulam sparsa, pridiè festi S. Paulo sacri cœlum adeo rutilum exhibuit, ut totam circiter noctem intra ædes tanqvam matutinis horis luceret, âqve borea ad medium usqve cœlum sparsus fulgor valdeqve volubilis pertingeret. Hoc anno die XVII. Martii pactionem Rex Hacon cum Sveciæ Ducibus iniit, de qva *Pontani* narrationem, cum nostri rem planè sileant, hic inserere libet.

Conventum, inqvit, *inter Haquinum Norvagiæ Regem & Sveciæ Duces Ericum & Valdimarum, ut nimirum Duces restituerent Varbergam, Hunehalsam, Congellam, ac Regem liberarent promisso, quod Erico Daniæ Regi ante biennium fecerat, super nuptiis filiæ suæ ac Ducis Magni. Rex vicissim intra triennium pollicebatur filiam suam Ingiburgam Duci Erico in uxorem traditurum, & Valdimaro insuper fratri ejus filiam Erici Norvagiæ Regis, jam ante defuncti, Ingiburgam etiam nomine: ei dos daretur 3000 marcarum argenti. Actum etiam de Erico Valdimari olim Sveciæ Regis filio, qui personam Ecclesiasticam sustinebat, ac Regis Haqvini, ut vocabant, capellarum magister erat, ei scilicet, qvo juri suo, qvod in Sveciam haberet, renunciaret, Marke territorium cederetur, ac celebratis Erici cum Ingeburga nuptis, pro arbitrio ac placito Norvagiæ Regis, aliis insuper possessionibus ac bonis eidem provideretur. Duces vero quadringentis eqvitibus, cum res postularet, Haqvino stipendia facerent; navibus si opus foret, eas qvoqve sufficerent. Rex autem*

si abs-

si absqve hærede masculo, & antequam consummatæ essent nuptiæ, moriatur, tum Euphemia Regina ac regni senatus, unà cum Ingiburga sponsa, regnum Norvagiæ Duci traderet; ita tamen, ne arcibus aut rerum administrationi præficerentur, nisi indigenæ ac Norvagi. Qvoscunqve Evphemia Regina codicillos aut literas à Rege ac regno accepisset, eæ ratæ ac firmæ maneant, deqve illis omnibus plenius ageretur ad diem Philippi ac Jacobi in conventu Baoræ. Omnes utrinque captivi sub idem tempus dimitterentur, modo rata manerent, qvæ jam essent pacta.

Ex his autem liqvere posse interjicit b. m. Nobiliss. *Hvitfeldius*, principes ac dynastas fœdera sua & pactiones habere ut plurimum, qvemadmodum pueri talos & crepundia, iisqve ludere ac lascivire, ante omnia verò, suum qvemqve commodum spectare. Egit deinde Dux Sveciæ Eiricus cum Rege Daniæ, ut qvæ ipse & Rex Norvegiæ inter se pacti essent, suo consensu confirmaret; id qvod tandem, sed variis conditionibus, qvarum memoria vel chartis non est credita, vel inter alia sepulta jacet, obtinuit.

Anno 1312. Regina Norvegiæ Euphemia vivis erepta est. Legati Pontificis in Norvegiam missi, Dominus Petrus & Dominus Henricus ad collectas in bellum sacrum conqvirendas. In Islandiam hoc anno Ivar Holmus & Gissur Gallius abierunt.

Memoratum superius ad annum MCCLXVI. inter Regem Norvegiæ Magnum ac Alexandrum Scotiæ, ejus nominis Tertium, post diutina bella ac contentiones super insulis Scotiæ vicinis, ita tandem conventum esse, ut Scotus, numeratis Norvego in annos singulos centum marcis Sterlingicis, eas insulas (Hæbudas vulgò dictas) exceptis Hialtlandia & Orcadibus, sibi retineret; & præter centum eas marcas annuas, qvatuor insuper marcarium millia, vicibus diversis qvatuor, Norvegis traderet. Qvarum prima solutio marcarum mille haberetur anno MCCCLXVII. altera in 68. tertia in 69. ac ultima deniqve in annum MCCCLXX. recideret. Qvam tractationem tum Perthi celebratam, resumptam jam demum esse hoc tempore observamus, feria primâ post Simonis & Judæ ab Hacone Rege (qvem hic Qvartum *Pontanus*, sed pravè, nominat, cum Qvintum se professus sit, Sextus autem revera fuerit) & Iverness æ in Scotia confirmatam, præsente Rege Roberto Primo, ejusqve senatu, necnon Haconis Regis legatis, Biörnone â Birkerö & Ivaro Nicolai, Bergensium Canonicis. Qvi pactis conventis non staret, is Ecclesiæ Apostolicæ censuræ atqve excommunicationi obnoxius haberetur, ac simul mulctam incurreret decem millium librarum Sterlingicarum. Subscripserant huic chirographo unà cum Rege Scotorum, suaqꝫ sigilla impresserant, Gamelus Divi Andreæ & Johannes Glasgnuensis Episcopi, Alexander Curius à Ruchon Præpositus Dombariensis, Gulielmus à Mehr, Adamus à Corck, Comites, itemqve Robertus à Menis Baro.

Hôc eodem anno Hacon Norvegiæ Rex Duci Sveonum Eirico filiam Ingiburgam, ipsi primùm, atqꝫ inde Magno Duci, ut retulimus, pactam, in uxorem tradidit; cujus frater Valdimarus Haconis tum qvoqꝫ neptem, nomine etiam Ingiburgam dictam, Eirici Norvegiæ olim Regis filiam, in matrimonium duxit, nuptiæqꝫ utriusqꝫ Lodosiæ apud Sveones insigni magnificentiâ peractæ sunt. Circa idem tempus sabbatho proximo ante festum B. Thomæ, Helsingburgi inter eosdem Sveciæ Duces & Regem Eiricum nova pacta ac pacificationes in annum fuerunt prolongatæ, ut exinde qvicqvid utrinqve controversum esset, id qvidem proximô S. Michaelis festô, Christophoro Duce, Esgero Lundensium Archiepiscopo, Adolpho Sco-

venburgensi & Henrico Megapolensi arbitrîs Falckenburgi componeretur.

Hoc qvoqve anno Rex Hacon Constitutionem hanc ad coercendam Vicariorum, ut & Episcoporum, licentiam sancivit:

Hacon Dei gratiâ Rex Norvegiæ, filius Regis Magni, omnibus Norvegis salutem. Notum sit vobis, dilecti, sæpe ad nos delatas esse querimonias, super vicarus nostris, ut & Episcopis, quod defendant eos, qui legitimè ad causam dicendam citati, aut qui judiciis ferendis delecti, non comparent. Qvia verò, si in his perseveratur, auctoritas fori generalis corruit, magno populi detrimento; ideo nos severè præcipimus, tam plebi quàm vicariis & præfectis, sive nostris sive Episcopi, ut et iis, qui judiciis ferendis delecti sunt, ut quoties non obstat prægnans necessitas, forum frequentent, sub mulcta lege definitâ, quam nomophylaci aut vicario nostro intra quatuordecimâ foro dies solvere tenebuntur, aut nobis, si præsentes fuerimus. Quicunque autem hæc violaverint, præter iram nostram & remotionem ab officio octo ortugis & XIII. marcis multabuntur. Simili modo si liberi nostri ministri præfecturas Ecclesiasticas suscipiunt, ut plebem negotiaque politica sub Episcopi juris dictionem trahant, actu ipso ministerio nostro & gratiâ, imo & præfecturis illis excident, pendentque multam octo Ortugorum & XIII. marcarum. Quod si quis Ecclesiæ præpositus aliquid horum violet, prohibemus subditos nostros illius jurisdictioni parere, prius quam causa coram nobis vel nomophylace cognita sit. Bergis, anno regni nostri XIII.

Anno MCCCXIII. Jörundus Episcopus Holensis vivis ereptus est. Canonicorum hic Nidarosiensium primus suo tempore exstitit, longoqve tempore Regi Haconi â rationibus per Thrandiam fuerat, ei tum acceptissimus, hinc Ecclesiæ in Thrandanesia diu præfectus; vir admodum opibus pollens. Successit ei Audunus, Canonicus item Nidarosiensis. Rediit tunc in patriam â Concilio Archiepiscopus Eylifus, unà cum Helgio Episcopo Osloensi & Arnio Bergensi. Legati Regis Armeniæ in Norvegiam venisse Regiq; munera obtulisse memorantur. Rex Islandos literis aculeatis objurgavit, qvòd comitia universalia per tot annos (novem credo) intermisissent, publico plebis detrimento, minatusq; eis iram suam, si ità porrò perseverarent, præter ordinariam mulctam, vetuit, ne nomophylaces præfectorum eorumve procuratorum aut Episcopi villicorum causas proximo anno cognoscerent, nisi in comitiis illis. Literæ istæ Augvaldznesiæ scriptæ sunt, Dominicâ S S. Trinitatis, anno MCCCXIII. Consensit tum qvoq; Rex Hacon, ut Hallandiæ borealis Ducatum, ipsi jam antè promissum, Eiricus Daniæ Rex Ducibus Sveciæ clientelæ jure concederet. Hinc feriâ tertiâ, qvod notat *Pontanus*, post hebdomadem Trinitatis, Helsingburgi inter Regem Daniæ Eiricum, Birgerum Sveciæ, Christophorum Hallandiæ, Ducem Nicolaum Verlensem, â parte unâ; ab altera, Regem Norvagiæ Haconem ac Duces Sveciæ Eiricum & Valdemarum, ità convenit, *ut æquam invicem pacem colerent. Ericus & Valdimarus, quod famâ & ludibrio affecissent Ericum Regem, Ducem Christophorum & Nicolaum Verlensem, non ductâ, qvam sibi Ericus desponderat, Sophiâ Nicolai filiâ; Daniæ Regi multam solverent qvatuor millium marcarum Coloniensium. Nicolao vero duarum millium, ac jurejurando insuper affirmarent, cumque ipsis viri Equestris ordinis centum, haut ullius probri aut dedecoris causa Sophiam desertam, aut in contumeliam dictorum jam Principum id factum, sed metu solum legis Divinæ ac sangvinis vinculo fuisse inhibitos. Ericus quoque & Valdimarus tenerentur mensibus tribus Nicolao Verlensi suis impendiis stipendia facere, quandocunque hoc ipsis significaretur; excepto, si bellum adversus Regem*

Eri-

Ericum aut alios amicos ac fœderatos ipsorum gerendum foret. Daniæ Rex Ericus Hallandiæ borealis Comitatum Erico & Valdimaro Ducibus, secundum tabulas ea de re jam ante conceptas, cederet: et si qua in futurum controversia exoriretur, inter Regem Daniæ Ericum, Byrgerum Sveciæ, Christophorum Ducem & Nicolaum Verlensem, ea ad arbitros Henricum Megapolensem & Olafum Episcopum Roschildensem rejiceretur. Hacon vero Norvegiæ Rex, Ericusque & Valdimarus Sveciæ Duces, sua, quæcunque ea essent, litigia Gerhardo Comiti Gerhardi filio, necnon Gerhardo Randersburgensi, Holsatiæ dynastis, judicanda componendaque permitterent.

Hôc annô *Absalon* Biornum de Gifkio obiisse tradit, qvem Baronum omnium opulentissimi, prudentissimi, moderatissimi, imò optimi, elogiô mactare haud dubitat. Ad hunc annum *Wormius* notat, Martinum Finnorum Regem persvasum â Giffure Gallio, post redditum tantisper retentum censum, Regem Haconem adiisse, veniamq; admissorum imploràsse. Id qvod *Annal: Flat:* ad eundem qvoq; annum referunt.

Etiam hôc anno Rex Hacon Bergensibus & societatis Gulensis incolis seqventia privilegia impertivit:

Hacon Dei gratiâ omnibus Bergarum societatisque Gulensis incolis S. Officii & charitatis ratio, qva civibus nostris obseqvio & benevolentia nobis, postquam ad imperii culmen Dei gratiâ evecti sumus, semper deditissimis obligamur, exigit, ut ea, qvæ emendatione indigent, reformemus; inprimis autem leges regnique jura. Idcirco cum consensu Optimatum, ad vestram utilitatem & solatium, seqventes constitutiones conscribi curavimus, quas in palatio Nidrosiensi in publicis comitiis, festo Crucis verno, promulgavimus, & publicis manuum suffragiis populus deinde omnis probavit. (I.) Legibus constitutum erat, ut liberi legitimæ matri in bona ejus succederent, paterque iis, deficiente propriâ sobole: id verò posthac in bonis tantùm mobilibus, quantum ad avum, valeto; bona verò soli justo pretio taxata ad dies vitæ teneto. Eô autem mortuo, proximi liberorum hæredes ex stirpe materna, sive mares sive fœminæ ex illa linea progniati, qvæ à primo bonorum istorum possessore, qui illa in familiam invexit, descendit, in ea succedunto. Idem qvoque obtineto, ubi mater istorum liberorum suorum hæreditatem capit, qui in patris bona prius successerunt; atque secundum hanc regulam in successione vulgari, non autem in Regia, proceditor. (II.) Si maritus, qui ex legitima conjuge liberos susceperit, adulterium commiserit, iiq; in bona matris succedentes postea sine liberis moriantur, iis pater nunquam succedito. sed proximi hæredes ex stirpe materna, modô jam memorato. Idem qvoque jus esto, si mulier adulterio se polluat, nisi mutuò reconciliati veniam adulterii sibi invicem fecerint. (III.) Nec publica prostibula, aut ii, qvos judex ejusque assessores propter crimina aliqva intestabiles pronunciaverint, ad testimonia ferenda in posterum admittuntor, præsertim in causis gravioribus, qvæ bonorum virorum famam tangunt. (IV.) Viris in posterum viri, fœminis fœminæ, in purgatione Canonica attribuuntor, nî alterius sexus minimè, quot requiruntur, haberi possint. (V.) Vicesimus proinde ætatis annus viginti noctibus festi Christi natalitii censetor, tam in viris, quàm fœminis. (VI.) Qvoties maritus bona fundi uxoris suæ sine ipsius consensu & voluntate alienaverit, tenetor ea id intra quinquennium viris probis patefacere, sicut restitui illa in posterum nequibunt. (VII.) Qvi judicem ad rerum judicatarum executionem intra parræciam sequi tergiversatur, loco oræ, sive unciæ, qvâ olim mulctabatur, in selibram in posterum condemnator, qvicunque executionem postulaverit. (VIII.) Vetamus præterea, ne quisquam causâ à legitimo judice dijudicatâ ad alium provocet, ad partis adversæ causam dilatione

pro-

rogandam, jusque ejus prævertendum, nî provocatio præsente Rege fiat. Mandamus itaque præfectis nostris & nomophylacibus, ut causam ejus, secundum officii sui literas, decidant. (IX.) *Si feria tertia, quæ hebdomadam Paschalem proximè seqvitur, in feriam sacram inciderit, feriâ sequenti jus suum persequitor, qui agros allodiales eo die retrahere tenebatur, si non in feriatam incidisset.* (X.) *Intemperantiæ lingvæ pœnam hoc modo castigavimus: Si quis alium proditorem domini sui, veneficum, sicarium, furem, vel crimine furti contactum* (Hvinn) *meretricis aut adulteræ filium, aut aliis nominibus, quæ parem infamiam adferunt, appellaverit, quatuor marcis Regi solvendis mulctator. Verba autem omnia & causæ, quæ minorem infamiam spectant, ex arbitrio judicum, tam quoad mulctam, quàm læsi satisfactionem, deciduntor; donec nobis aliud constare certi possit, quid de iis secundum Optimatum æstimationem statuendum sit. Mandamus itaque præfectis nostris & nomophylacibus, ut has constitutiones codici legum inserant, ut in posterum per universam Norvegiam pro legibus habeantur. Faxit Jesus Christus, ut hanc nostram omnesq; alias constitutiones ità observetis, ad vestrum honorem & utilitatem, ut id in Dei gloriam vestrumque perpetuum fructum cedat. Actum tempore prædicto, decimô quarto regni nostri anno* (id est Christi MCCCXIII.) *Nobis præsentibus obsignatum. Thordus presbyter exaravit.* Hujus constitutionis varii articuli in Islandiam missi sunt, codiciq; legum Islandicarum ad calcem affixi. Locus ibi, unde prodierunt, Nidarosia; dies, festum Crucis vernum notatur, annus Christi MCCCXIII. ascriptus legitur, hac conclusione. *Dominus Biarnius Auduni filius obsignavit, nobis præsentibus; Thorgeir Thorsii filius exaravit.* Regulam tertiam de prostibulis eadem constitutio, Islandis data, hîs verbîs explicat: *Sunt autem prostibula,* (Putr vernaculè) *quæ testibus convincuntur, pretio magno parvove usum sui venditâsse, aut duos de die in amplexus admisisse.*

Anno MCCCXIV. Clemens V. Papa, cùm sedisset annos octo, menses decem, dies 16. moritur die vigesimo Aprilis. Post obitum ejus vacat sedes bienniô & qvatuor mensibus; atq; ità hoc tempore anni, nec Imperator (cùm post Henricum VII. superiore anno venenô per Monachum in sacra synaxi sublatum, interregnum adhuc esset,) nec Papa in Evropa exstitit. Episcopus Holensis Audunus & Dominus Ketill in Islandiam secum attulerunt literas Papæ de decimis Pontificalibus; igitur his conficiendis decima pars redituum de qvalibet centuria per proximum triennium exacta. Decesserunt Arnius Bergensis, Thordus Grönlandensis, & Ingialdus Hamarensis, Episcopi. Suffectus in locum Episcopi Bergensis, Audfinnus qvidam, qvi *Petro Claudii* Andfinnus dicitur. Oppidum Gothiæ Insbæia, freqventibus stratum ædificiis, ità planè incendiô est desolatum, ut præter basilicam S. Olafi nulla ejus domus superesset. In Episcopum Grönlandiæ Arnius qvidam ordinatus. Dominus Ivarus Cancellarius Norvegiæ creatus est. Episcopus Islandiæ Audunus ossa Episcopi Gudmundi sexto Kal: Nov. ob miraculorum famam humo exemit.

Hoc anno, referente *Pontano*, Eirici Sveonum Ducis compromissum factum in fratrem Valdemarum, Henricum Megapolensem, Nicolaum Olufsonium & Bernhardum Molsanum, qvod se Regi Eirico addixisset, si ipse liberiq; sui Norvegiam ipsius auxiliô obtinerent, sanctè servaturum. Ejusqve nomine sponsores fuerê aurati Eqvites decem, Matthias Ketilmundi, Gunno Grisius, Arvidus Gustavius, Laurentius Olufsonius, Henricus Molsanus, Bernhardus Molsanus, Johannes de Kou, Cunradus de Kou, Eggerus Kyrne, Johannes Kyrne. Atq; ità alter fratrum Eiricus Sveciam, Valde-

demarus sibi Norvegiam destinabat, promittebantq; utriusq; regni viribus, ubi res postularet, se Daniæ subsidio venturos.

Notant Annales nostri, Nicolaum & Valdemarum Comitis Jacobi filios in Gaupaholma capite plexos esse; id qvod in aliis nusqvam Scriptoribus invenio.

CAP. XI.

INITUM CUM DUCE VALDESLAO FÆDUS. EJUS EXEMPLUM. NATUS MAGNUS SMECKUS. CONSULTATIO DE NORVEGIÆ HÆREDE. DUÆ HACONIS CONSTITUTIONES, ET UNA SENATUS BERGENSIS.

Constitutiones novæ, qvas Dominus Ketill in Islandiam iutulit, Anno MCCCXV. in publicis Islandiæ comitiis omnium suffragio sunt probatæ. Giffur Gallius denuò in Norvegiam profectus est. Eiricus Sveciæ Dux ejusqve uxor Ingibiorg, Regis Haconis filia, in Norvegia per hanc hyemem comorati sunt. Episcopus Arnius in Grönlandiam iter parat. Obiit Ingialdus Episcopus Hamarensis.

Qvantum ex Danorum Scriptoribus & *Pontano* discimus, actum per eadem tempora adversus Brandeburgicos, initumq; cum Duce Cracoviæ Valdeslao fædus, qvod non Regem modò Daniæ, sed & fæderatos ejus Sveciæ & Norvegiæ Reges, Rugiæqve Principem ac Ducem Megapolensem, pactis inclusit, in hanc, ut seqvitur, sententiam.

In nomine Domini Amen. Cum sincera concordiæ unio Principum inter ipsos verum amorem nutriat, odium tollat, tranqvillitatem & pacem subditis generet, terrisque ipsorum profectum augeat & salutem: hinc est quod nos Valdeslaus Dei gratia Cracoviæ, Sandomiriæ, Syriadæ, Lucitiæ, Cujaniæ, totiusque regni Poloniæ Dux, necnon hæres Pomeraniæ, omnibus, ad quos præsens scriptum pervenerit, constare volumus, quod cum victoriosissimis Principibus, amicis nostris, præ cunctis præcordialibus & dilectis dominis, Daniæ, Sveciæ & Norvegiæ Regibus, & magnificis Principibus, Rugensi, Slaviæ, Mekelburgensi, & cum omnibus eorum coadjutoribus, ordinationem inter eos habitam ex unâ parte, & nos ex alterâ, omni dolo procul moto, inconvulsam volumus observavare, quemadmodum inter nos utrinque per nostrum fidelem capellanum Dominum Stanislaum extitit hactenus ordinatum, per patentes literas nos firmiter & districtè obligando, quod præfatos nostros dominos & amicos in nullo penitus volumus deserere, sed contra omnem hominem & personam eis inimicam, vel inimicari volentem, adstabimus, & præcipue contra Marchiones Brandeburgenses, promittimus eos juvare, & spondemus omni consilio, auxilio & favore, quo poterimus ampliore, & nunquam cum iis pacem aut aliquam concordiam faciemus, nisi de ipsorum consilio, favore pariter & consensu, unde si ipsorum excellentiæ adhuc de nobis aliquid hæsitarent, requisiti, tempore & occasione se offerente oportunâ, auxilia præstabimus, cum nuncium, cui fidem adhibuerint, ad nos duxerint destinandum. Ex superabundanti ordinationem habitam inter nos juramento & nostrorum coadjutorio promittimus roborare. Promittimus etiam bonâ fide pro excellentissimo Ungariæ Rege, affine nostro charissimo, & pro omnibus nostris filiolis, Dei gratia Principibus Cuyaniæ. Masoviæ, Osuantiniæ, Bytoniæ, & Baziboniæ, proque nostris nepotibus Russiæ Princi-

pibus, quod præhabitam ordinationem initam nobiscum tenebunt, & inviolabiliter obſervabunt. Actum & datum apud Cracoviam Anno Domini 1315. quinto Kal: Julii: ad cujus rei evidentiam pleniorem, præſentibus noſtrum ſigillum autenticum diximus appendum.

Anno 1316. Papa, poſt vacationem ſedis per biennium, eligitur die 5. Auguſti Jacobus deOſſa, vel,ut Imperator eum vocat, de Baburco,Epiſcopus Portuenſis Gallus, vocaturqve Johannes XXII, qvi ſedit annos 18, menſes qvatuor.

Ingibiorg Ducis Eirici uxor filium enixa eſt *Magnum*, qvem *Codicis Flat: annales* ad hunc annum *Minniskiold*, neſcio unde, cognominant. Hinc publica in aula Norvegica lætitia exſtitit. Viginti qvinqve uno die Eqvites creati, & in his duo Islandi, Gudmundus & Eiricus. Cænobium Nidarholmiæ incendiô conflagravit. Ruſſi Halogiam invaſiſſe, grasſatiq; per agros, multa ſecum ſpolia abſtuliſſe memorantur. Viſus in Islandia cometa â feſto primo Natalitiorum ad feſtum usqve purificationis, ſcriptoribus qvoq; exteris prorſus eodem tempore notatus.

Inter Regem Eiricum & Sveonum Duces Eiricum & Valdimarum; qvorum illum Haconis Norvegiæ Regis filiam, Valdemarum vero neptem ejusdem Haconis in conjugem duxiſſe, ſupra memoratum, ita per idem hoc tempus convenit, *ut Rex, ſi quid humanæ ſortis Haconi accideret, operam daret, ut Eirico, qui Haconis filiam habebat, aut ejus hæredibus regnum Norvegiæ traderetur, Eiricum vero ejusq; liberos, ſi mori ante Valdimarum contingeret, tum Rex Valdimaro, qui neptem Haconis, Eirici, Norvegiæ quondam Regis, Haconis fratris filiam, ſibi conjunxerat, aut ejus liberis auxiliatrices manus porrigeret, ut ipſis Norvegiæ imperium permitteretur: illi viciſſim,quid ob illam operam ſibi rependendum Rex vellet, id arbitris adhoc delectis, qvos inter erant Henricus Megapolenſis, Nicolaus Olai, Bernhardus Molſanus, Epiſcopus Lincopienſis aliiqve, dijudicandum relinquebant.* Natus hoc anno Eiricus, Regis qvondam Norvegiæ Eirici ex Ingibiorge nepos, perhibetur. Hoc eodem anno Rex Hacon ſeqventes conſtitutiones ſancivit; qvarum prima talis:

Hacon Dei gratia etc. Significatum Nobis eſt per Regni optimates, in unaquaque provinciâ vel præfecturâ facinoroſos dari homines, qui cum ſive ob homicidia, ſive aliudquodvis grave crimen exilium commeruerint, domi tamen ut antea, absque noſtris bonorumque virorum literis,reſident, nonnulli etiam, quibus manſionem in patriâ literis noſtris indulſimus, ſub hujus prætextu patrocinii ſatisfactionem parti læſæ ſolvendam detrectant, multoties etiam de novo crimina priora, aut his deteriora, reiterare haud erubeſcunt. Hæc verò permittere cum nec pium ſit, nec fide, quam profitemur, Chriſtiana dignum, mandamus præfectis noſtris, juratisque omnibus, ut et univerſæ plebi, ut in poſterum diligentem inſpectionem habeant, ne facinoroſi tales provincias ultra literarum noſtrarum permiſſum incolant; ſed & ne multa Regi debita aut ſatisfactio occiſi propinquis ſolvenda idcirco omittantur; ſub irâ noſtra & pœna 8. Ortugorum ac tredecim marcarum, ſi præfecti noſtri hæc neglexerint. Aulici autem noſtri, ſi ad hæc conniveant, præter amiſſionem gratiæ noſtræ qvatuor marcis multabuntur; plebeji verò ſecundum leges. Illos autem, qui contumaciter in patria manent, nec ſatisfactionem præſtant, hoc ipſo noſtro diplomate pace jureque privamus; mandantes præfectis, ut de illis pœnas exigant, ſi his auditis regno ſtatim non excedunt: qvæ dabantur Osloæ die Jovis poſt feſtum Bartholomæi: anno regni noſtri 17. Thorgeir Toſti filius exaravit.

Altera Conſtitutio eſt de commerciis inter Norvegos & Germanos.

Ha-

Hacon Dei gratia Rex Norvegiæ; qvæstoribus, nomophylacibus , senatoribus aliis Bergensibus, Dei salutem nostramque gratiam. Notum vobis sit, sæpe apud nos querelas institutas, quod subditis nostris nihil ê Germania efferre permittatur, præter cerevesiam, merces nundinarias, aut aromata, aliaque similia, regno nostro inutilia; nec Germani mercatores aliud importent, cum tamen exportent ea, qvibus nos carere minime possumus, iis autem necessaria sunt, utpote pisces, butyrum, aliasqve merces pingviores. Idcirco superiore anno prohibuimus, & etiamnum prohibemus, ne qvis regno nostro ejusmodi merces exportet, nisi qui polentam, far, aliasque gravioris ponderis merces, importat. Qveruntur qvoqve peregrini, nostros præfectos in usum nostrum merces ab iis emere, nec justum pretium reddere; id quod nobis Christianæ professioni repugnare videtur. Mandamus itaque, ut quicquid nostro nomine emitur, justo pretio comparetur; telonium verò à nobis imperatum quilibet peregrinorum mercatorum solvat ex singulis mercium speciebus, qvæ in regno nostro proveniunt, hoc modo: Ortugus appensus in singulas marcas, qvas seqventes valent specis, nimirum butyrum, gaurum, passerum majorum segmenta, marginalia & medioxima, omne genus carnes, & in his cetorum pingviores, ut et edulia, singulæque pellium caprinarum decades. In singulas marcas, quibus nuces & pelles mustelinæ veneunt, quinque solidi appensi. Ex singulis vaccinarum martumque pellium decadibus duo ortugi. Ex ovinarum pellium decade & singulis doliis piceis, quinque solidi: sed semiortugus in singulas marcas, quibus sequentia constant, decas pellium caprinarum, cæterorumque animalium, utpote phocarum, ursorum, luporum, lutrarum, castorum, lyncium, melinarum, agnorum & omne genus animalculorum, panni crassioris, sulphuris, resinæ muscique. Ex singulis his, ut telonia â quibuscunque peregrinis, cujuscunq; gentis fuerint, exigatis, imperamus, inquiratisq; jurejurando ab eis exactô, tam accuratè, ut nulla ipsis techna ad telonium hoc effugiendum supersit. Quicunque autem peregrinorum, qui extra pomæria merces exportaverit, nec telonium solverit, fisco nostro octo Ortugos & tredecim marcas multæ loco solvet. Similiter si quis de vectura navium in portubus vendat, nec telonium pependerit, naves mercesque fisco commissæ sunto, nisi id fiat tempore, quo haleces capiuntur, tum enim promiscue licet omne genus merces emere & vendere. Sed nec ullo modo permittimus mercatores Bergis aut alibi hyemem transigere, contra leges civiles & consvetudinem, quæ tempore carissimi Domini parentis nostri obtinuerunt: secus peregrinus mercator mercium confiscatione, dominus quoque ædium illarum amisssione, multabitur. Datum Bergis, dominica, qvæ festum Sancti Olafi præcessit; decimo septimo nostri regni anno.

Extat & Senatus Bergensis constitutio de commerciis a Rege Hacone anno 1317 confirmata, cujus sensus talis:

Hanc constitutionem fecerunt senatores Norvegiæ cum quæstoris & civium omnium Bergensium consensu: nimirum ut ad omnes merces exoticas coemendas hi tantum viri deligerentur, nec plures isti negotio, nisi urgente necessitate, adhiberentur: Dominus Einar Ambesonius, Dominus Endridius Simonis, hisque adjuncti cives, Einar Gothus, Magnus Øgrius, Sigurdus Hielt, Styrkar Lum, Thorleifus de Holmedalo, Thiostolfus Ripensis, Ormus Alfi & Olafus Langius. Et primo quidem ement, quibus Rex indiget; inde, qvæ Episcopis, Abbatibus & Cœnobitis necessaria; deinde, quæ civibus usui sunt, ita ut singuli cives suam quisque partem eodem pretio, qvo illi comparaverunt, adipiscantur, ita tamen, ut pretium statim reddant. Peregrinos omnes ad minimum intra octiduum a venia exonerandarum navium impetrata singulas mer-

ces exportasse oportet, tabernisqve maritimis inter Drasteinum & hortum Regium intulisse; nimirum polentam, farinam, siliginem, triticum, similaginem, hordeum, fabas, pisam, suillam, haleces, & idgenus graves merces, nec qvicqvam earum ædibus urbanis inferatur, prius qvam illæ repletæ sunt, exceptis, vino, cerevisia, mulso, melle, gauro, butyro, piscibus; reliquæ merces omnes præter graves, ædibus & cellis, qvas qvisqve conduxit, nec aliò inferantur. Cæteræ vero merces, nimirum pannus, cera, & idgenus alia, ut et aromata, officinis juxta plateas inferantur, nec alibi distrahantur, scilicet quæ ad mensuram venduntur: qvi secus fecerit, mulctæ nomine marcam pendat, possessor domus dimidiam. Omnes autem mercatores peregrini intra qvatuordecim dierum spatium merces, ex quo exportatæ sunt, distrahant, nec minutim, pannum autem & linum centuriatim, coccinum Anglicum aliosqve idgenus pannos fasciatim, vina & mella plenis doliis, cerevisiæ, polentæ, siliginis, hordei, lastas & dodecades integras, similaginis saccos integros aut talenta, ceræ dolia integra, aut per talenta, lardi integra talenta: solis autem civibus hæc vendentur, nec extraneis, præter qvod diurnus usus domesticus saltem in unum mensem exigit. Omnes peregrini mercatores intra duas hebdomadas, postqiam merces exportare permissum est, eas distraxisse oportet, nundinas vero singulis navigationum vicibus absolvisse intra tres hebdomadas, nec ulli peregrinorum mercatum ultra sex hebdomodas mercibus importandis, distrahendis, aliisque coemendis, itineri apparando insumere licebit; quod vero intra illud tempus distractum non est, aut coemptum, id proinde nec emere, nec vendere licebit à festo Crucis autumnali ad festum crucis vernum; â festo autem crucis verno ad festum crucis autumnale commercia cum indigenis & exteris pariter libera sunto; si tamen nec loco alio, nec modo, nec minutiore copiâ, quam prædictum est, vendantur: qvòd si mercatores peregrini alitèr aut minutius vendant, fisco vendita cedunt, nisi probaverint se idgenus plura non intulisse quàm vendiderant; hoc enim modo liberabuntur a multâ, etiamsi tantum vendant, quantum importaverint, licet idminus fuerit, quam præscriptum est. Indigenæ etiam Norvegi, si aliter emerint, secundum leges multabuntur. Sed nec alter inter emptorem & venditorem interveniens plus offerendo contrahentes perturbet, sive Regius procurator in civium, sive hi in ejus præjudicium; qui vero plus obtulerit, quam contractum erat, aut carius emerit, qvam præfectus Regius cum consensu civium ordinaverat, marca multabitur, irrito insuper contractu futurô. Nulli dominum possessori permittitur, eas peregrino mercatori ultra duas hebdomadas secundum constitutionum præscripta locare: qui vero aliter locaverit, aut peregrino diutius ædes incolendas permiserit, octo marcarum multâ punietur, excedetque domo peregrinus; quod si civis hoc mandatum sæpius transgressus fuerit, fisco Regio domum cedet. Similiter si peregrinus sæpius deliqverit, pretium domo æqvivalens pendet. Præterea si qvis hæc præscripta negligit, aut quomodocunqve violaverit, sive ea majora sive minora fuerint, multabitur, tam auctor, qvam qvi consensit; qviqve accepit & permisit, marcam luet, aut etiam plus, prout Rex & senatores circumstantiis causæ consideratis judicaverint. Hi singuli articuli omnium prædictorum virorum consensu, fide manuum apprehensione datâ, probati & confirmati sunt. Omnes præterea cives decreverunt, ne qvis dolium (tonnam) cerevisiæ Germanicæ pluris marcâ emat, sub quinque marcarum multâ, Regio fisco addendâ, præter cerevisiam, qvæ qvoque committitur. Sed & nos Hacon Dei gratia Norvegiæ Rex, Regis Magni filius, postqvam hæc accuratè leginus & observavimus, secundum petitionem Bergensium confirmavimus præsentem constitutionem in omnibus suis pun-

is punctis & articulis: mandantes ut pari cum legibus auctoritate, tum apud eos, qui nunc Bergas incolunt, & in posterum incolent, valeant; certo scientes, qvod qvicunque violaverit, secundum ejus præscriptum puniendus sit, cum gratiæ nostræ amissione. Datum Dominica proxima post festum Martini, anno Domini 1317. regni nostri decimo octavo.

Hoc eodem anno Ketill Stafangriæ Episcopus & Thorer Episcopi filius fato concesserunt. *Annal: Flat*: hoc anno Haconem Regem bellum Sveciæ intulisse, Ducesqve Eiricum & Valdemarum cœsos esse, perhibent: autumno autem, cùm classem reduxisset, unicam navem glacie obsessam remansisse, cujus præfectus fuerit Dominus Giardar. Hanc adortos Svecos, cùm vi expugnare non possent, incolumitate vectoribus promissâ, in deditionem accepisse, Gissure Gallio inter pugnandum hastâ cubitum trajecto. Deditione deinde factâ, & occisis propemodum omnibus, Giardarem & Gissurem jejunii autumnalis tempore in carcerem conjectos; paulò verò pòst Giardarem capite truncatum, Gissurem autem ad festum usqve Paschatis in vinculis & compedibus detentum fuisse. Hinc haud dubiè colligitur, ipsum Regem Haconem in vindictam Ducum, qvorum miserandum mox infrà fatum commemorabitur, arma in Sveciam movisse, junctisqve cum ministris Ducum copiis suis contra Byrgerum bellâsse.

Anno MCCCXVIII. Gissur Gallius pridie festum Paschatis ê Svecia redemtus in Norvegiam, deinde ad Regem, rediit. Evocati ex Islandia ab Archiepiscopo ad synodum Ecclesiasticam ambo Episcopi & Dominus Ketill, uterq; nomophylax, sex qvoq; satellites regii, & sex rustici. Constituti nomophylaces, Dominus Grimus Thorsteini filius & Erlingus Haconis filius. Hoc anno Rex Hacon de pactis conjugalibus seqventem constitutionem tulit.

Hacon Dei gratiâ &c. Sæpiùs sollicitati sumus, ut legem de pactis conjugalibus explanaremus, &, quæ id desiderare videbantur, emendaremus. Omnibus itaque constare volumus, nos, suffragantibus Senatoribus nostris, pacta conjugalia in hunc modum formasse, codicique legum inserenda curasse, quæ in posterum per totum regnum vim legis habebunt. Primò, quoties parentes suos liberos matrimonio jungunt, ut pacta, quæ illi ineunt, inviolatè conserventur, sive dotem, sive bonorum societatem præscribant. Qvod si quis virginem aut viduam acceptâ dote duxerit, licebit bona omnia parta aut accipienda in societatem conferre, cum liberos susceperint; & manebit tum pactum sociale tanquam consensu propinquorum firmatum legitimum, pactaqve de hæreditate inter eos præscripta rata, sive hæreditas inter liberos, sive externos, dividatur; qvod si alteruter eorum liberos ante nuptias, eosque pupillos, habuerit, licebit iis qvoque societatem bonorum instituere cum consensu hæredum proximorum, qui in defectu patris aut matris iis succederent, nisi nomophylax aut alii probi viri in fraudem liberorum contractum animadverterint, qvo casu irrita societas erit. Sancivimus præterea, si conjugum alter æstivo tempore ad festum usqve Nicolai decesserit, inter quos bonorum societas instituta non est, ut superstes prædiorum suorum canones omnes teneat (hæredes autem defuncti): sin autem alterius mors post festum Nicolai tempore hyberno inciderit, ut secundum agrorum proportionem, quicqvid ex reditibus istis superest, inter eos dividatur.

Erat etiam in lege veteri, à Magno Rege latâ, controversia qvædam de nepotis adoptivi successione, *utrum tantùm in adoptantis hæreditatem succedere debeat, an etiam illo defuncto vicem ejus repræsentare?* qvod posterius Rex Hacon confirmavit, legibusq; inseruit. *Datum Tunsbergæ feriâ tertia*

tia, qvæ præcessit Dominicam mediam Qvadragesimæ, anno regni ejus decimo nono, Christi 1318.

CAP. XII.

BYRGERIS REGIS SVECIÆ FRATRICIDIUM ET EX REGNO EJECTIO. REGIS HACONIS MORS, ET CONSTITUTIONES VARIÆ.

Cæterum hic fuit annus funestus & fatalis Sveciæ Ducibus, sæpius nobis memoratis, Eirico & Waldemaro: qvorum lamentabilis exitus documento mortalibus erit, nihil in mundo fidum ne qvidem in societate fratrum esse, qvamqve verum sit illud, proximorum odia plerumqve acerrima existere. Non dubitamus totam rei hujus historiam, plenamq; omnium, qvæ Byrgero Regi post horribile facinus perpetratum acciderunt, *Loccenii* Scriptoris Svecici verbis exhibere, præsertim qvia & hinc patet, qvomodo regnum Svecicum ad familiam Ducis Eirici, mox qvoqve in Norvegia nostra regnaturam, translatum sit. Ità autem rem narrat *Loccenius*:

,, Accidit hoc anno (1318.) Valdimarum ex Finnlandia, in qva mansionem
,,elegerat, ad civitatem Stockholmensem transire, ex qvo itinere paululum
,,divertit ad Regem Byrgerum in arce Nicopensi constitutum; qvi venien-
,,tem tot benevolentiæ officiis excepit, ut penè ex Rege & fratre servum ac
,,mancipium se factum esse monstraret. Regina qvoq; in excipiendo hospite,
,,ad incredibilem humilitatem tam verbis qvam operibus descendit; qvo eve-
,,nit, ut Valdimarus Eirico persvaderet, Regem Byrgerum nullas omnino
,,moliri insidias, sed omnia ex sincero pectore operari ac meditari, proinde
,,non verendum esse ejus congressum, nec qvicqvam ex ejus societate formi-
,,dandum. Eiricus, licèt haut facile â Valdimaro persvasus, & Valdimarus
,,Nicopiam iter tenentes invisendi fratrem Regem causa, per obvios sibi ca-
,,vere ab offenso olim Rege monentur, se fando accepisse, si accederent, ipsis
,,malò fore: sed illi in malam rem abire jubent vani rumoris gestores, qvi
,,non nisi dissidia inter fratres serere qværant. Adeo Regis fide confisi, in-
,,feliciter decepti sunt. Ingressi aulam â Rege & Regina, acceptam injuriam
,,magis animo qvam vultu condentibus, perbenigne excipiuntur, eò ipsis
,,gratiores, qvod non invitati aut paratu qvodam allecti, si forte dolus sic
,,animadversus declinaretur, sed in insidias, qvas ipsis tetenderant, ultro
,,incurrerent. Omnium vultus, verba re facta ad hilaritatem & humanitatis
,,speciem composita erant, in aulæ qvoq; ministris exqvisita officia gaudiaq;
,,apparebant lætitiæ, blanditiarum & urbanitatis Regiæ imitatione, ut in au-
,,la ex unius vultu & animo reliqvi solent confingi, sed insidiæ majores qvam
,,qvisqvam arbitratus esset, sub personatâ comitate tegebantur. In mensa
,,Duces Regio apparatu opiparis dapibus & poculis rorantibus excepti, ne-
,,sciebant miseri, istas extremas fore epulas, ferali mox fataliqve fame in
,,fœdissimo carcere luendas. Extracto in noctem convivio, cum somni
,,tempus instaret, in hospitale cubiculum splendidè exornatum deducuntur.
,,Famulos eorum extra aulam in oppidi hospitia partiuntur, specie commo-
,,dioris spatii, & dominorum qvietis non turbandæ; sed revera ut Domini in
,,angustiis deprehensi omni humano præsidio nudarentur, idqve consilio

Johan-

Johannis Brunconis: qvi insidiarum scenam unà cum reliqvis parârat. Hic,, non silendus est Eqvestris Ordinis vir, nomine Canutus Porse, vel, ut alii,, vocant, Pose, qvi fortitudinis famâ insignis, sed integritatis laude clarior fuit;,, hunc adesse jusserat Rex ut auxilium sibi præstaret in fratribus comprehen-,, dendis, & in vincula tradendis; sed ille tam atrox facinus horrens, sic allo-,, cutus est Regem: Si tibi, Rex, qvid ingruat mali, nullum pro tuo capite,, tuendo vitæ discrimen aversabor: sed ad manus fratribus tuis injiciendas, ut,, nunqvam consilium dedi, nec dabo, ita nec opem feram. Perpende tecum,,, qvantum hoc tibi dedecus pariturum sit, si vim inferas Principibus, si tuis,, hospitibus, si, qvod unum ad deterrendum satis sit, tuis fratribus, & no-,, va tecum fœderis atqve amicitiæ religione conciliatis, si tam immani eos,, perfidiâ afficias, qvi tantâ fide ad te accesserunt. Hoc responso Rex com-,, motus, cum indignatione dimisit, nec ille minus offensus discessit, licto-,, ris manus, & qvidem in tam impio facinore, ipsi commodare jussus. Me-,, dia nocte, dum fratres vino & sopore graves in lecto cubant, nihil mali su-,, spicati, repentino motu & armatâ vi in cubile milites irruunt, frustra re-,, pugnantibus manus afferunt, atqve ex liberis mox captivos è cubili protra-,, hunt: ita, qvi hospitaliter accepti erant, hostiliter extruduntur. Qvin ipse,, Rex & frater, nefariè rupto redintegratæ amicitiæ vinculo, sacramenti reli-,, gione firmato, omniqve sangvinis necessitudine exutâ, instinctu uxoris suæ,,, compedes illis injici, & in carcerem rapi jubet, etiam miserorum calami-,, tati illudens, num qvid meminissent ludum Hatunensem? hunc nihilo me-,, liorem fore: & absq; mora in altissimam ipsis tenebris horribilem arcis Ni-,, copensis turrim detrusi sunt, ubi tantâ in eos immanitate utebatur Birge-,, rus, ut abjectis in amnem carceris clavibus, eos inediâ, tardo & sævo mor-,, tis genere, conficeret. Dux Eiricus post triduum non solum fame, sed &,, plagis in defensione sui, ubi capiendus erat, male multatus & sqvalore car-,, ceris excruciatus decessit. Valdimarus post undecimam demum diem fa-,, me enectus est. Sunt qvi referunt, fratris defuncti manibus ad domandam,, famem eum vesci cœpisse; alii perfodisse carceris solum ad duos cubitos, si,, forte elabi posset, cujus rei vestigia adhuc appareant: sed inediâ exhaustum,, labori non suffecisse. Atrox illud & funestum supplicium fidem facit effati,, Corneliani: fermè acerrima proximorum odia. Eqvidem ut mel nimis,, sumtum in gravem bilem convertitur, ita propinqvorum conjunctio amor-,, qve nonnunqvam in asperrimam degenerat iram & inicitiam, si se maxi-,, me læsos putent ab illis, â qvibus minimè promeriti videbantur aut expecta-, bant, inprimis si pietate & animi moderatione excussis, trucem ultionem,, excogitent. Hoc immani facinore adeo exacerbati sunt animi civium, ut,, non solum id in patre, Holmiâ, & tandem regni finibus, excluso, sed etiam,, in filio Magno, paterni sceleris, uti existimatur, conscio, perseqverentur.,, Birgerus, ab Eirico Rege Daniæ sexcentis eqvitum auxilio missis, & â Ma-,, gno Birgeri, filio adductis, suisq; copiis auctus, belli aleam frustrà tentat,, a Svecis Canuto Porsio Duce, Sudercopiæ cæsus, pulsusqve in Gothlan-,, diam. At filius Magnus, dum omni ope nititur patri laboranti succurre-,, re, expugnatâ arce Stegeburgensi, qvam insederat, & classe per Johannẽ,, Brunconem ei submissa, sed ab hoste incensa, tandem ad pactæ incolumita-,, tis fidem in deditionem accipitur, Holmiamq; deductus, causâ cognitâ, ne-,, qvidqvam fidem publicam & innocentiam suam absentiamqve in Dania,, cum pater ejus fratres custodiæ tradidisset, obtestatus, in insula, qvæ olim,, S. Spiritus dicta, capitis supplicium subire coactus est. Johannes Brunco ve-,, rè cum sociis facinoris Ulfone Svalebekio, Lubero Fossio & Valramo, qvod,, fuerant,,

„fuerant â partibus Birgeri fratricidæ, extra urbem in monte, qvi â Brunco-
„ne adhuc nomen habet, capite plectuntur, corporibus eorum rotæ impositis.
„Defunctorum Principum corpora Holmiæ honorificis exeqviis in S. Nicolai
„æde condita sunt. Arx Nicopensis ex detestatione admissi in eâ tam fune-
„sti parricidii diruta & solo æqvata est. Birgero regno patriâqve ejecto
„Matthias Ketelmundi, Princeps senatus & præfectus Sveciæ, tempore inter-
„regni, ob perspectas ejus pace belloqve virtutes, & postea tutor Magni Du-
„cis Eirici filii constituitur. Post res domi compositas armis petit Scanios,
„ob suppetias Birgero latas, & edita prope Morklangiam pugna victor eva-
„dit, trecentis Danorum captis, reliqvis in fugam actis. Birgero apud Da-
„nos â Christophoro Rege præfectura Holbecensis & castellum Spicaburgum
„in vitæ subsidium indulta sunt. Rex fastigio suo in vilem sortem, sed culpâ
„suâ, dejectus, alienâ misericordiâ vivit, cujus ipse erga fratres oblitus erat,
„& in exsilio decedit; communi fato superbæ & sævæ dominationis, ut tan-
„dem ipsum feriat auctorem, at eò turpius, qvòd mereatur.

Hactenus *Loccenius*. *Pontanus* seqventia addit.

„ Dux interea Christophorus (dum captivi in Svecia Duces essent) accep-
„tis ab Archiepiscopo Lundensi, milleqvingentis monetæ Scanicæ marcis, ea-
„rumnomine ipsi successoribusqve ipsius Helmstadii territorium oppignora-
„vit, effecitqve apud Ducum captivorum conjuges, Ingiburgam utramqve,
„qvarum altera Haqvini, altera erat Eirici Norvegiæ olim Regis filia, ut il-
„læ, donec ê custodia liberarentur Duces, Arcpiepiscopum unà cum ditione jam
„indicata sibi defendendum susciperent. Eaqve de re confectæ ejusmodi ta-
„bulæ;

„ Omnibus præsens scriptum cernentibus Ingiburgis & Ingiburg, Dei gra-
„tia Ducissæ Svecorum, òmnesqꝫ consiliarii ipsarum salutem in Domino sem-
„piternam. Notum facimus universis, qvod ex qvo magnificus princeps
„Dominus Christophorus, Dei gratia Hallandiæ & Samsöæ Dux, venerabili in
„Christo patri, Domino Esgero, divina permissione Archiepiscopo Lundensi,
„Sveciæ Primati, ecclesiæ ipsius, seu successori ipsius, unum Herrid (territo-
„rium) qvod Halmstad-herrid dicitur, in Hallandia cum omnibus bonis & eo
„pertinentibus terris, pratis, silvis, pascuis, piscariis, curiis, molendinis, co-
„lonis, & singulis aliis emolumentis de dicto Herrit provenientibus, pro
„mille qvingentis marcis denariorum Scanensium, nec non sumptibus & ex-
„pensis, pro ipso Duce, hominibus ipsius & stipendariis, per ipsum Domi-
„num Archiepiscopum factis & erogatis, prout doceri poterit, titulo pigno-
„ris obligavit: Nos ad petitionem & instantias ipsius Domini Ducis Chri-
„stophori promittimus dictum Dominum Archiepiscopum pro posse nostro
„defendere & adjuvare, contra qvemcunqve ipsum super possessione ipsius
„Herrith perceptione seu levatione fructuum, redituum, proventuum & ob-
„ventionum qvarumcunqꝫ, molestare vel inqvietare attentantem, ac ei assi-
„stere in omnibus suis damnis, injuriis & molestationibus, si qvæ ipsi, vel
„ipsius successori, impedimenta super possessione sev usufructu hujusmodi in-
„ferantur, ubiqve pro viribus nostris resistere, & oportuno remediô obvia-
„re, id ipsumqve per serenissimos principes Dominos nostros Eiricum & Val-
„dimarum, Dei gratia Duces Svedorum Illustres, cum Dominus eos â capti-
„vitate liberaverit, fieri, adimpleri, confirmari & inviolabiliter observari.
„In qvorum omnium testimonium sigilla nostra & sigilla Consiliariorum
„nostrorum, & nobilium militum, Dominorum scilicet Philippi Ulfson, Jon
„Thor & Sinvidi Ergiselson ac aliorum militum infra scriptorum, qvi huic
„tractatui & negotio similiter interfuerunt, videlicet Nicolai Brock, Johan-
nis

nis Papæ, Johannis Staverlkoff, Andreæ Stigson, Johannis Grubbe, Jo-„ hannis Uffeson, Nicolai Tygeson, & Laurentii Lauritzson, præsentibus„ sunt appensa. Datum Calmariæ Anno Domini MCCCXVIII. in Cœna„ Domini. „

Refert & *Pontanus* ex *Hvitfeldio*, qvæ inter mortem Ducum & supplicium Magni Byrgeri filii contigisse videntur, in hunc sensum.

Helsingburgi postremum induciæ qvalescunqve pangi cœptæ, qvæ,„ Roschildiæ exinde repetitæ firmatæq; in hanc ferè sententiam: primum in-„ ter Daniæ Regem Eiricum & Sveciæ Byrgerum, Norvegiæq; Haqvinum,„ ejusq; & Ducum Eirici & Valdimari liberos Sveciæq; regnum triennii tem-„ pore pax æqva coleretur, Sveciæ vero Regem si qvid interea tentare in ad-„ versum contingeret, id supradicti Principes, qvantum in ipsis esset, inhi-„ berent, nec eò sua usqveqvaqve conferrent auxilia. Durantibusqve his„ induciis Byrgerus cum liberis suis extra Sveciam subsisteret, excepta Goth-„ landia, modò hoc ipsum volentibus indigenis fieret, qvorum nutum atqve„ assensum explorare ei liberum esset. Filius ejus Dux Magnus intra custo-„ diam, prout hactenus fuit, teneretur; ita tamen, ut nulla ei aut ulli corporis e-„ jus parti vis aut injuria inferretur, excepto si qvid Deus cœlitus immitte-„ ret. Qvi rei essent cædis in Duces perpetratæ, ante induciarum initium„ Sveciâ excederent: captivi dimitterentur. Christophorus Dux, Esgerus„ Lundensis Archiepiscopus, ceteriqve ê Dania profugi, qvi liberis Ducum„ bello superiori suppetias tulissent, si porro inferre bellum Daniæ Regi aut„ Sveciæ ejusqve liberis pergant, eis neqve Ducum liberi, neqve Sveciæ re-„ gnum, opem suam commodaret. Ac deniqve hæ aliæq; super hoc negotio„ controversiæ permitterentur in universum arbitrio Episcopi Roskildensis,„ Olai Marschalli, Ludovici ab Everstein, Laurentio Jonæ, & Ingvari Hiort„ â parte Danorum. Ducum & Svecorum nomine adessent Carolus Episco-„ pus Lincopiensis, Canutus Magni, Forensis apud Vestrogothos Præses,„ Boetius Nicolai & Eiricus Tordsonius. Hi octo sub festum Divi Johannis„ Helsingburgum convenirent, atqve ibi qvodcunqve pronunciaretur, id ra-„ tum esset. Si tamen eo tempore & loco res in totum decidi neqviret, indu-„ ciæ nihilominus ratæ manerent. Si qvis interea ex mediis ac pacis arbitris„ vitâ excederet, ejus in locum alius substitueretur. Scanienses, qvòd superio-„ ri bello auxilia sua Svecis commodâssent, id illis vitio haut verteretur. Hoc„ pacti ratum sartumqve fore promiserê Episcopus Roschildensis Olaus, Ma-„ reschallus Ludovicus, Ingvarus Hiort, Nicolaus Holingerson, Clemens„ Herlugson, Albertus Albretson, Hemmingus Peterson, Eiricus Iffverson,„ Olaus Esgerson, Eschillus Gris, Tidemannus de Ortzen. „

Præter jam dictos, seorsim qvoqve hoc ipsum, datis codicillis, promi-„ serê Illustrissimi Principes Dominus Valdimarus Brandeburgensis, avun-„ culus Regis, Eiricus Dux Jutiæ, consangvineus, Henricus Dominus Mega-„ polensis, & Domicellus Hennikius Comes Holsatiæ. Hi enim omnes Ros-„ kildiæ ipso die S: Martini conventui isti præsentes interfuerê: literæ vero„ ipsorum signatæ Vordenburgi feriâ sextâ proximâ post Martini. „

Similes qvoqve codicillos super iisdem triennalibus induciis Roscil-„ diæ ipso die Divi Martini, ut dictum, pactis evulgârunt, Olaus Archie-„ piscopus Upsalensis, & Carolus Lincopensis, Benedictus Scarensis„ Styrbernus Strangensis, & Israel Arosiensis Dei gratiâ Episcopi, Matthi-„ as Ketilmundson Dapifer & Capitaneus Sveciæ, Philippus Olusson,„ Canutus Joensen, Canutus Magnusson, Legifer Vestrogothiæ, Boetius„ Nikelson, Eiricus Tonneson, Canutus Porsius, Johannes de Kyren„

Torſchillus Andersſon. Magnus Nickeſon, Finuldus Nickeſon, Haqvinus Ingvorsſon, dictus Lume, Torſchillus Clemensſon, milites. Sigiſmundus Kielsſon, Jonas Tolfſſon, Gotslavus Thursſon, Nicolaus Abram, Ulpho Aberni, Canutus Folkeſon, Erengiſelus Naſkenſon, Mareſchallus, & Ragnvaldus, Magnus & Ulpho Philippi. Hæ literæ datæ fuerunt Stockholmiæ, anno memorato, die Benedicti Abbatis.

Anno Chriſti MCCCXIX. deceſſit in Islandia presbyter parœciæ Breidabolſtadenſis Haflidius Steini filius, qvi Regi olim Norvegiæ Eirico â confeſſionibus fuerat. Hujus mortem ideò annotare placuit, ut ſimul, qvod ſupra omiſſum eſt, narrandi locum haberemus; nimirum qvod fœmina illa, qvæ ſe Regis Eirici filiam anno MCCCI. profeſſa, Bergis ultricibus flammis exuſta eſt, uti ad eundem annum â nobis dictum, inter cætera generis Regii aſſerendi argumenta retulerit, qvo tempore per portam, qvam nominabat, Bergis deducta in Scotiam iter pararet, aſtitiſſe Regi Eirico patri ſuo ad templum Apoſtolorum presbyterum Islandum, nomine Haflidium, qvi, cum cæteri cantum finiiſſent, hymniqve deficerent, exorſus fuerit; *Veni Creator*: atqve hunc hymnum ad finem usqve cantâſſe, cum in navem ipſa deduceretur. Id qvod ita ſe habuiſſe paſtor idem, auditâ relatione, teſtatus eſt.

Annus hic etiam Haconem Regem octavo Idus Maij: vivis exemit, principem in primis pium, recti & æqvi tenacem, pacique deditum, concordiæ inter vicinos Reges componendæ ſtudioſum, fideiqve datæ obſervantiſſimum. Qvô morbi genere, qvo loco ſublatus ſit, qvem ſepulturæ locum acceperit, deficiente Scriptorum authoritate, exprimere neqveo. Filiam unicam, Eiricæ Sveciæ Ducis, fame crudeliter enecti, uxorem, reliqvit: qvæ ex Eirico Magnum Smeckium & filiam Euphemiam Albano Duci Megapolitano deinceps collocatam, ſuſcepit.

Appendicis loco Lectori aliqvot Regis ejusdem piæ memoriæ conſtitutiones, præter ſuperiùs adductas, exhibemus, tam Norvegis qvam Islandis datas: qvas, qvia nullum certum præferunt annum, in hunc locum rejiciendas duximus.

Hacon Dei gratia Norvegiæ Rex. Experientiâ didicimus, nomophylaces veſtros nolle in cauſis vel controverſiis, qvæ Eccleſiam ſpectant, quicquam ſtatuere vel judicare, eo quod in Codice Legum jus tantum politicum, ſeu ſeculare, non item Canonicum, ſeu Eccleſiaſticum, habeant. Nobis vero cum noſtris eccleſiaſticis, hactenus occupatis curis aliis, iis rebus adeſſe, aut jus canonicum in uſum hujus regni concinnare tempus non vacavit. Interim tamen nihil minus placet, qvam ut ſacra eccleſia, vel ipſius antiſtites, ſuo jure priventur. Quocirca nomophylacibus & omnibus reliqvis jus canonicum illud vetus, quo hactenus uſa eſt Islandia, commendamus & imperamus, non tamen illud, quod parens noſter Rex Magnus, aut hujus æqualis Jonas Nidaroſienſis Antiſtes, tulerunt, ſed jus, inquam, canonicum Islandiæ, his antiquius, ut apud vos obtineat & locum habeat, mandamus, utque ex ipſo judices legitimi ſententiam ferant, volumus; ita tamen, ut omnis multa pecuniaria triente imminuta ſervetur; quod ſi in eodem jure canonico veteri adhuc aliqvid deſiderabitur, vos id nobis indicate, mentem veſtram de ſingulis præſcribite, ac in primis epiſcoporum & cleri ſententiam, cum reliqvorum cenſuris & opinionibus, qui quid reipublicæ veſtræ ex uſu ſit, quid regio, qvid gens illa ferat, æqua lance perpendant. Actum Bergis in vigilia Sancti Olafi.

Hic qværitur (inqvit *Arngrimus*) qvodnam ſit illud jus Canonicum antiqviſſimum, qvod Islandi hoc Regis decreto ſeqvi & ſervare jubentur? Ex-

bul-

bulla Martini itemqve Honorii PP. ad Eiricum Misoclerum missa patet, (id qvod superius qvoqve attigi) anteqvam inter Regem & ecclesias convenisset, Regem ad suum arbitrium, & ecclesiasticos ad suum, canones formasse: & hi sunt, qvorum hic alii Magno Regi, alii Jonæ Archiepiscopo, adscribuntur, qvibusq; Islandis per præsens decretum interdicitur. Qvare de antiqvioribus illis hæc mea est sententia, esse videlicet constitutiones fori ecclesiastici, â Thorlaco Brunulfi Schalholtiæ & Catullo Holensi, Episcopis, latas, accedentibus reliqvorum magnatum suffragiis & consensu, utpote Bergthori nomophylacis & aliorum consilio valentium & prudentiâ, tandem etiam Assveri & Ossuri Lundensis in Dania Archiepiscopi auctoritate stabilitas circa annum MCXXII. qvi annus ad dictorum Episcoporum tempora lib. I. annotatus reperitur. Atqve hos reor esse canones istos, qvos etiamnum antiqvos (Kristinrett hinn helga) appellamus: nam qvos novos vocamus, Jonam Archiepiscopum Nidarosiensen auctorem habuisse circa annum MCCLXXX. scribuntur.

Seqventi edictô Rex Episcopi Holensis licentiam & iniqvitatem in pauperes coërcere voluit.

Hacon Dei gratia &c. Conquestus est nobis Dominus Svenus Thoreris filius, vicem pauperum Skagafiordensium agens, quod Episcopus Dominus Jörundus, de pretio cetorum, quos rustici Skagafiordenses feriis sacris ad litora advexerunt, decies quater centum, & quincuncem ceti decimani, Reidr *appellati, qui talenta centum & duodecim cum semisse pendebat, abstulisse; cum autem testes indubitati nobis confirmaverint, quincuncem cetorum majorum minorumque; feriis sacris ad litora advectorum, pauperibus â prima memoria secundum codicem legum constitutionesque canonicas competere, interdicimus, ne quis, cujuscunque fuerit conditionis aut officii, iis quicquam adimat, aut aliis quam nostris provinciarum præfectis reddat, aut eorum curatoribus, qui & hæc inter pauperes dividant. Qui vero hæc transgressus fuerit; nôrit se illam multam incursurum, quam invitus, inque exemplum aliorum, pendat. Idcirco mandamus & monemus Dominum Episcopum Jörundum, ut intra duas hebdomadas, ex quo literas hasce legit, singula, quæ pauperibus abstulit, aut auferri curavit, restituat, ne tales quereias sæpius audiamus. Omnibus enim indecorum, imo & turpe est, præsertim rerum sacrarum procuratoribus, reculis suis pauperes spoliare, aut iis quicquam injustè adimere. Quod si Dominus Episcopus intra præscriptum terminum iis non satisfecerit, præcipimus provinciarum præfectis, nostrisque satellitibus, tantum de bonis ejus decerpere, quantum iis eripuit, lucrô insuper, quantum illo temporis intervallo provenire potuit, secundum bonorum virorum arbitrium, addendo.*

Habetur & talis ejusdem constitutio, varia complectens:

Hunc modum in conservando civium jure & aliorum Serenissimi Norvegiæ Regis subditorum præfecti & nomophylaces teneant oportet. (1.) *Ne ulla mulcta irrogetur, nisi quam jus canonicum vetus præscribit, nec nova onera imponantur, sive pro interdictis, sive arrestis, sive conventibus cum conjugium jam decretum palam promulgatur, aut celebratur. Sed nec donationes testamentô sive in ecclesias, sive cœnobia, sive alios, institutæ, ultra legis præscripta valento.* (2.) *Vela navium publicam pacem vindicantium in templis secundum veterem consvetudinem servantor.* (3.) *Laici presbyterorum & clericorum veteri more omnem hæreditatem capiunto.* (4.) *In expeditiones omnes ex agrorum proportione impensas conferunto.* (5.) *Quadrans omnium decimarum pauperibus cedito, dividitorque more veteri.* (6.) *Presbyterorum ministri, Regi tanquam alii subditi, quà multas, tributa, citationes, collectas, atque omnia gravamina,*

vamina, in qvæ reliqui cives consentiunt, obligantor; præter Episcoporum, qvibus immunitas concessa esto. (7.) Dapiferi in tria capita, domestici in duo ab impensis in expeditiones liberi sunto. Eadem privilegia singulis Episcoporum ministris intra patriam concessa sunto. (8.) Si ministri Archiepiscopi domi, ipso præsente, aut in navibus cum aliis confligant, Rex & Archiepiscopus multam ex æquo participanto, nisi cædes factæ sunt, aut membra amputata; his enim casibus multa omnis Regi competit, ut &, si, Archiepiscopo non præsente, sive invicem, sive cum aliis congrediantur. Cæteris Episcopis jus multarum permissum non esto, sive in proprios ministros, sive alios, præter illud, quod jure canonico est definitum. Sed nec Archiepiscopi aut cæterorum Episcoporum ministri prædictis immunitatibus fruuntor, nî nomina eorum matriculis in singulis Episcopalibus sedibus inscripta fuerint. (9.) Severè qvoqve interdictum est, ne præpositi ulla publica tributa capiant. (10.) interdictum & omnibus, ne pro sepultura, baptismo, chrismate, aut sacra synaxi, aut idgenus aliis, qvicqvam contribuant, præterquam quod cuilibit, Deo inspiranté, placeat; tenentur enim pastores talia singulis sine pretio ministrare. (11).) Qvorum majores suis impensis sacella exstruxerunt, ipsique aliquid ad sacrorum sustentationem, aut alia officia, contulerunt, si episcopus, ut usus tenuit, iis pastorem ad sacra peragenda constituere nolit, ut sacris careant, suaque impendant, ratio nulla esto (12.) Qvod si Præpositi aut eorum curatores, hæc mandata transgredientes, adigant subditos Regios excommunicatione aut minis ad multas pendendas aut ad onera subeunda, qvæ prius ipsis insveta erant, tenetòr præfectus noster, aut cives provinciales, prout qvisqvis horum prius â rusticis interpellatur, causam eorum juraqve vetera & legitima promovere; quod si etiam præpositi de rusticis jure conquerantur, similiter hi tenentor jus ei suum reddere. (13.) Si vero perseverent subditos nostros injuriâ afficere, hisque edictis nostris parere detrectantes, minis & excommunicatione eos ad suscipienda hæc onera adigant, gratum & nobis erit, jus ei non reddi, qui alios jure suo privare haud veretur; itaque nomophylaces aut præfecti indicabunt statim præposito ejusve vicario, se iis jus non dicturos, ni ipsi aliis suum vicissim permittant. (14.) Qvod si nomophylaces aut præfecti deprehendantur subditis Regis jura denegasse, gratiâ Regia & officiis suis excident, sin autem eos sedulis hortamentis ad obseqvium mandatorum convertere neqveant, prohibebunt viris omnibus juxta ac fœminis, ne ipsis ministrent, aut eorum possessiones, sive agros sive domos, conducant.

Dedit & aliam adhuc Rex Hacon constitutionem, incertum qvô regni sui annô, *de divisione bonorum inter conjuges instituenda.* Qvam an Norvegis Islandisve, an utrisqꝫ simul, dederit, cum non liqveat; constet autem, codicibus legum inscriptam fuisse, illâ heic inserendâ supersedemus.

HIST:

HISTORIÆ RERUM NORVEGICARUM PARTIS QVARTÆ LIBER NONUS,

DE MAGNO NORVEGIÆ ET SVECIÆ REGE, COGNOMENTO SMECK.

CAP. I.

MAGNUS SVECIÆ ET NORVEGIÆ REX CONSTITUITUR. ACTA INTER NORVEGOS ET ISLANDOS. BYRGERIS SVECI FATA. ALIA QVÆDAM EX ANNALIBUS.

Eirici Sveciæ Ducis, à fratre Rege carcere & inediâ enecti, filius, ejecto armisqve profligato patruo Byrgere, adhuc infans, annô ætatis tertiô, ut ex Annalibus nostris & Scriptoribus Svedicis liqvet, regno admovetur. Super humeros enim Præfecti regni Matthiæ Ketilmundi in conspectum multitudinis ad Morasteinum elatus, ità omnes commovit, ut Rex Sveciæ publicâ omnium voce designaretur. Eodemqve anno à Norvegis, in avi materni Haconis locum, Rex qvoq; gentis ejus, utpote unicus tum proximusq; hæres, constituitur. Is MAGNUS in ordine nominis reverà OCTAVUS, sed, secundum consvetudinem Regibus jam tum receptam, QVINTUS appellatus, diverso cognomine insignitus legitur. Clementem & Bonum Norvegi, probroso vocabulô SMECK, id est blanditiis delinitum, Sveci cognominârunt. Primum, qvod ejus nomine publicatum legimus, edictum fuit eodem hôc annô latum, formâ tali:

Notum omnibus volumus, nos constituisse, ut peregrini, qui hìc hybernant, excubias & cætera civvitatis munia ex æqvo cum Norvegis obeant. Prohibemus peregrinos omnes, merces Norvegicas eo fine comparare, ut eas hìc rursus divendant. Qvod si hoc egisse deprehendantur, mercibus universis privan-

vantor, qvarum triens Regi, triens præfecto cedito. Interdicimus omnibus, tam incolis, quàm advenis, ecclesiasticis & politicis, ne monetam nostram nummosqve repudient: qui verò ejus convictus criminis fuerit, in pœnam violati mandati 8. Ortugos & marcas 13. solvito. Oramus denique & mandamus, hanc nostram constitutionem & benevolentiam ità in usum vestrum vertatis, ut, cùm Deus nos ad justam ætatem provexerit, eò libentiùs plura vobis privilegia impertiri possimus. Bergis, pervigiliô Margaretæ, anno regni nostri primo, obsignatum nobis præsentibus. Thorger Thossen exaravit.

Anno MCCCXX. in Islandiam legati à Senatu Norvegico mittuntur, ad sacramentum novi Regis nomine exigendum: qvibus Ordines insulæ hunc in modum rescripserunt:

Prudenti ac honorando Norvegiæ Senatui S. Exposuit nobis Senator vester Gunnerus (studium suum & fidem qvàm maximè erga Regiam Majestatem hoc ipso declarans) cujusmodi juramentum à nobis nomine inaugurati Regis Magni, Haconis defuncti nuperrimè Regis ex filia nepotis, exigatis. Tale nempe juramentum, quod ipsius olim majoribus à nostra parte præstitum esse constat. Cujus conditiones à parte Regia servandæ, præter alias alibi commemoratas, etiam hæ fuerunt. (I.) de mercibus in usum incolarum qvotannis avehendis. (II.) De nomophylacibus & aliis legum præfectis inqvilinis, non extraneis, iisque delectis (non obtrusis) *(III.) Ut duo unà essent nomophylaces, qvi tamen simul judicum provincialium muniis neqvaqvam gererent. Quibus postulatis vestris respondemus: nullam à nobis occasionem veteris pacti violandi consultò datum iri: id poscere tamen vicissim, ut privilegia nobis à Regia parte dicta, inviolatè etiam serventur; sin minus, fidei sacramento erga Regem Norvegiæ nos haut amplius teneri statuimus. Ad vetera etiam privilegia illud accedat petimus; ut magistratus nostris suffragiis creare liceat* (ne qvis scil: à Rege vel Regiis magistratûs nomen & munus mercari possit;) *ipsum verò, qvod postulatis, fidei sacramentum tantisper differre certum est nobis, dum Regium diploma cum regni appenso sigillo, vetera & nova privilegia nobis confirmans, nobis à vestrâ parte afferatur.*

Memoratum superiùs ad annum 1318. inter cœtera Roschildiæ cum legatîs Sveonum pacta Eiricum Daniæ Regem in se recepisse: prospicere, ne filio Byrgeri Magno, qvi ex arce Stegenburgensi Stockholmiam captivus fuerat abductus, ulla aut corporis, aut vitæ, vis injuriave, dum in custodia maneret, inferretur. At eâ pactione insuper habitâ, Magnus hôc anno à Svecîs damnatus, ob scelera, ut habet *Johannes Gothus*, paterna, supplicium capitis subiit; qvamvis *Olaus Petri*, itidem Svecorum Historicus, hac de re verba faciens, injuriam ei factam existimet, nec debuisse Byrgeri Patris commissa impingi filio, præsertim cùm aliud, qvod ei objiceretur, non esset. Et ipsum Magnum morti jam proximum excusâsse se ac seriò affirmâsse tradunt, haut conscium se consilii paterni de necando utroqve patruo suo fuisse. Verùm prolixiùs de his superiùs Cap: XII. Lib: præcedentis ex *Loccenio* retulimus. Hujus igitur supplicii nuncius ubi ad Byrgerum, qvi, ut antè meminimus, in insulam Gotlandiæ se receperat, esset delatus, confestim cum Regina Margaretâ navem conscendens, datis vento velîs, in Daniam profugit, spe jam omni depositâ in Sveciam postliminiò redeundi. Rex verò Christophorus, cujus soror erat Regina Byrgeris Margareta, ne officio generis deesse videretur, præfecturam Holbeckensem (Spicaborch castellum *Gothus* vocat) ipsis permisit, non tamen eodem affectu & charitate, qvâ frater ipsius, laudatæ memoriæ Eiricus, qvi nihil non pro causa eorum egerat. Itaq; in Dania Byrger exul, ex Svecia statim percepit, stirpem Eirici fratris, qvem in turri Nicopensi necaverat,

ad

ad regnum evectam, &, qvod magis adhuc dolendum sibi, utrumqve jam regnum Norvegiæ & Sveciæ sub uno capite conjunctum esse. Notandus hic obiter *Crantzii* error, qvi duos Magnos Sveciæ & Norvegiæ Reges sibi invicem succedentes facit, cùm id non modò Regum nostrorum series, sed historia etiam Sveonum, refellat, qvæ unum tantùm post Ladalasem, Byrgeris parentem, Magnum Regem agnoscit. Hôc anno Episcopus Skalholtensis Arnius Helgii filius vivîs excessit: in cujus locum sacerdos Ormus Thorsteini filius electus, unà cum Auduno Episcopo Holensi & Domino Grimo in Norvegiam trajecit. Mag: Hallvardus in Episcopum Hamarensem, & Signar in Fœreyensem, Bergîs inaugurati sunt. In Islandiam tum Dominus Ketill & Snorrius nomophylax redierunt.

Annus, qvi superiorem excepit, MCCCXXI. Dominum Ormum Episcopum Skalholtensem designatum proximo die post festum Vincentii vivis exemit; cujus in locum alter qvidam, nomine Skutu-Grimus, surrogatus est. De hoc *Arngrimus* ità scribit: *Inde Grimerus quidam Norvegus ad cathedram Skalholtensem designatus, existimans se ad voluptates modò electum, magnam pecudum vim brevi temporis spatio, genio indulgens, perdidit, Episcopi tantùm titulô turgidus, qui à notabili illa pecudum mactatione & laniena dictus est Skurdgrimus: qvod monstrum Deus noluit in Islandiam pervenire, vel animarum curam suscipere; nam illicò adhuc in Norvegia agens, voluptates interitu commutavit.* Hæc ille. *Vita Episcopi Holensis Laurentii* Cap. XXXVI. eum Abbatis de Holmo dignitatem Nidarosiæ gessisse tradit, & Episcopum jam Skalholtensem constitutum, tres menses illo officiô functum esse. Interea ex bonis cathedræ ejusdem ingentem summam consumsisse, qvæ qvidem 1260. Imperiales hodiernæ monetæ valet. *Skurdgrimus* etiam ibi appellatus legitur. Annalium duo exemplaria communiter *Skutugrimum* dictum notant. Tandem igitur Jon Halldoris filius, vir doctus & integer, ordinis Prædicatorum, ad Ecclesiæ Skalholtensis administrationem eligitur. Dn. Ketill Islandos in fidem Regiam, sacramentô publicè exactô, suscepit. Ursus nivei coloris, magnitudine ingens, in Islandiam per glaciem â terra usq; Gronlandicâ agitatam devectus, cùm octo homines in Halarvika, (aliis Heliarvika) dilaniâsset, qvosdam etiam devorâsset, Straumnesiæ ipso festo Vitalis occiditur.

Annus MCCCXXII. Haconi Stafangriensi, Helgio Osloensi, & Auduno Holensi, Episcopis fatalis erat; qvibus successerunt, Salomon in Episcopatum Osloensem, Eiricus in Stafangriensem: Holensem autem in Islandia frater Laurentius obtinuit, alterqve nuper electus Skalholtensis Ecclesiæ Præsul Jon Haldoris filius eodem tempore consecratus est. Hôc anno Magni Regis nomine tale publicatum diploma invenimus:

Magnus Dei gratiâ Norvegiæ, Sveciæ, Scaniæqve Rex, omnibus has literas visuris vel audituris salutem, cum Dei nostrâque benedictione. Mandamus, ut quisquis ad causam dicendam, secundum tertii diplomatis nostri tenorem, legitimè citatus, absque evidente necessitate non comparuerit, pacis exsors sit, donec jurisdictioni se submittat, aut ad intentatam causam respondeat. Similiter, qui ob flagitia justè proscribuntur, regnoque ante jus suum acceptum excedunt, si non ipsi intra 12. mensium spatium redeunt, aut vicarius illorum ad causam dicendam; tum legitimus hæres fundum, quem inhabitârunt, unà cum bonis omnibus occupato, indeque debita omnia & justas mulctas solvito, quousque hæreditaria illa bona solvendo sufficiunt. Qvamprimum verò proscriptus regno excesserit, bona illius in præsentiâ vicariorum nostrorum conscribuntor, & facto arresto, diligenter custodiuntor. Qvi adulteriis, homicidiis, perjuriis, aut falsis testimoniis, aut aliis qvibusvis notoriis indulgent sceleribus, nec possunt

sunt se bonorum virorum jurejurando purgare, nec propter contumaciam ad eandem provinciam incolendam idonei censeri: & si bi, instigante Diabolo, in tantum indurantur, ut neque per absolutionem Deo, nec per satisfactionem Magistratui conciliari curent, hos, causâ in foro examinatâ, coloni pacis exsortes omniumque odiis obnoxios pronunciabunt. Nos autem talibus pacem, bonaque omnia mobilia & immobilia, renunciamus; excedantque hinc inperegrinas regiones, nec diutiùs intra regnum nostrum in scandalum aliis Christianis dandum hoc modo maneant. Nec enim impunes illos pati volumus, qvi talia patrasse certò deprehenduntur: sed nec in posterum tantam pœnis irrogandis, qvantam hactenus, moram dabimus, cum ad hæc ulterius conivere minime liceat. Actum Tunsbergæ, Regni nostri anno qvarto.

Seqventi anno, qvi est MCCCXXIII. in Islandiam Episcopus Jon pervenit. Russi Halogiam pro more infestantes, Biarkeyam, ubi tunc Dn: Erlingus Vidkunni filius degebat, cujus mater, nomine Gyrida, paulò pòst defuncta legitur, in cineres redigebant. Laurentius Ecclesiæ Holensis Præsul designatus hoc anno Norvegiam petiit, naufragiumqꝫ in Halogia passus, tandem Nidarosiam venit; perqꝫ seqventem hyemem ad Archiepiscopum Nidarosiensem remansit. Eodem hoc tempore Rex Daniæ Christophorus Canutum Porsium, ex nobilitate Hallandica virum illustrem, ob vetera, ut putabatur, ejus erga se merita, ad summas dignitates evexit, traditô ei unà cum australi Hallandia atqꝫ insula Samô (Samsöâ) necnon Holbecensi præfectura, Ducali titulô. Proditum ab authoribus memoriæ est, tam asperam anni hujus ac diuturnam hyemem exstitisse, ut totis sex hebdomadibus Balticum mare constrictum glacie jaceret; eâqve occasione Satrapam Laurentium cum eqvitatu ac robore Selandico in oram adversam Torneburgo transvectum. Et addit in *Vandalia* sua *Crantzius*, ità circumqvaqꝫ gelidissimo frigore aqvas concrevisse, ut itinere pedestri de litore Theutonico in Daniam, inqꝫ Borussiam, transitus pateret, dispositis hinc inde per glaciem hospitiis, in usum scil: ac commoditatem transeuntium; qvod sanè inusitatæ hyemis exemplum haudqvaqvam prætereundum hic silentio existimavi.

Anno MCCCXXIV. Dn. Laurentius Kalfi filius, in Episcopum Holensem ordinatus, in Islandiam rediit.

CAP. II.

RES QVÆDAM ISLANDICÆ. MUTATIONES IN DANIA. KNUTI PORSII CONJUGIUM, POTENTIA, ET MORS. CONSTITUTIONES REGIS MAGNI DUÆ.

POst duos inde annos, MCCCXXVI. mittitur in Islandiã ab Archiepiscopo Eylifo Frater Ingimundus Skulii filius, cum mandatis, ut litem inter Episcopum Laurentium & fratres Mödruvallenses Episcopus Jon Haldoris filius & Abbas Thorlacus deciderent: qvi Episcopo Holensi Laurentio jus & potestatem in dictum monasterium adjudicabant. Hôc eodem annô festum translationis S. Magni, qvondam Orcadum Comitis, per universam Islandiam omnium suffragio est receptum, festôqve S. Luciæ celebratum. Permissum præterea per qvinqve natalitiorum dies feriasqꝫ

qvar-

qvartas ante qvadragesimarum tempora omnis generis opera peragere.

Excussus tum regnô Daniæ Rex Christophorus Secundus, electusqꝫ in ejus locum Valdemarus Eirici Slesvicensis filius; cujus parens tamen inter Daniæ Reges haudqvaqvam numeratus fuit. In Svecia hôc anno Dux Megapolitanus Albertus Regis Magni sororem Evphemiam in matrimonium duxit. Anno supra millesimum trecentesimum vigesimum septimô Knutus Porsius, prius qvidem, anteqvam à Rege Christophoro in fevdum Ducatûs Hallandiæ esset immissus, Eqvestri dignitate contentus agens, hoc circiter tempore illuustres nuptias affectare haud veritus, in conjugem accepit Ingibiorgem Regis Magni matrem: atqve eâ occasione borealis Hallandia australi addita, Porsio facilè tota obvenit, qvòd ea jam olim Eirico Duci, Ingibiorgis marito, à Rege & regni proceribus in fevdum fuisset concessa. Sicqve ille, cùm regni utriusqve, Daniæ Sveciæqꝫ, veluti dynasta ageret, superbire atqꝫ animos tollere cæpit; cujus nomine, sicut & maternarum nuptiarum causâ, Magno Rege haut admodum exinde propitio usus est; nam & Axelvoldam Ostrogothiæ arcem, qvam Ingibiorg (utpote sibi in vitam ab Eirico marito concessam) Duxqve Porsius defendebat, ipsis hoc annô Magnus ademit. Eodem anno Nidarosiæ templum Christi igne consumtum legitur.

Inter fratres Modruvallenses, pactorum videlicet Episcopi Jonis & Thorlaci Abbatis operâ superiori anno initorum ruptores, & Episcopum Laurentium res jam denuò ad idem rediit. Iterum igitur ab Episcopo Jone & Thorlaco Abbate Modruvallas profectis, Episcopus Laurentius citatus, primò comparere noluit, obtendens, jus eorum, utpote primâ compositione factâ, ultrà non valere; tandem tamen propter minas eorum (ut enim ab officio arceretur, minati sunt,) pacisqꝫ studia se stitit; conclusumqve, ut fratres Modruvallenses bonis ipsi monasterii sui præessent. De hac re literas ad Archiepiscopum Nidarosiensem ambo Islandiæ Episcopi, Jon & Laurentius, scripserunt, deferendasqꝫ ille Sacerdoti Arngrimo, hic Sacerdoti Eigili, tradiderunt; qvi in Norvegiam feliciter delati, seqventem hyemem ibi transigebant.

Anno MCCCXXVIII. rediit in Islandiam Sacerdos Eigill cum literis ad Episcopum Laurentium, ut monasterium Modruvallense Holensis Episcopi imperium semper agnosceret. Missa insuper Episcopo Laurentio pretiosa mitra ab Archiepiscopo Eylifo. Hôc anno Magnus Rex ad Hunehalsam obsidendam procinctum movet. Porsius autem Helmstadium tenens, eam urbem hoc tempore privilegiis primus donavit, & Svecos, qvi eò negotiandi gratiâ commeabant, à telonio im̃unes pronunciavit.

Anno MCCCXXIX. Porsius, inter regni Primates tum habitus, contendere cæpit cum Magno Sveonum ac Norvegiæ Rege. Et licèt matrem Magni uxorem haberet, non tamen fida unqvam aut firma inter eos amicitia coaluit; unde & Henricus & Johannes Verlenses Comites, qvi possessiones intra regnum Daniæ habebant amplissimas, partesqꝫ Christophori Regis seqvebantur, se cum Sveonum Rege adversus Knutum conjungunt. Displicebat enim ipsis Knuti fastidiosa potentia, qvi præeminere cunctis volens, etiam ipsorum territoria, qvæ in Selandia tenebant, sibi vendicare cæperat, qvòd Christophoro affines amiciqꝫ essent. Itaqꝫ fœdus cum Magno feriunt; cujus forma talis est.

Omnibus præsentes literas visuris & audituris, nos Johannes & Henricus, Dei gratiâ Domini de Verle, salutem. Profitemur coram omnibus, qvòd anno post natum Deum 1329. feriâ tertiâ post festum Assumtionis B. Virginis,

Stockholmiæ fædus iniverimus cum Serenissimo Principe Domino Magno, Sveciæ & Norvegiæ Rege, per consultos viros Dominum Clementem Cossebodium eqvitem & Hermannium Cossebodium, notarium nostrum & legatum, plenâ facultate à nobis instructos ad pactionem & pacem æternam sanciendam hoc tenore. Primò nos fortiter Regi Magno adhæsuros, ejus damna aversuros, commodam utilitatem adversus quemlibet ex omni parte & facultate promoturos, omnibus ejus hostibus, præsertim Knuto Porsio eqviti, cum omnibus ejus adhærentibus & adjutoribus, qvàm enixissimè obstituros, damna illaturos, ruinam machinaturos. Si igitur prædictus Dn., Sveciæ Norvegiæque Rex nostro auxilio opus habuerit, duos ex eqvitibus suis ad urbem nostram Gustroviam, aut aliò, ubi nos tum fuerimus, mittat, quos duo nostri eqvites excipient; qui qvatuor equites ejus nostramque vicem causæ tenorem examinabunt, amicèque inter se component, qvantum auxilium ipsi à nobis præstandum sit: quicqvid illi determinaverit, nos quoqve qvàm propensissimè expediemus. Sed & nos, si prædicti Domini Magni auxilio indigemus, mittamus duos ex nostris eqvitibus ad urbem ejus Calmariam, aut aliò, ubi tum præsens erit, adversus duos ejus equites, qvi simul considerabunt, quantum auxilium nobis ab ipso sperandum sit: qvodsi res ità ferat, ut potentissimus Dn. ac Princeps Christophorus Daniæ Rex, aliqvem contractum aut pacificationem cum prædicto Knuto Porsio, sine prædicti Regis Domini Magni & nostro consilio & consensu ineat, nos nihilominus prædictum Knutum Porsium ejusque pactionem, ubicunque & quocunque modo poterimus, persequemur; nec erit Regi Magno integrum sine nostro consilio & consensu, nec nobis sine ejus, ullam cum Knuto Porsio pacificationem inire, nec qvicqvam hoc contractu detractum volumus fæderi, qvod cum potentissimo Daniæ Rege Christophoro fecimus, aut ei, qvod inter prædictum Christophorum Regem Daniæ & consiliarios Sveciæ Regis Magni factum est; qvæ omnia inviolata ex omni parte servabuntur. Sed nec hic contractus, qvi nunc inter optimum Regem Magnum & nos factus est, in damnum potentissimi Principis ac Domini Regis Christophori, sed utilitatem & commodum, verget. Ad majorem evidentiam patentibus hisce sigilla nostra appendimus. Datum anno & die ut suprà.

Anno MCCCXXX. festo Pentecostes obiit Dux Knutus Porsius. Reliqvit ille duos filios, Knutum & Haconem, intra breve spatium paterni funeris appendices. Vidua ejus Princeps Ingibiorg, defunctô licèt marito, sibi nihilominus Callenburgum, Holbeckam, Samsiam, & Hallandiam retinuit. Notant Annales chartacei, Knutum Porsium venenô extinctum fuisse. Dominus Papa, missis in Islandiam ad Episcopum Jonem literîs, auxilia incolarum in contribuenda pecunia contra Romanos implorat. Hoc anno Episcopus Bergensis Audfinnus vitam cum morte commutavit; inque ejus locum Mag: Hacon ordinatus est. Notant Annales, eclipsin Solis hoc anno 14. Cal: Augusti, aliam qvoqve Lunæ 26. Decembris contigisse.

Eodem anno rex Magnus Bergensibus seqventem constitutionem misit. *Magnus Dei gratiâ Norvegiæ, Sveciæ, & Gothiæ Rex, omnibus Bergarum incolis salutem per Deum suamque gratiam. Scitote, varios nobis qvestos esse, & retulisse, merces & cœtera, quæ in regnum hoc importantur, inaudito alibi exemplo falsata esse solere, ut sint panni & cœtera omnia, ità ut pannus plures jam ulnas contineat, qvàm ex more prisco assolet oportetque. Similimodo vinum, cera, mel, oryza, far, polenta, omnimodæque merces inanibus rebus corruptæ. Hæc cùm diutiùs pati nolimus; sciant omnes, qvòd qvæcunque tandem merces huc invehuntur, & vitiatæ deprehenduntur, in fiscum nostrum redigentur, & qui eas huc asportaverit, mulctam violati mandati 8. ortugos & 13. marcas solvet, nisi unà cum undecim compurgatoribus juret se vitium*

mer-

cimoniorum ignorâsse; ipse tamen merces nihilominus, ut dictum est. fisco cedent. Osloæ, anno regni nostri 12. qvatuor diebus post festum Nicolai. Dn. Paulus Bardi filius Cancellarius noster obsignavit. Paulus Clericus exaravit.

Rex Magnus, (inqvit *Arngrimus*,) majorum exemplô constitutiones qvasdam in Islandiam immisit circa annum 1330. & aliàs. Qvibus præcipuè ad conciliandum Ecclesiasticum statum & civilem, jus Canonicum antiqvum & avi sui Haconis Regis constitutiones de eadem re urget & inculcat; ubi etiam potissimùm Episcopos & Eqvites auratos Islandiæ compellat; qvarum exempla subjiciuntur.

Magnus Dei gratiâ &c. Dn. Haukus Erlendi, Ketill Thorlacius, & Snorrius Thorlacius, nomophylaces, pluresque integerrimi viri, qvos ad nos evocavimus, literis plebis qvadrantis septentrionalis de variis gravaminibus modisque bona acqvirendi, legibus veteriqve consvetudini adversantibus, qvos Episcopi aliiqve Ecclesiastici novo exemplo induxerunt, graviter qvesti sunt, qvòd nimirum eas Ecclesias, qvas medias vocant, jamque aliqvantisper vindicârunt, ut & portionem piscium cetorumve, qui diebus festis vel capiuntur, vel transportantur: quibus pauperes hoc modo spoliantur. Decimas qvoque infra Øram, seu unciam, egenis debitas, Episcopi sibi vindicent, nec non dicatos Christo reditus, Christfé *appellatos, pauperibus pariter ab Episcopis vel eorum curatoribus ereptos. Cùm itaque tantam contumaciam & injuriam diutiùs pati nolimus, interdicimus Episcopis Ecclesiasticisque nostros subditos contra legem moremque receptum gravare. Et qvamvìs Episcopus Holensis diœcesin suam qvotannis lustret, placet tamen ut curiatim provincias secundum leges veteres adeat, perque vices Ecclesias ad hospitia deligat, nisi rusticis eum freqventiùs excipere placeat. Civibus igitur nostris universæque plebi imperamus, ut jura sua, articulis præfatis comprehensa, tueantur secundum inveteratum usum, imperamusque aulæ nostræ magistris & eqvitibus, aulicisque & præfectis, hanc nostram constitutionem ad effectum promoveant, prout rationem Deo nobisqve reddere tenentur; certò scientes displiciturum nobis, si secus faciant. Datum Bergîs, sex noctibus post festum Botolphi, nobisque præsentibus obsignatum.*

Eodem anno aliam constitutionem, qvâ panni Islandici vilitatem emendari voluit, *Bergis feriâ tertia ante pervigilium Sanctorum in Selia, Domino Bardo Cancellario obsignante, Ivare Auduni exarante*, dedit.

Anno 1331. hocce in Islandiam edictum misit:

Magnus Dei gratiâ Norvegiæ, Sveciæ, & Gothiæ Rex &c. Mercatores, qui hinc ad vos navigant, nobis nostroque senatui identidem questi sunt, solutionem æris iis debiti ad extremum vos differre; qvô fit, ut aut nimis serò reditum instituant, aut etiam duas hyemes apud vos remanere cogantur, qvi unam tantùm destinaverant. Id cùm intolerandum sit, sancivimus, ut omnia debita peregrinis solvatis ante prius S. Olafi festum singulis annis: nî feceritis, duodecim ulnas ex singulis centesimis nobis, totidemque creditori, pendere tenebimini. Qvod si debitor ad eum diem non solverit, deque eo creditor qveratur, præfectus provinciæ aut ejus vicarius qvatuor probos viros, qvos velit, secum sumito; qui statim de bonis debitoris exigant summam debiti, vecturæque præmium, nobisque & creditori singulis selibram, idque sine ulla prævia juris actione de bonis ejus, ubicunque extiterint, licitum esto detrahere. Qvod si præfecti nostri eorumq; vicarii hoc nostrum mandatum exseqvi neglexerint, pro certò sciant, se fidei suæ commissas provincias, atque adeò beneficia omnia, qvæ à nobis & regno consecuti sunt, & præterea gratiam nostram amissuros. In majorem rei hujus consensusq; senatûs nostri fidem cum sigillo nostro Drottsetus noster Dn. Erlingus Vidkunni suum qvoque huic diplomati adjecit. Datum pervigiliô Knuti. Dn: Paulus, Cancellarius obsignavit; Paulus presbyter exaravit.

Incidit in hunc annum obitus Epiſcopi Holenſis Laurentii, in cujus locum Dn: Eigill ab Epiſcopo Hacone Bergis ſubſtituitur; morbo autem detentus Archiepiſcopus Eylifus conſecrationem peragere neqvibat.

CAP. III.

ISLANDICA QVÆDAM. SCANIA MAGNO REGI TRADITUR. ACTA CUM LUDOVICI MARESCHALLI VIDUA. REGIS MAGNI IN SVECIA CORONATIO ET NUPTIÆ.

SEqventi anno MCCCXXXII. in Islandiam Eigill Epiſcopus Holenſis appulit. Archiepiſcopus Eylifus 19. Nonas Novembris ê vivis ereptus eſt. Notant Annales chartacei, templum qvoddam Bergis, Flateyenſes autem urbem ipſam hoc anno conflagrâſſe. Mercatores qvidam Islandi ex patria ad Hæbudas, duabus navibus, (qvarum unam *Glodem*, ſeu Prunam, alteram *Gullſudam*, ſeu Aureum Latus, vocatam referunt) delati, mercibus cunctis alterâqve navium ſpoliantur. Pruna autem, cùm vectores ſinguli (tribus tantùm exceptîs, qvi ab Hæbudenſibus capti inter ſpolia numerabantur) de petenda Roma ſacrum voviſſent votum, in Norvegiam eodem autumno pervenit. In Dania verò cùm per eosdem dies provincia Scaniæ, Holſatorum imperio nimirum fatigata, ad incitas qvaſi redacta videretur; nec jam ſuo, ſed gentis alienigenæ more ac modo viveret, varias de eorum injuriis, deqve inexplebili avaritiâ, ad Comitem Johannē qverelas indigenæ detulerunt. Seorſim verò incuſatus arcis Helſingburgi præfectus Eggerus Bruchtorpius, qvi arcem eam â Comite oppignoratam tenens, imperium ſeveriùs exercebat, adeò ut Comes poſtremùm Archiepiſcopo Carolo, aliisqve ditionis illius proceribus, permiſerit, ut redditis ſex mille argenti marcis, eo ſe homine ac populi odio ipſimet liberarent. Verùm inſuper habitum iſtud, ſive qvod Epiſcopo ad manus pecunia non eſſet, ſive qvod minùs convenire exiſtimaret, regni arces ab extero ac Comite peregrino ſibi obærari, ſive qvôd aliud animo agitarent Scani. Nam plebs poſtremò populusqve, unà cum nobilitate, ruptîs patientiæ repagulîs, obſeqvi ulteriùs Holſatis omninò detrectabat. Tandem eousq; progreſſi, ut ubicunqve obvios eos haberent, qvà poterant, ê medio tollerent. Et accidit aliqvando, dum in templo Lundenſi inter ſe Holſati de componendâ populi ſeditione deliberant, ut factâ in ædem irruptione, trecenti ex iis ſint trucidati, & alii ſimiliter alibi. Itaqve cùm animadverterent indigenæ, Chriſtophorum jam totum propemodum regnum duobus Holſatiæ Comitibus ære gravatum qvaſi in prædam expoſuiſſe, & ipſum nuperrimè etiam cladem inſignem paſſum, ſibimet defendendo parem haut eſſe, capto in arena conſilio, de Magno Sveciæ Rege adſciſcendo cæperunt agere. Nec mora; plebs nobilesqve, miſſis in Sveciam nunciis, animi ſui ſenſum Regi aperiunt. Ille confeſtim dicto ipſis die adeſſe eos Calmariam jubet. Qvò & profectus exinde Archiepiſcopus Carolus, aliiqve ex nobilitate, ampla omnia & ſpecioſa domum retulerunt. Præter cœtera pollicitus Magnus, ſe Scanienſes adverſus vim & injurias aliorum indemnes ac tutos præſtiturum; privilegiis ac priſcis eorum ſtatutis atqve immunitatibus

nihil

nihil omninò derogaturum, sed ampliaturum ea potiùs; illi vicissim fidem & obseqvium oneraqve se consveta suffecturos pollicentur. Holsati hîs acceptis, despondere jam animum cæperunt, ac totâ paulatim ditione facessere. Et ipse qvoqve Comes Johannes, videns se tanto adversario haudqvaqvam parem futurum, extemplò, qvod dicitur, necessitatem in virtutem vertens, qvicqvid ê Sania, Hallandiâ, Bleikingiâ, & Lystris sibi obæratum habebat, id venditione cum Svecîs habitâ, & acceptis septuagies mille argenti puri marcis, Magno in totum transtulit, postqvam summâ cum vi ac violentiâ triennium circiter id ipsum tenuisset. Nec Christophoro etiam, hoc accepto nunciô, gaudium auctum, cùm distrahi ac separari regnum videret, & malum malo cumulari.

Anno, qvi hunc excepit, MCCCXXXIII. in defuncti Archiepiscopi Eylifi locum Mag: Paulus electus, accepto Romæ pallio Ecclesiæ Norvegicæ præficitur. Dn: Erlingus, filiiq; Hafthoreris & Ulfus Saxii filius, arcem Tunsbergensem invito Rege Magno tenebant; tandem tamen deditione factâ, & vitâ & opibus singuli, præter Ulfum, qvi spontaneum exilium præferens, Regem adire noluit, donabantur. Eodem hôc anno circa idus Julii Rex Daniæ Christophorus diem supremum obiit. Et jam Magnus Seciæ, Norvegiæ, ac Scaniæ qvoq; Rex salutatus, Elizabetham, Ludovici qvondam Mareschalli viduam, non modò sibi defendendam, sed nomen qvoqve, qvo marito ipsius regnum obstringebatur, ut expungeretur qvàm primum, aut ejus vice pignus traderetur, se curaturum promisit, obsignantibus in rei majorem fidem, unà cum Rege, eâ de re confectos codicillos Carolo Lundensium Archiepiscopo ac Seciæ Primate, Nicolao Aborno, Giselino Elneo, Amundio Sturio, aliisqve. Et acta hæc notantur Lundæ in cœnobio Franciscanorum, Regem eâ de re compellantibus, proqve Domina Elizabetha jam dictâ intercedentibus Carolo Archiepiscopo Lundensi, Petro Jonæ Diacono, Canuto Eriksson Archidiacono, Johanne Offesson, Andrea Niclesson, Nicolao Jacobsen, Nicolao Hack, Holgero Niclesson, & Petro Laxmand, Eqvitibus; Saxone Pedersson, Petro Torbernsson, Jacobo Pedersson de Truteso, Nicolao Hack â Lyngby, & Jacobo Jonæ, armigeris. Literæ verò huc spectantes, qvas eodem tum tempore Rex Magnus eidem Elizabethæ vernaculo idiomate vulgatas concessit, hujus ferè exempli fuerê:

Omnibus has visuris ac lecturis Magnus Dei gratiâ Seciæ, Gothorum, Scaniæque ac Norvegiæ Rex, salutem in Deo sempiternam. Cùm vir nobilis Dn: Johannes Comes Holsatiæ & Stormariæ, dum adhuc suæ potestatis Scaniam tenet, honestæ matronæ Dominæ Elizabethæ Petri filiæ, Dni. Ludovici Alberti, regni olim Mareschalli, conjugi legitimæ, in recompensationem eorum debitorũ damnorumque, quæ idem Dn: Ludovicus publici boni ac regni causâ incurrit, quorum summa 8000. esset marcarum argenti, reliqverit vicissim ac pignori cesserit coronæ territoria. Nos idcirco, cùm æs jam memoratum regni causâ accreverit; nec levibus præterea ipsi eorumque hæredes damnis afficientur, si in totum suo ipsis carendum sit: idcirco nos ex consilio assensuque senatus nostri, prædictæ Dominæ ejusque hæredibus providendum in hunc modum censuimus, ut ipsi 2000. marcarum Scaniensium ex officina monetaria Lundensi, & quidem 500. die D. Martini, 500. die Annunciationis Mariæ, 500. Philippi ac Jacobi, & alia 500. die Ascensionis Mariæ adnumerentur. Quas jam dictas pecunias hisce mandamus, ut monetarius noster Lundensis ipsi qvotannis sufficiat. Pignori vicissim ei tradimus Blekingiam & Lystram, unà cum piscatura Morumeâ ac jurisdictione ejusdem. Ditionem præterea eandem eidem immunem ac liberam trans-

transferri curabimus, hac interim lege, ut ex ea quoscunque perceperit reditus, inque posterum perceptura sit, id, quicquid erit, de summa ac sorte totâ detrahatur. Has literas una cum Rege obsignârunt, Carolus Archiepiscopus Lundensis, Sveciæ Primas, Nicolaus Abiornsson, Gisleus Elneson, Ulfo Abiornsson, Amundius Sture, Ulf Philipsson, Johannes Uffeson, Eqvites; Petrus Joneson, Diaconus Lundensis, & Saxo Pederson, armigeri. *Datum Skieldvig-Slaat, anno Domini MCCCXXXIII. postridie D.Martini.*

Seqventi Annô MCCCXXXIV. Johannes XXII. Papa, cum vixisset annos nonaginta, sedisset verò XVIII. mensesq; qvatuor, moritur, die XIV. Decembris, incredibili ferè thesauro relicto, qvippe qvi ducenties & qvinqvagies centenis aureorum nummorum millibus, sive qvinqvaginta octo millionibus, æstimatus est. Succedit ipsi die XIX. Decembris Jacobus de Furno Gallus, qvi sedet annos septem, menses tres, dies 17. Benedictum se XII. nominans. Archiepiscopus Paulus Româ redux, Nidarosiam hoc anno pervenit. Missæ in Islandiam â Papa literæ, qvibus Episcopi ad reddendam rationem decimarum Pontificalium in Norvegiam evocantur, paruitqve mandatis Jon Episcopus Skalholtensis. Sacerdos autem Olafus, vicem Episcopi Holensis præstiturus, lævâ obortâ tempestate, per seqventem hyemem in patria remansit.

Anno, qvi superiorem excepit, MCCCXXXV. Rex Magnus procerum omnium Norvegiæ, qvi summopere profectionem in Sveciam ad coronam & regnum accipiendum dissvadebant, consiliis insuper habitis, a Sveciæ proceribus diademate Regio insignitur, jamq; (secundum Sveciæ scriptores, circiter septemdecim, nostros vero octodecim, annos natus,) Gallicam ex Regio Valesiorum stemmate virgunculam, Comitis Namurcensis filiam, nomine Blancam, sibi matrimonio junxit, ex qva duos filios Eiricum & Haconem, filiasqve tres, sustulit. Idem hac tempestate latâ lege, qvemadmodum & ante eum Rex Byrger, inhibuisse memoratur, ne qvis intra Sveciam Christum professus mancipio haberetur; qvamvis in adversum neget *Johannes Gothus* taleqvid unqvam apud Svecos obtinuisse, nec eos adeo servili conditione vel gentilium ævô egisse, sed suam perpetuo libertatem gladio & armis tuitos. Estqve haut multò post ab eodem Sveonum Rege Magno australis turris sive arx Stockholmiæ fratribus Franciscanis, qvos ex pullo vestitu Nigros vocant, concessa, ut ex eâ cœnobium ædificaretur; qvod tamen *Arildus* ad annum seqventem refert.

Ipsâ hâc æstate Sacerdos Sniolfus, qvi per hyemem Bergis residebat, plenâ â Legato Pontificis potestate instructus, in Islandiam redux, qvadrantem decimarum Pontificalium exegit:

Anno MCCCXXXVI. nihil memorabile occurrit, nisi qvod Annales alii ad hunc, alii ad seqventem annum, notant Arnium qvendam Abbatem de Lysa in mari prope Angliam cum nautis omnibus â prædonibus Gallicis cæsum esse. Hac hyeme Episcopus Holensis, superiori anno in Norvegiam profectus, jam adversis detentus ventis Nidarosiæ residebat. *Albertus Kranius* Historiæ Sveticæ libro qvinto scribit, Magnum hoc eodem anno despondisse sororem suam Evphemiam Alberto Domino Magnopolensi, eorumqve nuptias principali ritu Rostochii peractas esse.

Anno MCCCXXXVII. in Islandiam appulit Episcopus Holensis Eigill. Qvinqve homines, qvi jactabant se Scotiam naviculâ viginti ulnarum longa trajecturos, hoc anno in altum delati, variis laboribus diutinaqve inediâ tantum non extincti, tandem Islandiæ advecti sunt, eademqve æstate Norvegiam repetierunt.

CAP.

CAP. IV.
REX MAGNUS PONTIFICEM DE CONFIRMATIONE JURIS SUI IN SCANIAM SOLLICITAT. MOSCIS BELLUM INFERT.

Memorabile hoc in Historia Magni haberi debet, qvod ad annum Christi MCCCXXXVIII. *Pontanus* ex *Bzovio* Annalium Baronii Continuatore refert: nempe ipsum hoc tempore apud Pontificem Romanum Benedictum egisse, ut Scania, Danici Regni pars, qvæ, ut supra ostensum, imperio Magni se junxerat, sibi ac posteris suis in perpetuum auctoritate Apostolica confirmaretur; ac simulpotestas fieret, alias qvoqve regni ejus partes ê manibus tyrannorum eripere, suoqve regno adjungere, qvòd id nullo unqvam tempore imperio Romano subditum, sed ecclesiæ tantum Romanæ fuisset vectigale: addito promisso, se in obseqvio sedis Apostolicæ deinceps mansurum, ac censum consvetum singulis annis Romano Pontifici more aliorum persoluturum; sed renuisse Pontificem vel confirmare aut concedere qvicqvam postulanti, qvod Apostolicæ sedis haut esset, aliqvid alicui injustè aut parte alterâ inauditâ detrahere.

Eodem tempore memoriæ proditum est, gigantem in Norvegia exstitisse, altitudinis qvindecim ulnarum, cum pari membrorum robore conjunctæ, eumqꝫ ab Haldore qvodam, natione Vikensi, & tribus aliis, qvi ante id certamen, sacrum de Roma adeunda votum fecerant, occisum esse. Mercatores Islandi ad Norvegiæ borealis oram naufragium passi, cum tota vectura omnes, & inter illos Sacerdos Thormodus poeta, Olafi filius, salvi in terram evaserunt.

Anno 1339 decessit Jon Episcopus Schalholtensis, ipso die purificationis B. Virginis: in ejus locum electus Abbas cænobii Seliæ Jon Endridii filius, festo S. Jacobi inauguratur; postero die in Islandiam transfretaturus mari se commisit, portumqꝫ Hvalfiordensem Islandiæ ipsâ vigilia Bartholomæi intravit, in sedem tandem Episcopalem Skalholtum festo Decollationis Johannis Baptistæ delatus. Horrendo, qvi in australi Islandiæ qvadrante exstitit, terræ motu, decimo Kal: Junii homines & pecora solo illisa sunt, domusqve & ædificia multa corruerunt; alia de loco mota sunt, ruptaqꝫ passim terra fervidas frigidasqve fontium scaturigines protulit: ipsi etiam montes jugaqve passim collapsa sunt vel dirupta. Memorabile inprimis fuit, qvòd collis in tractu Holtamannahrepp inversus planè, de loco in alium translatus sit. Eodem temporis momento (tradente *Arngrimo*) in Norvegia terræ motus rura & habitationes rusticas 50. evertisse scribitur, in loco, qvi vocatur *Gaulardas*. Eclipsis solis in translatione S. Thomæ Archiepiscopi in Islandia observata, saxqve ingens circa meridiem in æthere se visendam exhibuit, ejus generis, qvod cometam vulgò vocant, eumqꝫ confestim prægravis, & qvæ ob id in literas est relata, annonæ difficultas secuta est. In tractûs Eyafiallensis prædio Steinis, qvæcunqve sub oculos cadebant, sangvineum colorem referre visa sunt: perqꝫ aliqvod temporis lociqꝫ spatium hoc tenuisse in aliis qvoqꝫ locis conspectum referunt. In montibus australis Islandiæ, Heinglafioll appellatis, ê terra antea plana scatebra ferventis aqvæ lata circumqvaqve decem orgyias ebullivit; Arngrimus 70. ulnas latam totidemqve longam perhibet.

Post-

Poſtqvam Rex Magnus, invitis Norvegis, in Svecia coronam ſibi imponi curâſſet, ibiqve ut plurimum domicilium haberet, nobilitas Norvegica indignatione haud leviter concitata de excludendo Norvegiâ ipſo conſilia agitare cæpit; multiqve circa caſtrum Baghus per vikam confluentes, vindicaturos ſeſe regnum, aliiq; Regi tradituros, qvem mox eligerent, jactabant; duravit autem hoc diſſidium â feſto nativitatis Beatæ Virginis ad feſtum Michaelis. Tum demum tumultus qvidem ſopitus eſt, rancore tamen in exulceratis animis remanente; unde ei perpetuus â Norvegis metus, ſalubria conſilia ſeqve ipſos ab eo contemtos ægre ſemper ferentibus.

Anno 1340. Rex Magnus Scanenſes ſeqventi privilegiô donavit:

Omnibus præſentes literas lecturis, vel audituris, Nos Magnus Dei gratiâ Norvegiæ, Sveciæ, Vandalorum Gothorumque Rex, in Redemptore omnium noſtrûm ſalutem dicimus. Regiæ gloriæ conſentaneum eſt, ſubditos ſuos pace protegere, iisq; gratiam & benevolentiam impertiri, & præſertim privilegiis eos munire, qui benevolentiam ſuam, fidem, & obſeqvium ſine intermiſſione præſtant; quapropter decet, ut patrem noſtrum in Chriſto ſpiritualem, Dominum Petrum, Lundi Archiepiſcopum, Sveciæ Primatem, ejusque capitulum, Equites præterea & milites, cænobia, urbes, atq; adeò omnes terræ noſtræ Sconiæ incolas, clericos & laicos, intuitu conſtantis eorum fidei, in exequendis noſtris mandatis affectu factisque declaratæ; ut, inqvimus, eos in teſtimonium caritatis noſtri privilegiis ornemus. Et qvamvìs ſatis ſciamus, anteceſſores noſtros Reges Daniæ iis immunitates indulſiſſe; nihilominus tamen eas ſeqventibus articulis confirmamus. Primò Dno. Archiepiſcopo, qui jam præſens, ejusque ſucceſſoribus, Eccleſiæ Capitulo, Equitibus, nobilibus, cænobitis, civibus, ruſticis provincialibus, aliisque omnibus Scanenſibus, clericis & laicis, ubicunq; fuerint, privilegia, indulta, jura, leges, conſvetudines, eodem tenore, qvo unquam liberrima fuerê, confirmamus, ſecundum ſcopum diplomatis noſtri, Calmarniæ dati. Deinde ut Dni. Archiepiſcopi, Capituli Lundenſis, & eorum, qvi illic aliqvo beneficio gaudent, cænobiorum, Equitum, & nobilium miniſtri nullo tributo graventur, niſi ſponte conferant; ut ſinguli Scanenſium Eccleſiarum rectores unicum prædium capitale, qvod à prima fundatione tenuit, liberum à ſervitiis, cenſu & regiis tributis, miniſtrosque domeſticos liberos teneant: ut Equites & nobiles omnes trium marcarum mulctas, quæ in curiis aut extrà ab eorum miniſtris committuntur, exigendi jus habeant, excepto ſi ipſi domini deliquerint, aut delictum ſit eorum mandato, aut ſcientes diplomata noſtra transgreſſi ſint. Hic tamen noſtræ exceptæ curiæ ſunto, utpote à majoribus noſtris ſecundum veterem conſvetudinem ſublimioribus privilegiis donatæ, qvæ nobis ipſis reſervamus. Quod ſi quis inſimuletur, propria culpâ aut mandato mulctam iſtam incurriſſe, ex legum Scanicarum præſcripto ſe purgato, & innocentem declarato. Ut prædicti Archiepiſcopi capituli Lundenſis miniſtri, qvique aliqvo illic beneficio fruuntur, à foro politico exemti ſint, niſi in cauſa, quæ prædium hæreditarium attinet, in qva ſola juri eccleſiaſtico pro more ſubjiciuntor: duo autem canonici Lundenſes curias noſtras accedent, ibiq; mulctas nomine Dominorum ſuorum à miniſtris ſuis accipient. Nemo carceri includatur, aut extra Scaniam proſcribatur, niſi legitimè convictus, aut crimen in judicio confeſſus, aut in ipſo crimine deprehenſus. Ne Eccleſiarum decimæ expetantur, aut reportentur, ſive noſtri, ſive noſtrorum alicujus cauſa, ſed liberè & qvàm chariſſimè vendantur in uſum Eccleſiarum, niſi prægnante cauſa ad eas excipiendas compellamur; ſed nec niſi ſatis caverimus, decimas priùs acceptas redditô pretiô ſolutas eſſe. Ne Satrapæ noſtri aut eorum miniſtri, qvicunq; ſint,

hoſpi-

hospitio ullius se illegitimè ingerant. Ne ullus Scanensium extra Scaniam qualicunque de causa in jus trahatur; sed tantùm in foro competenti compareat. Ut nemo Eqvitum aut nobilium extra Scaniam ad militiam evocetur, nisi de impensis & sustentatione pro carcere aut quocunque damno, qvod incurrere possint, iis satis à nobis cautum fuerit. De bonis, quæ Dno. Christophoro quondam Daniæ Regi iniquè addicta dicuntur, nos duodecim viros Scanos constituemus, ut præstito juramento, quid justum sit, pronuncient. Hos prædictos articulos firmos & inviolatos fore, fide Regis nostri nostraque pollicemur, nos subscripti Eqvites & Domini Regis nostri Senatores, Knutus Johannis, Laurentius Ulfi, Nicolaus Aabiorni, Gislius Elene, Gustavus Thomæ, Knutus Falkii, Carolus Nestevongius, Ulfus Aabiorni, Petrus Johannis, Ulfus Gudmaris, Carolus Tuggii, & Gottstafus Nicolai, Equites. Nos quoque prædictus Magnus in horum suprà scriptorum articulorùm majorem fidem & securitatem his literis nostrum nostræque dilectissimæ uxoris, ut & reverendorum Patrum & Dominorum, fratris Petri Archiepiscopi Upsalensis, Styrbiorni Episcopi Strengnesensis, nostrûmque prædictorum Senatorum sigilla nostra apposuimus. Datum Helsingburgi, nobis præsentibus, Anno Domini MCCCXL. Vespere festi Apostolorum, Petri & Pauli.

Circa hoc ipsum tempus Lundensis Ecclesiæ privilegia seorsim confirmata sunt, publicatis codicillis, in qvibus Rex Magnus Archiepiscopum cæterosqve, qvi sacramentum ipsi dixissent, eo nomine indemnes præstiturum pollicetur. In Islandiam Aslacus ab Archiepiscopo lustratum ecclesias insulæ totius ablegatur. Festo Gregorii duplex in cœlo Luna ab Islandis observata legitur.

Proximo anno novi belli occasio nata inter Valdmarum, tum Daniæ Regem, & Holsatos, qvod tum æstimaret Rex, neqve â se neqve à parente suo Christpphoro insulam Samsoam & oppidum Callenburgum Canuto Porsio, sed Eirico Sveciæ Duci, Ingiburgis priori marito, in fevdum olim esse permissa, ideoqve nec Ingiburgi, qvæ jam Porsii erat vidua, Comitatum eum jure competere, sed ad regni coronam recidisse. E contrario verô Comes Johannes, cui Zelandia fuerat oppignorata, Callenburgi arcem sibi deberi judicabat. Itaqve Valdimarus oppidum obsidione cœpit cingere. Verum Holsatiæ Comites Henricus & Nicolaus, Ducissaqve Ingiburga ac urbes Vandaliæ unà cum Johanne Comite, postqvam mutua invicem auxilia polliciti fuissent, collecto ex locis vicinis tumultuario milite, obsessis auxilio venêre. Idqve ubi intellexissent, qvi intra arcem manebant, facta ex inopinato eruptione, imparatas Valdimari copias invadunt ac profligant. Eaqve clade soluta exinde obsidio, & Rex Valdimarus, versis in pacem armis, non modò cum Holsatiæ Comitibus, sed cum Ingiburga qvoqve ac urbibus Vandalicis, hunc in modum initâ pactione transegit, ut qvatuor utrinq; eligerentur viri prudentiâ ac fide conspicui, qvi Roskildiæ circa festum Michaelis convenirent, atq; ita de tota controversia, qvæ inter dissidentes fuisset, sive amicè, sive ex juris præscripto pronunciarent. Si qvi autem his octo arbitris habere fidem detrectarent, tum ii facto sacramento testarentur, se neq; æqvius qvicqvam neq; commodius comminisci potuisse: si vero dissidere hos ipsos inter se contingeret, tum evocato Helsingöram Archiepiscopo Lundensi Petro, ei permitteretur qvod æqvum ac bonum in medium depromere, qvodq; ipse pronunciaret, id firmum ratumqve ex omni parte haberetur. Similiter etiam qvodcunqve olim in Regem & Comites Holsatiæ Henricum & Nicolaum, durante superiore expeditione, dissidii seorsim incidisset: id Heineus Brocdorpius & Henricus Sedelitzius, assumptis duobus aut qvatuor ex Regis Consiliariis, inq; insulam Fioniam profecti apud ipsos Comites deciderent ac terminarent. Si

verò nec ita componi in totum lis posset; tum ea deferretur Regi Svecorum ac Duci Saxoniæ Alberto, aut uni eorum seorsim; & ille qvodcunqꝫ statueret, id firmum maneret. Hæc acta Callenburgi; Dominica post festum Divi Johannis Baptistæ. Inter Regem vero & Ingiburgam novâ exinde super Callenburgo tractatione institutâ ita convenit, ut ipsa Hallandiam borealem vitæ suæ tempore teneret, Callenburgum verò confestim redderet.

Fatalis hic annus fuit utriqꝫ Islandiæ Episcopo, Joni Endridii filio Skalholtensi, & Eigili Eylifi filio Holensi. Dominus Botolphus Andreæ filius, universæ insulæ a Rege præfectus, in Islandiam devenit.

Eadem circa tempora horribiles ignis eruptiones ex monte Hekla stupendo prorsus impetu factæ, favillarum ejectione proximas provincias devastarunt, tenebrasqꝫ primò, cum inciperent, die, instar illunis tempore brumali noctis offuderunt: auditus insuper per universam insulam fragor horribilis; qvassata circumqvaqꝫ favillisqꝫ cooperta regio pecudibꝰ & armentis passim funesta extitit: etiam â propius accedentibꝰ audiebantur intra ignē hinc inde magnæ molis lapides agitari, volucresqꝫ horrendâ vociferatione & ejulatu volitare; tanta autem salis sulphurisqꝫ vis circa hiatum remansit, ut eqvi eâ complures onerari possent.

Anno MCCCXLII. Benedictus XII. Papa, cum sedisset annos VII. menses IV. moritur die 25. Aprilis, cui hoc epitaphium â nescio qvo factum extat.

Hic situs est Nero, Laicis mors, vipera clero;
Devius à vero, cupa repleta merô.

Succedit ipsi die septimo Maji Petrus Monstrius, qvi Clemens VI. appellatus est, seditqve annis X. mensibus VII. Hic est ille Benedictus, de qvo memorabile est, qvod refert in vita Petrarchæ *Hieronymus Quarzaficus* Italus, eum, cum deperiret efflictim sororem Petrarchæ, eleganti forma ac moribus puellam, hancqꝫ, oblato licet Cardinalitio galero, impetrare a Petrarcha, qvi ejusmodi galerum, ut obscænum & capiti suo dedecorum, detestabatur, haut posset, vertisse se ad ejus fratrem Gerhardum, qvi paucis muneribus captus sororem concesserit; sed Petrarcham, audito facinore, & viso etiam, eos, qvi Dei qvasi vices in terris gerant, per abrupta vitiorum agi præcipites, Avenione digressum, rhythmo exinde Italico rei indignitatem posteris prodidisse; fratrem vero pœnitentiâ ductum in cœnobium se prope Marsiliam abdidisse.

Exstat & Constitutio Regis Magni, hoc anno Bergensibus data, in hanc, ut seqvitur, sententiam.

Magnus Dei gratiâ, Norvegiæ, Sveciæ, & Scaniæ Rex. Notum vobis volumus, ut is modò judex urbanus civitatis Bergensis sit, qui ibidem fundos, domos, aut agros possidet, sufficiensque est ad satisfactionem, si cujus delicti convincatur, aut ad vadem constituendum, cui senatores ibidem acqviescant, qvique ad singula de qvibus judex urbanus jure postulatur, respondeat. Mandamus præterea & seriò præcipimus, ut omnis moneta, quæ in mulctas pecuniarias Bergîs solvitur, ærario civitatis addatur, & pro more antiqvo semel qvovis mense dividatur. Qvapropter etiam severè prohibemus, ne judex urbanus aut alius quisquam mulctas in civitate Bergensi, sive sit argentum signatum sive alia qvævis pecunia, sive pro detrectatione causæ dicendæ, sive aliis litibus pactisve, accipiat, nisi præsentibus procuratoribus, cui ærarium commissum est, qui & semissem mulctæ accipiunto. Qvisquis verò judex urbanus hanc nostrā constitutionem violare ausus fuerit, certò sciat, se ab officio, qvod nostrâ vice

ibi

ibi geſſit, removendum, & iram præterea noſtrum offenſamque experturum. Vardbergæ, feriâ quintâ diem viridium proximè præcedente, anno regni noſtri XXIV. Dominus Arnas Aslaci filius Cancellarius noſter obſignavit. Helgius Ivaris exaravit.

CAP. V.

INTER REGES SVECIÆ ET DANIÆ PACIS CONVENTA. CODICILLI REGIS MAGNI DE BONIS DOTALITIIS REGINÆ BLANCÆ. HACON MAGNI FILIUS VIVO PATRE REX NORVEGIÆ CONSTITUITUR.

ANno MCCCXLIII. inita Varbergæ, qvod notat *Pontanus*, inter Regem Sveciæ Magnum & Valdemarum Daniæ amica & in perpetuum manſura pax atq; concordia, & ab illo literis Latinè ſcriptis publicata; qvas eâdem qvoqve, qvâ tum conſcriptæ ſunt, formulâ, heic ſubjicimus.

Univerſis, præſentes literas viſuris vel audituris, Magnus Dei gratiâ Rex Sveciæ, Norvegiæ, & Scaniæ, ſalutem in Domino ſempiternam. Qvantis eſt plena periculis æmula pacis diſcordia, jam non ſolum ex priſca dudum colligimus ſerie, verùm etiam, quàm brevi manu ad id attigimus, qvàm in ſe prolixa ſit, præterquam quòd onuſta diſpendiis crebra Gverrarum adjecta, quæ gravi concuſſionis pondere luctuoſa cumulant, incommoda ſubditorum. Procul igitur eliminanda eſt Gverrarum occaſio, & alumna bellorum ſæva diſſenſio radicibus exſtirpanda, ut, qvæ ad pacem fuerint bene ordinata, effectu non careant, cùm cognoſcantur habere profectum ſalutarem. Hinc eſt, quòd tenore præſentium notum facimus univerſis, quorum intereſt, vel intereſſe poterit in futurum, qvòd nos anno Domini MCCCXLIII. in octavis B. Martini Epiſcopi, cum magnifico Principe Domino Valdemaro, Danorum Slavorumque Rege illuſtri, & Duce Æſthoniæ, conſangvineo noſtro chariſſimo, in caſtro noſtro Varberg, præſentibus conſiliariis & potioribus regni noſtri Sveciæ, placitavimus & concordavimus in hunc modum.

Primò, qvòd inter eundem Dominum Valdemarum, regnum ſuum, terras & dominia, hominesque & ſubditos ſuos quoscunque, parte ex unâ, & nos, regna noſtra, terras & dominia, homines & ſubditos noſtros quoscunque, parte ex altera, firma pacis ſinceritas & indiſſolubilis concordiæ ſtabilitas, perpetuis temporibus inviolabiliter obſerventur, ſedatis totaliter omnibus & ſingulis controverſiis, diſcordiis, rumoribus, & Gverrarum diſturbiis, hinc inde hucusq; qualitercunque & quibuscunque cauſis motis & ſubortis. Item ſi ardua nimis & difficultate plena inter eundem Dominum Valdemarum Regem & Nos, ac utriusque noſtrorum ſucceſſores & hæredes, emerſerint negotia, ſtatum regnorum noſtrorum aut ſucceſſorum, vel hæredum noſtrorum honorem ſeu commodum, ſummè tangentia, crimen, ut puta, læſæ Majeſtatis, caſtrorum aut terrarũ proditionem, vel eorum conſimilia: extunc tres aſſumantur Epiſcopi & totidem milites, & militares prudentiores, ex qvolibet regno, Daniæ & Sveciæ, qui infra duodecim ſeptimanas, à tempore, quo Principi, vel ejus locum tenenti, ſeu tenentibus, per duos conſiliarios partis adverſæ, querimoniæ fuerint intimatæ, Helſingborg convenientes, prædictas cauſas & ardua negotia Regum & regno-

 rum,

rum, diligenter examinent, fideliter tractent, & finaliter terminabunt; & si inter se concordare neqviverint, tunc duos discretiores ex se ipsis vel aliis, unum videlicet Dacum, alterum Svecum, super juramentô & conscientiâ eorum eligant, qui quidem duo sic electi, omni amore & odio prorsus remoto, hujusmodi negotia ibidem terminent & definiant, suo postmodum super hoc ad sancta præstito juramentô, qvorum definitioni & terminationi absque qvavis displicentiâ & contradictione utraque pars debet contentari, pace nihilominus & in hac finali concordia in suo pleno vigore & robore in perpetuum duraturis. Item si casus aliqui minùs graves superius positi, inter regna nostra utriusqve nostrorum successorum vel hæredum seu subditos evenire contingat, adeò graves, quod nostri, vel eorum successorum aut hæredum advocati, seu jurisdictiones vel judicia exercentes, tales casus terminare, vel ad concordiam reducere neqviverunt, tunc Princeps, coram qvo delata est querimonia, duos de consiliariis suis ad hoc specialiter deputabit; qui hujusmodi negotia ardua Helsingborg intra duos menses à tempore delatæ qverimoniæ coram Principe terminabunt & fideliter concordabunt, pace nihilominus & hac finali concordia perdurante. Item si subditos utriusque nostrorum successorum, vel hæredum nostrorum, unius vel alterius, in aliquo regnorum nostrorum seu dominio contingat delinquere, adhuc flagrante crimine, secundum leges patriæ, in qua quis eorum delinqvit, pro delicti gravitate punietur. pace, ut promittitur, nihilominus valiturâ.

Item si subditi unius vel alterius nostrorum, nostrorum successorum vel hæredum, in advocatos, officiales, aliosve honores alterius nostrorum, super rebus vel personarum injuriis conqverantur, teneatur Dn: Rex, vel ejus advocatus, ubi delinqvens esse dignoscitur, infra certum tempus, ex quo querimonia coram eo delata est, justitiam facere conquerenti, secundum leges patriæ & consvetudines approbatas. Nec advocati, seu officiales prædicti, causas sive casus coram eis delatos ad se aliqualiter removere possunt, justitiam petenti denegando, vel eos ad superiores judices remittendo, nisi adeò graves fuerint, qvod eorum jurisdictionem non attingat, prout superiùs annotatur, pace nihilominus duraturâ. Item neuter nostrûm, sive successorum, sive hæredum nostrorum aliquis, alterius inimicos vel adversarios publicos colligat, defendat, seu quovis modo foveat, vel ipsius Regnis, terris vel dominiis recipiat, aut sustineat intra sua dominia aut territoria commorari, in præjudicium, gravamen aut damnum alterius nostrorum successorum, vel hæredum nostrorum, seu etiam subditorum. Nec nostrûm alter, hæredes nostri vel successores, amicitiæ fœdus ineant, seu colligationes faciant, cum alterius nostrorum successorum vel hæredum inimicis, vel adversariis, publicè vel occultè, ex quibus damnum & jactura in rebus vel personis alicui nostrûm, hæredibus nostris vel successoribus seu subditis, poterit evenire. Item uterque nostrum, successores nostri & hæredes, adhoc efficaciter cooperabuntur, quod prædones & piratæ ex regnis nostris & dominiis procul eliminentur, at mercatores & alii navigantes in bonis liberâ pace perfruantur, nec ipsos prædones vel piratas aliquis nostrum, hæredes nostri, vel successores colligant, sustineant, vel qvovis modo foveant, contra regnorum nostrorum vel nostrum commodum seu profectum subditorum. Item in aliquo regnorum nostrorum seu dominiis passi naufragia res amissas libere, absque impeditione quorumlibet, recolligant, & recuperent, quamdiu pro derelicto non habuerint res præmissas.

Item circa exules & expulsos, vel timore ex uno in aliud regnorum nostrorum seu dominiorum fugientes, antiqua consvetudine in regnis ipsis & dominiis observetur, dummodo nihil molestiæ aut gravaminis intulerint regno, vel regnicolis, unde exularunt. Item omnes & singuli, cujuscunqve conditionis aut status exi-

existant, bona in utroque regno habentes, libere gaudebunt iisdem, & servient de istis bonis, sicut in eisdem regnis juris ac consvetudinis fuerit ab antiquo. Item volumus & firmiter statuimus, ut omnes & singulæ placitationes & literæ, per dictum Dominum Regem, & quoscunque alios, nobis datæ, aut nobiscum habitæ, super terris Scaniæ, Hallandiâ, Blekingia, Lyster & insula Hvæn, in suo pleno vigore & robore, per hanc nostram placitationem & finalem concordiam, in nullo penitus diminutæ vel debilitatæ, sed potius redintegratæ & de novo roboratæ ac firmæ sint, ac in perpetuum stare debeant & durare.

Cæterum quod præmissa omnia & singula, quæ à nobis acta sunt personaliter, illibata servare ac tenere & non contravenire per nos vel alium aliquâ occasione vel causâ de jure vel facto debeant, promittimus bonâ fide & sub honore nostro. Et ut majorem habeant roboris firmitatem, volumus & expresse consentimus, nostro, successorum, & hæredum nostrorum nomine, quod si contra ea, vel eorum aliquod (quod Deus avertat) nos, successores nostros venire aliquo modo contingat, fidejussores & compromissores nostri infra scripti, hæredes & successores eorum de eo ipso, absque displicentiæ & ingratitudinis nostræ, successorum & hæredum nostrum, nota, se bonis successoribus & hæredibus nostris possint & debeant hostiliter opponere, & præfato Domino Regi Woldemaro successoribus hæredibus suis, contra nos, successores nostros & hæredes, efficaci juvamine firmiter & fideliter cum omnibus amicis suis aliisque amore eorum quicquam facere aut omittere volentibus adhærere, donec eidem Domino Regi Waldimaro vel successoribus & hæredibus suis, per nos vel successores nostros & hæredes, propterea plenariè fuerit satisfactum secundum justitiam & amorem: in quorum omnium evidentiam firmiorem sigillum nostrum præsentibus est appensum.

Nos insuper Petrus Lundensis Archiepiscopus, Sveciæ Primas, Siggo Scanensis, & Frenderus Stengenensis, Dei gratiâ Episcopi. Henricus Abbas de Saba villæ Schemingben, Ivarus Ingmundsson, Laurentius Ulfsson, Gotstanus Tuneson, Canutus Folckeson, Carolus Tygesson, Carolus Naskoningsen, Ulfo Abiornsen, Ulfo Gudmarssen, Amundus Sture, Amundus Svenessen, Tucho Gliss ng, Laurentius Carlson, Magnus Cnudson, Siggo Magnusson, Israel Bygesson, Gostanus Arvidson, Byrgerus Magnusson, & Laurentius Magnusson, milites; ac Johannes Christenson, armiger, fidejussores & compromissores Domini nostri Regis Magni prædicti, pro præmissis omnibus & singulis firmiter & inviolabiliter observandis, unà cum Dn. nostro Rege suprà dicto promittimus, bonâ fide et sub honore nostrô, successorum nostrorum & hæredum. Qvod si præfatus Dn. noster Rex Magnus hæredes sui vel successores ad coronam & regnum Sveciæ qualitercunque venientes, prætextu juris coronæ regni Sveciæ, aut propriæ temeritatis audaciâ, contra præmissa, vel aliqva præmissorum venerit, vel venire attentaverit, statim nos, successores nostri & hæredes cum amicis omnibus nostris, aliisque amore nostri qvicquam facere vel omittere volentibus, sæpe dictum Dn. Waldemarum Regem Daniæ, successores suos & hæredes, sub præmissa fidei sponsione, efficaciter & fideliter juvabimus, contra Dn. nostrum Regem Magnum prædictum, successores suos & hæredes. In præmissorum evidentiam & testimonium, sigilla nostra cum sigillo Dni. nostri Magni Regis prædicti præsentibus apponentes. Qvamvis autem per viginti quatuor compromissores, & unum super arbitrum pro utrâque parte, per nos utrumque Regem ad hoc eis plenâ authoritate datâ specialiter assumtos & electos hujus finalis concordiæ tractatus Helsingborg initium haberet, & processum aliqualem; veruntamen propter qvædam incidentia utilius & magis expediens videbatur, eadem omnia & singula, qvæ perpetuæ pacis & finalis concordiæ sodalitatem respiciunt, ut utraqve

que parte præsente, scil: Dno. Rege præfato, ac nobis, & utriusque nostrorum consiliariis & potentioribus, plenius ac perfectius discuterentur, ad finem debitum ordinanda, unde ejusdem compromissi forma non attenta, per viam & modum amicabilis compositionis, per omnia hujus perpetuæ pacis & finalis concordiæ placitationem loco & termino prænotatis, hoc est Varbergæ in Octavis B. Martini, ut præmittitur, duximus terminanda. Actum & datum, anno, die & locô suprà dictis.

Eodem circiter temporis tractu Rex Magnus Reginæ Blancæ, præter dotalitia bona, qvæ Norvegicum intra regnum tenebat, insuper possidendas concessit Bahusiam, Malstrandiam, atqve Elversyssellam, datis ibidem Bahusiæ codicillis, filii sui Haconis omniumqve procerum consensu confirmatis, qvi qvidem hic proximè integri subjiciuntur:

Magnus Dei gratiâ Norvegiæ Sveciæ & Scaniæ Rex &c. Notum erit vobis, nos cum consensu filii nostri Haconis, atque universi senatus Norvegici, de donatione propter nuptias sev dotalitiis bonis dilectæ nostræ uxoris Blancæ ita statuisse, ut bonis illius per Sveciam huc illuc dispersis permutatis, inque nostram possessionem redactis, in ejus nostrorumque liberorum usum Bagahusiam & Malstrandiam, universamque Elvarsyslam, excepto Ordost, universam Raumarikiam, Vortenberrid, & omnem Borgarsyslam, cum teloniis & juribus Regiis, reditibus, servitiis, obsequiis, imperiis, secundum tenorem literarum patentium de illa re conscriptorum, eadem libertate qvâ Tunsbergam tenet, cum inventariis (Dreßfeten) aliisque omnibus, quæ ad dotalitium ejus in Norvegia pertinent, eorum loco ei transcriberemus. Qvod si forte contingat, ut dictus filius noster Hacon, aut qvis alius ex nostris successoribus, Norvegiæ Rex, repetat Baghusiam, Malstrandiam aut Elfarsyslam, id neque ei, neque ulli ejus nomine, sive indigenæ sive alienigenæ, per nos aut senatum nostrum aut præfectos Norvegiæ ullo modo permitteretur, cujuscunque prosapiæ aut sortis fuerit, nimirum ut illam sive vi, sive juris processu, sine ipsius consensu inde deturbet. Hanc nostram constitutionem cum suis singulis articulis ratam fore & inviolatam filius noster Hacon pollicitus suo insuper sigillo has patentes literas obsignavit; Datas Bagahusiæ, feria prima post festum Pentecostes, anno â nato Deo 1343. Nos autem Ergisel Comes Orcadensis, Olafus Archiepiscopus Nidarosiensis, Sigfredus Osloensis, Gilbertus Bergensis, & Hallvardus Hamarensis, Dei gratia Episcopi; Arnius Ulfi Abbas Hofudeyæ, Ormus Osteini, Erlingus Knuti, Ion & Sigvardus Haftzonii filii, Augmundus Finni, Eylifus Eylifi, Ion Bryndius, Petrus Eirici, ad templum Osleyense S: Mariæ Præpositus, Endridius Ivaris, Ivar Andreæ, Svalius Ulfi, promittimus, fidemque nostram & existimationem datis dextris obligamus, ad nostram prædictam dominam Blancam consiliis factisque defendendam & juvandam, singuli pro virili, contra omnes, qui ei sive litem sive vim intendere pertentent, ad labefactandam hanc domini nostri dispositionem, quam hinc inviolatam servari vult. In majoris vero veritatis promissique nostri fidem his literis nostra sigilla apposuimus.

Hôc qvoqve anno Proceres regni Norvegici, præstito Varbergæ Haconi Magni natu minori filio, ut Regi suo ac vero regni hæredi, obseqvii ac fidei sacramentô, diploma eâdem de re evulgârunt, qvod Latinè & ad formam ejus seculi concinnatum ità habet:

Universis Christi fidelibus, ad qvos præsentes pervenerint, Erlingus Vidkunni, Ingvarus Øgmundi, Johannes Hastoriæ, Haco Øgmundi, Øgmundus Guttormi, Ulfo Saxonis, milites, Sigvardus Hastoriæ, Vernerus Erlingi, Øgmundus Finnonis, Gerderus Gundonis, & Olafus Olafi, armigeri, salutem in

in Domino sempiternam. Notum facimus per præsentes, qvod anno Domini 1343. in castro Varberg, in festo assumptionis beatæ Mariæ Virginis, convenientibus nobis in concilio coram excellentissimo Principe nostro Domino Magno, Norvegiæ Sveciæ ac terrarum Scaniæ, Hallandiæ, Rege Illustri, intelleximus ipsum id velle gratâ mentis deliberatione perficere, quod nos ab ipso prius plena instantia & concordi animo petere volebamus. Nam filium suum juniorem, videlicet Domicellum nostrum Haconem, Regem habere voluit super regnum Norvegiæ, ad qvod nos toties viribus anhelabamus: unde cælestis gratiæ ductus instinctu idem Dominus noster Rex Magnus sanus & incolumis, præsentibus nobis, pro firmiori pacis fædere inter filios & regna Norvegiæ & Sveciæ securius conservando, eundem filium suum juniorem, Domicellum Haconem prædictum, Regem fecit & constituit super Norvegiam, terras, provincias & insulas tributarias, ad idem regnum pertinentes, deditque ipsi regnum Norvegiæ & nomen Regium cum omni honore & dominio, proventibus & commodis, servitiis & homagiis, qvæ vero Regi Norvegiæ de jure & consvetudine deberetur, & ex facto. Nosqve, prout domini nostri Regis Magni præfati, & præfatorum regni Norvegiæ literæ super hoc negotio plenius declarant & insinuant, læto animo hoc ejus factum amplectentes, ipsum eundem filium ejus Domicellum nostrum Haconem statim immediatè eodem loco & tempore nobis in verum Regem assumpsimus, & tenore præsentium assumimus, pro nobis & hæredibus nostris, amicis & fautoribus totius regni Norvegiæ, ut præmittitur, cum omni honore, dominio, emolumentis, servitiis & homagiis consvetis, impensis seu impendendis, vero Regi Norvegiæ debitis, eidem Domino nostro Regi Haconi. &c.

CAP. VI.

DECRETUM DE SCANIA SVECIÆ REGNO IN PERPETUUM ANNECTENDA.

Conventus deinde post modicum tempus iterum Vargbergæ habitus: in qvo Proceres Scaniæ, præter eam, qvæ inita Calmariæ cum Magno fuerat, super Scaniæ provincia, pactionem, datis denuò codicillis, decreverunt, perpetuò eam adnectendam Sveciæ. Eæ literæ, qvas & *Pontanus* ex *Johanne Magno* ad annum MCCCXLIII. exhibet, ejusmodi fuerunt.

Universis præsentes literas inspecturis, Petrus Lundensis & Hemmingus Upsalensis, divina miseratione Ecclesiarum Archiepiscopi; Petrus Lincopensis, Siggo Skarensis, Frenderus Strengenesensis, Odgysilus Arosiensis, Hemmingus Aboensis, & Boetius Vexionensis, Ecclesiarum eadem miseratione Episcopi. Johannes monasterii Sanctorum omnium in Lundis, Ragnaldus in Alvastro, Svenus de Hergede, Vinmarus de Varnheim, Andreas de Sintli, Andreas de Asylo, Abbates, Petrus Dalbyensis, & Godefridus de Ekelstuna, Priores; nec non capitula Ecclesiarum cathedralium & conventus monasteriorum prædictorum, Salutem in Domino sempiternam.

Cum regnum Sveciæ & terra Scaniæ ità legaliter & indissolubiliter unita sint & conjuncta, qvod unum de cætero regnum censeri debent, perpetuis temporibus, ac unius regni præsidiô gubernari, sicut patentes literæ & manifesta instrumenta super hoc edita lucidiùs edocent & declarant; nos unionem memoratam promptô & benevolô amplexantes affectu, firmiter promittimus, qvòd

qvòd magnifico Principi, Dno. nostro charissimo, Dno. Magno, Sveciæ, Norvegiæ, & Scaniæ Regi illustri, suisque successoribus & hæredibus, pro dicto regno Sveciæ & Scaniæ in unione præfata retinendo, adstabimus fideliter, verbis, factis, consiliis & auxiliis, qvantum possumus, jure Ecclesiæ, ordine & officiô nostro salvis, habituri deinceps limites regni Sveciæ, qvi antè citra Scaniam tenebantur, in ipso passagio Orasund, eosdemque, qui illuc unà cum aliis confiniis & limitibus ejusdem regni Sveciæ & Scaniæ, ubicunque illud hostiliter invadi contingat, cum omni fidelitate & toto posse nostro viriliter & unanimiter cum Dei adjutorio defensuri.

Cæterum revolventes sedulo in intimis cordis nostri, qvam plena sit periculis & onusta dispendiis intestina dissensio, ea potissimum, qvæ solet multoties ex vacillatione regiminis provenire; & tantis malis, quantum Deus permiserit, prospicere circa regni regimen cupientes, firmiter promittimus, qvod inclytum Domicellum Ericum, filium dicti domini nostri Regis seniorem, juxta consilium & voluntatem ejusdem Domini nostri, in Regem & dominum nostrum supradictum, regnum Sveciæ & Scaniæ terras, provincias & insulas tributarias, ad idem regnum pertinentes, omni, quo decet, honore, secundum debitam formam & consvetudinem ab antiquo jure in regno Sveciæ approbatam, in loco pro electione Regis deputato, unanimiter & concorditèr eligemus; obligantes nos & nostrum qvemlibet, extunc ad serviendum sibi cum omni obdientia, fidelitate, servitiis, & homagiis favoreqve, prout ex debito veri subditi tenentur domino suo facere, & vero Regi, salvo per omnia eidem domino nostro Regi Magno patri ejus jure regendi, ut prius, præcipiendi, ordinandi, ac statuendi toto tompore suo, quo superstes fuerit, circa nos subditos suos & regni res ac negotia, qvæ pro commodo & utilitate ipsius regni viderit expedire.

Item promittimus firmitèr, ut prius, qvod si præfatum Dominum nostrum Regem Magnum (qvod Deus avertat) nobis viventibus migrare contigerit ab hac luce, inclytæ Dominæ nostræ Blancæ, & dicto Domino nostro Erico, ad honorem & servitium in omnibus fideles erimus, eisque in suis juribus in Svecia & Scania fideliter astabimus juxta posse. Et si idem Ericus Rex noster pro tunc minor annis fuerit, sibi & regno suo Sveciæ & Scaniæ, juxta consilium, consensum & ordinationem nobiliorum ejusdem regni Sveciæ & Scaniæ, tutor indigena deputetur, & castra omnia & regni munitiones cum eorundem consilio & provisione per indigenas gubernentur, donec eum ad legitimam ætatem Deus dederit pervenire. Si verò dictum Dominum nostrum Regem sine liberis existentibus contingat decedere, tunc alium de filiis Domini nostri Regis prædicti Magni superviventibus, qui convenientior & aptior habeatur, in Regem et Dominum nostrum, super antedictum regnum Sveciæ & Scaniæ, terrasqve provincias & insulas memoratas, & nullum alium, ritè & rationabiliter, ut convenit, eligemus. Item si ipso Domino nostro Erico, Rege supradicto, superstite, vel ejus liberis existentibus, contingat, Dominum Haconem fratrem ejus, quem idem pater ipsorum Dominus noster Rex Magnus regno suo Norvegiæ præficiendum duxerat, principatum seu regnum regni Sveciæ & Scaniæ, contra istud patris sui & matris factum velle usurpare, tunc eidem Domicello Haconi totis viribus resistemus, qvod etiam proceres & Domini in regno Norvegiæ promiserunt, qvod eidem Domicello Haconi in nullo penitus consilium, auxilium vel favorem ministrabunt, quorum prætextu contra hanc constitutionem veniat, vel contravenire attentet in futurum. Similitèr si contingat Dominum nostrum Regem Ericum supradictum ad Regnum Norvegiæ velle se intrudere, Domicello Hacone & ejus liberis existentibus, pari modo promittimus,

mus, quod in hoc facto ipsi Domino nostro Regi Erico memorato nullatenus coadjutores erimus, aut fautores. Et si contingat, quod uterque dictorum fratrum, vel eorum alter, contra præmissa patris eorundem & nostra facta venire voluerit, & alienigenarum seu extraneorum ad hoc auxilium adduxerit, & per hoc regnorum prædictorum aliquod hostiliter invaserit, seu subintrare attentaverit, ex tunc regnum utrumque, scilicet Norvegia, Svecia & Scania unanimiter, & insimul totis viribus & posse huic eorum voluntati efficacitèr resistere laborabit.

Qvodcunque regnorum prædictorum prius, vel pluries circa talia fuerit necessitatum, ad hoc finalitèr & intentè, ut eorum paterna tam provida pacis simul & concordiæ præordinatio in suis viribus & pleno robore irrefragabiliter perseveret. Et si memoratum Dominum nostrum Regem Magnum plures contingat habere liberos, protunc promittimus, ut superius, quod ipsorum quemlibet utriusqve sexus in suo jure & honore juvabimus, prout ipsis & eorum statui, conditioni simul & sexui congruerit, secundum leges & statuta regnorum prædictorum, tam Sveciæ & Scaniæ, quàm Norvegiæ, & juxta consvetudines in ejusdem regnis approbatas; verum si qvis cujuscunque conditionis aut status contra præmissa, vel eorum aliquod in parte vel in toto, se opponere, aut ea annihilare vel infringere quomodolibet nostris temporibus attentaverit, promittimus firmiter, sicut supra, quid eidem, quo minus id efficiat, totis viribus & posse nostro viriliter & unanimiter resistemus, consiliis & auxiliis, quantum possumus; jure ecclesiæ, ordine & officio nostro salvis: qvamvis autem liberâ & spontaneâ voluntate & affectanti animo hujusmodi negotium pro bono pacis fecisse dignoscimur, per hoc tamen juribus & consvetudinibus in regno Sveciæ, ab antiquo temporè de regia electione observatis, in nullo penitus volumus derogari, quin ad nos & successores nostros Regum electio, cum juribus suis omnibus, post mortem dicti Domini nostri Regis Eirici, vel alterius domini nostri, Domini Magni filii, quam ipso domino nostro Erico Rege prædicto, sine liberè (qvod absit) mortuo in Regem (ut præfertur) eligemus, libere revertatur. Ut autem præmissa omnia & eorum quodlibet majoris habeat roboris firmitatem, sigilla nostra præsentibus duximus apponenda. Datum Varbergis, anno Domini 1343. in Octava Beati Martini Episcopi & Confessoris.

„ Qvòd autem (verbis hìc *Pontani* utor) eæ literæ in ipsum Øresundæ fretum Sveciæ limitem videantur producere, atqve idem hodieq; „ita habendum, qvia tum pronunciatum, ut *Gothus* concludit; haudqva„qvam concedi debet. Nam postmodum ad Danici regni laciniam ubi re„diit Scania, veteres, & qvi antè observati fuerunt, non Øresunda, Sve„ciæ ac Daniæ limites in usum revocati.

Hôc anno Episcopos plures inauguratos invenio: Ormum nempe Aslaci filium in Episcopatum Holensem, Jonem Sigurdi filium, ejus nominis tertium, in Skalholtensem, Thorsteinum in Bergensem, Guttormum Stafangriensem, & Jonem Skallium Gronlandensem Diœcesin recturum; ignorante Archiepiscopô, Arnium Grönlandensium Episcopum in vivis adhuc esse. Ipsoqve hoc anno in Islandiam Jon & Ormus Episcopi appulerunt.

CAP. VII.
CONTINENS DUO PRIVILEGIA REGIS MAGNI, LUBECENSIBUS DATA.

MAgnus Dei gratiâ Rex Sveciæ, Norvegiæ. & Scaniæ, omnibus præsens scriptum cernentibus, salutem in Domino sempiternam. Noveritis, qvòd nos ad instantiam honorabilium virorum, dilectorum amicorum nostrorum, Dominorum Constantini & Thylemanni de Chustrowe, Consulum Lubecensium, communicato consilio & consensu fidelium nostrorum, ac omnium, qvorum ad ista erat consensus requirendus, ipsis Burgensibus Lubecens. præsentibus, & futuris temporibus natis & nascituris, & universis mercatoribus, undique fuerint, per flumen Ny cum suis mercibus & bonis transire & redire volentibus, liberam concedimus facultatem, hujusmodi passagium sive transitum usque ad Nogardiam exercendi, pro suo libito voluntatis, ut veniendo, morando & redeundo, tam in aquis quàm in ripis in semet ipsis, in bonis & familiis suis, præ nobis & omnibus successoribus nostris, ac universis, qui nostris sunt adstricti, obedire mandatis et præ omnibus aliis amore nostri qvicqvam facere vel omittere volentibus, liberi semper permaneant & securi. Et si vel ipsum flumen Ny adeundo, ibi morando, vel per illud redeundo, naufragium vel aliud navigale periculum perpessi fuerint, liberè concedimus, qvòd abinde nulla prorsus in se vel in bonis suis obstacula patiantur, sed qvòd talia bona liberè sine qvolibet obstaculô pertineant eis expeditè, qvos ante talia pericula pertinebant, vel his defunctis, aut submersis, eorum proximis hæredibus pari jure. Ex abundanti præterea concedimus eis omnibus & singulis per omnes terminos terrarum vel dominiorum nostrorum, omnimodam securitatem veniendi, morandi & redeundi ac recedendi, et undiqve eam in naufragiis libertatem, qvòd in naufragiis ipsorum bona & attinere debeant liberè, qvibus ante naufragium pertinebant, vel defunctis eis, eorum proximis attineant, qvibus hæreditario jure debuerunt pertinere, volentes eos in cæteris libertatibus & bonis consvetudinibus insuper conservare; quibus nostris & antecessorum nostrorum temporibus, in terris nostris hactenus sunt perfecti. In præmissorum autem omnium evidentiam firmiorem, sigillum nostrum præsentibus duximus apponendum. Datum Troxlaborch, Anno Domini 1344. die beati Ægidii Abbatis.

Subjicimus aliud, in qvo Lubecenses in regno Sveciæ a telonio, ut vocant, exempti sunt.

Magnus Dei gratia Rex regnorum Sveciæ & Norvegiæ, terræque Scaniæ, viris prudentibus & discretis, Præfecto, Consulibus & Burgensibus universis civitatem Lubechensem inhabitantibus, dilectionem in Domino & salutem. Vestris supplicationibus nobis per Reverendos nuncios vestros, Dominos Tylemannum de Gustrowe & Johannem Ruffi, Consules & concives vestros, decenter & honestè porrectis, favorabilitèr inclinati, necnon gratis ducti servitiis, quibus nos & progenitores nostros honorare & nobis hactenus servire curâstis, vobis ex omnium consensu consiliariorum nostrorum dilectorum, auctoritate præsentium indulgemus & concedimus gratiose, quod cives vestri omnes & singuli ad regnum nostrum Sveciæ cum suis mercimoniis ubique venientes a tributo sint liberi penitus & exempti, nisi generaliter, quoscunque undecunque venientes ab emptione carnium annonæ, aut rerum seu bonorum aliorum, excepis causis per nos contigere prohiberi; statuentis eorundem consiliariorum nostrorum consilio & consensu, ut si qui de civibus vestris in regno nostro morari aut habitare voluerint, consvetudinibus, juribus & legibus partium, in quibus stare & habitare elegerint, utentes; Frorm debebunt de cætero appellari. Quod etiam erga nostrates ad vestram venientes civitatem

per

per vos inviolabiliter volumus observari. Item si vestrûm qvicunque, in regno nostro prædicto quamcunque passus injuriam, nec aliquam ante suum adhuc recessum proinde justitiam consecutus cum vestris literis & testimoniô condigno ad nos recurrent, nos tali super hujus modi injuria secundum leges patriæ plenam justitiam fieri faciemus. Et hoc idem vos nostratibus penes vos passis injuriam utiqve facietis. Prætera de piratis prope partes nostri dominii ubicunq; inventis, qui in recenti facto fuerint deprehensi, statim sine conqvestione & divectione quacunque justitiam faciemus. De non comprehensis vero in facto recenti, sed in judicio delatis & convictis, fiet secundum leges patriæ, justitiæ complementum. Insuper advenientes ad nos de vestris, per nos & nostris, per vos & vestros, ut vestrates mutua caritatis affectione sincerè diligi volumus & foveri. Cæterum charissimæ uxoris nostræ Blancæ supplicationibus & precibus inclinati, ac solennitatibus coronationis nostrûm utriusqve favore & intuitu ducti, ex Regiæ dignitatis munificentia liberaliter indulgemus & concedimus, ut de vobis, qvicunque de regnis nostris Sveciæ & Norvegiæ aut terris Scaniæ sev Hallandiæ, aqvilonaris aut australis, de cætero naufragium passus, bona periclitata per se vel alios de mari liberè extrahere infra unum annum cum uno die extunc continuum; ac bonis sic extractis plena libertate frui valeat & gaudere, vel legitimus hæres suus. Prohibentes sub obtentu gratiæ nostræ firmitèr & districtè, ne qvis advocatorum, officialium, sev aliorum subditorum nostrorum, vos aut aliqvem, sev aliqvos, vestrûm, contra hujusmodi nostram indulgentiam in extrahendis, deportandis aut utendis bonis eisdem præsumat aliqvaliter impedire. Volumus etiam jura, libertates æqvas & rationabiles inter nos & nostros, & vos & vestros, firmiter observari. In qvorum omnium evidentiam firmiorem sigillum nostrum præsentibus est appensum. Datum in castro nostro Wardberg, anno Domini 1344. Sabbato Trinitatis.

CAP. VIII.

ACTA MAGNI DE ADMINISTRATIONE REGNI POST OBITUM SUUM. PACTA INTER MATREM REGIS MAGNI ET REGEM DANIÆ. EIRICI MAGNI FILII NUPTIÆ. PESTIS UNIVERSALIS.

EOdem anno Magnus Rex Sveciæ & Norvegiæ constitutionem fecit, qvâ filium Haconem, in Norvegia educatum, Regem Norvegiæ pronunciavit: alterum autem filium Eiricum, natu qvi erat maximus, post fata sua Sveciæ destinavit regno, regimine tamen sibi uxoriqve Blancæ & administratione regni ad dies vitæ reservatô. Statim itaqve subjecti utriusqve regni ad sacramentum dicendum vocati, obseqvia ipsis, fidem & servitia promiserunt; conceptis se verbis obligantes, haud passuros sa alium, præter Haconem, cum ad ætatem maturam pervenisset, Norvegiæ Regem constitui, Eiricoqꝫ majori fratri, Norvegiam fortè contra voluntatem patris postulaturo, fortiter se objecturos: si alteruter vèro eorum contra sanctionem patris fraternaqve pacta se alterius regno intrudere conaturus foret, utriusqve regni ordines summa vi ipsi obstituros, patrisqve eorum voluntatem strenuè propugnaturos esse. Qvod si plures liberos Rex Magnus susciperet, annisuros se apud ordines Sveciæ & Norvegiæ, singulasqve eorum

rum familias pollicentur, ut omnia secundum leges & receptas Sveciæ Norvegiæqvæ constitutiones procedant: sed tamen sperare, in Senatu Sveciæ Norvegiæqve, in unum congregato, melius de his consultatum iri, liberorumqve Magni utilitati, etsi plures susciperet, ut & paci ac transqvillitati regni, prospici posse: inqve hujus rei fidem Magnus syngrapham totius populi accepit. Ejus, qvam Norvegi dederunt, exemplum tale extat.

Omnibus præsentes literas visuris & audituris, urbium Nidarosiæ, Bergarum, Osleyæ, & Tunsbergæ, omnes cives provincialesqve, & plebs provinciarum Stiordali, Gaulardali superioris & inferioris, Livenæ, Naumudali, Sunnmæriæ, Sunnhordiæ, civitatis Guldalensis & Herdali, Salutem. Cum clementissimus dominus noster, Dominus Magnus Dei gratia Norvegiæ, Sveciæ, Scaniæqve Rex, cum censensu Senatus Norvegici, venerabilem filium suum natu minimum Haconem Regem constituerit, regniqve Norvegici partem ei dederit, ut instrumenta eâ de re facta testantur, per fidem nostram & honorem sanctè promittimus, nos Domino Haconi Regi obedientes & fideles cives ad omne obseqvium & subjectionem propensos futuros, tanqvam vero Norvegiæ Regi obligamus, cum imperium Norvegiæ suscepturus est, commissum à patre suo, cum plena in regnum Nurvegiæ subditosque potestate. Qvod si forte prædictus Rex Hacon sine filiis decesserit, successio secundum legis præscripta procedet. Qvod si frater ejus Dominus Eiricus, qvi juxta patris senatûsque Svecani ordinationem in Sveciæ Regem eligendus erit, sibi regnum Norvegiæ, vivô Rege Hacone, aut ejus legitimô filiô, vendicare pertentet, nos summâ ope, nî infamiæ notam incurrere velimus, ei obnitemur; sed Regi Haconi nos sociabimus, si Sveciam ei extorquere contenderit. Qvod si alter horum, vel etiam uterque, peregrinis auxiliis, violata hac patris eorum constitutione, alterius regnum affectare conaturus sit, tenebuntur duo hæc regna, Norvegia & Svecia, ad mutua auxilia sibi invicem præstanda, quoties opus erit, ad vindicandam hanc patris constitutionem, & utriusque regni pacem ac qvietem servandam. Qvod si contingat, Regem Magnum plures liberos suscipere, promittimus, priùs nos eorum jura pro virili parte promoturos esse, ut bona mobilia & immobilia, quæ leges eis & constitutiones regnorum adjudicant, conseqvantur; ità tamen, ut pro se quisque duorum fratrum, secundum proportionem territorii, plus vel minus fratribus suis aut sororibus conferat. Ad majorem hujus rei promissique confirmationem, urbium nostrarum & provinciarũ sigilla his literis adjecimus. Datum Bagahusiæ, proximo die Saturni post festum S. Margaretæ; annô Domini nostri Jesu Christi MCCCXLIV. regni clementissimi Domini nostri Magni vigesimo quintô.

Interim vidua Canuti Porsii, Magni Regis mater, habita cum Rege Waldemaro amica transactione, in potestatem ipsius tradidit Callunburgum. Hallandiam vero utramqve, borealem atqve australem, Magnus Rex sibi retinuit, vî præsertim pactorum, qvæ cum eo iniisse proceres Scaniæ supra ostensum fuit; etiam si haut leviter id usserit Waldemarum, præsertim cum utræqve illæ Hallandiæ ditiones haud unqvam Holsatis oppignoratæ, Sed Eirico atqve Ingiburgæ, parentibus Regis Magni, præfecturarum saltem nomine fuissent concessæ.

Hoc anno amnis Thrandiæ Gaul, a qvo vallis nomen sortita est, occulto meatu terram subiens, aliqvot dierum spatio nusqvam comparuit. Subsecutus est ingens terræ lapsus, ex altissimi enim montis clivo humus immensa, lapidum & arenarum mole commixta, horrendo fragore proruens, vallem transversam collis instar obsepsit, fluviiqve largè tum profluentis alveum omnemqve simul elabendi viam obstruens, amnem in stagnum

repen-

repentè mutavit. Qvod mox ingenti inundatione ſupra agros ædesqve in maximam hominum juxta ac pecudum ſtragem accrevit, tandemqve incredibili vi & impetu objectam terræ molem perrumpens, & immani ſecum rapiditate devolvens, qvicqvid obvium erat villarum, hominum & pecorum, abſorpſit; adeo ut hac inundatione octo & qvadraginta prædia, & in his qvædam nobilium ædes cum aliqvot templis, ſedibus ſuis convulſa & abrepta ſint, ducentiqve & qvinqvaginta in uno loco extincti homines, eô tempore, qvo coloni plures cum uxoribus, liberis, & ſervis, ipſâ feſti Crucis autumnalis vigiliâ ad convivia freqventes convenerant. Nec minor aliis in locis ſtrages edita, viatorum præſertim & pauperum, pauciqve admodum mortuorum reperti ſunt: rariores in eo tractu improviſum iſtud periculum mortemqve evaſerunt, pleriqve enim aqvâ cum terræ colluvie ſimul proruente hauſti. Longo deinde tempore univerſa hæc vallis paludis inſtar omnino impervia fuit; tandem verò exſiccata, planos campos, plurimaqve arenoſa & ſabuloſa loca, ut ſolent eſſe inundationum veſtigia, oſtendit.

Proximo anno MCCCXLV. nihil notatu dignum occurrit, niſi qvod Annales notant, emerſiſſe ex undis inſulam qvandam vel rupes, antea nunqvam viſas, in ſinu Islandiæ Breidafiordo, referuntqve communiter ad hunc annum notabilem illam aqvarum inundationem Thrandiæ, cujus nuper mentionem fecimus.

Anno, qvi hunc ſecutus eſt, nempe MCCCXLVI. Paulus Archiepiſcopus Kal: Febr: è vivis exceſſit, in cujus locum Arnius qvidam, cognomento Vadius, ſurrogatus eſt. Circa hoc tempus (memorante *Pontano*) Rex Daniæ Waldemarus, Holſatis, qvi Lalandiæ adhuc arces præfecturasqve pignori tenebant, obtulit ſe ad redimendum eas ære repræſentato paratum. Miſit interea ſub feſtum circiter trium Regum Mareſcallum ſuum in ipſam inſulam, ut loca, qvæcunqve ibi munitiora erant, præſidiisqꝫ defendebantur, obſidione premeret, cum paulò ante Corſöram & Pedersburgum ad regni coronam non ſine oppignoratione reduxiſſet. Sed Holſati, intellectô, Lalandiæ munitiones a regio milite peti, valido cum exercitu eodem accurrunt, ut ſuos obſidione liberarent. Qvæ dum fiunt, poſt varia tandem prælia ac depugnationes interventu Sveciæ Regis Magni in has utrimqve conditiones deſcenſum, ut Johannes Vagariæ Comes, acceptâ marcarum argenti octo millium ſummâ, Regi Vordenburgum cederet. Hoc anno Eiricus Sveciæ Rex deſignatus, Magni filius, Beatricem Comitis Brandenburgenſis filiam, Valdimari vero Daniæ Regis ex ſorore neptem, conjugem duxit, & mox inde Falkenburgum, qvod tunc temporis Dominus Bent Alguldis filius tenuit, oppugnâſſe traditur. Feſto converſionis Pauli tempeſtas adeò ſæva atqve atrox eſtitit, ut multis hominibus interitum prorſus attulerit.

Anno MCCCXLVII. Arnius Vadius, accepto Romæ palliô, Archiepiſcopale munus ſuſcepit. Ambo Islandiæ Epiſcopi in Norvegiam profecti hyemem ibi transegerunt. Rex Magnus Ormum Epiſcopum Holenſem & omnia ad cathedram ſpectantia diplomate editô adverſus injurias munit, eundem cum omnibus ſuis in tutelam regiam recipiendo, ac magnis qvibusvis viris in patria verbis exqviſitiſſimis commendando. Ad hæc etiam (qvod & â ſeqventibus qvibusdam Regibus factum conſtat) dicto Epiſcopo indulget, ſubditorum ſuorum multas omnes infra confiſcationem bonorum & cædes capitales aut æqvalia crimina. *Actum Osleiæ, die Veneris feſtivitatem*

Beati Gregorii proximè ſecuta, anno Chriſti MCCCXLVII. regni XXIX. Hæc autem *Arngrimus* ad annum ſuperiorem publicata memorat.

Etiam ſeqvens conſtitutio de variis rebus â Magno lata hoc anno legitur.

Magnus Dei gratiâ Norvegiæ, Veciæ, & Scaniæ, Rex, omnibus has literas viſuris vel audituris Salutem. Notum vobis volumus, qvod nos unà cum ſenatu noſtro dilecto ejusqve conſenſu hanc conſtitutionem fecerimus, quam per univerſum regnum vim legis jurisque habere & codici legum inſcribi volumus. (1.) *Si quis alterum blanditiis, pecuniâ, vel minis ad falſum jusjurandum ſecum præſtandum allexerit, aut ſi quis alterius operam ad homicidium perpetrandum conduxerit, ambo capitale crimen admiſerunt. Is autem, qui operam ſuam vendidit, aut ſciens volensque falsò juravit, ex præſcripto legum multator; præterea candenti ferro faciei ejus cauterium inuritor.* (2.) *Quicunque innocentem cultrô pupugerit, & in flagranti opere deprehenſus fuerit, ſecundum legum præſcriptum judicator, aut VIII. ortugos & XIII. marcas ſolvito. Quod ſi non evadit, intutus pacisque expers eſto, donec, ut antea ſcriptum eſt, pacem redemerit. Idem de jaculationibus & morſibus jus eſto.* (3.) *Si quis facinoribus literas ſecuritatis acquiſiverit, & intra tempus determinatum quenquam ſive cæſim ſive punctim læſerit, aut ullam injuriam (niſi neceſſitate adactum idoneis teſtibus probet) commiſerit, acceptam ſecuritatem amittito, & ad juſtam pro delicto pœnam licitè ducitor, ſecus pacis jure careto. Actum Osleiæ, feſto S. Matthiæ, anno regni noſtri XXIX. obſignatum nobis præſentibus.*

Anno MCCCXLVIII. ſcriptores Svetici tradunt, Regem Magnum Moſcis bellum intuliſſe, & initiô qvidem ſucceſſu optimo uſum, ſed tandem malo Moſcorum dolo circumventum, magnâ ſuorum clade accepta, in Sveciam rediiſſe. Redux in Islandiam Epiſcopus Skalholtenſis Jon feſto S: Magni vitam cum morte commutavit.

Notant Chronologi, adeo ſævam & diram hoc anno peſtem per omnes propemodum mundi plagas graſſatam, cujusmodi antè nulla hominum memoria noverit. Abſumpta Lubecæ utriusqve ſexus mortalium novem millia, Argentinæ millia ſedecim, Florentiæ qvadraginta millia. Multi in Dania pagi colonis exhauſti, agros deſertos atqve incultos reliqverunt. Primò hoc malum pueros atqve infantes, inde adoleſcentes ac juniores, mox demum ætate maturos ac ſenes invaſit, ſuoqve contagiô alios atqve alios infecit; qvem autem invaſerat, celeriter enecabat. Vulgo ab effectu Atram Mortem vocitabant. Et ſunt, uti *Pontanus* qvoqve annotat, qvi tradant, poſt eam epidemicam luem, intermiſſam plane fuiſſe & neglectam, qvæ ad oras Grönlandiæ ſolennis antea atqve annua fuerat, incolarum regni navigatio. Addunt Annales, qvi communiter, ut & ſcriptores pleriqve exteri, hanc peſtem ſeqventi adſcribunt anno, juſſu Pontificis in Rhodanum amnē conſecratum cadavera mortuorum, cum ſepeliri â paucis non poſſent, conjecta fuiſſe. In Anglia inſuper ita hoc malum graſſatum, ut Lundis tantùm qvatuordecim relictis, omnes mortales alios abſumpſerit; tunc verò ex Anglia navem qvandam mercatoriam Bergas delatam eſſe, ex qva mercibus in urbem deportatîs, cum rectores extincti omnes eſſent, luem iſtam primùm cives ejusdem urbis, deinde omnes Norvegiæ provincias, tanto invaſiſſe ardore, ut vix tertiâ parte hominum ſuperſtite, cæteros omnes deleret. Multæ qvoq; naves, defunctis, qvi eas regerent, miſerè deſolatæ in undas demergebantur. Ea autem morbi natura exſtitit, ut ſinguli, qvos infecerat, haud ultra unum duosve dies eô detenti, repentè cum vomitu ſangvineo

gvineo animam efflarert. Hac peste præter alios absumti sunt Arnius Archiepiscopus, omnesq; Canonici Nidarosienses, præter unum, nomine Lodinum, qvi solus deinde Abbatem Olafum de Hamre Archiepiscopum elegit; in aliis verò partibus regni Thorsteino Bergensi, Guttormo Stafangriensi & Hallvardo Hamarensi, Episcopis, fatalis hic annus erat. Ad sedandam luem Papam Annales memorant, missam, qvam ipse composuerat, flexis genubus, adhibitisqve luminibus, qvinqvies celebrandam vovisse. Alii qvoqve annotant, hanc ob causam sectam Flagellatorum, in Hungaria exortam, in Germaniam qvoqve venisse. Fuerunt autem homines qvidam idiotæ, mares & fœminæ, qvi seminudi incedentes cruces ligneas in manibus portabant, cum flagellis in extremitate, tribus nodis cum aculeis præparatis, qvibus semetipsos usqve ad sangvinis effusionem verberabant, prout magister eorum verba præibat. Secta hæc tandem auctoritate Pontificis Clementis repressa fuit.

Hoc anno in Episcopum Skalholtensem Gyrderus Ivaris filius, Bergensem verò Dominus Gilbrict, natione Anglus, â Præsule Oslöense Salamone, præsentibus Ormo Holensi & Jone Skallio Grönlandensi, qvi soli tum Episcoporum toto regnô superstites erant, inaugurantur.

CAP. IX.

CONVENTUS INTER REGES MAGNUM ET VALDEMARUM. HIC DITIONES MEGAPOLITANORUM VASTAT. LITES INTER EOS ARBITER REX MAGNUS COMPONIT.

SEqventi annô conventus in Hallandia inter Magnum Sveciæ & Norvegiæ, & Valdimarum Daniæ, Reges habitus est; ubi secreta inter se multa maximiqve momenti præsentes ambo agitârunt. Videns autem Magnus Svecorum studia in se labefactari, Valdimarum in partes suas trahere conatus, de auxiliis tum qvoque sollicitabat. Nec multo post Valdimarus, emissâ in litus Germaniæ classe, insulam Polæ, qvæ extra Vismariam sita ad Ducem Megapolensem spectabat, totam ferro atqve igne est depopulatus, idq; in gratiam affinis sui Marchionis Ludovici Brandeburgici, cum Megapolitanus fictum Marchionem Valdimarum patrocinio defendendum susceperit. Itaq; Megopolitani ditiones, qvà potuit, infestas habuit ac diripuit, motisq; mox in proximos Pomeranos castris, Stargardiam obsedit ac cepit. At Albertus Megapolensis Regem expedito cum milite insecutus, eum intra opidum, qvod ceperat, conclusit. Intellectoqve, Romulum; Ludovici Marchionis fratrem, cum copiis auxiliaribus accurrere, omissâ confestim, qvam instituerat, obsidione, Romulo in occursum progressus est, ac habito conflictu eum devicit, acceptis, præter eos, qvi occidione occisi sunt, captivis qvadringentis; ipse Romulus vix fugâ sibi consuluit. Rex intellecta Marchionis clade Stargardiâ discessit, ac versa in proxima Megapolitani oppida belli mole, nonnulla eorum sibi subjecit, ac mox auctus Pomeranorum aliqvot manipulis, Berlinum obsidione circumcinxit, qvod id qvoqve â partibus fictitii Marchionis staret. Verùm Albertus vestigia Regis premens, se ad conserendum cum eo manus parabat. Nec detrectabat, imò in adversum jam etiam pergebat Rex, cum utrinqve ecce Principum senatores

tores medios se interponentes præstare existimabant, controversiam componi, qvàm sævire in sese mutuò Christianos. Qvapropter statutum, ut Rex Sveonum Magnus sub proximam Pentecosten de lite tota pronunciaret. At mox, ubi dies dicta venisset, ita per Sveonum Regem Magnum res composita, ut Marchio Romulus captivos suos redimeret, sacramentum etiam, qvo obstringebantur civitates nonnullæ Megapolenses, qvæ olim ad Vandaliam pertinuerant, remitteret; dos esset Lentiæ præfectura. Romulus vicissim in usum fructum, qvem dotalitium vocant, Arusbergam, Werbam & Pelebergam eidem permitteret.

Anno MCCCL. Rex Magnus literas objurgatorias & expostulationis plenas pro Episcopo Holensi Ormo ad incolas Islandiæ mittit, & nominatim hos viros citatione peremptoriâ in Norvegiam evocat, Benedictum nempe Kolbeini filium, Geyxonem de Seila, Nicolaum de Flatatungis, Arnerum de Silfrastadis, Magnum de Svalbarde, & generum hujus Sigvardum, Petrum nomophylacem, hujusq; filium Kalfum.

Hactenus gesta Regis Magni, dum Norvegiam ipse regeret, exposui, jam ut abdicato imperio illud in filium Haconem transtulerit, & qvæ exinde acta sint, licèt horum etiam pars qvædam ad ipsum Magnum pertineat, librô seqventi describam.

HISTORIÆ RERUM NORVEGICARUM PARTIS QVARTÆ

LIBER DECIMUS,

DE IIS, QVÆ SUB HACONE SEPTIMO ET OLAFO QVARTO CONTIGERUNT.

CAP. I.

MAGNUS INTER FILIOS REGNA DIVIDIT. INTER IPSUM ET VICINOS PRINCIPES IISDEM TEMPORIBUS ACTA.

REx Magnus annô Christi proximè memoratô, millesimo nimirum trecentesimo qvinqvagesimo, cum Regina Blanca Bergas profectus, imperium inter filios partitus est, ex facta dudum constitutione, cujus & supra meminimus, Haconi Norvegiam, Sveciam Eirico addicens, certis saltem provinciis, Halogiâ nimirum Norvegiæ, Islandiâ, Fœreyis, Hetlandiâqve sibimet reservatis. Eodem anno Ormus Eysteini filius â Rege Norvegiæ Hacone aulæ magister creatus est.

Proximô annô MCCCLI. Episcopus Gyrderus in Islandiam rediit, unà cum Episcopo Ormo, qvi regias literas, nuperrimè nobis memoratas, detulit. Redux qvoqve Archiepiscopus Olafus, accepto Romæ palliô, sedem Nidarosiensem occupat. Ponunt ad hunc annum Annales expeditio-

nem Regis Magni in Russiam, igitur, ut volunt, susceptam, ut ad Christianam religionem Moscos adigeret; Regem verò, oppugnatis aliqvot civitatibus, sine ulteriore progressu in Sveciam rediisse: cùm tamen aliter de hujus expeditionis & causâ & successu *Johannes Gothus* & *Loccenius* scriptum reliqverint.

Apud Sveones Rex Magnus, violatâ matrimonii lege, cùm se vagis libidinibus tradere insimularetur, Sveci exosum eum cæperunt habere, &, ut solent homines turbidi, ac rebus novis studentes, ad Solem orientem conversi, relicto patre, filium ejus Eiricum ad regni habenas accipiendas sollicitârunt. Idq; videns Magnus confestim Helsingburgum Scaniæ Proceres convocavit; habitoqve cum illis consiliô, qvid sibi eo rerum suarum statu agendum esset, deliberationem instituit. Clam etiam Valdemari Regis amicitiam atq; opem exposcens, hoc ab eo responsi accepit, nolle se ulli bello, nisi restitutâ priùs Scaniâ, im̃isceri. Ipse deinde Valdemarus, ut *Pontanus* annotat, sub festum Simonis & Judæ Rostochium & Stralsundã profectus, ipso die, qvi Emundo sacer est, in regnum rediit. Cùm interea tres Danici regni præsules, ac Sveonum totidem, Lundæ apud Archiepiscopum convenissent, de pace inter utrumqve regnum constituendâ tractaturi. Rex enim Valdemarus Scaniam tum temporis reposcens, demonstraverat, non potuisse Comites Holsatiæ, qvod ipsorum non esset, divendere.

Anno inseqventi MCCCLII. Clemens VI. Papa, cùm sedisset annos decem & menses decem, moritur die 6. Dec. Eligitur in ejus locum die 19. Dec. Stephanus Auberus Claremontensis, qvi vocatus Innocentius VI. annosq; ferè decem imperium Ecclesiasticum tenuit. Refert *Pontanus*, Ingiburgam Sveciæ atq; Hallandiæ Ducissam multis hoc tempore reditibus ac beneficiis monasterium Hovedense Ordinis Cisterciensis affecisse; eamqve donationem filium ejus primogenitum Regem Magnum ratam firmamq; habuisse, codicillis super hac re Varbergæ datis signatisqve. Eodem anno Rex Valdemarus Regi Magno circa pontem Orebroensem diem dixit, ibiqve ambo, & paulò pòst Likoviæ, seclusis qvicunq; minùs bene ipsis volebant, amicè inter sese convenerê. Septentrionalis Islandiæ qvadrantis cives tum temporis complures in Norvegiam jussu Regis evocati, mare trajiciunt.

Anno MCCCLIII. notant Chronologi, & ex hîs *Pontanus*, qvòd Sveonum Rex Magnus Benedictum Algothum, ordinis Eqvestris aulicum suum, Scaniæ Hallandiæq; Ducem proclamârit. *Johannes Gothus* non Ducem solùm, sed dominum totius regni constitutum ait, edictôqve â Magno præceptum, ut filius Eiricus Dux, ipse Rex vocaretur. Insignia ejus in æde Sorensi parieti inscripta adhuc patrum nostrorum ætate conspecta novimus, leonem præferentia. Cœterùm idem, ut Magno charus, ità populo, & præsertim Eirico Regis filio, qvi illum sibi anteferri ægrè tulit, invisus exosusqve erat.

Regressi in Islandiam sunt, qvi anno superiore in Norvegiam profecti erant, cum mandatîs Regiis, ut onera, qvæ incolis Episcopi injungere conati essent, pro nihilo haberentur.

Seqvente anno MCCCLIV. institutus est Helsingburgi conventus, cui ex Daniæ Episcopis terni, ac totidem Sveci, interfuerê. Rex enim Valdemarus proponi Svecis curavit, Comitem Holsatiæ Johannem haudqvaqvã potuisse â Daniæ regno abalienare Scaniam, cùm eam oppignoratam solummodò teneret, atqve ideò nec inaugurationem, qvâ Scaniæ Proceres Magnum Sveciæ Regem affecissent, locum habere. De Hallandia item boreali

ali & auſtrali ut ageretur, mandatum, cùm utræqve Dominæ Ingiburgæ, ut regni præfecturæ permiſſæ, nec unqvam Holſatis obæratæ fuiſſent. Demum & ipſe Rex, poſtqvam Vordingburgi in gratiam recepiſſet ex Holſatis qvosdam, & varios hinc inde à Sveco nuncios acciperet, Roſchildiâ Helſingburgum profectus, ipſum ibi Regem Magnum convenit. Ex Islandia in Norvegiam hoc annô Epiſcopus Ormus proficiſcitur. Ivar qvoqve Holmus, qvi totius inſulæ regium cenſum mulctasqve omnes Regi debitas per triennium redemerat, in Islandiam faventibus ventîs devenit.

Anno MCCCLV. mulctas graviſſimas Islandiæ incolis, qvi contumaciâ ſuâ offenſam Regis incurrerant, Magnus edictô irrogat. Hoc annô Epiſcopus Holenſis Ormus, die omnium Sanctorum, & Dominus Erlingus Vidkunni filius, Regis Magni Cancellarius, ê vivîs exceſſerunt. Rex Valdemarus Helſingburgum in Scaniam circa feſtum D. Johannis trajiciens, Regem Magnum obvium eodem loci habuit, decretæqve tum inter utraqve regna induciæ. Defunctus eſt hoc circiter temporis tractu Lundenſis Archiepiſcopus Petrus Luckius, cujus hodieq; epicedium in æde D. Laurentii Lundæ legere eſt ejusmodi. *Hic ſitus eſt Petrus, Dei gratiâ Lundenſis Eccleſiæ qvondam Archiepiſcopus, Sveciæ Primas; qui obiit Cal: Maji 17. Anno MCCCLV.* Ei eſt ſurrogatus Jacobus Nicolai; qvi dum Avenione in Galliis agit, ibiqve à Pontifice vocationis ſuæ confirmationem poſtulat, univerſæ Lundenſis diæceſeos bona à Duce Benedicto, qvem, ut meminimus, Rex Sveciæ Magnus conſtituerat, cujus & nomine peſſimè idem audiebat, invaſa direptaq; ſunt.

Anno, qvi hunc ſeqvitur, MCCCLVI. Jon Skallius, qvi ante aliqvot annos in Epiſcopum Grönlandenſem ordinatus erat, Romam profectus, ut Holenſem diæceſin adminiſtrandam obtineret, poſtulat. Apud Sveones, qvod jam antè nobis memoratum, evexerat ad Ducis & Principis dignitatem Benedictum Algothum Rex Magnus, traditis ei nonnullis inſulis, ſed & continentis qvoqve præfecturis aliqvot; unde haud levis inter patrem & Eiricum filium ſimultas nata: cùm ſibi potiùs Ericus, utpote Regis legitimo hæredi, qvàm terræ iſti filio, eos honores ac beneficia competere exiſtimaret. Profectus itaqve in Daniam Ericus ad affinem ſuum Regem Valdemarum, apud ipſum aliqvantiſper ſubſtitit, ac domum mox rediturus, non ſine muneribus ab eo dimiſſus eſt. Nec longè poſt exortum inter utrosqve patrem filiumqve bellum; qvod cùm aliqvandiu non ſine clade utriusq; eſſet geſtum, conventus tandem Enekopiæ eſt indictus; qvò acceſſere præter alios Megapolenſis Dux Albertus, qvi Magni Regis ſororem Evphemiam duxerat, & Comes Holſatiæ Henricus, cui Magni ejusdem ſororis filia collocata erat. Illis arbitris ſeqveſtrisq; ità ſtatutum: *omnia inter patrem filiumque amica placataque eſſent. Principi Erico Scania, Blekingia, Hallandia auſtralis* (borealis enim ab avia ejus poſſidebatur) *tum & Smalandia, Calmaria, Oſtrogothia, unà cum diæceſi Aboënſi, cederent. Magnus Rex retineret Stockholmiam, Oplandiam, Olandiam, Gotlandiam, Veſtrogothiam, Vermelandiam, cum Dalecarlis & Hallandia boreali, ubi è vitâ mater ejus migraret. Literæ, quibus Sveco Scania erat permiſſa, penes qvatuor è regio ſenatu depoſitæ ſervarentur.* Hinc Eiricus, obſeſſâ Varbergâ, ac fuſo fugatoqve Benedicto, eum poſtremò ê Scania univerſa profligavit. Bocalus Falkius, qvi navî eòdem pergebat, ut de rebus non levis momenti cum parente Ducis nomine heri ac Regis ſui Valdemari ageret, à Svecîs interceptus, cuſtodiæq; mancipatus eſt: miſitqve extemplò Valdemarus, qvi militem ſtipendiarium conſcriberent; ſed anni hyeme impediti,

intra regni oras ſubſiſtere coacti fuerunt. Tradit *Johannes Gothus*, primò non è Schoningia, ſed è Sveciâ in Schoningiam ſeceſſiſſe Benedictum ab Erico coactum; & matrem Erici Blancam Reginam adeò gravi animô eam ejectionem tuliſſe, ut Superos & Acheronta pro ejus in priſtinum ſtatum reductione flectere non dubitârit; nam & Valdemarum Daniæ Regem adiiſſe, eiqve pollicitam, ſi in integrum eum reſtitueret, ſe curaturam, ut protinus Schoningia, & qvidem ſine armis, ad Daniæ coronam reduceretur. Et Valdemarus qvidem nihil non pro reducenda ad regni laciniam Scaniâ acturus, dum in eo eſt, ut Reginæ ſatisfaceret, ducem interea adulterinum ab Eirico ſecundo impugnatum occubuiſſe. Tumqve Reginam, dolore in dolum verſo, vocatum ad ſe Ericum filium, perinde ac ſi de regni negotiis agendum foret, toxicô ad id præparato ê medio ſuſtuliſſe. Narrat ferè ità *Gothus*, addens, tutius fuiſſe ad tigres & im̃anes feras, qvàm ad ejusmodi parentes, diverti. Sed hæc poſtea accidiſſe, & ad annum 1359. referenda, oſtendent ſeqventia.

Per idem hoc tempus, (ſcribit *Pontanus*, ex qvo hæc ferè deſumſimus,) paſſim per Holſatiam infeſtæ à qvibusdã ê nobilitate habebantur viæ publicæ; nec tuti ferè uſpiam erant ê prædatione eorum negotiatores, adeò ut Carolus Romanorum Imperator, acceptîs eâ de re qverimoniis, ducentos in eos eqvites im̃iſerit, qvi unà cum peditibus aliqvot, qvos ſuffecerant Lubecenſes & Hamburgenſes, totum undiqvaqve Comitatum pervolârunt. Magnus præterea Sveonum Rex eo tempore Holſatorum non modò ſocius atqve amicus erat; ſed ipſe qvoqve Henricus Comes neptem ejus in conjugem tenebat: ideòqve in gratiam eorum̃ permiſit ab iis ſpoliari ac capi civitatum incolas, ſi qvos uſpiam in Scania piſcationi vacare deprehenderent. Et hi viciſſim, irruptione in Scaniam factâ, ac manu tumultuariâ ſuorum adjuti, Svecos, ubicunqve dabatur, Holſatosqve ſine diſcrimine cædebant, inqve vincula abducebant.

CAP. II.

ISLANDICA QVÆDAM. PRIVILEGIUM TEVTONIBUS DATUM. VARIA REGIS MAGNI ACTA; CUM FILIO SIMULTAS. HUJUS MORS. TUMULTUS IN ISLANDIA. VALDEMARI REGIS SUCCESSUS IN GOTHLANDIA. REX MAGNUS A FILIO CUSTODIÆ MANDATUR. CONSPIRATIO ADVERSUS DANOS.

ANnô proximo MCCCLVII. in Islandia ê Tröl-ladingio monte ignis eruptio horrendo fragore favillarumq; ejectione facta eſt. Tota ferè provincia, Myrdalus dicta, devaſtata, multumqve inde damni paſſim acceptum. Tunc ad luſtrandas Eccleſias fratres duo, Eyſteinus & Eyolfus, ab Archiepiſcopo Nidaroſienſi miſſi, in Islandiam deveniunt, Jonemqve Skallium Româ reducem diæceſin Holenſem adminiſtrandam juſſu Pontificis accepiſſe nunciant. Ipſi autem hi luſtratores multam vim pecuniæ cùm laicis tum clericis per inſulam totam leguntur expreſſiſſe. Notant præterea Annales, per Sveciam luem graviſſimam graſſatam, multos abſumſiſſe, & inter hos Regis Magni filium Regem Eiricum cum uxore & duobus infantibus. Hæc autem *Chronicon Norvegicum* ad annum MCCCLX. refert; ut ſuo locô dicetur.

Hoc

Hoc loco privilegium Regis Magni, Germanis mercatoribus datum inferemus.

Univerſis præſentes literas viſuris vel audituris, Magnus Dei gratiâ regnorum Norvegiæ & Sveciæ, ac terrarum Scaniæ & Hallandiæ Rex, in Domino ſalutem ſempiternam. Et qvia diſcreti viri mercatores de Hanſa Thevtonicorum in civitate Bergenſi exiſtentes, nobis, dum ibidem moram contraximus perſonalem, conqveſti ſunt, ſe expenſas ſeu bona commeſtibilia ipſis pro ſumtibus & ore eorum neceſſaria in generali foro Bergenſi, ubi eis hucusque & in nullis aliis locis infra prædictæ civitatis limites & extra illos habere & emere conſvetudo & licitum fuerat, pro ſua pecunia venalia nullatenus invenire. Idcircò nos, conſideratis ipſorum tam magnis neceſſitatibus, eorumque piis inſtantiis inclinati; & ut ipſos amplioris beneficii & gratiæ præſidio proſeqvamur, ultra & ſupra omnia alia privilegia, placitationes, juſtitias & conſvetudines eorum antiqvas, ipſis per nos progenitoresq; noſtros in Norvegia datas & conceſſas, ex ſpeciali gratiâ per præſentes duximus annuendum, qvatenus omnibus & ſingulis mercatoribus in Hanſa Theutonicorum prædicta, ad civitatem noſtram prædictam Bergenſem applicantibus liberè concedatur & liceat bona hujusmodi commeſtibilia ad ſumtus eorum & expenſas, non tamen qvoad venditionem ſeu mercaturam aliqvam, emere, tam extra qvàm intra fores & limites, dictos Takmark, prædictæ civitatis Bergenſis, ſine impeditione & reclamatione cujuscunque. Cæterùm conquerebantur nobis ſæpe dicti mercatores, qvòd debitores eorum non curantes literas ſuas, ſive fidem, ipſis debita ſua, in quibus eis obligabantur, diſtinctis & receptis ex utrâque parte terminis ſolvere non curârant, unde eosdem mercatores magna incommoda & diverſa ſæpiùs et variabiliter contingebant. Nos verò incommoditati eorum tali præcavere & obviare volentes, ut cognoſcant ſe ad noſtra beneplacita eò fortius obligatos, ex eâdem noſtra ſpeciali gratiâ decrevimus ſtatuendum, quòd debitores mercatorum prædictorum, cujuscunque ſtatûs aut eminentiæ, & undecunque de regnis noſtris & dominiis fuerint, elapſis ſolutionum ac promiſſionum ſuarum datis inter partem utramque terminis, creditori vel creditoribus ſuis de præfata Hanſa Thevtonicorum debita ſua præſcripta in præſenti contracta, vel in poſterum contrahenda, infra menſem proximum poſt terminum ſuum vel terminos elapſum, ut præmittitur, ſive elapſos, ſub pœna tredecim marcarum & octo ſolidorum, denariorum dictorum Ortug, ratione infractionis noſtrarum literarum, dictæ vulgariter Brefabrot, *integraliter perſolvere ſtudeant & affectent. Si qvis verò contra hanc noſtram gratiam auſu temerario venire attentaverit, & debita ſua ſecundum formam & mandatum noſtrum, ut præmiſſum eſt, ſolvere non curaverit, extunc theſaurario & Balivis noſtris Bergenſibus, qui nunc ſunt, vel his, qui pro tempore fuerint, ſub obtentu gratiæ noſtræ firmiter & diſtrictè committimus in mandatis, ut debita hujusmodi creditori ſuo, ſeu creditoribus, de prædicta Hanſa Thevtonicorum ſecundum mandatum noſtrum præmiſſum diſponant, & ſi neceſſe fuerit, acriter extorqveant jure noſtro Regio, pœnâ videlicet ſuprà dicta nullatenus prætermiſſa. In cujus conceſſionis evidentiam firmiorem ſigillum noſtrum præſentibus eſt appenſum. Datum in civitate prædicta Bergen; Anno Domini MCCCLVII. Idus menſis Junii.*

Anno MCCCLVIII. Magnus Rex Helſingburgi, tertia die poſt Dominicam Oculi, conſiliario ſuo Trottio Petri filio Kackeby in Hallandia, permutatione factâ pro aliis immobilibus, cujus annui canones ſexaginta marcæ erant, vendidit: qvam venditionem Eiricus ejus filius Sveciæ Gothorumq; Rex & Hallandiæ Princeps confirmavit. Rex Valdimarus Roskildiam advenit, ut inde Hafniam pergeret, ibi cum Rege Sveonum Magno & Regina Blanca natalem Domini celebraturus: verum cum neutrum adfu-

turum intelligeret, Roskildiæ subſtitit. In ſedem Holenſem Epiſcopalem delatus Jon, ejus nominis ſecundus, cognomento Skallius, civium ſtudia ſibi minus faventia expertus eſt; dubitabant enim, an poteſtas ei a Pontifice conceſſa eſſet. Annales circa hæc tempora Iſabellam Regis Norvegiæ Eirici viduam obiiſſe, capiteqve plexum Ormum aulæ magiſtrum referunt.

Anno MCCCLIX. Rex Sveonum Magnus, (qvemadmodum laudatus Rerum Danicarum Scriptor narrat) Reginaqve ejus Blanca, unà cum filio Hacone Norvegiæ Rege, qvod anno ſuperiore decreverant facere, Valdemarum Hafniam viſum venerunt; ubi & publice ſibi deſpondit Hacon Regis Valdemari filiam Margaretam, annos tum circiter ſeptem natam, traditâ pro more arrhâ aliisqve donariis ſponſalitiis, Valdimarus qvoq; id temporis Magnum inter alia duabus paræciis donatum honeſtavit circa Hiſingam, qvæ & hodieqve ad Sveciam ſpectant. Hæc dum fiunt, invaluit, qvæ erat inter patrem Magnum & filium Eiricum, exorta ſimultas, qvòd Eiricum, qvi Scaniam tenebat, â ſubditis ſuis coli, ſe negligi, Magnus videret. Itaqve Valdemari opem adverſus Eiricum implorat, promittens, ſi auxilio adeſſet, Helſingburgum ſe unà cum Scania ei redditurum. Itaqve Valdemarus magnâ cum manu Scaniam ingreſſus, Söllinzburgum aliasqve munitiones vî aut deditione cepit, præfectos novos in locum priorum ſubſtituit, inq; verba Magni adegit, ac mox, deficiente paulatim commeatu, cum jam redire in Selandiam pararet, ne vacuus recederet, Petrum Daa Magni Regis clientem captivum abduxit. Idqve ubi intelligeret Magnus, metueretqve, ne pluribus idem obveniret, omiſit, qvod laudabiliter conſtituerat, Helſingburgum ac Scaniam veteri ac vero domino reſtituere. Interea Dux Eiricus, acceptô, rediiſſe domum Valdemarum, univerſâ cum nobilium ac ruſticorum multitudine (qvi tum exercitus Knubbaber dictus) in Scaniam movit, atqve ibi, ſi qvid forte â Danico milite eſſet relictum, id omne cum pulviſculo abſumpſit ac devoravit. Tandem vero inter eum parentemqve ita convenit, ut inita cum Valdemaro pacta, & præſertim illud de Scania, deqve matrimonio inter Haconem & Margaretam, irritum nullumqve eſſet; cœptumqve exinde de contrahendo inter Eliſabetham, Comitum Holſatiæ ſororem, & Haconem de connubiò agitari; eſtq; id ipſum his legibus ac conditione decretum approbatumqve, ut ſi forte Holſatiæ Comites ſororem ſuam Haconi permittere nollent, tum Calmaria, qvam pignori tenabat Comes Henricus, ad Sveciam rediret, & ipſe Henricus ſexaginta auri pondo Sveco numeraret. At verò ſi Magnus promiſſo non ſtaret, connubiumqve reſcinderet, tum ſubditi â præſtito ipſi ſacramento liberi immunesqve haberentur. Poſt hæc cum in dies magis magisqve ſe immorigerum Eiricus filius præberet, ſibiqve omnia vindicare videretur. & homines etiam vivos intra eccleſiam, intraqve ſacrarium, ut ſibi conſulerent, fugientes, unà cum myſtico, qvod ibi ſervatur, exueret, tandem & ipſe cum conjuge & liberis extinctus periit. *Johannes Gothus*, ut ſupra eſt memoratum, necis occaſionem aliam adducit. Reperio, evulgatum id temporis apud Svecos verſiculum, qvi in vivis fuiſſe tum adhuc Ducem ipſum Benedictum videatur innuere; iſtum ſcilicet.

Flet pro morte ejus non multùm Dux Benedictus.

Chronicum Norvegicum Danicis typis impreſſum & *Annales Flat*: obitum Regis Eirici in annum ſeqventem referunt.

Sveciæ Proceres (pergit *Pontanus*) ſublato Eirico, ad Haconem ejusdem Magni filium reſpicere cœperunt, videbanturqve res eò tendere, ut utraqve regna Sveciæ Norvegiæqve in unum conjungerentur.

In

In Islandia subortæ inter Episcopum Gyrderem & fratrem Eysteinum simultates eò tandem deductæ sunt, ut excommunicatus Eysteinus Episcopum in Norvegiam citaret: at paulò post reconciliati ambo in Islandia remanserunt.

Anno deinde proximo, qvi fuit MCCCLX. Rex Valdimarus, ingenti conscripto exercitu, assumtoqve filio Christophoro Duce, in Scaniam trajiciens Helsingburgum obsedit. Ei obviam factus Rex Magnus, cum se viribus ei imparem videret, nec solvere obsidionem posset, arcem oppidumqve Valdimaro permisit, pactis variè firmatis; inter qvæ pollicebatur Rex se in omnem eventum ei fidum ac fratris germani loco futurum; si auxilium suum expeteretur, pro virili auxiliaturum esse; cœptum inter Haconem & Margaretam utriusqve liberos connubium firmum ratumqve mansurum. Inde vî summâ munitiones prædiaq; passim nobilium aggressus, cuncta sibi subjecit. Lintholmum partim minis, partim pecuniâ ad obseqvium reduxit, pauloq; post hac prærogativa Lundenses & Malmogianos ornavit, ut per universum Daniæ regnum ipsis negotia sua exercere, â vectigali omni ac pensione immunibus, liceret, receptiq; haut multò post, volente atq; assentiente Magnô, qvæ intacta adhuc super erant, Scaniæ Blekingiæq; munitiones ac castra. Similiter & literas idem Magnus Valdimaro traditas assignavit, qvibus Johannes Holsatiæ Comes Scaniam sibi oppigneratum Svecis vendiderat; tum & eas, qvibus Scaniæ proceres Regem Sveonum ut Principem suum inaugurârant. Sveci hoc nomine Magnum detestati, eum cognomentô *Smeck* per convitium vocitârunt, qvòd se deliniri & blandis persvasionibus ad iniqvas & turpes conditiones induci permisisset. Notat *Arngrimus*, virum qvendam, nomine Smidum, seu fabrum, Islandiæ præfectum fuisse: qvi cum ob tyrannidem & enormia flagitia sæpius designata incolarum animos infestos sibi haberet, matronæ cujusdam impulsu, cum Grundara, qvi est pagus Eyafiordensis in boreali Islandia, venisset, orto tumultu cœsus est cum aliqvot suis, anno seqventi MCCCLXI. In eo tumultu Jon Guttormi, cognomento Skraveifa, Islandiæ perniciosus nomophylax, & perniciosi satrapæ Smidi illius assecla, occubuit. Hæc ille. Redierunt in Norvegiam Canonicus Nidarosiensis Eyolfus & frater Eysteinus; hic autem adulto demum autumno Halogiam multis laboribus, & præsertim potus defectu, cum aliis vectoribus tantum non absumptus attigit, annoq; seqventi in Thrandiam delatus, haut multo post vitam finivit. Gyrder qvoq; Episcopus Skalholtensis, unà cum Abbate Bergensi Helgio, multisq; aliis magni nominis viris, pelago se commisit, nunqvam deinceps visendus.

Seqventi anno MCCCLXI. inimicitiæ ac dissensus inter Daniæ ac Sveonum regnum proruperunt, ob varia, qvæ utrimqve promissa pactaqve fuerant, sed necdum adimpleta. Horum præter alia, etiam matrimonium inter Haconem & Margaretam habebatur, pactum qvidem, sed adhuc dilatum. Notant Svecorum memoriæ, Magnum Godlandiæ insulanis, & præsertim Visbuensibus, qvi tum nimiâ fortuna ebrii Magnum flocci videbantur facere, minus æqvum, egisse cum Valdemaro, ut eos invaderet ac desolaret. Qvod & factum ab eo, vastatâ primum Ølandiâ, ubi incolarum qvingenti ad internecionem delecti sunt. Inde Godlandos adnavigans, uno die ter cum illis conflixit, superiorq; fuit. Ex indigenis mille octingentos periisse Chronologi testantur. Ad urbis mænia cum venisset, portis patefactis, excipere eum cives parabant; sed ingredi eas nolens, muri partem dirui fecit, per qvam toto cum exercitu, veluti in aciem composito, urbem intravit; hîc ingenti prædâ maximisqve opibus, qvòd Visbu id temporis emporium

porium totius propemodum Europæ celeberrimum haberetur; potitus domum reversus est. Una navium ipsius sub insula Carlsæ, pretiosissimis, præter ædium sacrarum aurea argenteaqve ornamenta, mercimoniis onerata, in fluctus abrepta naufragium adiit. Ante decessum ex insula (nisi ad repetitam in insulam navigationem referre libet) cum Visbuensibus fœdus ac pactum iniisse reperio, firmasseq; immunitates ac privilegia ipsorum omnia, qvæ olim Cæsar Lotharius variis emporiis impertierat; & nepos exinde ejus Henricus Leo Bavariæ Saxoniæq; Dux, Regesq; postremo Svecorum etiam apud Visbuenses esse rata firmaq; sanxierant; Valdimarus insuper eandem, qvam subditi sui intra Daniam fruerentur, emendi, commerciaq; sua distrahendi libertatem indulsit: tum & permisit cudendæ monetæ jus, qvemadmodum id jam ante usurpârant. Acta hæc die qvinto post festum Olai, in oppido Visbuensi, præsentibus præter Regem Valdimarum ejusqve filium Ducem Christophorum, Saxoniæ Duce Eirico, Domino Nicolao Limbekio, Domino Henningio Podesbusk, ac Domino Valdemaro Sappeo, Eqvitibus auratis. Comoveruntq; haut leviter ea Germaniæ circumqvaqve maritimas urbes, qvas ferè Hansaticas tum vulgò vocabant. Hæ enim per manûs injectionem, sive, ut vocant, arrestum, bonis mercimoniisqve Danorum, tum & navibus, qvæ appellabant, retentis, ubiqve infestos habere Danos cœperunt. Nec minus qvàm Hansaticæ urbes commoti etiam Sveciæ incolæ, ac Magno offensi, diras ei imprecabantur, ob avulsam â Svecia Seaniam, permissamqve in manus Valdemari Godlandiam, aliaqve ut inconsultò ita stultè perpetrata. Sed Magnus, memor injuriarum sibi â filio Eirico illatarum, tum & regni proceres, qvi in se irritatum filium secuti fuerant, aversatus, statuit de iis pœnas sumere; itaqve viginti eorum qvatuor, qvi familiam qvasi ducebant, regnô pepulit, interq; eos Nicolaum Sture regni satrapam, Boocalum item satrapam, Dominum Carolum Antras, Dominum Carolum ab Ulfraa, Dominum Eiricum Caroli, aliosq;. Hi in Gotlandiam primò, atq; inde ad Ducem Megapolensem Albertum delati, ejus aliqvandiu hospitio ac benignitate usi fuerunt. Sveciæ interim proceres, qvi domi erant, adeo ægrè & graviter res actionesq; Magni tulerunt, ut Regem tandem Norvegiæ Haconem permoverint parentem suum Magnum in arce Calmariensi custodiæ mandare. Qvæ dum fiunt, fœdus inter se feriunt Lubecenses cæteræqve Hansaticorum ad mare Balthicum civitates, qvas urebat, rem â Valdimaro adeo feliciter gestam. Tracti in eorum societatem Rex Hacon, Comes Holsatiæ Henricus, ab animi & corporis robore Ferreus appellatus, Dux item Megapolensium Henricus, aliiqve Principes. Factisq; excursionibus, Daniam armis passim infestabant.

Cum borealis Islandiæ qvadrantis cives & laici & clerici Episcopo Joni Skallio officia sua denegassent, illum Grönlandiæ, non autem Islandiæ, præsulem pronunciantes, in Norvegiam profectus ibi per hyemem remansit.

CAP. III.

CONTINENS PRIVILEGIUM REGIS MAGNI TEVTONIBUS HOC EODEM ANNO DATUM, UT ET FILII EJUS REGIS HACONIS.

Magnus

MAgnus Dei gratiâ Rex Sveciæ, & Hacon filius ejus, eâdem gratiâ Rex Norvegiæ, omnibus, ad quos præsentes literæ pervenerint, salutem in Domino sempiternam. Ad beneficiosa opera, quæ nobis & progenitoribus nostris ad honorem nostrum regium honorabiles viri civitatum maritimarum pluries impenderunt, condigno favore non immeritò contuentes, ipsis & eorum cuilibet gratias & libertates à nobis & progenitoribus nostris indultas confirmare, ipsasque meliorare in omnibus, non minuere decrevimus, sed augere. Noverint igitur universi præsentes homines & futuri, quòd nos de fidelium & consiliariorum nostrorum beneplacito & consensu, honorabilibus viris, Consulibus & universis civibus ac mercatoribus civitatum Romani imperii, videlicet Lubekæ, Hamborg, Stadis, Bremis, Vismer, Rostoch, Stralsund, Gripeswald, Demyn, Anchlem, Stettyn, & Colberch; nec non universis & singulis civitatibus & mercatoribus Hanse Teutonicorum & eorum nunciis, per quoscunque regnorum & dominiorum nostrorum terminos in Flandria & Svecia, Norvegia aut aliàs qvoviscunque proficisci ad qvascunque provincias cum rebus & mercimoniis suis, eundi pariter ac redeundi quorsumcunque, & qvoties ipsis placuerit, tam per agros, quàm per terras, & in regnis ac dominiis nostris undique moram faciendi, seu manendi, quando & quamdiu voluerint, & mercaturas suas inibi exercendi, sub nostro, hæredum & successorum nostrorum securo conductu liberam & plenam concedimus facultatem, & qvòd per nullum advocatorum officialium seu familiarium nostrorum aut quenquam alium de regnis vel in regnis seu dominiis nostris impediri, occupari, seu molestari debeant quovis modô, sed dato antiquo & consveto telonio, ad nihilum ultra angarientur qvomodolibet vel graventur. Promittimus insuper per præsentes, quod si dicti cives, vel eorum aliqui, vel mercatores seu eorum nuncii (qvod Deus avertat) infra regnorum & dominiorum nostrorum terminos bona aliqua amiserint in spolio vel rapina, aut si fortassis bona eorum spoliata in mari, aut aliàs ad regna & dominia nostra perducta fuerint, contra illos injuriatores, aut dictorum bonorum detentores, debito justitiæ rigore usque ad plenam restitutionem & condignam satisfactionem, acsi rapuissent res & propria nostra bona, super hujusmodi violentiis & injuriis districtius procedemus, ipsosque tam in mari, quàm in regnis & dominiis seu terris nostris, à piratarum seu raptorum infestationibus pro toto nostro posse volumus defendere. Eosdem etiam cives, mercatores, & eorum nuncios, seu eorum quemlibet, infra regnorum & dominiorum nostrorum terminos, ab omni consvetudine seu jure emendi terram sepulturæ, qvod vulgò Arfkock dicitur, liberos amodò esse volumus penitus & exemptos; sic quod si ibidem aliquem vel aliquos mori contigerit, hæredes seu testamentarios de relictis bonis hujusmodi defunctorum liberè se intromittere, &, quorsum voluerint, ducere possint, prædicto jure aut aliâ consvetudine non obstante.

Præterea, cùm non sit justum, afflictis afflictionem addere, & sic planè contra Deum, conscientiam & rationem, naufragorum rapere res & bona; statuimus jus & edictum perpetuò duraturum, & volumus per omnem modum firmiter observari, in omnibus finibus regnorum, dominiorum nostrorum, seu terrarum, ut si quemquam ex dictis civibus mercatoribus seu eorum nunciis Hansæ prænotatæ intra regnorum & dominiorum nostrorum limites vel etiam extra, ubicunque naufragium contigerit pati, bona qvoque naufraga qvæcunque, sive Vragh, *aut aliis vocabulis appellentur, nostris ripis seu terris appulsa fuerint, illi illis vel suis hæredibus, cujus vel qvorum hujusmodi res & bona an-*

te naufragium fuerint, liberè pertineant, ad rehabendum & possidendum ea pacificè & qvietè, nullô prorsus ex parte nostrâ vel nostrorum eis in contrarium impedimentô obsistente, qvomodolibet inferendo. Si verò aliqvis vel aliqui, aut fortè omnes, quibus hujusmodi bona, ubicunque etiam passa naufragium, & ad regnorum seu dominiorum nostrorum litora appulsa pertinuerunt, submergi, vel aliter mori contigerit; nihilominus per nos nostrosque familiares in illis partibus talia bona salvari faciemus, & fideliter conservari & restitui illorum hæredibus aut exsecutoribus, quibus ante naufragium pertinebant: si quidem infra annum & diem venerint cum literis civitatis suæ, protestantibus, quod sunt hæredes veri aut exsecutores, ad bona hujusmodi prænarrata: omnem abusum contrarium penitus deponentes; ità tamen, quod ad hujusmodi bonorum naufragorum salvationem laborantibus dari debeat rationabile precium pro labore.

Præterea si aliqvô tempore terram Scaniæ, à nobis alienatam, recuperare per Dei gratiam seu retrahere nos contingat, extunc ipsis & cuilibet ipsorum concedimus atque damus, ut quod hactenus est servatum, qvod ipsos aut eorum quenqvam Scanöre aut Falsterbode, vel aliàs in Scaniam primò venientem, priusquam hospitium suum intraverit, armis, aut aliis rebus suis privari, seu etiam qvovis modô detalliari nequaquam volumus, illud similiter prohibentes. Insuper concedimus, quòd ipsi & quilibet eorum in nundinis nostris Scanöre & Falsterbode, & in omnibus locis terræ nostræ Scaniæ, vendere possint liberè pannos tam laneos, quàm lineos, per ulnas eos incidendo in locis, in quibus hoc fieri est consvetum. Præterea bona qvælibet, qvæ cum pundure, seu Bysmer, *seu cum aliis ponderibus vendi debeant, & talia bona qvælibet, tam magna, quàm parva, ibidem vendere liberam habeant facultatem, thelonio nostro solito nobis salvo. Emere etiam poterunt quæcunque venalia reperiuntur ibidem, & empta educere liberè, prohibitione contraria, si qua fuerit, vel aliâ causâ qualibet non obstante. Item concedimus ipsis, quòd in dictis nundinis nostris terræ Scaniæ, quælibet dictarum civitatum judicem vel advocatum congruum ex semet ipsis habere poterit, quem duxerit eligendum: qui quilibet advocatus super sua vitta, omnes & singulos excessus & causas suorum Burgensium mercatorum, seu nunciorum eorundem, & omnium super ipsorum vitta jacentium ibidem emergentes, citra pœnas manus & colli, secundum jus Lubecense, & omnia alia inferiora judicia, ipsos prædictos tangentia, terminare valeat, ac de eis plenè cognoscere & sententialiter judicare. Nec advocati nostri debent ipsos aut ex ipsis aliquem ante castra nostra citare, quod in Danico* Kallen *vocatur, sed unicuiq; contra ipsos aut secum super sua vitta jacentes, seu ubicunque aliàs intra dictarum nostrarum nundinarum metas & terminos existentes, agere volenti advocatus ipsorum in causis, ut præmittitur, per ipsum judicandis secundum jus Lubecense judicare debet & efficere sibi justitiæ complementum, ità etiam, cum jure Danico Empt dicitur ipsi & ipsorum, seu cum ipsis super sua vitta jacentes disponere non habebunt, & cum eodem nequàquam debeant occupari. Volumus etiam & ordinamus, quòd cùm aliquis ipsorum Burgens: mercatorum seu nunciorum ipsorum Hansæ prænotatæ in nundinis decesserit supra dictis, advocatus præfatus, seu valentiores ex ipsis tunc ibidem existentes, bona hujusmodi defuncti proximioribus suis hæredibus, si ipsi præsentes fuerint, applicabunt, vel eis non præsentibus reddenda, abinde portabunt, in quo ipsi per aliquem ex cujuscunque mandato vel nomine aliqualiter impediri firmiter prohibemus. Volumus etiam, quòd bona ipsorum ibidem, quamdiu in curribus remanserint, eadem deferre ad navem debentibus, nec adhuc aquam contingentibus fiunt & esse debent totaliter* unvorfaren, *ità quòd de hujusmodi bonis absque aliqua impeditione, arrestatione seu captione bonorum faciendâ, thelonium*

nium dari possit. Naves etiam ipsorum, cùm ibidem primùm venerint, omni tempore & absque impedimento aliquo ex parte nostra ingerendo exonerare poterunt, pro ipsorum libitu voluntatis. Concedimus etiam ipsis, quòd die Dominicâ proximâ ante diem B. Michaelis, & non priùs, dictarum civitatum Burgenses mercatores & eorum nuncii Hansæ supradictæ novæ monetæ denarios pro thelonio in ipsis nundinis dent & & exsolvant, & quilibet ibi jacens debet emere pro Regum prædictorum moneta. Si verò aliquis prædictorum Regum monetâ non emerit, nec vendiderit, & in illo facto deprehensus fuerit, ille ad unam libram grossorum debet deliqvisse, & in vittis ipsorum nemo jacere debet, nisi advocati ipsorum & sui, ac quos secum duxerit ibidem admittendos, in qua quidem vitta tabernam habere non poterunt. Sed damus ipsis plenam potestatem vendendi cerevisiam in eadem vittâ suo, & etiam cum amphoris mensurandi, sicut hucusque fuerit observatum. Item quicunque ipsorum in Scania propriam bodam habuerit, eam suo proximiori hæredi jure hæreditario relinquet. Si autem eam ibidem vendiderit, tunc eam coram advocato illius vittæ, in qua boda exstiterit, resignabit. Si autem in aliqua civitate vendiderit, extunc coram illius civitatis consilio resignabit, cum protestatione literali illius civitatis, quod eam illic vendiderit, demonstrante, dummodo de loco, sicut jus exigit, satisfiet. Volumus insuper, ut si quisquam civium, mercatorum, aut nunciorum prædictarum civitatum in regnis vel dominiis nostris deliquerit, seu excessum commiserit, nullus pro eo innocens puniatur, sed ille delinqvens debet excessum suum personaliter emendare nec hæredes delinquentis, nec Dominus suus vel bona sua delictum hujusmodi emendare, vel solvere tenebuntur. Nec etiam delictum tale illi, de qua delinquens est, quovis modô imputabitur civitati. Nullus etiam servus alicujus nec nuncius bona domini sui detesserare, vel deperdere poterit quovis modô, si etiam aliquis fidelium vasallorum, officiatorum, familiarium, aut Burgensium nostrorum ab aliquo civium vel nunciorũ dictarum civitatum aliquid promtis donariis emerit, volumus & præcipimus, quòd idem emptor cum promtis denariis persolvat empta benignè venditori infra tres dies continuò subsequentes. Volumus etiam, quòd in nundinis sæpe dictis & extra tempore quolibet, ubique in Scania & in omnibus regnis ac dominiis nostris ipsi liberè & pacificè suis mercationibus & bonis perfruantur, absque omni violentia & injuria ipsis in his inferenda, nec non omni jure & libertate in ipsorum negotiis & causis, prout usi sunt liberiùs ab antiquo. Præterea concedimus ipsis per præsentes, quòd cum ipsi vel aliquis ipsorum ad civitates vel villas forenses regni nostri Norvegiæ pervenerint, dabitur de qualibet navi unum melius talentum annonæ in eadem existente pro thelonio, excepto flore tritici, quod Flur (Floer) in Norico appellatur. Et sic mercatores memoratæ Hansæ, ab omni thelonio ampliori intrando & exeundo per regnum prædictum erunt quitti penitus & soluti. Insuper omne novum thelonium, quod temporibus illustris Haconis Regis Norvegiæ, nostri proavi charissimi, felicis memoriæ, ipsis civitatibus earundemq; incolis & mercatoribus Hansæ prædictæ impositum fuerat, abdicamus & deponimus per præsentes, volentes ut ipsi et mercatores prænotatæ Hansæ apud antiqvum thelonium permaneant; quod temporibus inclyti Regis Norvegiæ Eirici solvere & dare solebant. Item quando mercator dictæ Hansæ ad Sveciam seu Norvegiam pervenerit, poterit res & bona sua à mari orientali ad mare occidentale per terras ducere, & tunc per aquas velificare cum iisdem bonis ad mare occidentale quorsum velit, absq; damno & excessu. Cæterùm poterint in prædictis regnis nostris ire, seu curru duci, & debita sua emovendo & levando asque excessu. Possunt etiam in regnis nostris antè dictis uni civi ibidem seu hospiti aut extraneo vendere sal, quantumcunque voluerint, sed non minus quàm unum talentum navale, & de illis

bonis nullum thelonium dare debent. Item potest velificare in & ad flumen Ny & vltra, & undique ac ubique in omnibus regnis & dominiis nostris atque terris, & ibi sua mercimonia exercere. Si etiam aliqua bona ad regna nostra seu dominia perducta fuerint, quæ dicti mercatores ibidem vendere neqveunt; illa deducere poterunt, ubi volunt, solito thelonio nobis semper dato. Item volumus & multùm approbamus, quòd nec perjuri, nec infames viri, nec aliqvæ fœminæ, nec aliæ personæ dissolutæ, nec privatæ, quod dicitur Lichtverdige, *contra dictos mercatores & causas eorundem in testes aliqualiter admittantur. Omnibus etiam antiqvis privilegiis, literis & libertatibus quibuscunque hic non expressis, ipsis civibus Lubecensibus & aliis civibus prædictis Hansæ sæpe tactæ communiter vel diversim à nostris prædecessoribus & à nobis qualitercunque datis & indultis, ipsis integraliter semper salvis, in quibuscunque regnis, dominiis & terris nostris, non volentes ipsis in his & illis quomodolibet derogari. In quorum omnium robur perpetuum testimonium & evidentiam firmiorem sigilla nostra unà cum sigillis infrà scriptorum, videlicet Domini Nicolai Episcopi Lincopensis, Erenghefeli Jonsen Comitis, Nicolai Thuresen, Johannis Hierna, Petri Bunde, militum; Boëtii Jonsen, Jundi Hemmigesun, armigerorum. Benedicti Philippesen, militis, Arvidi Gostafsen, armigerorum, & Caroli Olavesen, militis, ex omni nostra scientiâ & bonâ voluntate, præsentibus literis sunt appensa. Datum Gripesvaldl, annô Domini MCCCLXI. in crastino nativitatis Mariæ virginis gloriosæ.*

CAP. IV.

HACONIS CUM MARGARETA NUPTIÆ. SVECI MAGNUM REGNO AMOVENT, ET ALBERTUM SUBSTITUUNT. OLAFUS HACONIS FILIUS NASCITUR.

ANno supra millesimum trecentesimum sexagesimo secundo Innocentius VI. Papa, cum sedisset annis novem mensibus octo, moritur die 12. Septembris. Successit Vilhelmus de Grisaco, qvi Urbanum V. voluit se nominari.

Hoc anno, inqvit *Pontanus*, Haqvinus Norvegiæ Rex, ut ante memoratum, qvi sibi desponsatam habebat Regis Valdimari filiam Margaretam, capto jam patre, â regni proceribus, qvibus displicebant cum Margareta nuptiæ, incitatur, ut accepta ex Holsatia conjuge, qvod jam dudum omnes voverant, se adversus hostium insidias illustri eâ affinitate præmunirent. Itaqve missus sub hoc tempus in Holsatiam Eqves auratus Hermannus de Vitze, qvi sponsam Elizabetham Henrici Comitis sororem in Sveciam deduceret. Is priusqvam iter ingrederetur, Elizabetha Haqvino in arce Plone consistens inter fratrem Henricum & fratruelem Adulphum, sub persona dicti Eqvitis, conjux est declarata, Reginaqve Norvegiæ consalutata. Ac mox magnifico & Rege digno apparatu instructa ex amne Travæ navigio solvens Sveciam petiit, sed vento ac tempestate, brumâ jam imminente, adversantibus, in litora Daniæ delata, benignè â Rege Valdimaro excepta asservataqve est; dum interea cum Haqvino Magnoqvè Valdemarus agit, ut facta pactaqve inter filium ejus & Margaretam sponsalia non modò firma rataqꝫ essent, sed & suum sortirentur effectum. Et verò, qvod Gothus tradit, dum isti man-

mandatam provinciam apud Holſatos exeqvuntur, ſolvit ê vinculis captum patrem Haqvinus, liberumqve, qvò vellet, abire permittit.

Hôc temporis tractu Thorſteinus Eyulfi, vir magni nominis inter Islandos, cum ſociis in Hallandia Danorum captus eſt, ac â Magno Rege anno ſeqventi liberatus.

Anno proximô MCCCLXIII. celebrata Hafniæ refert *Pontanus* Dominicâ, qvæ Paſchatis feſtum ſecuta, ingenti ac Regiâ planè magnificentiâ inter Regem Norvegiæ Haqvinum & Margaretam Valdemari filiam nuptiarum ſolennia. Interfuerê illis præter cœteros Blanca Regina Haqvini mater, tum & Chriſtophorus Hallandiæ Lalandiæqve Dux; qvorum uterqve, verſâ in feralem facem nuptiali feſtivitate, ex hac vitâ Hafniæ migravit. Ductum magnificè Blancæ Reginæ funus, ſicuti & Chriſtophoro Duci, qvi Roſchildiæ inter regia mauſolæa depoſitus ſepulturam accepit. Sveciæ interea proceres indigniſſime ferebant cum Margaretâ Haqvini nuptias, ſed & conſilia ſua, illudqꝫ cum Holſatâ inſtitutum connubium, ſucceſſu caruiſſe, eos qvàm maximè urebat. Henricus qvoqve animi generoſi Princeps, deludi ſe à Svecis nolens, ipſis ſignificabat, ut ſibi, qvæ promiſiſſent, præſtarent, niſi perfidiæ apud omnes rei agi cuperent. Hôc nunciô accepto, Sveci Dominum Carolum, Thorſteinum Mareſchallum, Nicolaum Satrapam, & Ericum Caroli Camerarium, Eqveſtri dignitate viros, in Holſatiam ablegant, regnumqve Sveciæ Henrico Comiti ex pactis deferunt; ſed ille humaniter ſe excuſans, ætatem ingraveſcentem tum & valetudinem obtendendo, eos ad Ducem Megapolenſem Albertum uxoris ſuæ parentem dimiſit. Illi cùm tres eſſent ex ſorore Magni Sveonum Regis Evphemiâ nati filii, Henricus, Albertus & Magnus, ſibi medium eligendum legati exiſtimârunt, adnitentibus in id qvoqꝫ haud leviter, qvos ê Sveciâ ad Ducem Albertum extorres confugiſſe jam ſuprà memoravimus. Elizabetha verò, conſum̃atis cum Margareta Haqvini nuptiis, cænobium Vaſtenenſe, Divæ Bergitæ apud Sveones ſacrum, ingreſſa, ibi conſenuit. *Gothus* qvod addit, Albertum Ducem Megapolenſem legatos Svecorum ſponſamqve Elizabetham, apud Valdemarum dum hæret, im̃iſſâ in Daniæ inſulas claſſe, cùm precibus nihil obtinuiſſet, è manibus Valdemari liberâſſe, cùm in actis Danicis non occurrat, in medio relinqvimus. Poſtqvam verò eligi in Regem Albertum placuiſſet, ipſe Albertus Senior maximo procerum Sveciæ comitatu filium cum claſſe in Sveciam deduxit, qvòd Magnus adhuc multa loca ibi præſidiô teneret. Indictaqve haud multò pôſt Stockholmiæ comitia; in qvibus unanimi omnium acclamatione amotus à regni ſceptro Magnus; eiqve Albertus ſororis ipſius filius eſt ſurrogatus, die, qvi Andreæ ſacer fuit. Inter cauſas rejecti Magni, poſtqvam vocatus ad ſe defendendum non comparuiſſet, publicè recitatæ, qvòd vitâ eſſet ac moribus perditis ac flagitioſis, qvòd Eccleſiæ authoritatem excommunicatus inſuper habuiſſet, qvod Ølandiam Gotlandiamqve, regni Svetici clientelares præfecturas, hoſtibus in prædam permiſiſſet; qvòd inuſitatis tributîs atqve oneribus populum exhauſiſſet; qvòd Scaniam Hallandiamqve, impenſo pretio emtam, â Sveciæ ſejungi pulchrum egregiumqve duxiſſet; qvòd leges ac tribunalia regni peſſundediſſet; qvòd ſacramenta ſanctè præſtita multoties violâſſet, ac regni deniqve Senatum penitus evertere ac conculcare in animum induxiſſet. Hiſce de cauſis ſemotô à regni adminiſtratione Magnô, ſororis ejus, ut indicavimus, filium Albertum, ne in alienam familiam Regia dignitas translata videretur, Regio in ſolio collocârunt: Haqvinum verò Magni filium Norvegiæ Regem, qvod idem cum patre Magno facere exiſtimaretur, prætereundum ſibi putârunt.

Hoc anno ex Hialtlandia navis qvædam Færeyensis in Islandiam delata, insularum istarum Episcopum, nomine Arnium Svælam, advehebat; qvi in Islandia unâ cum Thorarino Skalholtensi & Jone Skallio Holensi Episcopis hyemem exegit.

Dominica ante Lætare, qvæ fuit inseqventis anni MCCCLXIV. Valdemarus Rex Daniæ clientelarem Fimbriæ præfecturam Adolpho Holsato, conditione & legibus, cujusmodi eandem insulam tenuisset jam olim parens ejus Comes Johannes, utendam fruendamqve permisit. Præter alia, qvæ jure clientelæ Regi præstare Comes tenebatur, adstipulatus est Rex, ut de eo, qvod tum inter Holsatos ac Regem Sveciæ Magnum, ejusqve filium Norvegiæ Regem Haconem, ob nuptias cum filia sua Margareta, controvertebatur, non nisi amicè ageret, nihilqve eo nomine negotii sibi aut illis crearet. Si qvid præterea inimicum aut hostile exoriretur inter ipsum & Saxoniæ Ducem Eiricum, Stetiniqve ac Megapolensem, tum & Episcopum Caminensem, id veluti seqvester decideret Rex Valdimarus. Sicuti vicissim ad eosdem veluti arbitros referretur, qvodcunqve inter se fortasse Comitesqve exsurgeret controversum.

Appulit demum in Islandiã Thorsteinus (qvem in Hallandia captum ac deinceps à Magno Rege liberatum ad annum MCCCLXII. memoravimus) Islandiæ orientalis & borealis nomophylax constitutus, Olafo qvodam judicis provincialis munus ibidem obtinente; cum Thorsteinus vicissim in meridionali ac occidentali Islandia provincialis judicis officio fungeretur, ubi scilicet dictus Olafus nomophylax erat. Ita enim conventione illa inter Regem & subditos cautum erat, ne idem simul eodem in loco nomophylacem & judicem provincialem ageret. In eundem hunc annum obitus Thorarini Episcopi Skalholtensis incidit.

„ Anno a Christo nato MCCLXV. Albertô, ut memoravimus (rur„sus *Pontani* utor vorbis) regni Svetici diademate insignitô, tenebat ad„huc alteram regni portionem Magnus, nec desinebat, ut est imperium „omne impatiens consortis, modò ab Haqvino Norvegiæ, modò a Danis „Svecisqve militem colligere, collectosqve, qvantum sufficere videbatur, „ipse filiusqve ejus Haqvinus rectà in Albertum contendunt, præfati se aut „totam recuperaturos Sveciam, aut totâ carituros. Nec Sveones, qvi â „parte Alberti erant, officii sui immemores, contractis similiter copiis, „qvosqve habebat ad manus Albertus Tevtones, venienti Magno circa „pontem Osteni, non longè ab opido Enecopensi, occurrunt, fitqve atrox „& cruenta pugna, diuqve incerta ac dubia stetit; dum tandem victoria „ad partes Alberti se flexit; superato captoqve in media acie Magno. Ha„qvinus, parente in vincula conjecto, rem deploratam videns, abrumpens„qve post tergus pontem, se ad Norvegos recepit. Magnus vero Stock„holmiam ductus integro ibi septennio, dum tandem â filio eodem Hacone „liberaretur, detentus hæsit, ut suo exinde dicetur loco. Rex interea Alber„tus, licet omnia ageret, modò obsidione cingendo, modò vi & machinis „oppugnando, qvas Sveci pro Magno tenebant munitiones, eas tamen „nec deditione nec expugnatione ulla suum ad obseqvium traducere potuit.

Hoc anno secundum *Hvitfeldium* & Chronicon Norvegicum (qvod tamen Annales chartacei ad annum 1370 referunt) natus est Haconi Norvegiæ Regi ex Regina Margareta Valdimari filia Olafus, Daniæ Norvegiæqve Rex postmodum salutatus; qvem decennem fuisse, cum pater e vivis excederet, *Origines Norvegicæ* tradunt. Similis qvoq; dissensus nostrorum & Danicorum scriptorum in anno nuptiarum Haconis

nis & Margaretæ occurrit: utpote qvas *Hvitfeld* & *Pontanus* anno MCCCLXIII. celebratas ſcribunt, *Annales* verò *Flateyenſes* in annum MCCCLXVI rejiciunt, majore fortaſſe ſimilitudine veri. Si enim annô MCCCLIX. cùm primùm deſponſa eſt Margareta, circiter ſeptennis fuit, nupta tantùm undecim ætatis annos numerabat. Sed ſi tres anni adjiciantur, qvatuordecim. Aut igitur nata eſt priùs, qvàm notatum eſt, aut nuptiæ poſterius celebratæ; atqve hoc qvidem probabilius. Etenim *Loccenius* ſexagenariam obiiſſe tradit. Obiit autem anno MCCCCXII. natam igitur oportet eſſe anno MCCCLII. Qvod ſi, ut vulgò computant, filium Olaſum anno MCCCLXV. pepererit, tres & decem annos tunc qvidem non exceſſerat. Tutius igitur Islandorum calculum ſeqvemur, qvi Olaſum annos ſeptem ſupra decem natum perhibent, cùm anno MCCCLXXXVII. exſpiravit. Natus ergò erit anno MCCCLXX. matre jam annos ætatis decem & octo habente.

Anno proximô MCCCLXVI. die Martis poſt eum, qvi Jacobo Apoſtolo eſt ſacer, (ut laudatus Scriptor porrò memorat) evulgatæ Regis Svecorum Alberti, itemqꝫ Henrici & Magni, Ducum Megapolenſium, literæ, qvibus profitebantur, ſe cum Rege Valdemaro certis conditionibus pactos, ut qvicunqꝫ poſt diem ſuperiorem Pentecoſtes, durante adhuc inter Danos & Svecos bellô, capti fuiſſent, liberi utrinqꝫ dimitterentur. Tum etiam ſenior Albertus Dux, ut & filii ejus, Henricus & Magnus, Megapolenſes, datis codicillis Regi Valdemaro ſunt adſtipulati, literas eas, qvas Rex Albertus & ipſi de induciis cum Haqvino Norvagiæ, & Sveciæ Alberto Rege pangendis feciſſent, ſicuti & eas, qvæ captivos utriusqve regni Daniæ & Sveciæ poſt diem Pentecoſtes proximè elapſum ſpectabant, nec non & illas, qvæ dotem 10000. argenti marcarum attinebant, & alias inſuper Erici Ducis pignorales, eas univerſas intra tempus præſens & diem Purificationis Mariæ obſignatas eidem traditurum Regem Svecorum Albertum. Nec id modò, ſed idem præterea Rex Svecorum Albertus, metuens ſcil: auxilia, qvæ genero ſuo Haqvino in omnem eventum Valdemarus erat præſtiturus, per idem tempus Aleholmiæ, conſentientibus regni proceribus, Valdemaro Regi Daniæqve regno perpetuas atqꝫ hæreditarias conceſſit Godlandiam urbemqꝫ Visboenſem, Verendiam, Windovidiam, Kindam, Marchiamqꝫ, tum arcem Ellburgenſem cum altera parte Helſingiæ, ac toto Elſenburgenſi territorio, exceptâ Loddehuſiâ. Has, inqvam, ditiones univerſas caſtellaqꝫ, prout ea ſuperiori adhuc Pentecoſte jure tutorio Valdemarus poſſederat, ipſi ejusqꝫ poſteris atqꝫ hæredibus, cum omni tam urbano civiliqꝫ, qvàm Eccleſiaſticâ jurisdictione, cujusmodi jam olim ea Sveciæ Reges tenuerunt, in perpetuum haberi, Daniæqve regno adnecti permiſit, cum patris, fratrum, ac Regii ſenatûs univerſi voluntate aſſenſuqve. Rex interea Sveonum Albertus, exceptis jam dictis ditionibus, toto Sveciæ regno frueretur. Ejus parens Dux Megapolenſis Albertus, fratresqve Henricus & Magnus, eorumqꝫ hæredes poſteriqve, totum Megapolenſem Ducatum Comitatumqve Sverinenſium cum dynaſtia Roſtochienſi illibatos ſibi retinerent. Similiter iisdem in literis obſtrinxere ſe Rex jam dictus Ducesqve pater & filii Regi Valdemaro ejusqꝫ hæredibus, Daniæ regno Hallandiæqve adnexam perpetuò manſuram Varbergam. Deq; his Regi regnoqve Daniæ nullam moleſtiam, nullumqve negotium creatum iri: ſicuti viciſſim Roſtochienſium territorium Ducibus jam dictis eorumqve hæredibus ac poſteris totum integrumqve cederet, nihilqve ſuper iis obſtaculi remoræqve Valdemarus ipſis injiceret, exceptis officiis, qvæ jure

re clientelæ præstare ipsi tenebantur. Polliciti insuper Rex Albertus ejusqve parens fratresqve, se Magnum Regem haut unqvam ê custodia dimissuros, nisi eâ cautione ac conditionibus, qvod ad ditiones superiùs memoratas, qvibus satisfactum sibi Valdemarus existimavit. Etiam eodem pacto promittebant se cum Haqvino Norvegiæ Rege pacem nullam facturos, nisi & ipse super ditionibus jam modò enumeratis ejusmodi sponsiones produceret, qvæ Regi Valdemaro perplacerent. Si verò is intra biennium aut triennium ejusmodi cautiones Valdemaro denegaret, eoqve nomine inter eum & Regem Albertum bellum exsurgeret, tum Rex Valdemarus totis viribus Alberto suppetias veniret, donec conditiones jam indicatæ adimplerentur. Et paucis interjectis. Dum verò apud Sveones carcere tenetur Magnus, omnem ejus filius Haqvinus lapidem movet, cùm adversus Regem Albertum popularium animos concitando, tum copias conscribendo, ut è custodia aliqvando pater liberaretur.

Delati in Islandiam hoc eodem anno Ormus Snorrii & Andreas Gislii, universæ insulæ præfecti, solenni judiciô eam Regi Norvegiæ Haconi adjudicabant. Episcopus præterea Oddgeirus, nuper ordinatus, in Islandiam trajiciens, sedem suam Skalholtum accessit.

CAP. V.

TEVTONES NORVEGIAM VASTANT. SVECORUM DE ALBERTO QVERELÆ. REX HACON SVENUM BOSSIUM PROSCRIBIT. ET URBES QVASDAM IN TUTELAM SUSCIPIT. DAVIDIS SCOTIÆ REGIS DE ADEUNDIS HÆBUDIS DIPLOMA. REX HACON PATREM LIBERAT. MAGNI CONSTITUSIO, MORS ET ELOGIUM. VALDIMARI DANIÆ REGIS OBITUS.

ANno inseqventi, qvi fuit Christi MCCCLXVIII. durante adhuc bello inter Norvegos & Svecos, Tevtones Alberto se associantes qvindecim in Norvegia paræcias ferro & igne vastabant. Addunt Annales, ab iisdem urbem Malstrandiæ direptam esse cum monasteriis, templis, tribusqve Hysingiæ paræciis; Konghellam præterea, emporiumqve Liodhusæ, & universa domicilia Bagaholmiæ, qvæ extra muros stabant, nec non ducentas circiter villas ad Gautelfam grassantium furores depopulatos, unde justâ irâ concitatus Hacon, Germanos omnes proscripsit, commerciisq; & conversatione cum subditis suis, præsertim Bergis, interdixit. Qvis verò (ait *Pontanus*) rerum ac regni apud Svecos status fuerit, „intelligi ex literis potest, qvas id temporis ad Ostrogothos & Vestrogothos miserunt Oplandiani. His inter cætera declarabant, se injuriam, „vim & calamitatem, qvam fuissent ab eo tempore, qvo ipsis impositus „esset Dux Megapolensis, & ejus præsertim filius Albertus, qvi nomine „& munere Regio fungeretur, perpessi â Thevtonibus, ad Deum Jesum „Christum, ejusqve matrem Mariam, item Petrum, Paulum, Laurentium, „Ericum, Sigefridum, Henricum & Eschillum, divos omnes ac patronos „Svetici regni, cæterosqve Sanctos ac Principes Christiana pietate præditos, ut justos vindices referre, postqvam ab Alberto, qvem Regem esse volu-

voluerunt, licèt sæpius hoc qvesti, neqve â senatoribus ullam opem vel,,
solatium sensissent, esseqve Albertum perjurum, senatores regni prodito-,,
res: sibi itaqve constitutum sub Christi Jesu ejusqve matris &, qvos no-,,
minassent, Svetici regni tutelarium qvasi Divorum, tum & optimi Re-,,
gis Magni, licet captivi, ductu auxilioqve adversus vim atqve injurias,,
Thevtonum militare, omnesqve pro amicis ducere, qvibus idem ani-,,
mus sit; optareqve se cum illis vivere ac mori: verùm resistentes aut au-,,
xilia ferre nolentes invadere ac regno expellere, pariq; ac Teutones lo-,,
co habere velle: vitam autem suam cum omnibus bonis, singulis cujus-,,
cunqve conditionis aut dignitatis, modo pro patria & libertate velint pu-,,
gnare, addictam atq; devotam fore, nihilq; omninò ad hæc exseqvenda,,
defuturum, si regni senatus & proceres manus jungant: sin minus, cau-,,
sam apud illos, apud utrosqve autem damnum remansurum esse. ,,

Hoc anno peregrè abiit Thorsteinus Eyulfi Islandus (cujus supra ad annum 1362 mentio facta) ut veterem Dominum Regem Magnum in Svecia captivum inviseret; â qvo dum in Norvegiam revertitur, â Lubecensibus ibidem grassantibus capitur; Annoqve proxime inseqventi 1368 Lubecæ ab initio Maij ad exitum fere Iulii mensis in custodia detentus, tandem jussu Alberti Sveciæ Regis dimissus est. Olafus Nidarosiensis Archiepiscopus hoc anno rebus humanis excesit, cui continuò Thrandus qvidam surrogatus est.

Anno, qvi hunc excepit, 1269. Thorsteinus â captivitate Lubecensium liberatus totius Islandiæ nomophylax a Rege Norvegiæ constituitur. Hoc anno induciæ per tres annos inter Norvegiam & Sveciam pactæ sunt. Notant præterea Annales, Haconem Norvegiæ Regem cum Germanis pacem per qvinqvennium iniisse. Orcadibus tum fiduciario jure præfuit Comes Henricus de S: Claro, qvi legatis ad Regem Haconem III. Idus Junii missis, petebat sibi fevdi administrationem justè comfirmari: id qvod certis conditionibus proximô anno impetravit.

Anno MCCCLXX. Urbanus V. Papa moritur die 21. Decembr: cum præfuisset annis VIII. & mensibus 12. Succedit ei Petrus Bellifortis die 29. Decembris, qvi sedit annis septem, mensibus tribus, Gregorius XI. dictus.

Interea Rex Hacon apud Svecos nihil non egit, ut patrem Magnum è vinculis liberaret. Præter cætera, nonnullis ex regni sui senatoribus facultatem concessit, eâ de re cum Svecis in plenum transigendi, factâ, ut appellabant, procuratione, qvâ testabatur, se Domino Joni Hafthoreris, Eirico Ketillis & Joni Hiernæ eqvitibus, nec non Laurentio Biörnonis, Haconi Jonæ, Henrico Micheldorpio, Kolbiorno Ketelsonio & Uffoni Jonæ, Senatoribus ac consiliariis suis dilectis, absolutam dedisse potestatem, cum regni Svetici proceribus de pace inter utrumqve regnum redintegranda, deqve charissimi domini ac parentis sui Magni liberatione agere ac tractare, sibiqve constitutum, qvodcunqve ex suo mandato ac mente illi peregerint, firmum ac ratum habere. Obsignaverant has literas in rei majorem fidem regni senatores & Episcopi, Botulferus Stavangriensis, Haldvarderus Osloensis, Magnus Hamarensis, Dominus Øgmundus Ferini filius & Narvius Ingvaldi, eqvites: Ludovicus Eyvindi & Gautius Eirici. Datæ vero fuerunt Bahusiæ, die Veneris post festum Divi Canuti. Eodem circiter tempore Rex Hacon Svenone Basso, magni nominis viro, aqvâ & igni interdicto, non eum modo, sed & omnes, qvi eum hospitio exciperent, extorres pronunciavit, licèt causa interdicti apud Chronologos non inveniatur. Servatur, teste *Pontano*, in archivis Hardervicenæ civitatis literarum Haconis

Regis, hoc ipſo anno datarum, apographum, qvibus Hanſicæ ſimiliter ſocietatis urbes in ſuum ſe recipere favorem poſtliminio profitetur, ſopitis atqve amotis, qvæ eousqve tenuerant, diſſidiis ac remoris, conceditqve ut liberè more conſveto oras ac portus regni ſui adeant ac freqventent, commerciaqve invicem exerceant, ſoluto ubivis, qvod debeatur, telonio. In his memorantur civitates etiam nonnullæ auſtrini ſinus; qvarum ad Gelriam ac Tranſinſulanos ſpectantes recenſentur Zurphaniæ, Harderwikum, Elburgum, Daventria & Campi: Hollandiæ Dordrachum, Amſtelodamum, Enchuſa, Wiringa, Briela: Zelandiæ; Ziriczea, Middelburgum, Armuda, Friſiæ præter cæteras Hindelopa. Delegati harum, qvi omnium nomine præſentes fuere, nominantur viri ſpectatiſſimi Everardus Boſen proconſul Campenſis, & Johannes Menardus Conſul Amſtelodamæus. Eadem prope modum tempeſtate perhibent Davidem Scotorum Regem, adminiculante Norvegiæ Rege, diploma evulgaſſe, qvo omnibus ac ſingulis regni ſui incolis ſerio ac ſeverè, idqve ſub capitis pæna, mandavit, ne qvis Orcadum inſulas, niſi negotiationis cauſâ, freqventarent, qvod ſcilicet per eos dies adeo infeſtarentur eæ inſulæ Scotorum piraticâ, ut penè peſſundatæ, & veluti ſolitudo prædonibus tantum atqve harpyis ejusmodi paterent.

Anno, qvi hunc ſecutus eſt, 1371 Rex Hacon, collecto, qvam maximè potuit, milite, cui & ſuum addidiſſe Valdemarus Rex putatur, in Sveciam movit, ibiqve auctis in dies, qvas adduxerat, copiis, tam validus illi ac numeroſus, accedente etiam Aboenſi Epiſcopo, excrevit exercitus, ut ipſam, qvâ parens tenebatur, Stockholmienſem arcem atqve urbem obſidione qvam arctiſſimâ non tantum circumcinxerit, ſed & munimentum ex adverſo objecerit, qvod in rupe proxima verſus boream poſitum Coningsbergam vulgo vocitabant: tandemqve res eò deducta, ut Magnus, ſolutis duodecim mille argenti marcis Colonienſibus, ac traditis ex nobilitate Norvagica vadibus ſexaginta, qvi fidejuberent donec ſumma eſſet expuncta, ê carcere dimitteretur, cederetqve præterea Alberto totum Sveciæ regnum immune ac liberum, cumqve omni, qvod ſibi ullo tempore in Scanos vindicâſſet, jure; videbatur enim Albertus ei adhuc ditioni poſtliminio imminere, præſertim cum ſe etiam tum Sveciæ Gothorumqve Regem ac Scaniæ dominum ferret. Magnus interim ad vitam retineret diæceſin Scharenſem, absqve tamen nobilibus, ceteraqve ſervitute atqve obſeqviis, qvæ ad Regem Albertum ſpectarent.

Notant Annales, peſtem hoc anno per Norvegiam graſſatam multos mortalium abſumpſiſſe: Dominumqve Oddgeirum Epiſcopum Schalholtenſem ex Islandia in Norvegiam trantfretaſſe.

Anno 1372 Andreas Sveni filius in Islandiam profectus eſt, tum inſulæ præfectus a Rege Hacone conſtitutus.

Hic ſubjicimus conſtitutionem Regis Magni, qvæ circa hæc tempora, vel potiùs captivitatem ejus, data videtur; refertur enim ad annum MCCCXCIII. qvod nullo mudo conſiſtit, cùm longè ante illud tempus Magnus vitam finiverit. Itâ autem Mag. Edvardus in Hiſtoria Bergenſi privilegium refert, inqꝫ curiâ Lubecenſi avthenticum exſtare teſtatum ſibi profitetur.

In nomine Domini, Amen. Nos Magnus Dei gratiâ, regnorum, Norvegiæ, Sveciæ, ac terrarum Scaniæ & Hallandiæ Rex, recognoſcimus & tenore præſentium firmiter proteſtamur, quòd propter gratuita ſervitia, quæ nobis civitates maritimæ orientales exhibere ſtuduerunt, videlicet Lubech, Hamborg, Viſmar, Roſtoch, Stralſund, & Gripsvold: ipſis civitatibus jam dictis & earū inco-

incolis, nec non universis mercatoribus de Hansa Theutonicorum, ex speciali gratiâ & munificentiâ damus & concedimus per præsentes, quòd cùm ipsi vel ipsorum aliquis ad civitates vel villas forenses regni nostri Norvegiæ pervenerint, dabitur de qualibet navi unum melius talentum annonæ in ea existens pro teloneo, excepto flore tritici, quod Flur in Norico nuncupatur; & sic ipsi ac mercatores memoratæ Hansæ ab omni ampliori telonio, intrando & exeundo regnum prædictum, erunt qviti penitus & soluti. Præterea omne novum thelonium, quod tempore illustris Haconis Regis Norvegiæ nostri proavi charissimi, felicis memoriæ, ipsis civitatibus, earum incolis & mercatoribus Hansæ prædictæ impositum fuerat, abdicamus & deponimus per præsentes, ut ipsi & mercatores prænarratæ Hansæ apud antiqvum telonium permaneant, quod temporibus inclyti Eirici Norveg: Regis dare solebant, ut superius est expressum. Cæterùm ut memoratos amplioris beneficii & gratiæ præsidio prosequamur, ipsis ac mercatoribus prælibatæ Hansæ omnia privilegia, libertates, placitationes, justitias & consvetudines antiquas ipsis à memorato Rege Eirico & aliis progenitoribus nostris concessas, authoritate præsentium confirmamus, præcipientes nostris thesaurariis & balivis, ut hæc omnia præmissa præfatis mercatoribus firmiter observentur, dummodo dicti mercatores de Hansa eadem privilegia, placitationes, justitias & consvetudines antiqvas, in diebus dicti Domini Eirici Regis & aliorum progenitorum nostrorum in Norvegia habitas & servatas, nobis & nostris servaverint, prout ipsorum tenor & vigor pleniùs edocet & declarat. In cujus rei testimonium sigillum nostrum regni Norvegiæ præsentibus est appensum. Datum in castro nostro Vardberg, anno Domini MCCCXCIII. in crastino festi nativitatis B. Virginis.

Anno proximo MCCCLXXIII. Dominus Oddgeirus in Islandiam redux Hvalfiordum ingressus est; sedemqꝫ suam Skalholtum invisit. Ex minutissimo balænarum genere, qvas Hniðinga vocant, mille & septingenti numerô pisces ad litus Helgafellense, ubi prædium est occidentalis Islandiæ qvadrantis haut ignobile, uno impetu appulerunt, ut & anno MCCCLXXVI. sexcenti, & anno MCCCLXXVII. octingenti eodém modo prope litus leguntur capti.

Anno, qvi hunc excepit, MCCCLXXIV. apud Norvegos Rex Magnus, qvem è custodia Stokholmensi magnâ pecuniâ redemtum modò meminimus, fortè fortuna dum fretum Blomfiord dictum juxta Lingholmã navigiô transmittit, eodem submersus interiit I. Cal: Decembr. ut testantur Annales chartacei vetusti; vitâ in eum modum, qvam agere jam multos annos probrosè cœperat, cum probro finitâ, ut ait *Pontanus*, *Johannis Magni*, ut credo, judicium secutus: qvi feliciorem exstitisse pronunciat, si aratro, qvàm regno, natus esset, famamqve unà cum corpore tumulo intulisset. Cœterùm valde ab illis Norvegorum, ut & Islandorum, qvibus ad extrema videtur præfuisse, sententiæ discrepant; utpote qvi in perpetuum exactæ vitæ innocentis probæqvè monumentum, Boni cognomine eum condecorârunt, idqve à Magno S. Olafi filio, cui id primò, & jure qvidem, inditum est, mutuati, in Potentis postea converterunt, tantùm ut discrimen aliqvod inter utrumqꝫ haberetur: qvôqꝫ magis hanc suam sententiam stabiliant, tradentibus *Annalibus Flateyensibus*, solius ejus ex omnibus, qvi perierunt, vectoribus funus inventum narrant, eumqve Sanctum proinde vulgò creditum. Sed notiores Svecis ejusdem mores fuisse verosimile est; ideoqꝫ major iis fides deberetur, si non odiô ob alienatam Scaniam abrepti, ad præsidium causæ suæ, cùm eum regno movissent, excusationemqꝫ qvædam confinxerint. Certè magnum spectaculum

humanarum rerum inconſtantiæ fortunæqve licentiæ præbuit, qvi tanto faſtigio, poſt exactos tot in regno annos, ſenex excuſſus, neq̃ hâc miſeriâ, neqve ſeptennii captivitate inſeqventis malignæ ſortis aviditatem ſatiare poterat, niſi tragico inſuper exitu vitam clauderet, annos jam octo & qvinqvaginta natus.

Ex Islandia Epiſcopus Holenſis Jon, multiqve civium ſeptentrionalis Islandiæ qvadrantis, unâ nave, qvam in patria fabricare curaverant, in altum profecti, Regem Norvegiæ acceſſerunt, qvi ſtatim navem illam, neſcio qvo jure, ſibi vendicavit.

Proximô annô MCCCLXXVII. Rex Daniæ Valdemarus vitam cum morte com̃utavit.

CAP. VI.

CONTINENS DUAS CONSTITUTIONES REGIS HACONIS.

Omnibus & ſingulis, tam præſentibus, quàm futuris, præſentes literas viſuris vel audituris, Hacon, Dei gratiâ Norvegiæ & Sveciæ Rex, ſalutem in Domino ſempiternam. Univerſitati veſtræ tenore præſentium notum facimus publicè proteſtando, quòd nos cum honorabilibus viris, Dominis Jacobo Pleskow, Pro-conſule, Hermanno de Oſſenbrugge, Conſil. de Lucico, Bartramo Wulflam, Johanne Rugeri, Pro-conſulibus de Stralſund, Henrico Scruppelenberch, Conſule de Gripesvolde, Johanne Wolmaſten, Proconſule de Elevinge, Everhardo Boſſen, Proconſule de Campen, Johanne Monardeſen, Conſule de Amſtreledamme, nunciis conſularibus & Ambaxiatoribus ac plenipotentibus procuratoribus communium civitatum maritimarum, & nomine omnium earundem, videlicet Lybiche, Stralſund, Hamborg, Bremen, Roſtock, Wismer, Gripisvald, Stetin, Anklom, Colberch, Noveſtgarden, & aliarum civitatum Livoniæ, videlicet Rigæ, Tarbati, Revaliæ, & Peronæ, ac aliarum circum vicinarum. Inſuper civitatum, Pruſſiæ videlicet, Culmis, Thoris, Elvingh, Danzige, Koningsberg, Brunsberg, & aliarum ipſis adjacentium: Item civitatum de mari auſtrali, videlicet Campen, & aliarum in diœceſi Trajectenſi ſitarum, ac etiam civitatum Zelandiæ, ſc. Hiritze, Brele, Middelborg, & Arnemyde; civitatumque Hollandiæ, videlicet Derderazi, Amſtreledamme, Enchuſen, Neringen, & aliarum in Comitatu Hollandiæ & Zelandiæ jacentium; civitatum etiam, Gelriæ videlicet, Hardewich, Sutphaniæ, Elborg, Deventer: nec non civitatum Schanvige, & Hindelop, ac omnium aliarum & ſingularum civitatum in ipſarum jure & confæderatione comprehenſarum, de & ſuper omnibus & ſingulis cauſis, diſſentionibus, & controverſiis, litigiis, adverſitatibus, gverris & diſcordiis, inter nos & regnum noſtrum Norvegiæ ac homines familiares & adjutores noſtros ex una, & omnes & ſingulas civitates ſuprà nominatas, & in earum jure & confæderatione comprehenſas, ac ipſarum incolas & adjutores ex altera parte, hucusque motis qvæſtionibus & ſubortis, etiam ſuper damnis & diſpendiis ac injuriis quibuscunque hinc inde & ex utrâque parte receptis, animô deliberatô, ac de beneplacito & expreſſo conſenſu omnium fidelium & conſiliariorum noſtrorum, pro nobis & noſtris hæredibus & ſucceſſoribus, ac regno noſtro Norvegiæ, ac omnibus & ſingulis hominibus & incolis, & adjutoribus noſtris & regni noſtri reconciliavimus & compoſuimus, ac perpetuam pacem, concordiam & compoſitionem fecimus amicabilem, ac nos & regnum noſtrum, ac alios

ſuprà

*ſuprà dictos, cum dictis civitatibus ac ipſarum mercatoribus, incolis & adjutoribus prælibatis reconciliamus & componimus, ac amicabilem compoſitionem, pacem & concordiam facimus per præſentes perpetuis futuris temporibus inviolabiliter absque dolo duraturam, & per utramque partem firmiter obſervandam. Sic qvod deinceps in perpetuum omnium & ſingularum civitatum prænominatarum, & in jure earum & confœderatione comprehenſarum, mercatores, cives, Burgenſes, incolæ & familiares poterunt civitates, villas, portus & limites regni noſtri Norvegiæ cauſâ mercandi, vel negotiandi, tam per aqvas quàm terras, liberè ac ſecurè viſitare, ibique bonis, mercibus & rebus ſuis pacificè frui, eſſendo pro nobis ac hæredibus & ſucceſſoribus advocatis familiaribus hominibus & incolis noſtris & regni noſtri, ac pro omnibus & ſingulis aliis cauſâ noſtri qvicquam facere ſeu omittere volentibus, tam in accedendo & morando, quàm etiam recedendo, tuti, tranqvilli & ſecuri, tam in ipſorum perſonis, quàm bonis & rebus ſuis. Debeant etiam prædictarum civitatum mercatores & incolæ in regno noſtro Norvegiæ ac ipſius civitatibus, portubus & limitibus uti & gaudere omnibus & ſingulis ſuis libertatibus, juſtitiis, privilegiis & antiquis conſvetudinibus, quibus ibi unquam liberius utebantur. Cæterùm ut memorati conſules, cives, mercatores & incolæ omnium & ſingularum civitatum prænominatarum ſentiant gratias noſtras apud ſe magis favorabiles & efficaces, & ut amplioris beneficii præſidio gratioſè perſequamur cum effectu ipſis omnibus & ſingulis conſulibus, civibus & mercatoribus prænominatarum civitatum maritimarum ac cæteris omnibus Hanſæ Theutonicæ Romano imperio ſubjectis omnes juſtitias, libertates, gratias, privilegia & antiqvas conſvetudines ac literas, ipſis vel ipſarum aliqvibus communiter vel diviſim ab inclyto Principe Domino & patre noſtro chariſſimo, piæ memoriæ Rege Magno, ac ab aliis progenitoribus & prædeceſſoribus noſtris Regibus Norvegiæ, qvalitercunque datas & indultas, cum pleno Conſiliariorum noſtrorum infrà ſcriptorum beneplacito; ob id ut dictæ civitates nobis ac ipſi regno noſtro Norvegiæ ad beneplacita eò favorabiliores reddantur, authoritate præſentium innovamus, approbamus, ratificamus, & confirmamus, quemadmodum ipſa privilegia pleniùs per ſe docent. Item ſi contingerit, quòd aliqvis intraneus vel extraneus contra nos vel leges noſtras delinqveret excedendo, ob quem exceſſum nobis eſtrictius ſoret ad emendandum, volumus & gratioſè concedimus, quòd ipſius delinquentis omnia rationabilia debita, in quibus ritè tenetur obligatus, ante omnia de bonis ſuis perſolvantur, antequam exceſſus hujusmodi nobis emendentur. Item ſi quæ naves ad portum civitatum & villarum noſtrarum foren*ſ: *cum ſummo munito caſtello, propriè* Top-Caſtell, *applicuerint, hoc ipſis eſſe debebit ſine pœna; ad pontem tamen non applicabunt, nec ullum pontem ad terram facere debebunt, niſi ante omnia dictum* Top Caſtell *depoſitum ſit de malo. Promittimus igitur bonâ fide in his ſcriptis, dictis Conſulibus, civibus, mercatoribus, incolis & nunciis prænominatarum civitatum & earum cujuslibet pro nobis, hæredibus, ſucceſſoribus ac regno & terris noſtris, necnon omnibus aliis & ſingulis cauſâ noſtri qvicquam facere vel omittere volentibus, unà cum dilectis fidelibus conſiliariis noſtris infrà ſcriptis, dictas perpetuam pacem & amicabilem compoſitionem cum omnibus & ſingulis articulis ſuprà dictis firmiter & inviolabiliter perpetuò obſervare. Unde in evidens teſtimonium omnium præmiſſorum ſigillum noſtrum unà cum ſigillis infrà ſcriptorum dilectorum fidelium Conſiliariorum noſtrorum præſentibus literis ex certa noſtrâ ſcientiâ duximus appendendum. Et nos Augmundus Finnzſen, Ericus Ketilſen, Narvius Ingvaldsſen, & Ulfus Jonſen, milites, Hacon Joenſen, Gautius Ericſen, Alverus Haraldsſen, Erlandus Philipſen, & Gudbrandus Alfsſen, armi-*

geri, prælibati Domini nostri Dni. Haconis Regis Norvegiæ & Sveciæ Consiliarii, quia omnia & singula in hujusmodi literis contenta & expressa de nostro & cujuslibet nostrorum beneplacito & expresso consensu facta placita sunt & terminata; promisimus, & in his scriptis bonâ fide promittimus pro nobis et hæredibus nostris, unà cum dicto Dno. nostro Rege, dictarum civitatum consulibus, civibus, mercatoribus, incolis, subditis, familiaribus atque nunciis, dictam pacem & amicabilem compositionem perpetuò & inviolabiliter observari, & in majoris roboris firmitatem sigilla nostra & cujuslibet nostrûm unà cum sigillo prænominati Dni. nostri Regis præsentibus sunt appensa. Datum & actum in Kalingborg, anno nativitatis Domini MCCCLXXVI. in vigilia assumtionis B. Mariæ Virginis gloriosæ.

Subjicimus & aliam Regis Haconis constitutionem, varia continentem; in qva locus, dies, & annus desiderantur.

Notum sit universæ plebi, Nos Haconem, Dei gratiâ Norvegiæ & Sveciæ Regem, unà cum Senatu nostro dilecto ejusque consensu, has constitutiones sancivisse, & per universum regnum nostrum Norvegicum publicâsse, ut legis inviolabilis vim in judiciis obtineant, prout heic seqvuntur. (I.) Universa nostra moneta tam proba cuditor, quam cum principio cuderetur, publicèq; promulgaretur, & inter omnes tam pro bonis immobilibus, quàm aliis mercimoniis intra regnum, tam ab incolis quàm peregrinis divendi solitis, valeret. (II.) Omnia venalia, sive incolarum, sive peregrinorum, in emporium deferuntor, & in foro argento signatô distrahuntor, secundum leges & majorum nostrorum constitutiones: secus vendens vel emens in pœnam violati mandati VIII. Ortugos & XIII. marcas nobis debeto, mercesque nobis, sive in urbe sive ruri vendantur, cedunto. (III.) Nemo, sive Ecclesiasticus, sive secularis, sive palam sive clam, merces injustè dividito; si verò talium quis convincatur, is præsertim VIII. Ortugos & XIII. marcas nobis præstato, præter confiscationem rerum divisarum ex utrâque parte. Quòd si quis talium reus suspicatur, nec tamen convictus est, is unà cum sex compurgatoribus crimen juramento diluito, secus prædictæ mulctæ obnoxius esto. (IV.) Mercaturam in pagis exercere nemini esto licitum, nec rustici commeatum aut merces per rura vendunto, præter ea, quæ in viatorum usum erogant, sed omnia, ut suprà dictum est, in emporium deferuntor. Nemo fasciculos mercium in portubus dissolvito, ad negotiandum, præterquam quibus in usum nauticum indiget. Si verò quis testibus probatur aliter egisse, VIII. Ortugi & XIII. marcæ nobis ex ementis & vendentis parte solvuntor, caditoque in fiscum res empta. (V.) Nemo, sive colonus, sive mercator, sive qvisquam alius, merces ruri in urbem delatas in propriis domibus emito venditove.; sed merces omnes in forum proferuntor, secundum civitatis privilegia: quicunque aliter negotiatus fuerit, præter privationem mercium mulctator VIII. Ortugis & XIII. marcis. (VI.) Eadem pœna esto, quoties quis, sive colonus sive peregrinus, merces cariores pro moneta quàm butyro, corio, cerâ aut cæteris, ponit. (VII.) Qvi monetam nostram primâ vice pro mercibus suis recipere abnuerit, VIII. Ortugos & XIII. marcas mulctæ nomine solvito, secunda vice duplum, tertia vice & vita & bonis omnibus privator: cujus exsecutionem præfectis nostris & judicibus mandamus. (VIII.) Prohibemus, ne quis peregrinus mercator aut advena asseres aut ligna coëmat, ad divendendum intra regnum, sub VIII. Ortugorum & XIII. marcarum pœna. (IX.) Mercatores peregrini, qui Osleyam navigant, si merces suas, ubi eò delati sunt, vendere nolunt, prout nos & senatus noster dilectus ordinavimus, præter toties dictam mulctam mercaturâ universâ privantor, modò ad negotiandum profectio instituta sit. (X.) Sub eadem pœna omnes merces antiqvum valo-

valorem retinebunt, pro conditione regni. (XI.) Peregrini Osleyam navigantes ſeverè prohibentur pecudes aut alimenta avehere, præter commeatum ad ſuſtentationem, dum ibi nundinantur, eumque non niſi in foro comparatum, ſub pari ac cætera pœnâ, & confiſcatione emtorum. (XII.) Omnes illos, quorum bona pecuniaria ad XII. marcas non aſſurgunt, domos in provincia inhabitare prohibemus, ſed hi omnes, modò valetudine ſint proſperâ, bonorum virorum, ſeu Presbyterorum, ſive laicorum, famulitio ſe ex more addicant, nec ullus ſive Epiſcopus, ſive eqves auratus, ſive alii optimates, ſervitiorum patrocinium ſuſcipiant, niſi, ubi ſuſtentati fuerint, laborent. Qvicunque famuli heros, colonos, aut Presbyteros, relinqvunt, à præfectis noſtris ſecundum edicta noſtra puniantur. (XIII.) Licèt ad judicium nomophylacis ad cauſam dicendam citare; ſi verò aut citans aut citatus ad ſtatutum diem non compareant, nomophylax ſecundum leges cauſam iſtam decidito. Qvicunque Epiſcopi vicarius absq; evidenti neceſſitate comitia ne frequentato, nec in officio ſuo ullam cauſam agito, priusquam mulctam lege definitam ſolverit. (XIV.) In civitate Osloenſi nullus calcearius corium ad rurſus vendendum emat, ſub corii amiſſione & pœna VIII. Ortugorum ac XIII. marcarum; ſi verò nondum convicti tali ſuſpicione laborent, ſex compurgatoribus crimen juramento diluant. Omnes prædictos articulos mandamus, ut nomophylax Oſloenſis perfectè ſervet, & ſecundum illos jus dicat, quos ipſi unà cum Senatu noſtro dilecto in regni emolumentum ſancivimus; qvi & jam publicati & à populo recepti ſunt, ut vim legis in poſterum retineant.

CAP. VII.

DISSENSIO DE ELECTIONE REGIS DANIÆ. OLAFUS REGIS HACONIS FILIUS ELIGITUR ET INAUGURATUR. MARGARETÆ ELOGIUM. PRIVILEGIA DANIS DATA. CUM EXTERIS ACTA.

Annô milleſimo trecenteſimo ſeptuageſimo ſextô, Valdemaro vitâ defunctô, (memorante *Pontanô*) cùm Proceres freqventes Otthoniæ apud Fionios præſtò eſſent, unà cum Henningo Podebuſchio Eqvite ac regni Satrapâ, ut de novo creando Rege in medium conſuleretur; alii Olafum nominârunt, Haqvini Norvegiæ Regis & Margaretæ filium, utpote qvi matris aſpectu non modò regni proximus eſſet, ſed qvi aliqvando etiam utraqve Daniæ ac Norvegiæ ſceptra hæredii ac ſucceſſionis jure conjungere atq; unire feliciter poſſet. Alii aliter & ſeorſim ſtatuerunt; videbantur enimeò nonnulli ire, ut è medio nobilitatis, qviqve natus intra regnum eſſet, cùm Regum proſapia qvod ad maſculam prolem jam defeciſſet, rebus admoveretur; nec decorè ſatis exiſtimabant, Daniæ regnum, qvod jure electionis Regem ſumebat, qvodqve per ſe Regi ſuſtentando ſufficeret, Norvegiæ ſubmitti, regno non libero, aut ſuæ poteſtatis, ſed hæreditario. Nec deerant, qvi aſſerebant, Albertum Megapolenſem, junioris Henrici Ducis ex ſorore Margaretæ Ingibiörgâ filium, non minùs qvàm Olafum ad regni ſucceſſionem pertinere. His talibusqve altercationibus finita tum comitia; neq; in iis magnopere qvicqvam peractum, niſi qvòd inter cætera Ceciliæ, viri nobilis Petri Vidi relictæ viduæ, Magaarda aliæq; poſſeſſiones, qvas ei Valdemarus præter æqvum ademiſſe credebatur, reſtitutæ,

tutæ, ne ſcilicet Ceciliæ nomine anima Valdemari (ità adjicitur) ullo aut cruciatu aut pœnâ afficeretur. Poſtremò tamen ſingulorum de Regis electione ſententiis propiùs ad animum revocatis, Cimbricæ Cherſoneſi, qvæ Jutia appellatur, populus nobilitasqve eò præcipuè abierunt, ut eligendum unanimi conſenſu Principem Olaſum Haqvini Regis filium cuncti judicârint. Idqve ubi allatum ad Scanienſes eſſet, haudqvaqvam illi ab eorum ſententiâ ſibi diſcedendum putârunt, ſed in eam univerſi pedibus euntes, miſſis ad eos literîs, ſuum qvoqve animum ac vota conſentientia declarârunt. Earum literarum exemplum, cujusmodi ad manus noſtras devenit, formâ ac phraſi ſervatis, adjiciendum hôc loco putavi.

Nicolaus Dei gratiâ Archiepiſcopus Lundenſis, Sveciæ Primas, totumque Capitulum Lundenſe, Abbas monaſterii omnium Sanctorum prope Lundis, Prior Dalbyenſis, Thuo Gallen, Hollingerus Gregoriſſon, Andreas Jacobſen Lunge, & Petrus Nielſſon de Blekingia, milites, Thorkillus Nichelſſon, Henricus Joſepſon Capitaneus caſtri Lindholm, Boſſe Pariis Capitaneus caſtri Varbierg, & Petrus Broch, Armigeri; reverendis in Chriſto Patribus ac Dominis, Dominis Epiſcopis, militibus, militaribus, & armigeris civitatenſibus, totique communitati terræ Jutiæ, ſalutem in Domino charitativam. Innotuit nobis per Dominum Jacobum Olufson militem, quòd vos unanimiter & concorditer decreviſtis & intenditis, domicellum Olafum, filium illuſtris Regis Domini Haqvini, in noſtrum Principem ac Dominum eligendum, ſi noſtra ad hoc voluntas acceſſerit & conſenſus. Qvare vobis reſcribimus, quòd ex merâ deliberatione, voluntate & conſenſu totius noſtræ univerſitatis Scanicæ, Hallandiæ, & Blekingiæ, in dictum domicellum Olafum vota noſtra dirigimus, & ex nunc conſentimus in eundem, per nos eligendum, ipſumqve cupimus habere in Regem Daniæ & nullum alium. Sanè noſter conſenſus eſt ſicuti veſter, & ſicuti intelleximus per Dominum Jacobum prædictum, ſe tendit ſinceriter in eundem. Rogamus igitur veſtram conſpectionem & providentiam, ſummè conſulentes, qvatenus ad electionem prædicti Domicelli Olafi efficaciter & ſine mora qvalibet procedatis; ipſum in Regem regni Daniæ & nullum alium præter eum eligentes; firmam enim & fidam aſſiſtentiam vobis cum omnium virium noſtrarum benevolontia volumus exhibere, & adſertos facere in promiſſis; hac conditione præhabitâ, qvòd idem Domicellus Olafus, per ſe & ſuos ante omnia ſufficientem faciat cautionem, qvòd omnia jura noſtra, tam in libris legalibus, qvàm in haandfeſtning *contenta, privilegia generalia & privata, per Reges Danorum & ſuos prædeceſſores, liberiùs conſervet, roboret, innovet, & confirmet inviolabiliter obſervanda. In Domino feliciter valeatis. Scriptum Roſchildis, anno Domini MDCCCLXXVI. feriâ tertiâ poſt Dominicam Invocavit.*

Inde Majo menſe, die inventionis S. Crucis, habitus Slagloſæ apud Selandos conventus, præſentibus Rege Norvegorum Haqvino, Magaretâ Reginâ, regniqve ordinibus: ibi omnium ſuffragiis Olafus, accepto ſolenni â ſingulis ſacramentô, Rex Daniæ eſt inauguratus ac declaratus. Mater interim Margareta, dum filius, qvi natus 1365. undecimum circiter annum ingreſſus jam erat, paulatim adoleſceret, ejus vicem regni habenas moderata eſt, fæmina gravis, induſtria, prudens, & qvæ facilè, qvod ætati filii deerat, tot inſignibus animi dotibus ornata ſupplevit. Codicilli tamen ac publica literarum inſtrumenta, qvæ ab ipſo, dum regno præeſſet, ſunt evulgata, nomen ipſius primo locô ponunt, inde matris, in hunc ferè modum. *Nos Olafus, Dei gratiâ Daniæ, Norvegiæ, Slavorum Gothorumqve Rex, nobisqve dilecta mater Domina Margareta, eadem gratiâ Norvegiæ & Sveciæ Regina.* Aliqvando & idem ità; *Nos Olafus Dei gratiâ Daniæ Norve-*

vegiæque Rex, verus Sveciæ hæres; & nos Margareta Valdemari Regis Danorum filia. &c.

Slaglofæ autem, priusqvam folverent comitia, præter cætera Rex Olafus hæc infrà fignata fe affecuturum, fartaqve ac tecta præftiturum pollicitus eft. *Primò, ut Epifcopi, Capitula, cænobia, omnesfque Ecclefiæ homines per univerfum Daniæ regnum immunitatibus, privilegiis, jure ac legibus fuis cunctis, quas antiqvitus habuerant, tutò fruantur, fintque à Regiis omnibus teloniis ac vectigalibus exemti ac liberi. Unicuique Sacerdoti villarum, quæ in ejus parochia eft, præcipua ad inhabitandum cedat, eaque à regio cenfu habeatur immunis. Ecclefiaftica munera nec precaria fint, neque etiam Rex aut ejus præfecti fibi ullam de iis difpofitionem vindicent. Nemo peregrinus, & qui idiomate utitur alieno, aut ætatis juftæ non eft, ulli Ecclefiæ præficiatur. Cænobiorum qvoque aut ecclefiaftica bona haud ullus fibi curanda affumat, præter Abbates, Priores & curatores monafteriorum: hi foli Epifcopo, legitimo fuo ac vero Domino, rationes reddant, refpondeantque tam in corporalibus, quàm fpiritualibus. Nemo fimiliter qvempiam ex clero præfentet Ecclefiæ, nifi cui jus competat patronatûs. Nemo itidem, five Epifcopus, five alius Ecclefiafticæ dignitatis, vel in vincula conjiciatur, vel extorris agatur, aut bonis fuis denique fpolietur, nifi legitimè & coram judice fpirituali convictus. Cænobitæ aliiqve Ecclefiæ operantes non adigantur eqvos aut canes alere. Nemo Sacerdotum aut Clericorum vitâ functorum bona fibi arroget, abfque confenfu & voluntate hæredum. Equitibus, Eqveftrisque ordinis nobilibus univerfis, exigere à fuis fubditis trium marcarum mulctam, item novem marcarum & ultra, fecundum cujuscunque ditionis jura, liberè liceat. Iidem extra regnum Regi militare haut teneantur. Si qvidam tamen Rege id mandante fecerint, atque interea vel domi vel foris capiantur, tum eos fuis impenfis Rex intra annum liberet, ac damna eorum, priusquam denuò ad bellum excedant, refundat. Si verò domi manferint, farta nihilominus & tecta ipforum privilegia habeantur. Rex bellum nullum abfque Prælatorum Procerumque regni confilio & voluntate aufpicetur. Cuicunque præter fas & æqvum bona ac poffeffiones ablatæ fuerint, ea coronæ ope ipfi reftituantur. Si qvis verò reperiatur, qui in eadem bona fibi aliquid nomine Regis vindicet, tum arbitri duodecim ab Epifcopo ejusdem ditionis nominabuntur, qui, facto juramentô, de lite ftatuant ac pronuncient. Neminem facris initiatum Rex fecularibus admoveat. Rex ejusque præfecti in id toti incumbant, ut controverfiæ diffidiaque omnia inter regni indigenas fopiantur. Nemo in vincula conjiciatur, nifi ipfo in facto deprehenfus, aut legibus convictus. Regis Valdemari (cujus anima gaudeat) ftatuta ac leges inviolatæ ferventur, exceptîs, fi quæ fortè privilegiis aliis aut novis decretis fint emendata. Agricolæ non teneantur reparare Regia prædia, molendina aut arces, nifi Regiô fenatu adfentiente. Novis oneribus nuper impofitis, ut decimarum tributo aliisque, coloni, qui propria habent latifundia, non graventur; dum interea, quod Regi debetur, perfolvant. Nemo ullam ob caufam bonis aut latifundiis fuis excidat, nifi de crimine læfæ Majeftatis, deque armis in patriam fumtîs, convictus. Negotiatores civesque intra Daniam habitantes commerciis fuis utantur fruanturque abfque telonio & onere, nifi à Rege, idq; Optimatum confenfu, ac re exigente, ftatutum aliter fuerit. Comitia more majorum celebrentur quotannis fub diem S. Johannis Baptiftæ. Nemo extra ditionem, in qva agit, in jus vocetur. Nemo potentiorum, cujuscunque is ftatûs fuerit, ulli ex laicis aut Clero fe minori comminetur: qui faxit, is Regi, fi in laicum deliqverit, aut Epifcopo, fi ex clero cuidam fint minæ intentatæ, mulctam pendant.*

His Olaus Rex, aliisqve immunitatibus ac ftatutis, qvæcunqve un-

qvam Daniæ Reges ejusqve prædecessores civibus aut clero concessissent, se subscribere professus est; idemqve & nomine ipsius Rex Norvegiæ Haqvinus Margaretaqve Regina, parentes ejus, publicè sunt attestati polliciti-qve; cum qvibus insuper alii Regnorum Proceres benè multi subscripsere. Eodem circiter tempore, Regibus Daniæ Olafo, Norvegiæ & Sveciæ Haqvino, Reginæqve Margaretæ, Stetini Pomeraniæqve Dux Bugislavus Rugiæ Princeps pollicitus est, qvascunqve haberet vires, ipsis subsidio venturas, qvandocunqve postularentur, fore. Promisit præterea addixitqve se, qvamcunqve ex jure clientelæ, ob Rugiæ insulæ principatum, qvam ut præfecturam a Daniæ regno acceperat, operam atque obedientiam Regi debebat, eam omnem promtè ac fideliter præstiturum. His Aleholmiæ datis subscripserant præter Johannem Comitem Gudskoviæ eqvites armigeriqve aliqvot. Idem qvoqve haud multo post Rosckildiæ polliciti Dux Vartislaus fratresqve ac nepotes Ducis Bugislai Barnimi Ducis filii; eâ tamen lege, ut si copiæ ipsorum in Daniam transfretarent, id Regis impendio fieret, si vero Daniæ ac Norvegiæ Regum auxilia Ducibus in Germaniam subsidio accederent, sumptibus Ducum sustentarentur.

Qvæ dum ibi aguntur, bello se adversus Danos accingere videbatur Dux Megapolensium Albertus Senior, qvòd persvasum haberet, nepotem suum Ducem Albertum, Henrici Ducis atqve Ingiburgæ, qvæ soror erat Reginæ Margaretæ, filium, non minus qvàm Olafum ad Daniæ regni successionem qvàm proximè pertinere, cum uterqve in pari propinqvitatis gradu consisteret, & Albertus insuper ex filia Valdemari, natu, qvàm erat Margareta, majori, progenitus esset. Itaqve milite ac classe parata, in oras Daniæ procinctum movere cœpit: nec omiserat monere Albertum filium, Svecorum Regem, ut suppetias accederet: haud perpendens secum, Regem Olafum magis electionem, & qvod ad regnum consentientibus procerum suffragiis esset vocatus, qvàm qvod natus ad idem foret, obtendere. Moxqve in altum progressus Albertus, cum ortâ undiqve fœda tempestate maxima detrimenta classis milesqve incurrissent, versis velis, omittere tandem expeditionem instituit. Causa vero utriusqve partis assensu arbitris permissa. Hi de eâ in hunc fere modum pronunciarunt: *ut scilicet Princeps Olafus, ejusque mater Regina Margareta, jure suo intra Daniam fruerentur, & Albertus quoque, Henrici Megapolensium Ducis filius, similiter suo uteretur; hærediaque omnia ac prædia, arces, territoria, avi sui Valdemari, quæ intra Daniæ districtum collocata, ad ipsum jure hæreditatis serenissimus Princeps Misniæ Marchio Fridericus spectare judicaturus erat, in solidum acciperet. Dani interim omnesque Daniæ incolæ libera sua electione ac prærogativis gauderent: electioqve in Olafum facta Duci Alberto in præjudicium aut damnum haut cederet: jus nihilominus titulusque ad eundem Olafum delata, firma immotaque haberentur.* Qvibus transactis, obiit haut multô post uterqve Ducum Albertus, nepos avusqve; atqve ita liticula ea controversiaqve omnis finem habuit.

CAP. VIII.

PONTIEICIS AD ARCHIEPISCOPUM SCANIÆ LITERÆ. REGIS HACONIS MORS ET ELOGIUM.

Anno

ANno, qvi superiorem seqvitur, MCCCLXXVII. Islandi Norvegiæ Regi Haconi fidelitatis & obseqvii sacramentum præstiterunt.

Proximo Anno MCCCLXXVIII. obiit Gregorius XI. Pontifex, qvi paucis anteqvam excederet diebus, misit ad Scaniæ Archiepiscopum literas, severè eum ac seriò commonefaciens adhortansqve, ut anathemate feriret, sive ii nobiles, sive plebeji essent, qvicunqve bona ecclesiasticis eriperent, aut sacra etiam loca prophanarent: idqve ea præcipue occasione ab eo factum, qvod Scaniæ nobilitas bellis assiduis exercita ferocior jam esset, & tota in raptus atqve avaritiam ferri videretur. Si qvid ea è reditibus Ecclesiæ Lundensis ad se pertinere judicabat, id non jure aut legibus, sed vi sibi ipsi adqvirebat, haut aliam litis disceptandæ rationem præstolandam existimans. Succedit huic Gregorio die IX. Aprilis Bartholomæus Butillus Neapolitanus, Barensium Episcopus, qvi coronatus XVIII. Aprilis in Paschate, Urbanum Sextum se nominat, sedetqve annis XI. mensibus sex. Cardinales, in primis Galli, cum se â plebe coactos esse dicerent, ut Pontificem crearent, & infensi essent recèns creato, Fundos abeunt, ibiqve ex suo collegio eligunt Papam Robertum Gebennensem, qvem Clementem VI. vocant, qvi Avenionem in Galliam abit, annis regnaturus sedecim. Inde ingens schisma ortum, qvod integros XL. duravit annos. Itali, Germani, & Angli, Urbanum secuti sunt, Galli & Scoti prætulerunt Clementem, Hispani neutrum probârunt. Hoc anno Dominus Alfus Episcopus Grönlandensis vivis excessit.

Anno MCCCLXXIX. ex Islandia Dominus Oddgeirus Episcopus Skalholtensis & Arnius Cœnobii Mukathveraensis qvondam Abbas in Norvegiam transfretabant. Memorant Annales adqve hunc annum referunt prœlium inter Skrælingos & Grönlandos, in qvo octodecim ex Grönlandis cæsos, duos præterea unò cum prædâ abreptos in servitutem fuisse memorant.

Anno, qvi superiori successit, MCCCLXXX. sub Barnabæ circiter festum, qvod III. est Iduum Junii, venerunt in Norvegiam ad Haconem Regem Gulielmus Dalhiel, Mallitius Sparre, & Alexander a Rode, missi ab Henrico de S: Claro Orcadum Comite, cum reciproca, ut vocant, cautione super insulis Orcadum, qvâ se eas, permittente Hacone, in formam clientelaris præfecturæ tenere profitebatur. Sed eæ literæ, cum a Comitibus & Baronibus Scoticis, qvomodo Malstrandæ condictum fuerat, obsignatæ non essent, accipere eas Rex renuit. Se idcirco dicti Henrici Comitis mandatarii, Gulielmus, Mallitius & Alexander Thonsbergæ substituros, datâ syngraphâ Regi Haconi addixere, donec allata essent, qvibus hic sibi ex præscripto eorum, qvæ Malstrandiæ pacta conventaqve erant, satisfactum judicaret. Promiserunt præterea iidem, numeraturos se Regi centum octoginta semiaureos (nobles vulgò dictos) qvi ratione contractûs ex summa mille semiaureorum ipsi etiamnum debebantur.

Hôc eodem anno ipsis Cal: Maji è vita migravit Hacon Rex Norvegiæ, relinqvens hæreditariam regni possessionem Olafo filio Daniæ Regi. Et agi continuò cum Regina Margareta regniqve Norvegici proceribus tum cæptum, ut ipsi in gratiam Danorum, qvi Olafum ipsorum etiam svasu ad regni Danici diadema promovissent, id vicissim operam darent, ut Dania Norvegiaqve in perpetuum conjunctæ sub uno Rege haberentur.

Huic Haconi *Æneas Picolomineus*, aliàs *Sylvius*, Cardinalis Senenſis, poſtea Romanæ ſedis Pontifex maximus, Pius Secundus appellatus, libro, qvem *Commentarium* inſcripſit, *de his, qvæ Friderico Tertio imperante in Germania & per totam Europam geſta ſunt, usque ad annum MCCCCLVII.* ſeqvens teſtimonium perhibet cap. 25. ubi de Dania, Svecia, & Norvegia agit: *Ex Norvegia*, inqvit, *putantur veniſſe, qui Cymbrorum occupaverant loca. In hac terra* (Daniam intelligit) *patrum noſtrorum memoriâ Valdemarus regnavit, in Svecia Magnus, Aqvinus in Norvegia, quem ferunt Divinum fuiſſe hominem, miro provincialium amore atque obſequio cultum. Huic conjux Margareta fuit Valdemari filia, ex qva natus Olaus patri ſuccedens, brevi tempore vitâ functus regnum matri reliqvit.*

CAP. IX.

OLAFUS PATRI SUCCEDIT. REX ALBERTUS SCANIAM INFESTAT. REGIS OLAFI CONSTITUTIONES. SCANIA, SACRAMENTO PRÆSTITO, PRIVILEGIA IMPETRAT. DUCATUS SLESVICENSIS GERHARDO DEFERTUR. REGIS OLAFI MORS ET EPITAPHIA.

Eô ipſo anno, qui Haconi fatalis erat, in ejus locum, omnium ordinum ſuffragiis, eligitur filius OLAFUS, ejus nominis QVARTUS, totiusqve Norvegiæ Rex declaratur. Seqventis anni, qvi eſt MCCCLXXXI. maximam partem apud Norvegos tranſigit, dum exeqvias ibi parentis Regali pompâ ac ceremoniâ celebrat. Inde accepto regni diademate, omnia ad pacem publicam ſubditorumqve utilitatem ordinavit. Tunc hi proceres in Norvegia vixiſſe memorantur: Dn. Amundus Finni filius Regis propinqvus, Dn. Jon Martini, Alfus Haralldi, ejus affinis, Hacon Sigurdi, Henricus Vinoleſonius Cancellarius, Henricus & Ogmundus Bolkius, Erlendus Philippi, Jon Darrius, Jon Sigurdi, Jacobus Eccleſiarum Bergenſium Epiſcopus, Vinoldus Henrici, Ragnarus Guttormi, Archiepiſcopus Nicolaus, Jon Opsloenſis, Olafus Stafangrienſis, Sigurdus Hamarenſis, præſules; Sigurdus Haſterſonius, Hacon Jonis, Othius Rognvaldi, Erlendus Philippi, Gautius Eirici, Olafus Haraldi.

Incidit in eundem annum exceſſus Domini Thrandi Archiepiſcopi Nidaroſienſis, Oddgeiris Skalholtenſis, Botolphi Stafangrienſis, & Magni Hamarenſis, Epiſcoporum. In Norvegia Hallgeir Asmundi filius in locum Botolophi Epiſcopi Stafangrienſis â Thrando Archiepiſcopo inauguratur. Paulò pôſt in patriam revertitur Olafus, in curia Romanâ ordinatus ad diæceſin Stafangrienſem. Ceſſit itaqꝫ ipſi Hallgeir, haud conſultum ducens, Pontificiæ ſe electioni opponere. Hôc anno etiam Dn. Augmundus Finni ad Drottſeti Norvegiæ dignitatem evehitur. Rediit in Iſlandiam Rafnus Botolfi filius, dimidiæ inſulæ, qvoad viveret, Præfectus â Rege Olafo conſtitutus.

Seqventi anno MCCCLXXXII. Iſlandi ſacramentum fidelitatis Regi Norvegiæ Olafo præſtiterunt. Andreas Sveni filius, præfectus â Rege nominatus, in Iſlandiam transfretavit. De fraudatione vectigalium, in eâdem

dem insula Regi debitorum, qverelæ ad Olafum deferuntur; qvi igitur cum senatu jus Regium ita firmare voluit:

Olavus Dei gratiâ Daniæ, Norvegiæ, & Gothorum Rex, omnibus negotiatoribus Islandicis, tam hodiernis, qvàm postea, Bergîs commercia frequentaturis, salutem. Scitote Præfectum nostrum nobis Senatuique nostro qvestum esse, vos interdum haud parum damni nobis regnoque inferre, qvòd non justum vectigal ex vestris huc transportatis mercibus pendatis. Nos ergò cum Senatu nostro dilecto in constitutiones antiqvas diligenter inqvisivimus, invenimusque secundum prisca, præcipuè Regis Magni majorumque nostrorum, statuta, ex quaque tonna aselli saliti sex solidos Lubecenses solvi oportere; etiam ex vase qvolibet olei piscium, qvod Asch *nominant, proque singulis panni omnisque generis mercium fasciculis secundum numerum notasque pari ratione. Cùm autem antedictum vectigal multi Islandorum reddere neglexerint, ne quisquam dictum mandatum patris nostri Haconis impunè violet, ejus constitutiones confirmamus, octo ortugorum & tredecim marcarum mulctam præter antedictum vectigal nobis solvendum irrogamus; neque enim tales deinceps prævaricationes tolerabimus. Acta sunt hæc in præsentia reverendi Patris Jacobi, Dei gratiâ Episcopi Bergensis, Amundi Finni, Drottseti & propinqvi nostri, Sigurdi Hallvardi, Præpositi Ecclesiæ Apostolicæ Bergensis, Vigvaldi Henrici, præfecti nostri Tunsbergensis, Guttormi Eiricii, præfecti nostri Halogiensis, Petri Nicolai supremi judicis Bergensis, & Jonæ Aslaci, pluriumque nostrorum subditorum, dum hæc à nobis confirmarentur: & ut nemo, sive pauper sit sive dives, ab hac lege excipiatur, nomophylaci nostro mandamus, ut de his, qvotiescunque præfectus postulaverit, judiciô litem dirimat. Actum Bergis, anno regni nostri secundo.*

Missæ in Norvegiam sunt literæ Pontificis, qvibus ad singula templa publicatis, Robertus, qvi se Papam creari curaverat, excommunicatus pronunciatur. Notant Annales, hôc anno in demortui Archiepiscopi locum Haconē Ivaris filium à Canonicis surrogatum fuisse, qvi continuò in Norvegiã profectus, audivit ibi laicum qvendam Danum, nomine Nicolaum, redire Româ cum pallio, qvô nempe injecto â Pontifice in Archiepiscopum Nidarosiensem consecratus erat. Sed hæc potiùs ad annum superiorem referenda sunt, ubi ejusdem Nicolai Nidarosiensis Archiepiscopi inter proceres regni mentio facta est.

Anno proximo MCCCLXXXIII. Albertus Sveonum Rex numeroso exercitu in Scaniam movet, oppugnatamq; Bauholmiæ arcem vi cepit; nec mora, Regina Margareta, Regisqve Olai Mareschallus, expeditâ cum manu ei in occursum prodierê. Verùm Albertus præstolari adventantes haut ausus, se in Sveciam actutum recepit. Rex Olafus hôc anno sancivit, ne qvis in regno Norvegico, præter illos, qvi viginti marcas ipsi possiderent, mercaturam exerceret. Edictum ipsum adhuc superstes tale est:

Olavus Dei gratiâ Norvegiæ Rex &c. Dilectis nostris in Norvegia subditis, clericis & laicis, salutem. Notum sit vobis, dilectum nostrum Senatum, Episcopos, Eqvites, & Armigeros, reliquosque coram nobis sedulò questos esse, quòd qvi domos habent, & familiam peregrinorum sustentant, ministros mercenarios rei familiari administrandæ consequi neqveant, propterea qvòd contra leges commerciis terra mariq; exercendis omnes intenti sint. Volumus itaqve & severè mandamus, ne quis minori quam viginti marcarum censu instructus, nec ulli sive indigenarum sive exterorum obæratus, commercia exerceat. Etsi nostra mandata hactenus negligentiùs observata fuerint; hoc tamen sine omni exceptione servari volumus, illudqve in omnibus suis articulis, ut scriptum est, confirmamus. Ne verò regnum nostro civiumque, viribus & votis nostrum emo-

emolumentum qværentium, damno ad desolationem & interitum hanc ob causam vergat, edictum qvoque præsens ex Senatûs nostri, Episcoporum, Eqvitum & armigerorum consilio adjecimus & provulgavimus, ne quis postea, sive urbanus sive villanus, naves ædificet, qvibus in aqvilonem, aut etiam Scotiam, transfretet, nisi quorum fortunæ lautiores, sumtus à propriis facultatibus, absque ære alieno, ad harum sustentationem suffecerint, idque jurisjurandi religione confirment: qvi secus fecerit, naue, octo præterea Ortugis & tredecim marcis, mulctator. Severè igitur Præfectis nostris, præcipuè Bergensibus, mandamus, ne cuipiam talium navium ædificationem aut usum contra edictum nostrum permittant, aut ut quis negotia contra supra scriptum edictum, ut antè dictum est, exerceat. Edicimus autem, ut Præfecti nostri bona eorum, qui præsens mandatum transgredi audent, fisco nostro adjudicent, eâdem lege supremi judices tenentor, ut, qvos præfecti nostri ab hac culpa segregant, eorum causam examinent, & qvos insontes deprehenderint, judicio absolvant. Intelleximus præterea, magnô nostro dispendio, merces Islandicas, priusqvam debita nobis vectigalia solvuntur, ad varios divendi. Probibemus itaque Præfectis nostris, ne quem merces suas ante præcepta legitima portoria distrahere patiantur: quicunque autem sciens volensque hæc violaverit, pænâ bonorum nostrorum violenter subreptorum tenetor, mulctâque octo ortugorum & tredecim marcarum damnator. Actum Tunsbergæ, ex arbitrio & voluntate consiliariorum nostrorum pluriumque bonorum virorum, videlicet Domini Nicolai Archiepiscopi Trundheimensis, Domini Jonæ Episcopi Osloensis, Domini Jacobi Episcopi Bergensis, Domini Olafi Episcopi Stafangriensis, Domini Sigurdi Episcopi Hamarensis, Domini Sigurdi Hafthoris filii, Haconis Jonæ, Otthonis Regmundi, Erlandi Philippi, &c: Die Mercurii vigiliam D. Bartholomæi proximè seqvente, tertio anno regni nostri, sub omnium nostrorum sigillo.

Hôc anno Michael qvidam, natione Danus, qvi diu Romæ Pœnitentiarium egerat, Episcopus Skalholtensis declaratur. Annotant Annales præterea, memorabilem hunc annum fuisse nefandâ cœde Vilhelmi Orcadum Episcopi; de causâ autem, authore & circumstantiis cœdis, tacent.

Anno seqventi MCCCLXXXIV. Rex Olafus ex consilio Senatorum, Jacobi nempe Episcopi Bergensis, Arvidi Vindii Satrapæ, Olafi Haraldi, aliorumq;, proclamari fecit, sanxiitqve, ut Finnmarkenses & Halogenses negotia sua commerciaq; cum Vagensibus exercerent, Naumdalenses cum Nidrosiensibus, Romsdalenses cum Vedöensibus, Sunnmærenses cum Bergensibus. Ipsi Bergenses forum freqventarent.

Anno MCCCLXXXV. in Scaniam, (referente *Pontano*) cum matre Margaretâ regniq; proceribus Rex Olafus advenit; ingressusq; primò, idqve cum animi debita devotione, ædem D. Laurentii, donaria aliasq; oblationes Regias in loco deposuit; inde Scaniæ nobilitatem totiusq; ditionis proceres obvios sibi habuit circa Ludershoyam, atq; ibi in pleno omnium conventu æqvam se cum omnibus pacem culturum, privilegia atq; immunitates habiturum sancta rataqve, promisit. Scanienses ei vicissim in æde D. Laurentii die Dominicâ post festum S. Urbani sacramentum freqventes dixerê. Hæc inauguratio ob id præcipuè hoc tempore habita, qvòd anni illi qvindecim, qvibus Scaniam tenere Thevtoniæ civitatibus ex pacto erat concessum, jam finem haberent. Eodem tempore firma esse ac rata haberi voluit jura omnia atqve immunitates Ecclesiæ ejusdem cathedralis Lundensium, datis eâ de re amplissimis codicillis. Hisce in literis se verum ac legitimum Sveciæ hæredem profitetur. Similiter & Othoniæ & Slesvici stabiliri qvoq; Capituli libertates & privilegia fecit.

Annô,

Anno, qvi hunc excepit, 1386. Rex Olavus, annuente matre Margareta, in publicis regni comitiis Neoburgi ſub feſtum D. Johannis, præſentibus regnorum ſuorum Epiſcopis aliqvot, Gerhardo defuncti Holſatiæ Comitis filio Ducatum eundem detulit, eâ ſc. lege, ut Regis ac regni Daniæ beneficium agnoſceret, eoq; præſtitô, promiſſâqve fide, vexillum illi de manu in manum pro more Rex tradidit, ipſeqve Dux ac regni cliens declaratus eſt, univerſis, qvi aderant, bonum factum acclamantibus. Fratres interim ejus Albertus & Henricus Comitum Holſatiæ titulum retinuerê, nec ad Ducum dignitatem tum evecti; niſi poſtmodum, cùm ſibi Gerhardi penultimi liberi hoc, ut fevdum hæreditarium, præter morem majorum apud Danos receptum, vindicare cuperent.

Hoc anno Archiepiſcopus Nidaroſienſis Nicolaus ex hac vitâ migravit. Nullis eqvidem officii Archiepiſcopalis partibus, is nec initiationis miniſterio, nec confirmationis ſacrâmento functus erat. In hujus continuò locum Dominus Vinoldus ſufficitur. Etiam tum Dominus Augmundus in Norvegia aulæ Magiſter obiit.

In ſeqventem annum MCCCLXXXVII. incidit Illuſtriſſimi ac Sereniſſimi Olafi Regis exceſſus, defuncti apud Falſterböenſes, poſtqvam ab exceſſu patris circiter ſeptem añis Norvegiæ præfuiſſet, Daniæ verò cum matre Margareta undecim. Prognatus ex omnium, qvorum tum memoria habebatur, antiqviſſimâ, ſive paternum ſive maternum genus videamus, Regum proſapiâ, ultimusq; virilis proſapiæ fuit, qvi eam gloriam ſuſtineret, cùm in ipſo ac patre ejus, ut eſt humanarum rerum periodus, primorum etiam atq; Aboriginum Norvegiæ Daniæq; Regum familia defecerit. De ætate ejus Scriptores variant. Duos & viginti annos natum deceſſiſſe *Arildus Hvitfeldius* & ejus interpres *Pontanus*, eosq; ſecuti alii, ſtatuunt. Noſtri Annales, *Libro Originum Norvegiæ* conſentientes, qvi decenni ipſi patrem morte ereptum tradunt, eum ætatis decimo ſeptimo diſparuiſſe memorant; & qvidem Danos mortuum profeſſos ſuſpectæ fidei Norvegis fuiſſe. Qvid autem in re à temporibus noſtris adeò remotâ definiendum ſit, ego haud dixero. Viſcera ejus (tradentibus Danis) Lundæ in æde Divi Laurentii depoſita, corpus in Soræ cænobium translatum, atq; ibi magnificè funeratum, additis epicediis, qvæ hodieqve eodem loci proſa ac verſa oratione legere eſt ejusmodi:

OLAVUS ILLUSTRISSIMÆ TRIUM REGNORUM BOREALIUM REGINÆ MARGARETÆ FILIUS, EX HAQVINO NORVAGORUM REGE GENITUS, QVI PRIMUM NORVEGIÆ REGNUM JURE HÆREDITARIO EX MORTE PATRIS OBTINUIT, REGNANTE MATRE; CUM VERO, DEFUNCTO AVO MATERNO VALDEMARO, ET MATER IN DANIAM OB HEROICAS ANIMI DOTES REVOCATA ESSET, AD IMPERIUM PRÆSTANTISSIMÆ DOMINÆ REGINÆ, BENEFICIO DANORUM REX IN ADOLESCENTIA, ACCEPTO A PROCERIBUS REGNI JURAMENTO, DESIGNATUR ET DECLARATUR. QVO FACTO, UBI GERHARDUM HOLSATIÆ COMITEM EX VOLUNTATE ET CONSILIO MATRIS AC PROCERUM REGNI DANICI VASALLUM SOLENNI RITU CREASSET, PAULO POST IMMATURA MORTE EX HAC VITA EVOCATUS, HIC SORÆ INTER MATERNI PROAVI ET AVI TUMBAM SEPULTUS EST, DIGNISSIMÆ DOMINÆ MATRI REGINÆ UTRIUSQVE REGNI JUS ET IMPERIUM RELINQVENS ANNO, DOMINI MCCCLXXXVII.

Danica Norvago genuit me Margaris illa ,
Qvæ fuit Haqvino tradita connubio.
Et jus Norvagum , sed Danum gratia Regem
Signat , ubi fatis cum patre cedit avus.
Sed mihi regna negat mors immatura deinceps ,
Norvagia ut Dano pareat imperio ;
Ni matris tanta regnantis laude triumphus
In Svecos toto notior orbe foret.
Inter avum & proavum nunc Soræ corpore condor ,
Olavus, cæli lumine mente tegor.
At qvi me ob similes vultus se finxit eundem,
Nutricis ludens arte doloque meæ :
Falsterbodensi cineres commisit arenæ ,
Supplicium in ficto corpore ut ignis agat.

Aliud

Hoc cubat Olavi parvo sub marmore corpus,
Margaridâ Regis matre potente sati.
Hæres regnorum fuerat Princepsque duorum,
Hæredem at fecit mors properata poli.

Eosqve versus non nisi adulto jam Margaretæ imperiô conscriptos, inde colligere est, qvòd de excessu Olavi variatum per id tempus, nec defuisse, qvi vivere eum fingerent crederentqve, undecimus prioris epigrammatis versus injiciat.

HISTORIÆ RERUM NORVEGICARUM
PARTIS QVARTÆ FINIS.



INDEX.

INDEX
Nominum & Rerum memorabilium, qvæ in Tomo IV. continentur.

A.

B.

Biar-

J.

K.

N.

O.

Mat-

Tomi IV.

T.

SYL-

SYLLOGE VOCUM ANTIQVARUM,

Qvæ in hoc Tomo IV. vel datâ opera illuſtrantur, vel occaſione Nominum propriorum breviter explicantur.

TOMI IV.

FINIS.

Admonitio de Erratis.

QVoniam in Primo Operis hujus Tomo corrigendo, propter varias incommoditates non omninò tanta, qvanta in reliqvis, cura sit adhibita, erratis, qvæ in illo reperiuntur, studiosè enotatis, Lectori veras hic lectiones exhibemus. In Secundo autem, Tertio, & Qvarto ità Correctoris periti diligentiâ cautum credimus, ut vix ulla, qvæ Lectorem admodum offendant, menda ibi relicta sint.

Circa confinia pag. 8. & 9. ità legendum: id qvod immensa illa spolia (si libro in Svecia edito, ibiqve probato, fides) pag. 30. lin. 12. leg. vallibus. pag. 32. lin. 47. leg. Yndereyam. pag. 36. lin. 22. leg. fluvium. pag. 45. lin. 15. leg. ab oriente. ibid. lin. 43. leg. appellant. pag. 48. lin. 34. leg. inhabitant. pag. 50. lin. 27. leg. tumulo. pag. 52. lin. 23. leg. regni. pag. 57. lin. 25. dele (qve) pag. 67. lin. 23. leg. diœcesi. pag. 70. lin. 3. leg. vagantes. pag. 81. lin. 17. post loci, adde: incolæ. pag. 83. lin. 18. leg. mandari. pag. 86. lin. 7. leg. Gaulardalus. pag. 87. lin. 15. leg. verno. pag. 91. lin. 27. leg. qvorum. pag. 98. lin. 16. leg. fuerunt. pag. 111. lin. 14. leg. generibus. pag. 115. lin. 5. leg. elevatorum. pag. 124. lin. 25. leg. Galliones. pag. 126. lin. 7. leg. permisceantur. pag. 128. lin. 32. leg. Gothlandia. pag. 130. lin. 23. leg. liberis. p. 132. lin. 32. leg. Getarum. p. 140. lin. 29. leg. metropolis. p. 141. lin. 37. leg. Freyr. p. 152. lin. 21. leg. ætas. pag. 160. lin. 25. leg. subjugasse. p. 167. lin. 32. leg. terrestri. p. 190. lin. 25. leg. Eysteini. p. 195. lin. 16. leg. expetente. p. 201. lin. 7. leg. ordine modoqve. p. eàdem, lin. 8. leg. nominaqve, p. 206. lin. 23. leg. interpretaturum. p. 213. lin. 8. leg. Thorer. p. 220. lin. 7. leg. Angantyris. p. 230. lin. 18. leg. imperata. p. 231. lin. 1. leg. Dionysius. pag. 237. lin. antepenult: leg. pæniteret. p. 238. lin. antepenult. leg. tutus. ibid. lin. penult. leg. implicari. p. 265. lin. 4. leg. illa. p. 272. lin. 17. leg. duobus. p. 277. lin. 29. leg. luce enim. p. eàdem lin. 33. leg armô. p. 288. lin. 43. leg. Berserkorum. ibid. lin. 44. leg. Hialtii. pag. 301. lin. 48. leg. jacuit. p. 305. lin. 25. leg. simultates. p. 322. lin. 6. leg. frusta. p. 324. lin. 16. leg. interea. p. 334. lin. 38. leg. qvod. p. 342. lin. 37. post, secundum, adde: pertexit. p. 345. lin. 1. leg. mutuò. p. 366. lin. 25. l. conciderer. p. 370. lin. 32. l. connubio. p. 373. lin. penult. l. Odini. p. 377. lin. 15. l. Sniar Priscus: mater Drifa. p. 379. lin. 3. l. autem. p. 380. lin. 31. l. præjudicabit. p. 384. lin. 39. l. Cap. XXIII. p. 388. lin. 41 leg. expertes. p. 392. lin. 12. leg. abundantia. p. 395 lin. 41. l. qvem. p. 408. lin. antepenult. l. persvaserit. p. 410. lin. 4. l. noverca. p. 412. lin. 20. leg. Freyri. p. 413. lin. 9. l. privatarum. p. 415. lin. 27. l. festum. p. 421. lin. 37. post, sui, adde: seculi. p. 422. lin. 31. l. adumbrari. p. 423. l. 10. post Libr. VI. adde sect. I. p. 425. l. Cap. XI. p. 439. lin. penult. l. Gunnare. p. 444. lin. antepenult. l. poscit. p. 445. lin. 24. l. veterani. p. eàdem, lin. 37. l. Reginæ. ibid. lin. antepenult. l. industria. p. 454. lin. 42. l. Solem. p. 455. lin. 25. l. potius. p. 456. lin. 32. l. XXIV. pag. 498. sub finem, ità lege: dignum existimavimus, cujus epilogum, latinô metrô etc.